PHILIPPI MELANTHONIS

OPERA

QUAE SUPERSUNT OMNIA

POST

CAROL. GOTTL. BRETSCHNEIDERUM

EDIDIT

HENRICUS ERNESTUS BINDSEIL.

VOLUMEN XXI.

BRUNSVIGAE
APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.
(M. BRUHN.)
1854.

LIBRI PHILIPPI MELANTHONIS

IN QUIBUS DOGMATA DOCTRINAE CHRISTIANAE EXPOSUIT.

VOLUMEN XXI.

I. LOCI THEOLOGICI.

Prolegomena generalia p. 1—4.

A. PRIMA ADUMBRATIO LOCORUM THEOLOGICORUM
ab ipso auctore non edita.

Prolegomena specialia p. 3—10.

Lucubratiuncula Phil. Mel. e codice Ms. edita p. 11—48.

Prolegomena specialia p. 49 sq.

Theologica Institutio Phil. Mel. in Epistolam Pauli ad Romanos
a Kohlio e codice Ms. a. 1752 primum edita p. 49—60.

B. PRIMA AETAS LOCORUM THEOLOGICORUM
ab ipso Melanthone editorum.

Prolegomena specialia p. 59 — 82.

Phil. Mel. Loci communes rerum theologicarum seu Hypotyposes theologicae p. 81 — 227.

Epistola nuncupatoria ad. Tilom. Plettenerum p. 81 sqq.

Loci communes seu Hypotyposes theologicae p. 83 sqq.:

C. SECUNDA AETAS LOCORUM THEOLOGICORUM

ab ipso Melanthone editorum.

*) Hos numeros uncis inclusos, qui ad Locos tertiae aetatis pertinent, eo consilio adscripsi, ut lector hosce Locos secundae aetatis cum illis facilius conferre possit.

D. TERTIA AETAS LOCORUM THEOLOGICORUM

ab ipso Melanthone editorum.

LIBRI

PHILIPPI MELANTHONIS

IN QUIBUS DOGMATA DOCTRINAE

CHRISTIANAE EXPOSUIT.

I. PHIL. MEL. LOCI THEOLOGICI.

Melanthonis scriptis philologicis in huius Corporis Reform. Voll. XVI — XX. absolutis, ad libros eius dogmaticos progredimur, inter quos omnium gravissimus est hic ab ipso auctore varie inscriptus: *Loci communes rerum theologicarum seu Hypotyposes theologicae, Loci communes theologici, Loci theologici, Loci praecipui theologici**). Hi Loci primum doctrinae evangelicae systema continentes, quos Lutherus „librum invictum, non solum immortalitate, sed et canone ecclesiastico dignum" iudicavit**), in primo reformationis seculo (ut Augusti verbis***) utar) in omnibus theologorum manibus fuerunt: scholae academicae et gymnasia nullum aliud habuerunt enchiridion; Corpora quaedam doctrinae publica auctoritate collecta, e. gr. Misnicum et Pomeranicum, symbolicum illis tribuerunt vigorem: adeoque multi ecclesiarum evangelicarum doctores in publicis concionibus et sermonibus sacris locorum communium fuerunt tractatores. At vergente hoc seculo Formulae concordiae auctores ac patroni theologorum Lutheranorum animos ab his Locis ita abalienarunt tantumque effecerunt, ut *παιδείας τρόπος* a Melanthone introductus sensim sensimque desereretur. Hinc factum est, ut liber olim communissimus et ab omnibus lectus nostris temporibus inter rariores sit referendus.

Priusquam vero librum ipsum lectoribus proponamus, de historia huius operis praestantissimi est nobis dicendum, qua in re Georg. Theodor. Strobelii liber magna cura diligentiaque elaboratus sub titulo: *Versuch einer Litterär Geschichte von Philipp Melanchthons Locis theologicis als dem ersten Evangelischen Lehrbuche.* Altdorfi et Norimbergae a. 1776. 8. evulgatus optimum praesidium est. Hoc enim argumentum ita tractavit, ut a viro doctissimo atque in hoc litterarum genere versatissimo poterat exspectari, quamquam non omnes eius sententias comprobamus.

Hanc locorum Melanthonis historiam in septem capita distribuemus:

Cap. I. De prima eorum adumbratione ab ipso auctore non edita.
Cap. II. De editionibus annorum 1521 — 1525., quas prima libri ab ipso auctore editi aetas complectitur.
Cap. III. De editionibus secundae libri aetatis, quae annos 1535 — 1541. continet.
Cap. IV. De editionibus tertiae libri aetatis, quae annos 1542 — 1559 complectitur.
Cap. V. De germanicis huius libri translationibus.
Cap. VI. De aliis eius translationibus.
Cap. VII. De libris ad hoc opus spectantibus.

---

*) Conf. Editiones infra memorandae. — Hos Locos in hoc Corpore edendos antea Vir Clar. et Doct. Mauritius Roedigerus in se susceperat, id quod a. 1829 publice indicavit hacce dissertatione: *Viro Perillustri ac Summe Venerando Io. Frider. Guil. Koch S. S. Theol. Dr.* etc. *semisecularia muneriss olemnia die V. Octobris A.* 1829. *feliciter celebranti observanter ac pie gratulatur Maurit. Roediger. Insunt quaedam de Philippi Melanthonis Locis communibus theologicis propediem in Corpore Reformatorum edendis.* (Halis Sax. 28 pagg. 8.). Ex hac dissert. plura ipsius auctoris verbis infra afferemus. — Praematura morte (nam d. 14. Sept. a. 1837., XXXIV. aetatis anno, iam diem supremum obiit) hic Vir Clar. et Doct. ab illo proposito peragendo est impeditus.

**) Iac. Heerbrand [in Oratione funebri in obitum incomparabilis viri, D. Philippi Melanthonis, habita in Academia Tubingensi d. 15. Maii 1560. Tubing. 1560. $4\frac{1}{2}$ plagg. 4. — Iterum Witeb. 1560. 4. — Recusa in libro: Orationes, Epitaphia et Scripta, quae edita sunt de morte Philippi Melanthonis, omnia etc. Viteb. M.D.LXI. 8. fol. R 4^a — T 4^b; in G. Th. Strobelii l. *Miscellaneen Literarischen Inhalts*, Vol. VI. p. 215 — 251, et in huius Corp. Reform. Vol. X. pag. 293 — 313; h. l. p. 305.] haec refert: „[Lutherus] adeo autem honorifice de illis [Locis] sensit, ut dixerit, Non extare ullum aliud praestantius post Apostolica scripta *Locis* D. Philippi, ideoque in Ecclesia et Scholis retinendum, quia in eo doceat, pugnet et triumphet, ac totum corpus coelestis doctrinae complectatur. Nec in omnibus omnium Patrum scriptis tantum reperiri eruditionis theologicae, quantum in locis hisce contineatur. Et si omnia illorum scripta conflarentur, non tamen inde locos Philippi prodituros."

***) Vide praefationem libri: *Phil. Melanchthonis Loci theologici illustrati a Io. Christ. Guil. Augusti* (Lips. 1821, 8.) p. IV.

Haec vero capita non continua serie exhibebimus, sed ita, ut quodque priorum quinque capitum contextis praefationis loco praemittatur, reliqua duo autem in fine addantur.

A. PHIL. MELANTHONIS PRIMA ADUMBRATIO

LOCORUM THEOLOGICORUM AB IPSO AUCTORE NON EDITA.

Melanthon anno 1518. a principe Friderico Sapienti cognominato Tubinga Witebergam vocatus ad docendas litteras graecas, totus simul in sacris litteris erat et Veteris Testamenti et Novi, ac praeter Matthaei evangelium et Pauli ad Titum, inprimis eiusdem ad Romanos epistolam auditoribus enarrare coepit. Huius enim epistolae enarratio in deliciis eius erat iam a primo fere muneris academici tempore *). Nam Paulo Apostolo totum se eo libentius dedit, quo magis iam eo tempore, quo Tubingae theologiae studiosus erat, a Scholasticorum monachorumque commentis ac deliriis animum avertebat **).

Ex hac utraque re, scilicet auctoris animo Scholasticorum commentis offenso et ad Paulum Apostolum eiusque inprimis ad Romanos epistolam depulso, simulque ex eiusdem in Lipsica a. 1519. disputatione praesentia *Loci communes* primam originem traxerunt ***).

De *anno* autem, quo hi primum prodierint, inter viros doctos controversia est orta, de qua Roedigerus in dissert. supra laudata p. 18 — 24 haec refert: Fuerunt, qui primam eorum editionem iam a. 1520. lucem vidisse dicerent, quorum in numero sunt Seckendorfius †), et Andreas Weberus ††); et praeter Iacobum Henricum a Balthasar †††) etiam Semlerus ab eorum partibus stetit *†), qui duplice anni 1521. editione Vitebergensi [quae cum Melanthonis praefatione ad Tilom. Plettenerum prodiit] commemorata, addit: „*Es fehlet also noch ein Druck, welcher Melanchthon's Zuschrift an Plettner nicht haben kann, wie aus dieser zu ersehen ist.*“ Melanthonis verba h. l. indigitata initium faciunt praefationis ad Tilom. Plettenerum, qui a. 1521. Vitebergae Doctor theologiae creatus erat, scriptae: „Anno superiore, Paulinam Epistolam, quae Romanis inscripta est, enarraturi, communissimos rerum theologicarum locos, adeoque illius Epistolae farraginem ceu methodica ratione digessimus. Quae

---

*) Hoc non solum ex eiusdem epistolae tractatione iterum iterumque instituta elucet (vide Strobelii librum: ***Historisch-Litterarische Nachricht von Phil. Melanchthons Verdiensten um die heilige Schrift*** etc., Altdorf. et Norimb. 1773. 8. p. 96 — 119 et huius Corp. Reform. Vol. XV. p. 441 sqq. 493 sqq. 797 sqq. Conf. etiam Martini Mylii Chronologia Scriptorum Phil. Melanchthonis [Gorlicii 1582. 8.], Praefat. fol. b 5[b]), sed etiam ex hisce ipsius verbis: „Descripsi bis mea manu epistolam ad Romanos Graece, tunc cum melius adhuc pingerem et manus essent faciliores, ac plus otii haberem. Unum vero exemplar dedi doctori Hesso Vratislaviensi.“ [a. 1519?] (vide Io. Manlii Locorum communium collectanea, Tom. III. p. 93. Ed. Basileens. a. 1564. 8. (p. 545. Ed. Francofort. ad M. 1594. 8.). Hocce autographum itemque prima Locorum adumbratio recensetur in ***Hamburg. Briefwechsel der Gelehrten des Jahres*** 1751. [vide infra p. 5. notam ***)] p. 513 sqq.

) Iac. Heerbrand in oratione supra laudata [Corp. Ref. X. p. 303.] haec dicit: „Quod igitur usitata Scholasticorum et Monachorum deliria potius atque commenta, quam fidei dogmata repudiavit, non puerili levitate, incogitantia et temeritate factum est. Nec Lutheri societate vel auctoritate motus id fecit. Dum enim hic [Tubingae] etiamnum viveret, inutiles, spinosas, intricatas et frivolas Scholasticorum opiniones et disputationes, adeoque totum illud doctrinae genus, quod neglecta sacrosanctae scripturae auctoritate Aristotelem cum theologia confundit, et ex duobus integris unum corruptum facit, traditiones hominum non scriptas, decreta pontificum et conciliorum sine ullo discrimine recipit, hominibus praetoriam interpretandi scripturam auctoritatem tribuit, ut id sonare cogatur, quod ipsi volunt, quasi propter locum et gradum errare non possint, hoc, inquam, doctrinae genus tum abiecit.“ In libello ***Ad Paulinae doctrinae studium adhortatio* inscripto [Basileae ap. Adam. Petri (1520) 8. 1¼ plagg. — recuso in Libro selectarum Declamationum Mel., Argentor. ap. Crat. Mylium 1541. 4. p. 1 sqq., in Selectarum Declamationum Mel. Tom. I. p. 8 sqq., in Declamatt. Mel. a Richardio editarum Tomo III. p. 28 sqq., et in huius Corp. Ref. Vol. XI. p. 34 sqq.; h. l. p. 38.] Melanthon de Scholasticis doctoribus dicit: „E Theologia nobis non aliud fecere, quam illam Graeciae hircissantem anum, Philosophiam.“

***) Conf. Melanthonis ad Ioannem Hessum epistola d. 17. April. 1520. scripta [in huius Corp. Ref. Vol. I. p. 158 extr.], eiusdem ad Plettenerum epistola nuncupatoria editionibus primae aetatis Locorum theol. praemissa [recusa in huius Corp. Vol. I. p. 510 sqq.] et Roedigeri dissert. supra laudata p. 10.

†) Commentar. de Lutheranismo Ed. 2. [Lips. 1694. Fol.] Supplem. ad Indicem I. §. 49., ubi inter Melanthonis scripta haec refert: „Eiusdem Loci communes rerum Theologicarum seu hypotyposes Wittenbergae 1520. in octavo editae, habent plagulas 17 et dimidiam. [H. l. annorum numerum 1520. nonnisi mendum typogr. pro 1521. esse Feuerlinus in epistola a Kohlio laudata (in libri paulo post memorandi Praefatione p. 12 sqq.) argumentatur.]

††) Programma de prima Locorum communium Phil. Melanchthonis editione. Kilonii 1770. 4 plagg. 4.

†††) Historia Locorum theologicorum Phil. Melanchthonis eiusque Pars I. varias recensens editiones. Gryphisw. s. a. 8 plagg. 4.

*†) In Baumgartenii Evangel. Glaubenslehre, Vol. II. a. 1759. Einleitung p. 146. not. 96.

lucubratiuncula cum in hoc tantum esset parata, ut Paulinae disputationis argumentum *καὶ ἔλεγχον* quam pinguissime iis indicaret, quos privatim docebamus, tamen nescio a quibus *evulgari coepit*, quorum mihi, quicunque tandem *publicaverunt*, studium magis, quam iudicium probatur, nempe quod ita scripsissem, ut sine Pauli Epistola non satis intelligi posset, quid in toto opere secutus essem. Nunc, quia mihi non est in manu, libellum *propemodum publici iuris factum* premere, visum est recognoscere ac sub incudem revocare, desiderabant enim pleraque accuratiorem disputationem, pleraque etiam limam.“*) Haec de *apographis* aliorum manu factis interque amicos circumlatis, non de libro impresso, esse intelligenda dicit Strobelius**), qui nullum exemplum ante a. 1521. evulgatum vel ipse viderit vel ab aliis visum repererit. Stabilire quidem ac firmare post Feuerlinum***) sententiam suam Strobelius studuit binis Melanthonis litteris ad Io. Hessum a. 1521. d. 20. Febr. et m. Aprili datis (huius Corp. Reform. Vol. I. p. 284—286. et p. 366.) p. 285.: „Pauli Romanos adhuc enarro, nunc tractans caput X. Methodum [i. e. locos theologicos], quam pollicitus sum in hanc aestatem, ut spero, edam.“ Et p. 366.: „Mea Methodus nunc excuditur. Ideo mittemus auctiorem, quam *scripta* quondam fuerat.“ — Sed tamen illa Melanthonis: „— *evulgare coepit* — *publicaverunt* — *libellum propemodum publici iuris factum*“ urgent, ut impressionem cogitemus vel susceptam neque ad finem perductam, vel saltem confestim suppressam †). Quam sententiam firmat praeterea testimonium, quod Kraftius in libro ab ipso edito: Neue Theolog. Bibliothek. Vol. VIII. Fasc. 73. p. 245. attulit, Casp. Uhlenbergi ††): „Caeterum, inquientis, ut re ipsa dilueret (Melanthon), quam Eccius obiecerat, rerum theologicarum ignorantiam, post disputationem Lipsicam et sacras literas privatim docere coepit, collecto discipulorum coetu, quibus epistolam Divi Pauli enarravit ad Rom. scriptam. Priusquam vero eam ordiretur NB. prooemii loco *communissimos rerum theologicarum locos* dictavit, methodica ratione digestos, quos Theologiae studiosis ad intelligendam apostoli mentem usui futuros dicebat. Hanc *lucubratiunculam* e discipulis quidam, auctore non consulto, typis divulgaverunt: quam anno sequente 1521. revocavit ad incudem et additamentis quibusdam auctam denuo publicavit sub hoc titulo: Loci communes etc.“

Scriptam autem illam lucubratiunculam ex ipsius Melanthonis autographo a. 1752. edidisse sibi visus est anonymus (Prof. Kohl): *Gesammelter Briefwechsel über die in den gelehrten Geschichten annoch strittige curiöse Frage: Ob vor der Ausgabe der* Locorum Theologicorum Philippi Melanchtonis, *vom Jahr* 1521 *eine andere, von ihm vielleicht unterdrückte, vorher gegangen sei? Nebst dem original Abdruck derjenigen Schrift, welche eben dieselbe von Melanchton unterdruckte* Lucubratiuncula *zu seyn gemuthmasset wird, deren er selbst in der*

---

*) Ex his elucet, praeter ea, quae de horum Locorum origine supra diximus, proximam editionis eorum primae, quae ipsius auctoris cura a. 1521. prodiit, ansam et causam in quorundam consilio ac studio eam adumbrationem, quam ipse a. 1520. auditoribus suis tradiderat, evulgandi esse quaerendam.

**) In libro: *Versuch einer Litterär Geschichte von Ph. Mel. Locis theol.* p. 19.: „*Es ist unsirittig, dass Melanchthon mit diesen Worten* [evulgare coeperit; libellus propemodum publici iuris factus,] *auf keine Publication oder Evulgation durch den Druck, sondern bloss auf eine schriftliche Communication und Bekanntmachung dieses Buchs gezielet habe.*“ quibus autem ibid. ipse haec adscripsit: „*Eine Abschrift dieser* locorum *wird nicht blos in den Händen Hessi allein gewesen seyn. Es können sich solche auch verschiedene Zuhörer Melanchthons abgeschrieben haben, und wie leicht konnte es da nicht geschehen, dass ein Verleger aus Begierde etwas damit zu gewinnen, dieses Buch, ohne Wissen des Verfassers gedruckt hätte? wie es ihm mit vielen andern Arbeiten, besonders mit Erklärung biblischer Bücher gegangen ist. Melanchthon beugte also diesem vor, und gab solche selbst, nachdem er sie nochmals auf das sorgfältigste durchgegangen, im öffentlichen Druck zu Wittenberg im Jahr* 1521. *heraus.*“ Eadem fere ad verbum iteravit in l. *Neue Beyträge zur Litteratur besonders des XVI. Jahrh.*, V, 2. p. 320 sq.

***) In eius epistola Gottingae d. 25. Nov. 1751. (ad Kohlium Prof. Hamburg.) scripta, quae invenitur in hocce libro rarissimo: „*Gesammelter Briefwechsel der Gelehrten, welche zum Wachsthum der Wissenschaften, insonderheit der gelehrten Geschichte und zum Andenken der vor dreihundert Jahren zuerst zum Stande gebrachten edlen Buchdruckerkunst in eine correspondirende Gesellschaft zusammengetreten; auf das Jahr MDCCLI. Hamburg MDCCLI.* 50 plagg. 8. Fascicul. 49. pag. 769—784. (Hunc librum ex Biblioth. ducali Guelferbyt. in manibus habeo.) Huius epistolae sic inscriptae: „*Sr. Hochw. Hrn. Dr. und Generalsup. Feuerlein, Schreiben an den Herausgeber, von der ersten Ausgabe der* Locorum theologicorum, *und andern seltenen Schriften und Schriftensamlungen des vortrefflichen Melanchtons.*“ ea pars, quae ad Locos theol. pertinet (p. 769—778) repetita est a Kohlio in praefatione libri: *Gesammelter Briefwechsel* etc. illico accuratius describendi p. 10—20.

†) Similiter Augusti in editione sua Locorum theoll. supra memorata p. 169. iudicat; quamquam enim Strobelio adstipulatur, addit tamen: „Quodsi quis supponere velit, susceptam fuisse antea ab aliis, inscio atque invito auctore, impressionem, haec tamen editio spuria nunquam lucem vidisse, sed suppressa credenda est.“ Idem fere iam a. 1751. Kohlius dixit in l. *Hamburgische Berichte von den neuesten Gelehrten Sachen.* Tom. XX. *auf das Jahr* 1751. p. 695.: „*Wahrscheinlich ist es demnach, dass solche erste Ausgabe entweder im J.* 1520., *oder gleich zu Anfang des* 1521. *Jahrs, kurz vor der von dem Melanchton ausgefertigten Edition, die Druckpresse verlassen habe. Die grosse Seltenheit dieser Ausgabe, oder vielmehr der gänzliche Untergang derselben rühret wohl daher, weil Melanchton, welcher sie nicht für seine Arbeit erkennen wollte, sondern gar übel damit zufrieden war, die ganze Auflage, ehe sie noch gemein gemacht worden, sogleich zu sich genommen, und zu Maculatur gemacht hat.*“

††) In libro suo: De vita, moribus... Praedicantium Lutheranorum etc. a. 1622. in Vita Melanthonis.

Vorrede zu seiner Ausgabe von 1521 *selbst gedenket.* Hamburg. 1752. bei Nic. C. Wörmer. 9¼ plagg. 8.*) — Ex hoc libro eandem Locorum adumbrationem a. 1794. repetiit Strobelius in l. *Neue Beyträge zur Litt. bes. des XVI. Jahrh.* V. 2. p. 323 — 344. sic inscriptam: *Erster Entwurf von Melanchthons* Locis: „Theologica institutio Philippi Melanchthonis in epistolam Pauli ad Romanos" **): unde denuo edidit et praefatus est Fried. Traug. Friedemann in hocce libello: *Phil. Melanthonis prima adumbratio locorum theologicorum.* Wittenbergae, 1823. IX et 17 pagg. 8., item eodem anno et loco in Miscellaneis maximam partem Criticis, cur. Friedemann et Seebode. Vol. II. P. 2. p. 354 — 370.

Et genuinam quidem esse hanc *Institutionem* non dubito ***) utpote ipsa Philippi manu scriptam: sed eandem esse ac *Lucubratiunculam* eam, cuius *evulgari coeptae et propemodum publici iuris factae* Melanthon ipse in prima Locorum editione a. 1521. mentionem facit, prorsus nego. Ista enim institutio tam dissimilis est libro a. 1521. edito tamque parum idonea, quacum Melanthonis descriptio componi queat hisce comprehensa: „Desiderabant pleraque accuratiorem disputationem, pleraque etiam limam," ut recte mihi videar sentire, illam esse *Obeliscos* in suum, non auditorum, usum conscriptos †) et ad Ioannem Hessum cum illo epistolae ad Romanos exemplo (quod ipse descripsit) missos ††), quorum opus mire crescere scribit Melanthon eidem †††): ad eandemque spectare verba supra (p. 5 sq.) laudata: „*scripta* quondam."

Desideratur igitur vera *Lucubratiuncula*, quam Melanthon a se recognitam ac sub incudem revocatam esse dicit. At felici sorte eandem hanc veram Maurit. Roedigerus reperit in Bibliothecae Ducalis Gothanae codice chart. num. 973. octon., qui Dresda Gotham migravit hoc seculo ineunte. Tria continentur hoc volumine: α) Melanthonis Annotationes in epistolam ad Romanos iis similes, quas Lutherus a. 1522. edidit, sed ad XIII. tantum capitis finem ab auditore quodam *†) negligentius, ut videtur, ac liberius scriptae, et ita quidem, ut IV priorum capitum textum antea atramento rubro pinxisse et coram Melanthone annotationes interseruisse, reliqua vero omnia recitante Melanthone calamo excepisse videatur. — Hisce haud multo post antescripta est pars praefationis Lutheri, quam in foliis sequentibus albis absolvere voluisse videtur scriptor. β) Locorum communium editio Viteberg. a. 1521. octon. In margine passim eadem manu, ut videtur, sed postea (eodem fere tempore, quo illa Lutheri praefationis pars) adscriptae sunt annotatiunculae quaedam latina vel brevius repetentes vel germanice reddentes vel etiam illustrantes. γ) Lucubratiuncula illa communissimos rerum theologicarum locos complectens, quam sequitur Melanthonis Commentarius in epistolam ad Romanos a. 1522. a Luthero editus **†). Haec voluminis pars apographum est scriptionis recitante Melanthone calamo exceptae, uti tota illius ratio docet: et quae Melanthon ἐν παρόδῳ, non dictando, addidisse videtur, ea plerumque inter dictata, cruce adpicta, sunt recepta ac non-

---

*) Hic liber rarissimus, qui in Kraftii libro supra laudato Vol. VIII. p. 239 — 245. recensetur (invenitur in Biblioth. senat. Hamb. et Norimb. atque in Bibl. regia Berolin.) incipit a praefatione (p. 3 — 36.), in qua Kohlius huius disquisitionis historiam refert et sententiam suam, ante Locos theoll. ab ipso Melanthone a. 1521. primum editos similem libellum breviorem, quem auctor *Lucubratiunculam* appellet, inscio atque invito auctore typis exscriptum esse argumentatur; hanc sequitur (p. 36 — 54.) „Theologica institutio Philippi Melanchtonis in epistolam Pauli ad Romanos." ex Melanthonis autographo, quod Kohlius illam Lucubratiunculam typis exscriptam sed confestim suppressam iudicat, edita; huic adiuncta sunt haecce: 1. Editoris epistola ad Balthasarum Gryphiswaldensem (p. 55 — 60.), 2. Balthasari litterae, quibus ad illam respondetur (p. 61 — 64.), 3. Editoris epist. ad Goeringum Mindensem (p. 65 — 69.), 4. Goeringi litt. ad Feuerlinum Gottingensem (p. 70 — 86.), 5. Epitome epistolae Feuerlini ad editorem (p. 87 — 89.), 6. Goeringi epist. ad editorem (p. 90 — 96.), 7. Editoris responsum ad Goeringium scriptum (p. 97 — 116.), 8. Hambergeri Gottingensis epistola ad Feuerlinum (p. 117 — 123.), 9. Huius libri iudicium in l. *Hamburgische Berichte* (p. 124 — 133.), 10. Nonnulla Inedita Melanchtoniana (p. 134 — 138.), 11. Index (10 pagg. non num.).

**) „Theologica — Romanos." sic ipse Melanthon in autographo hunc libellum inscripsit, id quod Kohlius l. l. p. 36. adnotavit.

***) Kohlius, qui hoc autographum Melanthonis possedit, id primum accuratius descripsit in l. *Hamb. gelehrten Briefwechsel des Jahres* 1751. pag. 513 sqq.

†) Firmatur id ipsa Melanthonis Praefatione, quae in tertiae aetatis Locorum exemplis exstat: „Prodest firma et perspicua testimonia de singulis articulis doctrinae Christianae ordine distributa velut in tabella habere proposita, ut, cum disputant animi secum aut anguntur, sententiae certae in conspectu sint, quae trepidantes erudiant, erigant, confirment, consolentur — *Ad hunc usum domesticum initio mihi hos locos institui — — primum ut me ipsum erudirem*" etc. Conf. etiam secundae aetatis exemplorum Praefatio.

††) Vide supra p. 3 sq. notam *).

†††) In epistola d. 17. April. 1520. (recusa in huius Corp. Ref. Vol. I. p. 156 — 161.), ubi p. 158 sq. haec leguntur: „Iam ad obeliscos ac Pauli Romanos accingor. Obeliscorum opus crescit mire. Nam non, ut coeperam, annotationes, sed locos communes scripturus sum de Legibus, de Peccato, de Gratia, de Sacramentis, deque aliis mysteriis. Secutus sum Rhetorum consilium, qui locis communibus comprehendere artes iubent."

*†) Capitis IX. ineuntis margini adscriptum est: Hans Hesse yn d. Nicklas Gasse. — Haud dubie Witebergae omnia sunt scripta.

**†) Epistola ad Melanthonem, quam Lutherus huic editioni praemisit, recusa est in Lutheri epistolis ed. de Wette Vol. II. p. 238 — 240.

nullis tantum locis in inferiore margine habentur; adde quod uno loco Lucubratiunculae haec leguntur: „Nota: aliqua notabilia exempla margine annotate etc.“ et scriba iis ex margine receptis in margine adscripsit: „ex margine collegi.“ In Commentario autem semel spatium relictum est vacuum inque margine adscriptum: „defectus.“ In fine voluminis sunt illa Lutheri de lege, peccato et gratia postea scripta. — Atque iis, quae postea sunt addita, exceptis, haec tertia voluminis pars a. 1520. exeunte vel a. 1521. ineunte conscripta esse videtur: et ille discipulus, cuius manu omnia sunt conscripta, hac tertia parte e diligentioris condiscipuli libello priorem negligentiam corrigere videtur voluisse.

Lucubratiunculam autem accuratius conscripto Commentario praemissam eandem esse atque illam a Melanthone ipso indigitatam facile apparebit contentione eiusdem et editionis Witeberg. a. 1521. octon. *(Editionis principis* nomine insignitae*)* facta. Quocirca eam a Maurit. Roedigero ex illo Cod. Goth. descriptam et cum hac editione Witebergensi comparatam h. l. edo, sublatis tamen MSti vitiis apertis.*)

*) Beatus Maurit. Roedigerus hanc Lucubratiunculam omni critico apparatu instructam Viro Rever. Herm. Agath. Niemeyero tradidit, ex cuius manibus ipse accepi.

[LUCUBRATIUNCULA PHILIPPI MEL.]

1.a. **Rerum Theologicarum capita seu Loci fere hi [1] sunt [a]**

Deus	**fructus peccati**	**Gratia**
Vnus	**vicia Item [e]**	**Gratiae fructus**
Trinus	**poenae [2]**	**seu virtutes [g]**
Creator [b]	**Lex [f]**	**Praedestinatio**
Homo [c]	**Instauratio**	**promissiones [h]**
Peccator [d]	**per Christum [3]**	**Signa sacramentalia**
		Hominum status seu
		conditiones Iuditium
		i. e. beatitudo seu damnatio. [i]

In his ut non licet per humanam imbecillitatem quosdam assequi Ita rursum sunt quidam quos repulerit plane vniuersum vulgus christianum tenere. [k] **Mysteria [4] diuinitatis** rectius adorauerimus quam investigauerimus [l] Siquidem [m] Carne deus Opt: max: filium [n] induit ut nos a contemplatione maiestatis auocatos ad fragilitatis nostrae [5] studium invitaret [o]. **Proinde**
1.b. non est cur multum operae ponamus in locis inaditis [p] **De Deo vno Trino etc.** [q] **De Mysterio [6] creationis [7].** [r] **Peccati vero legis** et gratiae locos [s] qui ignorauerit Nescio [t] quomodo Christianum vocem Siquidem [u] ex his locis [v] Christus proprie [x] cognoscitur. [y] Neque fieri [8] potest ut viam beatitudinis teneat qui hos locos neglexerit Siquidem hi [9] soli compendiarium ad beatitudinis diuinae [10] iter monstrant. Atque hos tractauit Paulus velut [11] Methodum quandam tocius christianae disciplinae describens eamque talem Vt nisi quis hanc epistolam sedulo et accurate meditatus fuerit Non modo lusurus operam videatur in reliquis sacris litteris Sed ne intellecturus quidem Christum. Et priusquam de epistolae argumento dicam [z] Paucis eos locos excutiam quos haec epistola comprehendit **scilicet**

Liberum Arbitrium Peccatum
Legem: Gratiam: —[aa]

CODICIS DIVERSITAS.

1) hij 2) pene *Talia semper.* 3) christum *Talia saepe.* 4) Misteria 5) nostre *Talia semper.* 6) Misterio 7) ***In scribendis verbis*** De misterio creationis ***librarius inscriptionis formam exhibuit.*** 8) fy 9) hy *Talia saepe.* 10) beatitudinis diuine ***Sic Cod. Nonne*** beatitudinem diuinam *corrigendum?* 11) velud

---

EDITIONIS PRINCIPIS DISSENSUS.

a) Rerum .... sunt] Sunt autem rerum theologicarum haec fere capita. *(fol.* 3, b. *lin.* 1. ***Etenim fol.*** 1, ***b.*** — 3, ***a., praef. ad Pletten. cum prooemio in Locos, om. Cod.)*** b) Creator] Creatio c) Homo] Homo, Hominis uires. d) Peccator] Peccatum e) Item] *om.* f) Lex] *add.* Promissiones, g) seu virtutes] Fides Spes Caritas h) promissiones] *om.* i) Hominum ... damnatio.] Hominum status Magistratus Episcopi Condemnatio Beatitudo. k) In his ut non ... tenere.] In his ut quidam ... Christus uoluit. ***Vid. fol.*** 4, ***a.*** 1 — 4. l) investigauerimus] uestigauerimus. Immo ... experti. ***Vid. fol.*** 4, ***a.*** 6 — 8. m) Siquidem] Et n) filium] ***transp. ante*** deus o) maiestatis ... invitaret] maiestatis suae ... per sapientiam. ***Vid. fol.*** 4, ***a.*** 10 — 15. p) inaditis] illis supremis, q) vno Trino etc.] de unitate, de trinitate dei, r) creationis.] ***add.*** de modo incarnationis. Quaeso te ... catholicis dogmatis. ***Vid. fol.*** 4, ***a.*** 19. — 4, ***b.*** 9. s) Peccati ... locos] Reliquos uero locos, peccati uim, legem, gratiam, t) ignorauerit Nescio] ignorarit, non uideo u) Siquidem] nam v) locis] *om.* x) Christus proprie] proprie Christus y) ***Seqq. verba (usque ad locum de lib. arbitr.) ab ed. pr. prorsus fere discedunt, quippe minus expolita et Pauli ad Rom. ep. artius spectantia.*** z) ***Haec observa utpote ab ed. pr. aliena.*** aa) ***Noli praetermittere, quod Philippus in Theologica Institutione infra recusa tres tantum locos enotarat, in Lucubr. hac addit*** liberum arbitrium, ***de quo iam cogitavit; in ed. pr. hoc denuo reiecit, incertus (ut videtur) de quibus aliis sit disputaturus.***

De Libero Arbitrio.[a]

Hominis duae partes sunt { vis cognoscendi
vis in qua affectus nascuntur.

Primum:[b] vis cognoscendi Est qua sentimus aut intelligimus, ratiocinamur[1], aliud ex alio cognoscimus.[c]

*) Et in hoc quadrant manus pedes aures etc.

2, a. | angeli cognoscunt bona et mala sed tantum bona faciunt.[d] Angeli.

2^{m}. Cognitio neque bona neque mala[e] Vis e qua affectus oriuntur Est qua[f] auersamur aut persequimur cognita. Hanc vim alij voluntatem Alij appetitum Alij affectum vocant.[g]

3^{m}. Cognitio seruit voluntati atque[h] ita li: arbitri: nouo vocabulo vocant coniunctam voluntatem cum cognitione seu consilio intellectus. Nam perinde ut Tyrannus est in re publica, ita voluntas in homine.[i] Et ut consiliarius[k] Tyranno[2] obnoxius i. e. subiectus, sic et intellectus:[l] qui alias bene alias male consulit: Penes voluntatem est obtemperare aut refragari.[m]

*) Opera cognitionis sunt Sentire videre Audire raciocinari intelligere. Opera affectus sunt Auersari persequi[3] amare odire metuere dolere.

*) Quatuor sunt genera ex quibus ceteri affectus nascuntur

Voluptas
Spes duo praesentis — Dolor
Metus duo absentis.[n]

Nos simpliciter vocemus li: arbitri: voluntatem. Imo non vtemur li: arbitrij appellacione. Sic et intellectum cum voluntate coniunctum vocant racionem. Nos simpliciter racionem vocabimus cognitionem. Imo nec racionis vocabulo vtemur.[o] Nam per vsum nominum passim variant scriptores.[p] voluntas cognitio

2, b. | 4^{tum}. **Ad vim cognoscendi** pertinet lex i. e. consilium benefaciendi[q] A dvim affectuum virtus: vitium:[r] peccatum: gratia.[s] Quod discrimen accurate obseruandum est Quia vis cognoscendi in plura vulgatur quam vis affectuum.

*) Multa cognoscimus esse mala tamen cohibere affectum non potentes.

Natura enim bona et mala cognoscimus, tantum mala affectamus. Neque vim legis aut gratiae facile cognoueris Nisi huius discriminis habeas rationem Aliud esse cognitionem Aliud affectum.[t] aliud est cognitio aliud affectus.

Vide qualiter libera sit voluntas.[u]

5^{tum}. **Libertas** proprie non cadit[v] in partem cognoscendi[w] Verum ea libera videtur quatenus obtemperat huc atque illuc impellente voluntate.[x]

Definitio[4] libertatis.[y]

Est autem libertas posse agere aut non agere Posse sic aut aliter agere. Ergo[z] in quaestionem vocatur: quatenus libera sit voluntas humana.[aa]

Sextum: voluntas comparata cum praedestinacione non est libera Neque in bonis, neque in malis. Neque in externis operibus neque internis affectibus.[bb] Sicut copiose disputatur 9. ca°.

CODICIS DIVERSITAS.

1) raciotinamur 2) Tiranno 3) *Haud satis liquet, utrum* persequi *legendum sit, an* prosequi. 4) Diffinitio.

EDITIONIS PRINCIPIS DISSENSUS.

a) De Libero Arbitrio.] DE HOMINIS VIRIBVS adeoque de libero arbitrio. *Ceterum add.* Scripsere ... proditum est. *Vid. fol.* 5, *b.* 3. — *fol.* 6, *a.* 17. b) Hominis ... Primum:] Ac primum ... cognouit. *Vid. fol.* 6. *a.* 18—23. c) aliud ex alio cognoscimus.] alia cum aliis comparamus, aliud ex alio colligimus. d) Et in hoc ... faciunt.] *absunt.* e) 2^{m}.... mala] *om.* f) qua] *add.* aut g) alij voluntatem ... vocant.] alias uoluntatem, alias adfectum, alias appetitum nominant. *Ceterum add.* Non puto ... uoluntatem uocant. *Vid. fol.* 6, *b.* 5 — 13. h) atque] *om.* i) Tyrannus ... homine.] in repub. tyrannus, ita in homine uoluntas est, k) consiliarius] senatus l) i. e... intellectus:] est, ita uoluntati cognitio, m) qui alias ... refragari] ita ut ... explicabimus. *Vid. fol.* 6, *b.* 18 — 21. n) *Om. quae hic typis minoribus exscripta sunt.* o) Nos simpliciter ... vtemur.] Rursum intellectum cum uoluntate coniunctum, uocant rationem. Nos neque rationis, neque liberi arbitrii uoce utemur, p) Nam ... scriptores.] *om. sed add.* sed hominis partes ... de hominis partibus dixisse. *Vid. fol.* 6, *b.* 23. — *fol.* 7, *a.* 9. q) 4^{tum}.... benefaciendi] Pertinet autem ad uim cognoscendi lex, id est cognitio faciendorum. r) vitium:] *om.* s) gratia.] *om.* t) Quod discrimen accurate ... Aliud affectum.] *om.* u) 5^{tum}.... voluntas.] *om. sed in marg. add.* Num voluntas sit libera. v) proprie non cadit] non dicitur proprie cadere w) cognoscendi] cognoscentem, x) libera videtur ... voluntate.] uoluntati obtemperans, huc aut illuc rapitur. y) *Haec inscriptio om.* z) Ergo] Itaque aa) quatenus ... humana.] sit ne libera uoluntas, et quatenus libera sit. bb) Sextum ... affectibus.] RESPON. Quandoquidem omnia quae eueniunt, necessario iuxta diuinam praedestationem eueniunt, nulla est uoluntatis nostrae libertas.

3. a ad Ro. [vs. 18.:] Cuius volt miseretur et quem volt indurat [1]) etc.[a]) Sic Exod. 4. de pharaone [vs. 21.:] Ego indurabo cor eius ut non dimittat populum.[b]) Sic 1 regum X. De Saule et militibus [vs. 26.:] Et abijt cum eo [c]) pars exercitus quorum tetigerat deus corda.[d]) Sic 3 regum XII de Hieroboam [vs. 15.:] Et non [e]) acquieuit rex populo quoniam auersatus fuerat eum dominus ut suscitaret verbum suum quod locutus fuerat in manu Ahiae Silonitae [2]) ad Ieroboam [f]) filium Naboth. [g]) [h]) Ergo non est in potestate nostra quidquam Nec affectus internus nec externum opus. Si compares nostra cum praedestinacione. Eueniuntque omnia ut consilio diuino destinata sunt. Atque huius mysterii [3]) sublimior est ratio quam ut assequi eam humana imbecillitas possit. et in contemplacione eius admonearis benignitatis diuinae esse Quod apud sese est rerum omnium summa et imperium. Quod si aliquid esset in potestate nostra Certe e nostris consilijs penderemus Atque ita ad nos a deo auocaremur quae summa est impietas et miseria.

Nolui autem te de praedestinacionis negocio sollicitum esse aut disputare Quare hunc deus eripiat aut illum damnet: cur imputet nobis quod ipse destinauit. Dominus est enim. fa-
3. b cit quod placet. Porro futurum est aliquando cum sensum carnis detriueris ut intelligas non aliunde certius esse solatium ut ex praedestinacione.

Loci praedestinationis multum consolatorij.

Septimum: Quia locus praedestinationis sublimior est humano captu Simpliciter contuenda est natura voluntatis humanae Vtrum possit sese ad quamcumque rem applicare: aut a quacunque re auocare quocies consulit intellectus. Proinde voluntas humana simpliciter comparata cum affectibus non est libera Sed captiua regitur tum bonis tum malis affectibus. Quam sentenciam vel ipsa docet rerum experientia. Quod nullius affectus quantumuis languidi humanus animus compos est. et probat sextum Pauli caput [4]) ad Ro. [vs. 16.:] Serui estis siue peccati ad mortem siue obedientiae ad iustitiam. vbi duplex describitur seruitus Altera affectuum carnalium Duplex seruitus
Altera spiritus. et septimo ca. [vs. 5.:] Cum essemus in carne, affectus peccatorum qui per legem erant operabantur in membris nostris ut fructificarent morti. Et 8 ca: [vs. 14.:] Qui spiritu non dicit qui agunt.
dei aguntur hi filii [5]) dei sunt. Quibus locis satis declarat affectum regere non regi ab affectu
4. a. impelli hominem neque in nostra potestate esse affectum. Et hic affectus affectu vincitur Sunt Affectus regit non regitur.
enim alii aliis [6]) ardentiores ut quamquam auersetur et exhorreat periculum Iulius tamen quia ardet (vehementiori scilicet affectu.) gratiam siue potius [7]) gloriam non detrectat et quasi contemnit.

*) Nihil [8]) est positum in nostris viribus Siue ante collatum.

Octauum: Iam si dicas Si neque in bonis neque in malis libera est voluntas, ergo Sicut argumentum.
a malis ad bona non potest homo flecti Ita non poterit a bonis ad mala. Solutio.

Hic expende [9]) vim affectuum. Nam in eo qui est extra spiritum Non sunt nisi mali affectus quare ad bona non deflectit. Contra: in eo qui est instauratus spiritu Duplices sunt affectus et boni et mali. Hic vtri potiores sunt et vehementiores illis obtemperat homo. Sic uero [10]) affectus compos est humanus animus [11]), potest a bonis ad malum deflectere quia rapitur vehementiore malo affectu Atque ita vides non esse in viribus nostris perseuerantiam.

Nonum: Scholae [12]) falso fingunt Affectum quidem esse in homine Sed voluntatem esse adeo liberam quod ponat affectum [13]) cum libet ut si quis quempiam odio habeat posse vo-

---

CODICIS DIVERSITAS.

1) induret 2) achie silonite 3) mistery 4) capd' 5) hy fily *Talia saepe.* 6) aly alys *Talia saepe.* 7) gratiam siue potius *in MSto. verbis* gloriam non detrectat *ita sunt supposita, ut non omnino liqueat ubi sint contextis interserenda; sed suo loco posuisse mihi videor.* 8) Nichil *Sic semper.* 9) *Supra* p *in* expende *positum est* t *ut librarius utrum* expende *an* extende *sit legendum dubitasse videatur.* 10) u[9] 11) uero ... animus *MS. in marg. quidem exhibet, sed lineola recta apposita utpote indicante ut contextis inserantur.* 12) Scolie *errore scribae pro* Scole = Scholae. 13) *Ante* affectum *in fine lineae errore repetitus est* affec-

---

EDITIONIS PRINCIPIS DIVERSITAS.

a) Sicut ... etc.] Paul. ad Ro. XI. Quoniam ex ipso, et in ipso etc.] b) Sic ... populum] *om. sed add.* Ad Ephe. ... inauguraturque regno. *Vid. fol.* 7, *a.* 22. — *fol.* 7, *b.* 17. c) Sic ... eo] Rursum in primo regnorum, cap. X. abiit cum Saule d) deus corda.] corda deus. e) Sic ... non] In tertio regnorum, cap. XII. non f) Ieroboam] Hieroboam g) Naboth] Nabath h) *Seqq. quae MS. foll.* 3. *a.* — 5, *b. med. exhibet* (Ergo non est ... ... occupatur et anteuertitur) *in ed. pr. prorsus fere mutata sunt. Vid. fol.* 8, *a.* 1. — *fol.* 13, *a.* Et quid aliud ... ... in reliquis compendii nostri locis.

4, b. luntatem ipsam sua sponte sibi mandare ne illum odio persequatur Et hoc vocant bonum propositum et actum elicitum (.quae sunt tenebrae Aegyptiacae [1]).) Sed ego aio esse cogitaciones in- Somnia sco.
tellectus talia proposita et nihilominus [2]) flagrare voluntatem odio. Sic si quis amet non ponat amorem quoties cogitet porro non amabo. Sed fieri [3]) potest ut amorem refellat ex animo aliquis alius vehementior affectus. ut si offenderetur grauiter ab eo quem amat, certe illius minueretur amor per amorem sui. Sic enim in nobis ardet amor nostri ut ex ipso omnes reliqui affectus comparentur. Amas scilicet eum a quo aliquid capis aut voluptatis aut commodi. Odisti scilicet eum qui voluptati tuae: commodo tuo aduersatur. Si compares voluntatem cum externis operibus est libera. Sic quod potest: aut hoc mandare externis operibus quod cupit aut diuersum. ut defigere potest oculos in id quod cupit aut auocare. Sicut enim intellectus concipit duas contradictorias Iulium esse tyrannum et non esse Nec assentitur nisi alteri tamen eloqui lingua potest pugnantem cum ea cui assentitur intellectus Sic voluntas quomodocunque affecta potest Voluntas est
mandare diuersum seruili corpori Et sicut mentitur is qui diuersum sentit atque loquitur Ita fons affectuum[4]).
5, a. mentitur voluntas diuersum in speciem faciens quam est affecta. Atque haec externa libertas quamquam latius in homine pateat qui quo plura cognoscit in eo plura potest Aliter atque aliter externis operibus deflectere Tamen et in brutis est ut si famelicum canem qui ad obiectum cadauer contendat reuoces satis constat posse et solere aliquando regredi.

* Animi affectus multo plures sunt quam corporis.
* Amor proprie affectus voluntatis Inuidentia proprie est affectus voluntatis Sic odium.
* Voluntas inuidens non potest deponere affectum inuidentiae cum ratio ponit illum.

Esse libertatem in externo opere Paulus testis est 1 corinthiorum 7. [vs. 37.:] Nam qui statuit in corde suo firmus non habens necessitatem potestatem autem habens suae voluntatis et hoc decreuit in corde suo seruare virginem suam bene facit. Nam cum ibi de elocanda virgine aut non elocanda loquitur palam est de externo opere loquitur [5]). Iam vero palam est quamquam externorum sit libertas tamen fere vinci externas vires affectu. ut fieri potest ut imperes linguae nec criminetur [6]) eum quem odisti sic vbi incidit occasio sicut canis valde esuriens vix reuocatur ab obiecta praeda.

* Externa opera per sese neque bona neque mala Sed talia qualis est affectus. Deus enim inspector est cordium.

5, b. !* Vincuntur tandem externae [7]) vires affectu. Exemplum. Der hundt wen er hungrigh ist vnd zu langk mit ym spilt ſso leufft er zum ässe. Sic homo commotus. erumpunt affectus.

Iam et innumera fiunt a nobis affectu quae ipsi non intelligimus quorum iudicium deprauat affectus. Ergo nihil periculosius quam externae et plane captiuae libertati fidere ut possis eam regere consilio Nam fere consilium affectu occupatur et anteuertitur. [8])

De peccato Originali [a]).

Vim omnem naturamque gentiliciae culpae locis Methodicis prosequemur. [b])

Primum. Peccatum Originale quid sit. [c])

Est [d]) natiua propensio genialis [e]) impetus et energia ad peccandum [f]) propagata ab Adam in omnes homines [g]).

* Sicut lapis naturaliter rapitur deorsum sic natura ad peccandum. [h])

Secundum: [i]) **Vnde:** [k]) Cum deus opt: max: hominem condidisset [l]) sine peccato Aderat ei per spiritum suum qui hominem ad recta inflammaret. Idem spiritus gubernaturus erat omnem

CODICIS DIVERSITAS.

1) *egiptiace* 2) nichilo⁹ 3) fy' *Sic saepius.* 4) *Haec in margine posita MS. in inferiori paginae margine exhibet.* 5) lo² 6) creminetur 7) externas 8) anteuortitur

EDITIONIS PRINCIPIS DISSENSUS.

a) Originali] *om.* b) Vim . . . prosequemur.] *om. sed hab.* Mire obscurarunt . . . scripturae more. *Vid. fol.* 13, *a.* 9 — 16. c) Primum . . . sit.] QVID PECCATVM. *et in marg.* I d) Est] Peccatum originale est e) genialis] et quidam genialis f) energia ad peccandum] energia, qua ad peccandum trahimur, g) in omnes homines] in omnem posteritatem h) Sicut . . . peccandum.] *om. sed. hab.* Sicut in igne . . . contra legem dei, peccatum. *Vid. fol.* 13, *a.* 21. — *fol.* 13, *b.* 12. i) Secundum:] II (*in marg.*) k) Vnde:] VNDE peccatum Orig. l) Cum deus . . . condidisset] Deus Opt. Max. cum condidisset hominem

Adae posteritatem nisi lapsus fuisset Adam. Iam posteaquam is lapsus est [a]) auersatus | est 6, a.
deus hominem ut non sit praesens [b]) gubernator dei spiritus nascentibus [c]). (.Illa carentia spiritus facit nos pronos ad peccandum.) [d]) Sic anima luce et vita caelesti carens excaecatur et sese maximo amore complectitur [1]) [e]). Fieri enim nequit quin se [f]) maxime amet creatura quam non absorpsit amor dei. [g])

Primus affectus hominis gratia vacui. [h])

Ergo primus affectus [i]) et summus naturae hominis est Amor sui A quo rapitur ut velit et speret [k]) ea tantum Quae suae naturae bona Iucunda dulcia Honesta [l]) videntur Odio habeat et formidet [2]) ea quae naturae aduersantur ut mortem Et auersetur [m]) eum qui arcet ab ijs quae cupit Aut quae praecipit ea expeti [n]) quae displicent. [o]) Hinc odium dei Odium legis oritur de quibus infra [p]).

Secundum. Esse [q]) peccatum originale Iudaei negant Negarunt et Pelagiani. [r]) Horum sententiam refellit [s]) Augustinus de peccatorum meritis et baptismo paruulorum erudite ut omnia etc. [t])

[u]) Loci Testantes peccatum origi. Ex nouo testamento hi [3]) fere sunt. Ad Ro. 5to. [vs. 12.:] Sicut per vnum hominem peccatum in mundum introijt et per peccatum Mors Ita in omnes homines mors transiit [4]) quia omnes peccauerunt. Et rursus ibidem [vs. 15.:] Vnius delicto multi mortui sunt. Ad Coloss. [5]) 1. [vs. 10.:] | Per eum placuit reconciliari omnia. Quod 6, b.
si reconciliati sumus ergo antea damnati fuimus. Ad Galat. [6]) 3. [vs. 13.:] Christus [7]) nos redemit de maledicto legis. ergo maledicti fuimus. Ephes. [8]) 2. [vs. 3.:] Et eramus natura filij irae sicut ceteri.

[v]) Loci ex vete. Testa. Psalmo 50. [vs. 6. al. 51. 7.:] Ecce in iniquitatibus conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea. Quo versu plane Dauid [9]) significat se peccatorem natum esse. Gen. [10]) 12.[vs. 3.:] In semine tuo benedicentur omnes cognationes terrae ergo omnes homines maledicti fuimus. Siquidem haec promissio fuit benedictionis necesse erat id benedici quod fuit antea maledictum. Vide tercium cap. actuum apostolorum.

Quae vis peccati Originalis. [w]) Viuax quaedam energia est ad peccandum originalis noxa [x]) Sicut in igne est viuax vis ad inflammandum. Ea energia semper vegetat omnes hominis vires ad peccandum Ita ut homo semper aestuet malis affectibus. Atque id est quod Paulus ait septimo romanorum cap. [vs. 5.:] Affectus peccatorum vigebant seu habebant vim efficacem in membris nostris ad fructificandum morti. Atque ita est natura humana damnata ut numquam non sit peccatrix Nunquam non ferueat insanis affectibus. Quam damnationem significat | dominus in 7, a.
Genesi [12]) vbi ait serpenti [cap. 3. vs. 15.:] Et tu insidiaberis calcaneo eius. vbi hominum ge-

CODICIS DIVERSITAS.

1) complectit 2) formidat 3) hy 4) transyt *Talia saepius.* 5) Collo. 6) gallat. 7) Cristus 8) Ephes' 9) Dauid] dd' 10) Gn. 11) ***Haec in margine partim exteriori partim inferiori exhibentur.*** 12) gn. *Sic plerumque.*

EDITIONIS PRINCIPIS DISSENSUS.

a) is lapsus est] deliquit Adam, b) sit praesens] adsit ei c) nascentibus] *om.* d) ***Parenthesi inclusa om.*** e) Sic anima ... complectitur.] Ita fit, ut anima luce, vitaque coelesti carens excecetur, et sese ardentissime amet, ***add.*** sua quaerat... prauitatem. ***Vid. fol.*** 13, ***b.*** 3. — ***fol.*** 14, ***a.*** 2. f) se] sese g) dei.] ***add.*** Fieri nequit ... contemptum rerum spiritualium. ***Vid. fol.*** 14, ***a.*** 4 — 17. h) Primus... vacui.] ***om.*** i) Ergo primus affectus] Primus itaque adfectus k) et speret] desideretque l) Honesta] gloriosa m) aduersantur ... auersetur] aduersa uidentur, auerseturque n) expeti] sectari, ea quaeri o) displicent.] ***add.*** Proh quae hominum incomprehensibilis miseria est. p) Hinc ... infra.] Hinc in homine dei et legis diuinae odium oritur. hinc homini, ut mox latius explicabimus, ignis consumens deus est. q) Secundum. Esse] III ***(in marg.)*** Esse uero r) Iudaei... Pelagiani.] Pelagiani negasse feruntur. s) Horum sententiam refellit] quorum dogma reuellit t) de peccatorum... etc.] aliquot uoluminibus erudite. ***Et add.*** Nam in hac ... uideantur. ***Vid. fol.*** 14, ***b.*** 6—9. u) ***Seqq.*** Loci ... sicut ceteri] Nos subiiciemus locos ... uiuificabuntur. ***Vid. fol.*** 14, ***b.*** 9. — fol. 15, ***a.*** 19. v) ***Seqq.*** Loci ... actuum apostolorum] Huc pertinet ... ex spiritu? ***Vid. fol.*** 15, ***a.*** 19. — fol. 15, ***b.*** 14. w) Quae ... Originalis.] IIII ***(in marg.)*** VIS PECCATI et fructus. ***Sed etiam add.*** Minore ... dicemus. ***Vid. fol.*** 15, ***b.*** 16—23. x) ad peccandum originalis noxa.] peccatum originale, ***Sed seqq. (ad fol. 7, b. med. pleraque nova sunt:*** nulla non parte nostri .. in legum ratione dicemus. ***Vid. fol.*** 15, ***b.*** 24. — ***fol.*** 17, ***a.*** 8.

nus fecit obnoxium insidijs serpentis et iniuriae peccati. Consequitur hominem semper esse peccatorem semper peccare Nihil plane posse boni facere Sed omnia quae facit quantumuis speciosa facere amore sui. id quod intelliges commode si internos affectus introspexeris Non personata externa opera Nam opus externum nec bonum nec malum est secundum sese Sed eiusmodi qualis est affectus ex quo nascitur. eleemosynam amare parentes etc

* In specie nihil interest inter pium et impium.

Nam cum humana natura prorsus damnata sit Ita ut bene affici non possit fit ut semper peccet homo secundum naturam quicquid fecerit. Amas parentem Amas amicum Non amas nisi quia bene meruit Minus amaueris si offenderit. (.Ille amor veriss. peccatum est propter amorem mei.) Iuuas re inopem amore tui iuuas sperans te vicissim a deo locupletari [1]) vel donari vt taceam quam saepe haec fiant gloriae Item alijs sordidis affectibus. Atque haec quantumuis speciosa opera sunt vere peccata vereque mortalia.

* Spiritualis amor i. e. spiritus semper amat constanter eciam in aduersis et maximis tribulacionibus et non propter amorem sui. [2])

In hunc modum philosophi gloria animali Item plerique principes Viri quorum laudata est
7, b. et celebrata literis virtus Aristides Atheniensis Fabricius Cato Scipio [3]) Nasica Romani vere semper peccarunt quia eorum virtutes non fuerunt nisi fructus carnis. Esto dona fuerunt sicut opes sicut eloquentia sicut forma Tamen fructus carnis fuisse palam est.

* Sicut cibus et potus remedia sunt corporis alendi et per se neque boni neque mali et nullus praesumit per ista saluari Sic aurum et argentum res Mediae sunt quibus [4]) rarissime bene vtuntur Sic omnia dona naturae virtutes et omnia et nullus per ea saluatur.

Eloquentia Magnanimitas etc. dona dei sunt sed naturae data.

Nota [a]) Omnes homines [b]) vere semperque peccatores esse et peccare [c]) Testantur plerique loci scrip. euidentes [d]). Gen. 6to. [vs. 5.:] Omne desiderium cogitacionum cordis humani vanum et prauum omni tempore. Quae sententia manifeste testatur peruersam et prauam] naturae humanae propensionem ad peccandum. Iam quod dicit Omne desiderium omni tempore esse vanum satis declarat semper peccari. [e]) Esa. 9. [vs. 17.:] Omnes homines [f]) hypocritae sunt et nequam et vniuersum os locutum est stulticiam. [g]) Esa. 41. [vs. 29.:] Ecce omnes iniusti [h]) et vana opera eorum, ventus et inanitas ordinationes [i]) eorum. [k]) Esa. 53. [vs. 6.:] Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit. [l]) Dauid [Ps. 116, 11. al.
8, a. 115, 2.:] Omnis homo Mendax. [m]) Ioh. 1 [5]). [vs. 12.:] Quotquot receperunt eum dedit eis potestatem filios dei fieri [6]) his [n]) qui credunt in nomine eius qui non ex sanguinibus [7]) neque ex voluntate carnis [8]) etc. [o]) Sed ex deo nati sunt. Item [p]) Ioh. 15. [vs. 4.:] Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit in vite Sic nec vos nisi in me manseritis. [q]) A Paulo vero in Tota Roman. et Galat. [9]) Epistola non aliud agitur nisi probetur omnia hominum opera et affectus peccata esse. Ideo inter se comparat 8 cap. spiritum et carnem Docens carnem obnoxiam esse peccato Spiritum autem viuere. Porro Carnem intellige non modo corpus aut corporis opera (.qualia sunt ebrietas libido etc..) sed naturam humanam totam Tam animam quam cor-

---

CODICIS DIVERSITAS.

1) lucupletari 2) *Haec in marg. inferiori habentur, sed ante* In hunc modum *cruce adposita indicante ni fallor ut hoc loco interponantur.* 3) Catho Cipio. 4) quarum 5) *In huius fol. 7, b. margine exteriori exeunte desuper ad imum add.:* Paulus ad Romanos. 6) *Brevius scripta sunt:* potes. fi d'i fie. 7) exsag 8) vo. ca'. 9) Romanarum et Galatharum.

EDITIONIS PRINCIPIS DISSENSUS.

a) Nota] *om. sed add.* V *(in marg.)* Et ut rem omnem velut in compendium cogam, b) homines] *add.* per uires naturae c) esse et peccare] sunt, et peccant. d) Testantur ... euidentes.] *om.* e) Quae sententia ... semper peccari.] Et repetita est ... stolidi sophistae. *Vid. fol.* 17, *a.* 14—24. f) homines] *om.* g) *add.* Rursum h) iniusti] uani i) inanitas ordinationes] inane consilia k) *add.* Iterum l) declinauit.] *add.* et posuit dominus ... explicet mysteria. *Vid. fol.* 17) *b.* 6—25. m) Dauid ... Mendax.] Iam et Dauidem ... coherceri. Praeterea *Vid. fol.* 17, *b.* 25. — *fol.* 19, *a.* 4. n) his] iis o) etc.] neque ex uoluntate uiri, p) Item] *om. sed add.* Vides damnari ... obseruabit, *Vid. fol.* 19, *a.* 9—13. q) manseritis.] *add.* Obiter incidit ... hallucinarentur. *Vid. fol.* 19, *a.* 17. — *fol.* 19, *b.* 22. — *Seqq.* A Paulo vero ... Haec de libe: Arbi: (9, *a. fin.*) *perquam mutata multisque aucta sunt. Vid. fol.* 19, *b.* 23. — *fol.* 32, *a.* 13. (Iam Paulus in omnibus ... ... suo cuiusque spiritui.)

pus Et quod est in humana natura optimum: Rationem voluntatem et huius pulcherrimos conatus ut videntur: Fructus carnis est Tam speciosissima Socratis aut Catonis [1]) virtus: quam venerea libido. Nisi carnis vocabulum pro humana natura humanisque viribus quantumvis [2]) speciosis acceperis nunquam Pauli sententiam assequeris. Et sic vsurpandum esse carnis vocabulum docet Sextum caput Genesis [3]) [vs. 3.:] Non permanebit spiritus meus in homine quia caro est et Heb. 9. [vs. 10.:] In varijs iusticijs et baptismatibus carnis. [4]) vbi vocat iusticiam carnis
quae est humanarum virium. Itaque carnem | vocabimus quicquid est extra spiritum ut quan- 8, b.
tumuis speciosas Pauli virtutes nondum credentis: humanam sapientiam ut Socratis: humanam iusticiam ut Catonis [5]) Humanam temperantiam ut Fabricij Humanam continentiam ut Xenocratis Humanam fortitudinem ut Zenonis eleatae. Quae virtutes sunt veriss. vicia et plane fructus carnis.

* Multo viuatior est anima igne et quanto viuatior est tanto propensior ad peccandum. In intimis radicibus haeret odium et si cognosceret homo non posset ferre hanc miseriam et vacuationem omnis boni quae propagatur ex amore sui. [6])

Contra spiritum vocabis quicquid spiritus sanctus [7]) in nobis, veram et absolutam solidamque sapientiam pietatem iusticiam temperantiam Moderationem Castitatem et reliquos fructus numeratos a Paulo Ro. 8.

Sic autem comparat spiritum cum carne Paulus rhetorica [8]) et elegantiss. contencione [vs. 6. sq.:] Affectus carnis Mors est Affectus spiritus vita et Pax Quoniam affectus carnis est inimicitia [9]) aduersus deum Legi enim dei non est subiectus neque enim subijci potest. In qua comparatione cum palam sit Spiritum vocari gratiam Christi Necesse est Carnem vocemus quicquid non est spiritus et extra spiritum. Alias non erit integra comparatio si Medius affectus sit inter spiritum et Carnem. Itaque cum dicit Carnis affectum esse mortem Esse odium dei
Legi dei subijci non posse Quid aliud dicit quam omnes | humanos affectus esse peccata. 9, a.

Tota vita Euangelicaque doctrina comprehensa est in Paulina Epistola ad Roma.

Ergo vis peccati originalis Est energia rapiens hominem secundum Naturam semper ad pecandum. Quid ergo iactamus de libe. arbi: Quid humanas vires. Et ex his satis constat Quod principium poenitentiae non est in nostris viribus positum (.id satis experientia docet.) Sicut et Hiere: testatur cap. 31. [10]) [vs. 18 sq.:] Conuerte me et conuertar postquam enim conuertisti me egi poenitentiam.

Constat enim quod legem dei nemo hominum ex viribus suis facere potest. Et quamquam in sepeiem non indulgeas libidini Non fureris Non occidas Tamen vere haec opera metu poenae commod planeque necesse est ut fatearis Nisi lex interdiceret Malle te explere animum et indulgere genio quam per legem et metu coerceri. Haec de libe: Arbi:

De Lege:

Primum: Lex Est [a]) sententia qua et bona praecipiuntur et mala vetantur. [b])

2^m^. Alia Naturalis: alia diuina Alia humana. [c])

3^m^. Naturalis lex Est [d]) sententia communis cui omnes | homines pariter assentimur Atque 9, b.
adeo quam deus cuiusque animo insculpsit accommodata ad mores Sunt enim communes quaedam sententiae seu Theses (. i. e. communes formulae.) ad formandam vitam accommodatae Quas omnes homines comprehendunt ut sunt principia Theorica seu speculabilia: ut: Quodlibet est aut non est Totum est maius sua parte Ita sunt et leges naturae principia quaedam practica ad

CODICIS DIVERSITAS.

1) Cathonis 2) quatenus *sic insignitum haud dubie ut deleatur eiusque loco ponatur quod in marg. interiori exstat* quantumvis 3) capud genes'. 4) *Sic MS. pro:* in variis baptismatibus et iustitiis carnis. *Cf. infra fol.* 12, *b. init.* 5) Cathonis 6) *Haec MS. fol.* 8, *b. in marg. inferiori add. cruce anteposita; scriba videtur dubitasse, ubinam essent interponenda.* 7) *sc.* est? 8) Rethorica 9) inimititia 10) cap. 21.

EDITIONIS PRINCIPIS DIVERSITAS.

a) Primum: Lex Est] Locus de legibus ... Est autem lex *Vid. fol.* 32, *a.* 15. — *fol.* 32, *b.* 12. b) et bona praec. et mala vet.] bona tum praec. tum mala prohibentur. *Add.* Ius est ... indicabimus. *Vid. fol.* 32, *b.* 13—17. c) 2^m^. ... humana.] Legum aliae naturales sunt, aliae diuinae, aliae humanae. *Add.* De naturalibus legibus ... formula petitur? *Vid. fol.* 32, *b.* 19. — *fol.* 33, *a.* 10. d) 3^m^. ... Est] Est itaque lex naturae.

viuendi formam accommodata Et ordine comprehendi debent Semper enim superior lex est inferioris regula.

Primus ordo.

Prima lex. Deus colendus est. Naturalis.

2 a. Vita Tuenda et propaganda.

Tertia Gignendum est. Ad societatem seruandam homo natus est.[1]

Quarta Iungenda sunt connubia.

Quinta Genitum seruandum est.

Sexta Nemo laedendus est.

Septima. Vtendum est communiter quaesitis et fartis[2] (. quia sic facillime degitur vita.) Atque haec vltima lex naturae In primo ordine de communione rerum propterea et comparanda est cum superioribus: quod si superiores obseruari non possunt Simul cum hac certe haec tem-
10, a. peranda est. | Semper superior Lex est regula inferioris.

Secundus ordo:

Proinde hic secundus ordo legum naturae esto: Superiores leges manent eaedem Deum colendum esse Vitam Tuendam Gignendum Iungenda connubia Genitum seruandum. Iam quia humana cupiditas non patitur ut communiter omnibus vtamur vocanda est vulgaris communio ad modum quendam. Et ex secunda consequitur alia lex pro septima Quia non potest esse rerum vulgaris communio propter hominum cupiditates diuidendae res sunt.

Octaua. Ad seruandam vitam permutandae sunt res. Hinc contractus Emptio: Venditio Locatio: Conditio etc. nascuntur. Nona. Ad seruandam vitam multorum mali cohibendi et arcendi. Hinc Magistratus iura Iuditia bella: Poenae soncium et praemia bonorum.

In hunc modum Legibus superioribus inferiores corriguntur. Quia enim vita seruanda est[3]) et cupiditas humana citra vitae dispendium non permittit Omnia esse communia Necesse est ut reuocemus communionem in modum quendam. Postulat enim humanae vitae conditio
10, b. aliquam rerum communionem. Ideo Plato scribit Politiam in qua possent omnia esse communia optimam esse. Sicut ea domus quae priuatim omnia habet[4]) communia optime administratur et annitendum in rebus publicis ut ad communionem rerum quam proxime accedatur.

* Vbi omnia sunt communia ibi nihil iniuriarum.

Proinde communicantur res: contrahendo: emendo: vendendo etc. Sic quia lex postulat neminem laedendum esse Multorum magis habenda ratio est et agendum in re publica ut quam paucissimi laedantur Ideo mali cohibendi sunt arcendi: mulctandi. Hinc sunt magistratus etc. Sic quamquam vitam seruandam Ipse naturae sensus doceat Tamen eatenus seruanda est quatenus prima permittit quae iubet deum summo amore diligi Ideo obtemperari. Vt Abraham quamquam sibi vitam lex inferior seruari iubebat tamen debuit obtemperari primae legi qua coli deus iubetur.

Lex est spiritualis i. e. requirit affectum[5]).
* Caelum et terram misceant qui dicunt omnem cogitacionem esse affectum.

Quartum. Esse legem naturae Paulus colligit 2. ad Ro. Quia enim est conscientia factum defendens aut accusans consequitur legem naturae esse.

* Captus humanus qui[6]) docet non furandum occidendum esse est lex naturalis.

11, a. | Quintum. Idem Paulus primam legem naturae tractauit primo capite [ep. ad Rom.] Gentes cognouisse deum etc. Reliquas leges Christus comprehendit Elegantiss. sententia Et cuius nihil est in vllis gentium literis aut monumentis simile Omnia quaecunque voltis ut vobis faciant

CODICIS DIVERSITAS.

1) *Haec litteris gracilioribus exscripta adnotatiunculae instar adnexa sunt.* 2) phartis 3) est *primum om. sed statim intersertum.* 4) habet *iam in fine lineae positum in initio novae male repetitur.* 5) Lex ... affectum *supra fol.* 10, *b. a scriba posita sunt dubitante, ut videtur, ubinam interserenda essent.* 6) q̄ (*i. e.* quae!)

homines et vos facite illis Hoc est sicut volumus nostram vitam seruari et salutem defendi Ita et aliorum vitam et salutem et rem Tueamur. Legem de gignendo et coniungendo connubijs expressit scriptura cum dicit [Gen. 1, 22. all.: Crescite et multiplicamini Sed hanc temperauit Christus propter foeditatem libidinis coniunctam gignendi officio [1]).

Legibus humanis non possunt colligi leges naturae imo [2]) leges hominum Oportet ita consentire cum legibus naturae ut si quid ab ijs diuersum statuatur legis vim habere non debeat De quo postea in legibus humanis.

* Multae sunt leges positae a Ro. quae sunt contra legem naturae ut Ocia sacerdotum qui pascuntur labore et sanguine populi.

De diuinis Legibus. 11, b.

Primum. Diuinae leges sunt quicquid mandatum est, scripturis canonicis.

* Non est par autoritas Iuris humani et diuini ut leo garrit in quodam canone.

Secundum. Operae pretium feceris Si a principio bibliorum leges omnes in vnum aceruum congesseris et annotaueris

ut Gen. 1. [vs. 22. all.:] Crescite et multiplicamini
Gen. 2°. [vs. 17.:] De ligno scientiae boni et mali ne comede.
Gen. 3°. [vs. 19.:] In sudore voltus tui vescere pane tuo.
Gen. 4· [vs. 7.:] Sub te sit appetitus eius [3]) et dominaberis [4]) ei.
Item [vs. 15.:] Omnis qui occiderit Cain [5]) Septuplum punietur.
Sic deinceps vtile fuerit Item leges digerere in locos communes.

Tertium leges diuinae triplices sunt: Ceremoniales, Iuditiales, Morales.

Ceremoniales quae praecipiunt de ceremonijs ac ritibus sacrificiorum.
Iudiciales quae praecipiunt de iure dicendo et iudicando.
Morales quae de communibus hominum moribus cauent [6]). Sunt autem morales leges comprehensae decalogo de diligendo deum et proximum. 12, a.

* Morales leges spirituales sunt et affectum exigunt Hoc enim non impossibile est homini non scortare in speciem non occidere non maledicere Sed impossibile est ei haec consequi et complere affectibus.

* Leges humanae nihil habent praecipere affectibus internis cum nullus est compos affectuum.

In moralibus legibus accurate vis legum meditanda est ut spiritales sint Hoc est ut affectus exigant Nam cum praecipitur Non esse habendos deos alienos praecipitur vnum deum ac solum vehementissime amandum esse Soli deo confidendum In vnum deum omnem spem nostram ponendam.

* Amor nostri non facile eradicandus est.
Sic cum praecipitur Non esse occidendum Non tantum externum homicidium manibus interciditur Sed affectus Ne irascamur Ne criminemur Ne calumniemur Ne odio quemquam persequamur.

* Nos sumus semper peccatores sed non imputatur nobis propter fidem in Christum et hoc est beneficium Christi. Qui non habet gratiam Christi Ille non potest aliquid legi facere licet faciet in speciem sed renuentibus [7]) affectibus.

De legis abrogatione. 12, b.

Frequenter Iactari solet legem, antiquatam esse aduentu Christi et abrogatas esse Ceremoniales item Iudiciales leges. Satis constat et testatur epistola ad Heb. [cap. 9. vs. 10.:] In varijs baptismatibus et iusticijs carnis vsque ad tempus correctionis impositis etc. Quod ait ad tempus correctionis significat non fuisse perpetuas ceremonias Item cum solis iudaeis ea lex data sit Gentes onerari non debent vel debuerunt ceremonijs aut Iudicialibus. Ceterum Moralem legem seu decalogum gentibus lex naturae praescribit de diligendo deo et proximo. Ergo in quae-

---

CODICIS DIVERSITAS.

1) officy 2) ymo 3) tug [?] 4) dominau'is 5) Cayn 6) *Verbo* cauent *superscriptum est* patent 7) rēnuētib ⁹

stionem venit Num lex moralis quae praecepit diligi deum sit antiquata per Christi gratiam nec ne: Respondeo:

Primum Cum noui testamenti Christus autor sit necesse est totam legem antiquatam esse quia dicens Nouum antiquauit et sustulit vetus ad Heb. 8. [vs. 13.]. **Ex quo fit non modo Ceremonias aut Iuditialia Sed et moralem legem antiquatam esse.** Id quod sic intelliges Non quod post [1]) aduentum Christi liceat deum item proximum odisse Neque enim peccati Autor Christus est (. sed condonator et spiritus reformans.) [2]) Sed quod quisquis habet Christi spiritum
13, a. et confidit Christo dupliciter a lege liber est Primum Quod cum citra diuinam opem impossibile sit aliquid legis facere Christus mediator est spiritum impertit per quem rapimur ad amanda faciendaque ea quae lege sunt mandata vt impossibile est naturae inimicum diligere ex animo Impossibile est odisse voluptatem carnis Atque ea quae lege iubentur. vinctus es ergo et vinceris lege et imperare animo non potes. Porro si credas Christo promittenti spiritum charitatis aut castitatis Iam Christus impertit spiritum et talem te facit ut eciam si nulla esset lex tamen displiceret inimicum odisse aut voluptati seruire. Ergo primum sic liberat a lege Quod spiritum primus modus
impertit rapientem nos ad bona quae libet facere eciamsi nulla esset lex. Sine quo spiritu legem nemo hominum facere potest Antiquata ergo lex est Non ne facias eam Sed cum antea lex dominabatur tibi Tu iam legi dominaris si Christo confidis. Itaque non tam lex quam legis tyrannis [3]) et regnum excisum est Non regnat lex Non agit reos eos qui in Christo sunt Nempe per sese facientes quod lege mandatur Atque hoc est quod Paulus ait ca. 3. ad Ro. [vs. 31.:] Legem ergo destruimus per fidem? Nequaquam sed legem statuimus.
13, b. Consequitur quod qui non confidit Christo est subiectus legi et eatenus impletur lex quatenus confidimus et sicut nunquam hic prorsus confidimus ita nunquam prorsus legem facimus.

Deinde liberi a lege qui in Christo sunt. Quanquam enim semper peccatores sumus neque 2us modus.
vnquam legi satisfaciamus Tamen legi nihil debemus eciamsi vere peccemus quia Christus antiquauit legem et sustulit. Non metuamus legis poenam sed constanter confidamus id peccatum non imputari propter Christum qui legem persoluit. Multi pij anxie conflictantur cum quibusdam foedis affectibus Quibus hac consolatione opus est

Libertas Christianorum

liberos a lege Christianos esse: id est: eciam si non persoluant legem Tamen non imputari modo confidant Non imputari propterea: quod Christo inserti sumus qui satisfecit pro omnibus fidelibus. Sic Paulo dictum est [2. Cor. 12, 9.:] Sufficit tibi gratia mea.

Modus absoluendi. Idem inculcetur [5]) confitentibus et absoluendis et ut certo sciant et secundum [4]) legem.
nihil dubitent ignosci quod deliquerunt. Sicut Christus in ewangelio [Matth. 9, 2.:] Confide fili remittuntur tibi peccata tua. Et Ro. 4. [vs. 5.:] Credenti in eum qui iustificat impium reputatur Hereticis verbis loquitur Paulus.
14, a. fides ad iustitiam secundum propositum gratiae dei. Idem de morituris Inculcandum est Nullo hominum opere pensari peccatum aut pro peccato satisfieri Sed vnum Christum satisfecisse Qui vnus corpori suo placat patrem.

Solus enim Christus et victima et sacerdos est reconcilians patrem ut in Nobili ad Heb. epistola disputatur cap. X. [vs. 14.:] Vna enim oblacione consummauit in aeternum sanctificatos. Et in hoc est summa christianismi posita nec aliunde certius intellexeris beneficentiam Christi quam ex ista condonatione.

* Nos nullum habemus sacrificium neque habuerunt in vete. testa. Sed vnicum est et huius veteris legis sacrificia figuram repraesentant Sacrificij quod est Christus filius dei.

De discrimine legis et [6]) Evangelij vel gratiae.

Lex. Est sententia praecipiens et exigens bona.

* Christus non est legislator sed impletor.
Man muss Christum nicht vor eynen richter halten.
lex enim est iudex et foenerator Christus autem non venit iudicare quemquam. Exemplum. Si deberem [7]) foeneratori x. fl. et mitteret ad me seruum suum ut exigeret a me (.hic seruulus est Moses per quem tradita est lex.) Ego vero non haberem vnde persoluerem foeneratorem

CODICIS DIVERSITAS.

1) pt⁹ 2) *Alterum parentheseos signum om.* 3) Tirānis 4) secundum] 5) incultetur 6) et *om.* 7) tenerem *(aurium errore ortum!)*

¹Videns hoc vicinus meus (. i. e. Christus.)[1] a me exigi et diceret Condono tibi tot aureos ut persoluas etc. Haec[2]) est vox euangelica Confide in Christum etc. 14, b.

Euangelium est praeconium quo condonatur delictum et monstratur Christus qui spiritum conferat qui ad recta nos animet et inspiret. Lex ait Dilige fratrem. Euangelium ait Condonatur quod non dilexeris Et ecce Christum cui si confidas ille ipse donat spiritum qui animum tuum inflammabit ut diligas. Proinde lex est nuntium[2]) irae mandans exigens et terrens. Euangelium Vox gaudij et pacis vox sponsi et sponsae.

* Euangelium est sermo de Christo vnde multa sunt prodita in no. testa. quae non pertinent ad euangelium.

De discrimine praeceptorum et consiliorum:

Praecepta a consilijs separarunt quidam in hunc fere modum **Consilia** esse quae Christus mandat in cap. 5. Math. scilicet Non irascendum Non dicendum fratri Racha aut fatue Item Non resistendum malo Porrigendam alteram maxillam Non contendendum iuditio Mutuo dandum esse cuiuis Diligendos inimicos etc. Verum ea omnia esse praecepta facile colligi potest ex illo textu. **Primum.** lex exigit summam perfectionem ut diligas deum ex toto corde et proximum sicut teipsum. Item non concupiscas. in quibus legibus et hae[3]) comprehensae sunt Mutuandum Non irascendum Non contendendum etc. Quare non possunt inter praecepta numerari. Huc pertinet quod in fine capitis scribitur Estote vos perfecti sicut pater vester perfectus est Item iota vnum et apex vnus non praeteribit a lege donec omnia fiant. 15. a.

* **Scolas. dicunt.** Omnia quae in 5to ca. Math. consilia vocant et non considerauerunt in decalogo proditum esse Non concupiscas. vbi penitus tolluntur omnia consilia praeter de virginitate quae nec supra: nec infra: praecepta est sed extra: Nihil enim mandati compleuit qui virginitatem seruat. Est ergo solum vnum hoc consilium.

* Nos ergo nihil agimus nostris strophis et legibus et commenditijs quam obruimus diuinam doctrinam et extrahimus nostris glossis veram intelligentiam scripturae.

Secundum. Qui dixerit Racha reus est concilij et qui dixerit Fatue reus est gehennae. Iam si accusari potest qui Racha dixerit Et gehennae poena eius est qui fatue dixerit consequitur praecepta esse non consilia.

Tertium. Si licet haec pro consilijs interpretari non video cur non et Totam legem pro consilijs interpretemur quare plane quae in 5to ca. Math. continentur praecepta sunt: — 15, b.

Quartum. Consilium vero vnicum in scripturis et virginitatis Math. vndevigesimo [vs. 12.:] Sunt eunuchi qui se castrauerunt propter regnum caelorum Qui potest capere capiat. Et 1. Corinthiorum 7. [vs. 25.:] De virginibus praeceptum non habeo consilium autem do. Ceterum virginitas adeo non est supra legem praeceptum ut ne persoluat i. e. legem Virgo nempe cum con cupiscat.

* Sicut nihil legi fecerit qui sartor aut sutor Sic virgo.

De Legibus humanis.

Leges humanae sunt quae a magistratibus sanciuntur[4]). in his spectandum est potissimum Ne quid pugnans[5]) cum lege naturae aut diuina statuatur. Regulae enim omnium humanarum legum sunt Tum lex naturae tum diuina. Proinde non potest statui de Mactandis parentibus id quod barbaris quibusdam nationibus in more fuit Neque item prohiberi quisquam ne contrahat matrimonium Nec potest statui de foenerando vindicando et similibus Quia hae[6]) leges repugnarent scripturae Modo oportet deo magis obedire quam hominibus [Actor. 5, 29.].

Nota. Leges humanae aliae sunt { Ciuiles / Pontificiae.

Ciuiles quas sanxit in re pub: Magistratus princeps Rex Ciuitas. earum legum autoritas petenda est. 13. ad Ro. [vs. 1.:] Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita est. Neque[7]) magistratuum et ciuilium legum non est aliud offitium nisi punire et arcere iniurias. Et interest magistratus cauere ne quis laedatur. In hoc sanciuntur[8]) leges de rerum diuisione De contra- 16, a.

CODICIS DIVERSITAS.

1) *Prius parentheseos signum om.* 2) nūctiū 3) hee 4) sanctiuntur 5) pūgnās 6) hee 7) *Ante* Neque *vacuum unius lineae spatium est relictum, quod verbis illius loci biblici sequentibus videtur explendum, et pro* Neque *haud dubie scrib.* Nam *Vid. ed. princ.* 8) sanctiuntur

hendi [1]) formis De poenis maleficorum [2]). Sic Paulus 13. [cap. ep. ad Rom. vs. 4.:] Dei minister est vindex in iram ei qui male facit.

* Leges propter malos sunt et non egent boni.
* Magistratus est lex viua.
* Quod si lex non arcet iam non agit offitium suum.
* Ius canonicum debet cedere iuri [3]) ciuili.

De legibus pontificijs.

Primum. Quatenus pontifices statuunt de litibus et iudicijs plane mundi principes agunt. Alioqui quod ad lites pertinebat et ipsos sacerdotes ius diuinum subiecit potestati mundi. Sicut patet ex Roma. 13. et [4]) 1 Pe. 2.

* Pontificiae leges de potestate beneficiorum ficticiae et falsae sunt omnes Habet enim vnusquisque princeps potestatem in sua ditione dispensare pro arbitratu suo ut ratio patitur.

16, b. * Non est verum quod fingunt Constantinum pontificibus dedisse ius iudicandi de sacerdotibus et suis subditis quod satis constat. ipsi enim met debent subesse principibus mundi. Neque habent statuere aliquid de moribus. Neque character sacerdotalis aliquid sed figmentum humanum. Duo sunt casus qui [5]) moderantur omnes humanas leges scilicet Necessitas / Charitas.
Sola charitas rerum magistra.

Secundum. De fide non habent pontifices ius mutandi quicquam. Sicut ad Timoth. [6]) [2. ep. cap. 3. vs. 14.] Paulus dicit Tu permane in his quae didicisti [7]) sciens a quo didiceris. Nec est inter articulos fidei numerandum quod ab hominibus discernitur. Nam quod homines discernunt non scimus profectum a spiritu sancto Si a scriptura exigi non potest. Et ad Galat. [8]) 1. [vs. 16.:] Non acquieui carni et sangwini.

* Concilium [9]) Constantiense manifestiss. haeresim statuit. Pessime ergo errant qui dicunt concilium [10]) non posse errare.

Tertium: Nec de ritibus ac Ceremonijs ius habent statuendi Nisi quod per consuetudinem sibi vsurparunt. Quondam enim si quid in ritu nouandum videbatur fiebat hoc communi
17, a. ecclesiae consensu. Sic quod ecclesia Oppidi [11]) alicuius conueniens statuebat [12]) de ieiunio de precibus et de similibus. Erantque sacerdotes magis praecones decreti per ecclesiam quam auctores. rogabantur enim et legem [13]) proclamabant Sicut patet in Canonibus apostolorum qui sic vocantur. Iam vero cum vsurparint ius et dominatum per consuetudinem Non nego eis licere de ritibus et Ceremonijs statuere Sed ita ut ne onerent libertatem christianam. Quale onus est coelibatus Qualia sunt vota Quia Paulus ait 2. Corin. X. [14]) [vs. 8.:] Dedit nobis [15]) dominus potestatem in aedificationem non in destructionem.

* Rectius enim iudicant homines idiotae [16]) de diuinis rebus quam Scolas. Theologi [17]). eo peruentum est ut dimicemus [18]) de rebus nihili sc. operibus externis et ceremonijs Necessaria autem et vtiliora sc. de fide: omittamus.

Quartum. Parendum est Superioribus siue iure praesint siue quocunque modo vsurparunt dominatum ut 1 Pe. [II, 13.:] Subditi estote omni creaturae propter deum.

Quintum Non obligant ad peccatum mortale vllae humanae constituciones nisi quantum scandali vitandi ratio poscit Neque praecipiunt nisi externa opera. Moderantur autem leges hu-
17, b. manas omnes Necessitas et Charitas Quandoquidem eciam diuinas leges haec moderantur ut Math. 8 et 12. vbi Christus leprosum tangit contra legem diuinam. **Scandalum** vero eiusmodi offensio est qua laeditur pietas aut charitas. Ad Ro. 15. [vs. 2.:] Vnusquisque vestrum proximo placeat in aedificationem.

* Nihil refert si dimitti aliquid potest traditionum humanarum citra scandalum proximi Modo non quaeras licentiam sed fac interim aliquid melius. Qui autem conturbant charitatem et ex contemptu dimittunt et sunt Scandalum ceterum Illi vere mortaliter peccant. Sed vbi non est periculum fidei et pietatis Nihil refert. Vide Pau. [1. ep.] ad Corin. 8.

CODICIS DIVERSITAS.

1) contrahendis 2) Maleficiorum 3) iure 4) et *om. sed statim superscriptum* 5) q (*i. e.* quae!) 6) thĩo. 7) didicistis 8) gal' 9) Consilium 10) consilium 11) Opidi 12) statuebāt 13) et legem] legem et 14) vl. *pro* X. 15) nū (*ut videtur, aut* mī) 16) ydeoti 17) Teologi 18) dimicamus

De gratia.

Gratiae vocabulum proprie fauorem significat ut cum fauet Curioni Iulius. Sic cum fauet et bene volt Abrahae deus Hic fauor: haec beneuolentia: Gratia dicitur Et hebraico magis quam graeco Tropo. Caue ne imagineris Thomistice [1]) significari quandam in anima qualitatem Sicut est in aqua calefacta calor. Ad Ro. 5[to] Paulus satis indicat gratiam fauorem significare Cum ait [vs. 15.:] Donum in gratia i. e. donum per gratiam id est Donum quod fauens deus impertit. Ergo vocabulum gratiae significat quiddam [2]) | in deo non in homine vt fauor ille quo Curionem am- 18. a.
plectitur [3]) in Iulio est non in Curione. Iam vero deus fauens homini adest ei et operatur in eo. Opera ergo seu defluuia gratiae in hominem sunt fides spes Charitas.

* Summa ewangelij est ut gratiam doceat Et nulla est hominum doctrina qua vincuntur affectus et medetur conscientia nisi verbo vitae Omnes enim aliae scrip. sint quaecunque sauciant [4]) Eciam omnium Theo. S. patrum.
Paulus [1. Cor. 13, 2.:] Eciamsi montes fide transferentur etc. ibi loquitur de charitate proximi et non dei.

* Principium humanae iustificationis est promissio Et iustitia nostra est quaedam reputatio diuina Cum credat homo peccatum suum abolitum esse per Christum Et credat deum satisfacturum suis promissionibus de Christo Et iam homo (cum haec credit.) iustus est et habet spiritum instaurantem.

* Sed haec omnia sunt alieniss. a studio philosophico et magis vsu et vita imo [5]) tribulacionibus pessimis et angustijs spiritus haec discuntur et nullis verbis.

* Gratia est vocabulum significans fauorem dei quo amplectitur [6]) deus hominem qui fauor est in deo et non in homine et quantum deus fauet homini tantum instat ei et habet eum in manibus suis Et opera illius sunt fides Spes Cha. Reliqui affec: boni quicunque.

De fide. 18. b.

In fidei vocabulo variant scriptores. Est enim fides Miraculorum quae non iustificat Est et fides Historica hoc est eiusmodi opinio qua Liuio qua Salustio et alijs bonae fidei historicis credo. Sic eciam impij credunt mundum esse creatum Christum esse crucifixum resurrexisse et pleraque alia quae fides eciam non iustificat Sed Fides proprie relata ad promissionem Est fides iustificans Sicut patet E capite 4[to] ad Ro. vbi fidem Paulus refert ad promissionem. et ad Galat. [8]) 5[to] [vs. 5.:] Nos enim spiritu ex fide spem iustitiae exspectamus.

q. [7]) promissio est instrumentum fidei.

Definitio fidei

I. Fides Est assensus quem deus inspirat animo ut constanter haereat in promissione diuina: vt quod [9]) deus promisit salutem per Christum Si credas per illum condonari peccatum ea fide saluus eris Si credas per Christum tolli peccatum donari spiritum viuificantem Mortem vinci ea fide remittetur peccatum. viuificaberis spiritu: vinces mortem Nam haec per Christum deus se daturum generi humano promisit ut in Gen. ad Abraham [XXII, 18.:] In semine tuo benedicentur omnes gentes. Sic passim prophetae. Isai. 49. [vs. 8.:] Dedi te in foedus populi ut suscitares terram et possideres haereditates dissipatas (* i. e. omnes gentes) [10]) ut diceres ijs qui vincti sunt exite Et his qui in tenebris sunt reuelamini. Iere. 31. [11]) [vs. 31.:] Ecce dies venient 19. a.
dicit dominus et feriam domui israel et domui Iuda foedus nouum etc. (* Prophetae possunt legi euangelij vice et sunt vere Euange: *:) [12]) Euangelium est promissio remissionis per Christum. Ezech. 11. [vs. 19 sq.:] Auferam cor lapideum de carne eorum et dabo eis cor carneum ut in praeceptis meis ambulent. Ioan. 1. [vs. 12.:] Quotquot receperunt eum dedit eis potestatem filios dei fieri. et [cap.] 3. [vs. 36.:] Qui credit in filium habet vitam aeternam. Et huiusmodi promissionibus animus muniendus et confirmandus ut semper confidat deum fauere nobis per Christum Qui et pignus et autor salutis.

* Certe certe non sunt frustra proditae sed ipsae solae [13]) pascunt nos. Tantum agnosce Christum et habes deum fauentem.

Est enim signum saluandi generis humani sicut dicit dominus per Esa. [LXVI, 19.:] Leuabo signum ad gentes et huius signi figurae fuerunt signa ve. tes. prodita Sicut arcus nubium Item archa Testamenti Item Columna ignis Et nubes operiens archam. Ceterum fide Christi ven-

---

CODICIS DIVERSITAS.

1) ymagineris Tomistice 2) qdam 3) amplectit 4) sautiunt 5) ymo 6) amplectit 7) q. (*alibi i. q.* quia) 8) gall'. 9) q_2 10) *Quae parenthesi inclusi, in marg. interiore verbo* dissipatas *subscripta cum cruce pro stellula exstant.* 11) Iere. 21. 12) *Quae parenthesi intercluduntur, sic in cod. apparent, sed crucibus positis pro stellulis.* 13) ipsi soli

turi saluati sunt quotquot saluati Quia Christus solus placauit sc. patrem et hoc tantum de p imo dictum sit. Nota. aliqua notabilia extra marginem annotate etc. [1])

* Multi sunt impij qui credunt Christum esse natum esse crucifixum et huiusmodi fides est opinio Sicut ego credo Salustium vel Liuium verum scriptorem ergo credo eius historiam ab [2]) eo scriptam esse veram Sicut nos credimus in Euan: libris vera esse scripta.

19, b. Ista opinio vel fides est donum naturae et non infunditur a spiritu sancto Sed est posita in captu nostrae rationis.

Alia est fides iustificans in Christum quae oritur ex promissione et cuius principium est promissio et verbum Et ista non est historica sed supra captum nostrum et diuinitus confertur de qua dicitur [Luc. 17, 5.:] Domine adauge nobis fidem.

Nota Promissiones diuinae vehementissime inculcandae sunt et notandae Ipsae enim pascunt animos conturbatos.

Item Humanus captus imbecillior est ut confidat promissionibus sine signis externis Ergo varia signa habuerunt in ve: tes. vna autem semper fides in Christum futurum.

Nota Euangelium et praedicatio promissionum sicut lex est exactor faciendarum, Eciam promissio remissionis peccatorum etc.

Notandum est diligenter quod multi sunt loci in ve: Testa: de promissione sed obscurissime positi et a paucissimis intellecti Sicut Adae et Euae [Gen. 3, 15.:] Ipsa conteret caput [3]) tuum. Heb: est semen tuum semen Euae [4]) i. e. Christus conteret peccatum. Ibi promisit deus humanum genus redempturum sed valde obscure. Sic Noae facta est promissio in Arcu et nube etc. Sic Abrahae promissa [5]) est Soboles in qua [6]) benedicentur omnes tribus terrae et sic semper clarior reddita est promissio donec veniant [7]) huic promissioni Si confidit homo in Christum acceptatur et iustificatur coram deo etc.

20, a. Nota. Fides iustificans est Quia homo audit gratiam promissam et super eam aedificatur [8]) in fide ut in euangelio [Matth. 16, 18.:] Super hanc petram aedificabo [9]) eccl. meam. Et post [10]) istam fidem mox fluit charitas infallibiliter.

Item Hoc solum est studium theologiae in exercendis promissionibus quod [11]) valde necessarium est. Deus testatur ignoscere nobis peccata et spiritu operante animus humanus hanc concipit promissionem consentit: confidit: promissioni et haeret in ea et credit deum satisfacturum promissioni. Ea fide reputatur iustus. Wer wolt dach sunst nun [12]) meher als kun [13]) seyn vnd wolt bitten (. tantam maiestatem.). ergo Totum positum est in suauissimis promissionibus. vbi autem nunc manet secundum Scolas. Theo. Satisfactio et bona opera et merita de congruo et de condigno etc.

Iterum Nota. Istae promissiones sunt merae consolationes perfractarum conscientiarum et confortationes animarum labentium et languentium Ex quibus constituitur in nobis assidua pugna [14]) carnis et fidei Et est vita hominis milicia etc. Habemus ergo nos nostras sicut in ve: tes: habuerunt suas promissiones.

In baptismo est promissio Qui crediderit etc. Signum lotio.
In poenitentia promissio: Quorum remiseritis etc. Signum absolutio sacerdotis.
In Eucharistia [15]) promissio Hic est calix sanguinis etc. Signum est Corpus Christi vel panis etc.

20, b. Nota Tota scriptura diuisa est in duo scilicet In legem et promissionem. Legi non creditur sed promissioni. Credere est verbum promissionis non legis, lege mandatur. Sicut peccatum est ab Adam: et post peccatum timor Ita fauor dei est per Christum quem suo sanguine emeruit nobis Christus. Hic fauor excitat in animis nostris fidem et charitatem.
Sic omnes ex Adam sumus filij irae
Ex Christo filij iusticiae vitae et spiritus.
Haec omnia supra notata collegi ex margine hinc inde etc. [16])

Secundum. Iam si huiusmodi promissionibus confidas intelliges per solam misericordiam te seruari Opera tua nihili prorsus esse quantacumque et qualiacumque videantur. Non credes deo si simul operibus fidas / Pure sibi citra vllorum operum respectum confidi volt deus. Ea fides est iusticia Ea fide saluabimur.

CODICIS DIVERSITAS.

1) *Ad seqq. fol.* 19, *b. in marg. sinistro desuper adscripta sunt:* *ex margine collegi et fol.* 20, *a. item:* Sik (*i. e.* Similiter?) 2) ab] de 3) capud 4) Semen eue 5) promissus 6) quo 7) veneāt 8) edificat 9) edifi 10) pt⁹ 11) q_2 12) nun] v͡ 13) kun *i. e. kühn* 14) pūgna 15) Eukaristia 16) Haec ... etc.] *aperte a librario addita sunt.*

Tertium. Nec plus faciunt ad Iusticiam opera eciam Sanctiss: quam comedere et comedere. Ideo christianismus sabbathum quoddam est vbi ab omnibus operibus vacamus.

Quartum. Hinc consolari conscientias licet: certos esse nos de salute nostra quicquid feceriinus. Certos dimissum esse peccatum si credamus: Nisi certo credas et confidas condonatam noxam Deum mendacij insimulas quasi promiserit frustra quod non sit daturus. 21, a.

Vnde sit f des.

Quinto. Humanis viribus plane impossibile est credere. Fieri enim potest ut ei confidas quem odisti. Odit autem conscientia quem metuit. Porro diuinae gratiae opus esse fidem probat Ioan. [I, 13.:] Qui non ex sanguinibus [1]) neque ex voluntate carnis [2]) etc. et 6to [vs. 28 sq.:] Quid faciemus ut operemur opera dei? Respondit Iesus et dixit: Hoc est opus dei ut credatis in eum quem misit ille. Quod si opus dei est ergo non nostrum. Item [vs. 45.:] erunt omnes docibiles dei i. e. doceantur a deo. Omnis qui audiuit a patre et didicit venit ad me. Item [vs. 44.:] Nemo potest venire ad me nisi fuerit ei datum a patre meo. Item Philipp. 1. [vs. 29.:] Vobis datum est pro Christo non solum ut credatis in eum sed eciam ut patiamini pro eo. Et [1. Tim. I. 13.:] misericordiam consecutus sum ut fidelis essem. Item Eph. 2°. [vs. 8 sq.:] Gratia salui facti estis per fidem et hoc non ex vobis dei enim donum est Non ex operibus ne quis glorietur.

* Nota. Iustificati hominis principium est fides Sola enim fide repelluntur insultus carnis et daemonum Sunt ergo in scrip: promissiones et Euange: tanquam sigillum et pignus aliquod quo confirmatur cor hominis. Oportet primum animum ad promissiones [3]) conijcere quibus solis [4]) animus muniendus est. 21, b.

Fides est Natiuitas in deo sicut Ioan. [I, 13.:] Ex deo nati sunt. Item Arma nostrae militiae [2. Cor. X, 4.] non sunt nisi salutares promissiones.

Nota. Omnis scrip: est edita ut nos ea armemur in contencione mortis Et omnis scrip: aut iubet aut: promittit. Lex et ve. tes: Iubet Euange: et no: tes: promittit nobis spiritum quo compleamur.

De vsu fidei.

Primum: principium [5]) iustificationis est per fidem cum animus complexus promissionem diuinam confidit sibi noxam condonatam esse adeoque sibi deum bene velle ac fauere (.frequenter hoc [6]) exerceri debet in animo cogitando.) Sicut Paulus ad Ro. 4. [vs. 5.:] Credenti in eum qui iustificat impium reputatur fides eius ad iustitiam.

* Ista non est doctrina verborum sed vita acquirenda
Et viuendo discitur non loquendo legendo
Hic nihil prodest verbositas imo [7]) nocet.

Secundum: Fides impetrat auxilium dei ut possit lex absolui Quae citra spiritus diuini opem fieri plane non potest: Sed quia credis promissionem qua dominus pollicitus est opem et praesidium impetras spiritum adiuuantem Atque id est quod Paulus [Rom. III, 31.] ait Legem statui hoc est impleri per fidem Et Hiere. 31. [vs. 33.:] Post dies illos dicit dominus dabo legem meam in visceribus eorum i. e. in affectus eorum et in corde eorum scribam eam et ero eis in deum et ipsi erunt mihi [8]) in populum. 22, a.

* Nota Fide enim coniungimur deo charitate proximo
Ideo fides summa iustificationis.

* Solum verbum vitae i. e. diuinum tranquillat conscientiam et nullum vllum opus Neque enim scrip: Omnium theologorum consolantur eas [9]) sed sauciant.

Tertium: Sicut haec vna est conscientiae consolatio: fides condonati delicti: Ita iustificatum oportet semper fidere quod quamquam non impleat legem Quamquam alicubi eciam palam peccet per infirmitatem quod deus ad id ipsum conniueat nec imputet propter Christum Atque Haec est christianismi summa.

CODICIS DIVERSITAS.

1) sag: 2) volū car 3) promissionē 4) sol⁹ 5) *Post* principium *primum scripsit librarius* fidei *sed statim hoc expunxit.* 6) hec *(ut videtur)* 7) ymo 8) michi 9) eas] *Cogitando repetiit librarius* conscientias

* (. Der wolgefall vnd gutikeit von Christo vincit corda nostra arida vnd macht sie das sie weich werden vnd fliessen als honigk vnd kert vnd wendet sie vmb her etc. Das macht recht from inde fluunt opera ex amore et illa fide etc.[1])

22, b. Et haec est illa dei conniuentia proprie diuinam misericordiam [1] declarat Nec fieri potest ut
placeat ut arrideat Christus nisi[2]) hoc in ipso misericordiae exemplum contempleris. Qui misericordiae sensus ut ad amandum Christum, ad Eucharistiam et ad laudem pios rapit Ita a peccando efficacissime auocat facitque ut voluptati sit quod deus mandat ad faciendum quod faciendum est. Id quod Paulus declarat vbi pacem fructum fidei esse colligit [Gal. 5. 22.] Et prophetae vbi aiunt populum confidenter habitaturum [Ezech. 38, 14. Ier. 23, 6. all.]. Sic Paulus ad Ro. 5to [vs. 1 sq.:] Iustificati ex fide pacem habemus erga deum per Dominum nostrum iesum Christum per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam in qua stamus et gloriamur in spe gloriae filiorum dei. Esa. 9. [vs. 6.] Princeps pacis Christus dicitur Et iterum [vs. 7.:] Pacis non erit finis. Idem [cap.] 12. [vs. 2.:] Ecce deus saluator meus fiducialiter agam et non timebo. Iere. 33.[4]) [vs. 6.:] Reuelabo illis deprecacionem pacis et veritatis. Isa. 66. [vs. 12.:] Ecce declinabo super eam quasi fluuium pacis. Atque hanc pacem Christus donauit cum dixit [Marc. V, 34.:] Vade in pace. De interna pace loquitur.

Vide quam heroicis verbis vtatur Paulus[3]).

De sacramentis.

Primum. Obiter hic de sacramentalibus signis dicendum est quandoquidem et de promis-
23, a. sionibus diximus. Accurate enim in scripturis obseruanda sunt vocabula sc. **promissionis Testamenti pacti foederis et similia** quibus diuinae promissiones significantur.

* Sacramenta sunt signa diuinarum promissionum quae signa per sese nihil faciunt nisi quod sunt sigillum Chirographum[5]) pignus aliquod quo exercemus nos promissiones efficaces esse.

* Non vteris sacrificio quasi aliquid boni facies sed exerceas te promissionem efficacem esse Neque est amplius vesci Eucharistia[6]) quam baptizari.

* Vesci eucharistia[7]) nihil valet pro alio De oratione autem non loquor.

Secundum. Promissionibus diuinis fere signa adduntur visibilia Cum quo habeant mortales subinde aliquot diuinae promissionis durans et perpetuum monumentum ac *μνημόσυνον*[8]) i. e. memoriale ne memoria promissionis excidat Nam quae externis signis aut Ceremonijs testata est antiquitas eorum memoria certior ad posteros durat id quod multis historiarum exemplis patet ut quia dies Alliensis nefastus[9]) perpetuo habitus est cladis ad alliam acceptae, Certius meminit romanus populus Tum quo quasi fido pignore aut syngrapha[10]) quadam confirmatae promissioni Certius crederet mortalitas.

Tertium. Sacramentum quid est. Est ergo sacramentum signum diuinam promissio-
23, b. nem testificans Quae Pauli sententia est Ad Ro. 4. vbi ait [vs. 11.:] Et signum accepit iusticiae fidei quae est in praeputio i. e. Abrahamo Testatus est deus quod ei bene vellet ac faueret Testatus autem signo circumcisionis Sic Testatus Adae quod ei bene vellet per promissionem et signum Pelles scilicet quibus eum vestijt Noae per archam et arcum Abrahae et posteritati per circumcisionem populo Israelitico multifariam[11]) multis signis Christianis per baptismum Absolutionem et Cibum ac Potum dominicum.

Sacramenta[12]) quae sunt.

Quartum. Consequitur ea proprie sacramenta esse Quae signa sunt promissionum diuinarum Ideoque in nouo Testa: Sacramenta sunt proprie Baptizari Absolui et Vesci corpore dominico Nam haec adiunctas habent promissiones. **Ordo figmentum.** Fortasse non temere sacramentis addideris orationem et Meditacionem doctrinae diuinae.

Quintum. Sacramento recte vteris si fidens promissioni in hoc vtare ut eo quasi certiore et euidentiore argumento Adeoque quasi pignore beneuolentis dei confirmes fidem. * (. Animus

---

CODICIS DIVERSITAS.

1) *Alterum parentheseos signum om. etiamque incertum reliquit librarius utrum seqq. quoque litteris gracilioribus sint reddenda necne.* 2) *Post* nisi *primum* in *est additum sed statim deletum.* 3) *Haec desuper sunt scripta, cruce adposita, qua locus notaretur ad quem pertinerent.* 4) Iere. .2. 3. 5) Cirographum 6) Eukaristia 7) eukaristia 8) *νιμονισον et in marg. interiore:* nimosinon 9) aliensis nephastus 10) Singrapha 11) ysrahelitico multiphariam 12) *Hoc vocabulum lineola est subnotatum. Sic postea saepius.*

non est defigendus in ipsum signum et monitorium sed in promissionem.) Vt si doleas te peccasse quo certus [1]) sis condonatum delictum Adi sacerdotem qui absoluat ' et absoluenti crede. Nam ea 24, a.
absolutio est veluti pignus vel sigillum quo certus sis condonari noxam. Sic cum vesceris dominico corpore in hoc vescere quod certus sis et confidas hoc quasi pignore condonatam [2]) esse noxam. Tantum enim per fidem salutaria sunt sacramenta. Sic certum est ei qui baptizatur placatum esse deum siue fide aliena siue propria.

In adultis propria in pueris ecclesiae scilicet fide.

Nota. Propter duo promissionibus diuinis addita sunt signa Primo ad Monendum posteritatem et ne tradatur obliuioni sicut filij Ismael [3]) etc. Et Gen. XX. [?] Erunt in manu tua. Secundo propter certitudinem quia multo infirmior est captus humanus ut sine signis posset haerere in illis.

De charitate.

Charitas duplex est dei et proximi.

Nota. Sicut principium iustificationis fides Ita charitas est proximum fidei opus Nam cum fides deum ostendit homini tanquam fauentem et miserentem fieri nequit quin de eo contra bene sentiat homo Quin redamet [4]) quin laudet (. laus est spuma amoris.) quin agat gratias suauissimo patri et saluatori. Sic ex fide amor ' nascitur qui amor ita hominis animum imbuit ut nihil volu- 24, b.
ptatis sit nulla re delectetur quod non idem optimo patri placet. id quod Paulus testatur ad Ga-
vide ad R. 12 lat. [5]) 4. [vs. 6.:] Quoniam estis filij dei misit deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem Abba pater. Atque hic affectus declarat sese cum irasci cum punire deus videtur Et assiduo cum amore nostri adeoque cum odio dei conflictatur.

* Ille amor est crucifixio nostri Adami et assidua pugna cum amore nostri et nostrum amorem hic amor crucifigit.

* Non possumus laudare et diligere deum nisi ob oculos posuerimus eius immensam et inenarrabilem erga nos beneficenciam.

De Amore proximi.

Ex amore dei nascitur amor proximi Siquidem qui diligit non mouetur impuro affectu erga vllam creaturam adeoque iuxta complectitur omnes creaturas siue offendant siue commodent iuxta legem Diliges proximum sicut teipsum. Haec charitas opera habet externa de quibus ita sentias Ea opera externa non facere hominem christianum Sed esse necessitatis vitae opera Adeo nulla opera Christianum facere. (* Fides non habet externa opera sed tantum crucifixionem Sed amor fidei qui primum opus est fidei hic habet externa opera.) [6]) Sicut enim comedere bibere non faciunt hominem Christianum sed seruiunt vitae necessitati Sic largiri proximo: tueri ' proximum non faciunt hominem 25, a.
Christianum sed sunt necessitatis vitae opera. Tu viuere non potes nisi tibi subministretur [7]). Rursus alius viuere nequit nisi ei tu subministres. Iam sicut non magnifacis opera tuae necessitatis dormire: bibere: comedere Sic nec magnifacias opera quae in alienam necessitatem conferas. Et sicut necessitati tuae seruis bibendo et comedendo Ita imperat charitas ut alienae necessitati seruias Vult enim vis amoris et effundi et effundere (. vis amoris nunquam recipit sed eius proprium est effundere.) Quicquid [8]) aut possumus aut sumus. Sic Paulus ad Galat. [9]) 5to [vs. 13.:] Vos enim in libertatem vocati estis tantum ne libertatem in occasionem detis carnis vel carni i. e. nullum opus externum damnat aut saluat. Et sequitur [eod. vs.:] Sed per charitatem seruite inuicem i. e. quamquam liberi sitis et nullus sit operum respectus tamen debetis hoc necessitati ut seruiatis proximo.

Charitas optima legum. Quid debeas proximo satis indicat lex cum ait Dilige proximum sicut teipsum Et quod voltis ut vobis faciant [10]) homines et vos eis facite. Ipsa charitas Ipse Amor satis docet Quid Quatenus: vbi: quando: quomodo commodandum sit proximo consilio / opera manu / re / pecunia. Quae omnia charitas ' communia facit Neque hic vllus respectus 25, b.
est amicorum aut inimicorum Omnibus enim debemus Sicut Christus non modo gratiam non reuerentibus sed eciam offendentibus sese impercijt breuiter et omnia debes.

CODICIS DIVERSITAS.

1) certi⁹ *(i. e.* certior*?)* 2) condonatū 3) ysmahel 4) readamet 5) gall' 6) Fides ... opera] *exstant in marg. inferiore, quia liberarius, ut videtur, nescivit. ubi sint interserenda.* 7) ministretur *sed* sub *anteponendum in marg. superiore add.* 8) Quicqt 9) galla. 10) faciēt

* Fieri non potest qnin calumniam patiantur leges a prudentia carnis Si spiritus Christi et charitas deest.

Nota. Quidam quo ordine diligi debeant homines disputarunt Satis enim conuenit deum super omnia diligi debere Post deum vero censuerunt primum sese deinde agnatos diligendos etc. Qui ordo plane carnalis est Nam quod ad amorem attinet omnes homines pariter diligendi sunt (. amicus sicut inimicus.) Et quia effunditur amor fit ut debeamus nos non anteponere ijs quos diligimus sed postponere. Quod ad fructum amoris pertinet [1]) ac beneficentiam Cum omnes iuuare non potes Iuva eos quibus conuersaris Domesticos: Sobolem: parentem: Sic enim Paulus 1 Timo. 5[to] [vs. 4.:] Si qua vidua filios aut nepotes habeat discat primum domum suam regere et mutuam vicem reddere parentibus. Item [vs. 8.:] Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet fidem negauit et est fideli deterior. Et ad Galat. [3]) 6. [vs. 10.:] Dum tempus habemus operemur bonum erga omnes Maxime erga domesticos fidei. Breuiter optima legum omnium tam humanarum quam diuinarum [4]) Charitas.

vide Augustin. plane carnaliter de hoc ordine scripsit.

His verbis amplius ordinem indicat. [2])

26, a. De Spe. [a])

Fide apprehenditur promissio atque adeo bonitas et misericordia dei per [5]) promissionem diuinam. is diuinae bonitatis gustus animat ut speremus in tentacione. Et sicut nullus est operum respectus in fide sed solius promissionis Ita nullus in spe operum respectus est sed solius misericordiae diuinae. Et sicut non creditur promissioni diuinae cum operibus nitimur Ita nec in diuinam bonitatem solam spes ponitur Cum pariter in opera reponitur Imo quia non habes opera habes vere sperandi occasionem Purissime enim sibi credi confidi in se sperari / se diligi volt deus.

* Spes est affectus proximus fidei.

Eo purius speramus in deum quo clarius cognoscimus nihil boni in nobis esse.
Idola [6]) sunt spem ex meritis provenire.
Nihil prodest homini non male operasse si non confidit in promissionem.
De spe vide Psalmo 5[to] in versu [13.:] Et laetentur omnes qui sperant in te etc. Hic multa vsque ad finem de spe.

CODICIS DIVERSITAS.

1) pertinet] pertinet attinet 2) *Haec in marg. inferiore exhibentur, ita tamen ut ad hunc marginem transferantur.* 3) gall' 4) tam ... diuinarum] *Haec in marg. inferiore adduntur, ita tamen ut interserantur.* 5) per *in marg. interiore add.* 6) ydola

EDITIONIS PRINCIPIS DISSENSUS.

a) *Cf. fol.* 96, *b.*

[Quum Theologicae Institutioni Phil. Mel. in ep. Pauli ad Rom. infra recusae „Pauli ad Rom. epistolae summa" annexa sit et Lucubratiuncula quam modo edidi cum Commentario in ep. ad Rom. arte cohaereat in Codice, etiam ex hoc contentionis causa addere placet Argumentum epistolae ad Rom., eo quem in Lucubratiuncula secutus sum modo cum impressura collatum: ad manus est ed. a. 1523. Basiliensis, in qua subsequuntur Annotationes Phil. Mel. in ep. Pauli utramque ad Corinth.]

26, b. Argumentum epistolae Ad Roma.

1°. [a]) Quaecunque tandem fuit occasio scribendae huius epistolae Paulo satis apparet vo-

EDITIONIS BASILIENSIS DISSENSVS.

a) 1°.] *om.*

fuisse eum describere et exprimere Christum quam proprijssime orbi terrarum et docere quam certissime Quid per Christum beneficij orbis accipiat [a] Si beneficium Christi ignores vnde vel aduersus [b] conscientiam opem petas. Porro videtur occasio scribendi [c] fuisse quod iudaei sibi beneficium [d] redemptionis vendicabant propter suam iustitiam Contra gentes contendebant reiectos eos [e] quia Christum non recepissent [1] atque adeo vtrique iactabant suam iustitiam. Quare primum omnium Omnem humanam iustitiam Omnes humanas vires Omnia humana merita damnat docetque plane omnes homines peccato obnoxios esse Gratis autem per Christum donari ut qui ei credat saluus fiat Nullo humanorum vllorum operum siue bonorum ut videntur siue malorum respectu

* Paulus nusquam in hac epistola locutus de lege Ceremoniarum Sed de lege morali.

* Haec epistola est fax quaedam quam sequuntur omnes historiae Euangelicae: Paulinae literae [2] conueniunt omnibus seculis omnibus hominibus et non ut multi somniant pro suo tempore scrip:

* Nota. Christum scire Non est tantum scire esse filium dei in obiecto Sed vsum Christi scire quem omnes nesciunt scolas. Historiam quidem et ordinem rei gestae sciunt. Impossibile enim est nobis 27, a.
bene sentire de Christo nisi prius nostram cognouerimus imbecillitatem tum quidem arriserit [3] Christus Neque Christum noscimus nisi eius beneficia noscimus. Neque eius beneficia cognouerimus nisi nostram cognouerimus imbecillitatem. Numquam bene sentiemus de Christo nisi eius vsum cognouerimus et hoc est diuinitatem cognouisse.

* Sicut Ioannes monstrauit iudaeis Christum ante glorificationem Sic Paulus post [4] glorificationem eius beneficium reuelat gentibus. [f]

Secundo. [g] Prior pars epistolae capitibus 8. [h] Gratiam: legem: et [i] peccatum: tractat Idque aptissimo ordine et plane rhetorica [5] Methodo.

Tertio. [k] Status causae iustificari nos fide Quae sententia probatur multis argumentis. Tum lex et peccatum cum gratia conferuntur Est autem vis huius sententiae iustificari nos fide Nihil humanorum operum bonum esse Nihil humanarum virium aliquid posse Sed quia Christus sit condonatus [l] propter hunc si credas delicto ignosci confidasque te saluum fore eam fidem reputari ab eo [m] nullius operis siue boni ut videtur siue mali respectu pro iusticia Ergo siue conscientia siue quicunque affectus carnis sollicitet Si arripias [n] Christum pro pignore salutis seruaberis et 27, b.
adiuuaberis etc. [o]

Christum docere non est legem docere. [6]

Nota. Charitas respicit opera externa et non fides: quae: primum opus est fidei.

Exemplum siue similitudo.

Sicut impossibile est abesse igni calorem: et aquae humiditatem Ita impossibile est fidei in Christum abesse gaudium gaudio charitatem charitati. Sic opera sua sponte et amore maximo et inextinguibili sequuntur opera infallibiliter: Nos vero peruerso ordine exordiamur rem et nihil intelligentes Qui vero semel gustauit conscientiam suam malam aut oneratus malae conscientiae ille facile diiudicat quid valeant opera Nempe intelliget nos non esse peccatores sed peccatum ipsum. Si ibi non fides So gnad vns goth.

Fides hic est causa ad quam omnes probationes tendunt.

[*Alterae huius paginae pars alba est, et fol. sq. incipit:* Epigrapha i. e. inscriptio qua potissimum commendat officium suum romanis et euangelium definit, Textus. Paulus seruus etc.

CODICIS DIVERSITAS.

1) recepisse 2) Paulinas literas 3) arriderit 4) pt⁹ 5) rethorica 6) Christum ... docere.] *Haec in margine superiore addidit librarius, nescius ut videtur, ubi ea interponat.*

EDITIONIS BASILIENSIS DISSENSUS.

a) accipiat.] *add.* Neque enim nouit Christum, nisi qui eius beneficia nouit. Neque quicquam est plane, b) aduersus] *add.* peccatum, uel aduersus c) occasio scribendi] scribendi occasio d) beneficium] *add.* sue *(i. e.* suae*)* e) eos] Iudaeos f) *Omnia haec typis gracilioribus exscripta om.* g) Secundo.] Secundum, h) capitibus 8.] octo capitum i) et] *om* | k) Tertio.] *om.* l) condonatus] donatus, m) ab eo] a deo n) Si arripias] sic accipias o) etc.] *om. Item omnia seqq. om. sed add.:* Posterior pars epistolae praedestinationem et uocationem gentium tractat. Ad finem sunt adiectae quaedam παραινέσεις. id est, admonitiones, quae communem uitam formant.

Huic verae Lucubratiunculae locorum theologicorum a nobis adiungitur

PHIL. MELANTHONIS THEOLOGICA INSTITUTIO IN EPISTOLAM PAULI AD ROMANOS

quam Kohlius, Professor Hamburgensis, a. 1752 e Melanthonis autographo primum edidit, in libro: *Gesammelter Briefwechsel* etc. (conf. p. 5 sqq., ubi integrum indicem adscripsimus) p. 36 — 54., atque deinceps Strobelius et Friedemannus in libris supra p. 7 sq. laudatis repetierunt, *Melanthonis primam adumbrationem locorum theologicorum* eam iudicantes. Adiungitur autem haec, ut lector ipse utramque cum Locis theologicis conferat sibique persuadeat, hanc *institutionem* genuinam quidem, utpote ipsa Melanthonis manu scriptam, at non eandem esse, ac lucubratiunculam eam, cuius evulgari *coeptae* et *propemodum* publici iuris factae Melanthon ipse in prima Locorum editione a. 1521. mentionem faciat, sed potius Obeliscos ab auctore in suum, non auditorum, usum conscriptos (vide supra p. 7 sq.). Recuditur h. l. ex illo libro rarissimo: *Gesamm. Briefwechsel* etc., qui editionem principem continet.

THEOLOGICA INSTITUTIO PHILIPPI MELANCHTHONIS
IN EPISTOLAM PAULI AD ROMANOS.

Inter locos Theologicos de Deo, uno, trino, Creatore, Homine, Peccato, lege, Verbi incarnatione, gratia, Sacramentis, ecclesia, clavibus, hominum potestate et conditionibus vel praecipui [1]) sunt, et qui nostra maxime referunt, PECCATUM, LEX, GRATIA, ut reliqui magis curiosas, quam utiles disputationes contineant. Nam *tribus his summa iustificationis nostrae* comprehenditur, de qua tam varie multa nugati sunt Philosophi, ut vel ex tam variantibus sententiis constare potuerit, tenebras et mendacia esse universam philosophiam. Ut praeteream, rem ipsam satis coarguere, τὴν διάλεξιν φιλοσόφον inefficacem esse ad immutanda hominum pectora, ad instaurandos hominum affectus. Hi vero loci potissimum a Paulo in hac tractantur epistola.

Εἰςαγωγαὶ εἰς ἐπιστολήν.

Loci, ut opinor, Epistolae tres sunt. Primus de IUSTIFICATIONE, secundus de PRAEDESTINATIONE, et vocatione gentium. Tertius MORES FORMAT.

I.

In primo plurimum [2]) est difficultatis. Sive enim contentio de legalibus, circumcisione, et aliis ceremoniis, sive qua alia causa scribendae epistolae Paulo occasio fuerit: certe constat, Paulum in hac Epistola de LEGE MORUM loqui potissimum, et non modo de operibus Ceremoniarum, sed περὶ ἠθικῶν maxime; nec de fide tantum, hoc est, historica opinione de Christo, sed de fide IUSTIFICANTE. Proinde falluntur, qui huius scopum epistolae ponunt ceremonias tantum, et legem, quatenus de ceremoniis praecipit.

II.

Apparet autem, voluisse hac epistola Paulum orbi Christum et gratiam Christi proponere, ut exacta quadam disputatione recte cognosceretur Christus esse auctor iustitiae nostrae.

III.

Omnes homines censemus pro naturalis rationis consilio, satius esse cum virtute vivere, quam inter tot vitia. Verum in nobis deprehendimus amorem quendam ad vitia, talem, qui efficit, ut per illum nobis bene sit in vitiis, in virtute non item. Pugnat ergo semper cum cupiditate naturae conscientia nostra, quae, quamquam videat, quid bonum, *rectum, pium sit, tamen non assequitur.* Haec cum viderent gentes, IUSTITIAE, sive perfectae virtutis, rationem varie praescribebant. Alius virtutem natura, alius assuetudine, alius aliter comparari censuit. Deinde, quum statuissent, virtutem comparari assuetudine, videbant, non tam dulcem esse, quam est vitium. Eam suavitatem quomodo insererent hominum animis, certatum est. Plato in secundo de legibus, in perfecta virtute censet esse felicitatem non posse, nisi eadem iucunda sit, non esse beatitudinem, nisi satietur per omnia animus hominis. Ubi quid amarum, subtriste, difficile, morosum incidat, ad

---

1) praecipui] sic Editt. Strobel. et Friedemann.; Ed. princeps Kohlii: praecipue.

2) plurimum] sic Ed. pr.; in Editt. Strob. et Fried. omiss.

beatitudinem non pertinere, *sed tamen in virtute iucundum non statuit.* Proinde palam est, a gentibus eam iustitiae formam ignoratam esse, quae et solida et constans esset, et ex animo ita bearet nos, quo iucundius esset bene vivere, ac secundum virtutem, quam laxare naturae cupiditatibus frenum. Et constat, hoc ipsum fateri Platonem.

Iam vero Iudaei iustitiam comparare se arbitrabantur vulgo, si fecissent legis opera. Verum *nulla eiusmodi sunt opera, tamque efficacia, quo intimam pectorum nostrorum propensionem mutare queant.* Adhuc inter tot opera scaturiebat animus affectibus vitiosis, adhuc iniucundum erat legis onus, adhuc quisque malebat sua defungi libertate, hoc est, malebat naturae cupiditates explere, et perinde ut saxum, si sursum [3]) aut volvas aut iactes, non mutat propensionem ac impetum naturae suae, quo deorsum rapitur, *ita nullis externis operibus animus purgatur.* Et fit, ut non possimus non mendaces esse, quando repugnat affectus animi operi. Christus vero mortuus est propter iustificationem nostram. Passim Prophetae optant, ut in terras pluat Deus iustitiam. Quod est anxium votum piarum mentium, quae, cum ipsae se condemnent, et plane sentiant adsequi non posse, quod affectant, suspirant, ut suppeditet Deus spiritum purgantem, illustrantem, iustificantem praeterea per Christum. Deus enim in terras *χριστὸν* misit, qui morte sua et satisfaceret pro delictis nostris, et *emereretur spiritum iustificantem,* hoc est, innovantem affectus nostros, et qui intimam propensionem peccati mutet, ut ipsum qui crederent esse autorem iustitiae, illorum peccata abolerentur, iis spiritus iustitiae daretur. Hunc Christum iustitiae nostrae proponit oculis nostris Paulus. O ingens beneficium! Sic agnoscere *χριστὸν*, ut, si premaris lege, conscientia delictorum, hic auferat onus, suis humeris imponat; si sitias iustitiam, hic subministret. O felices, quibus datum est, ita novisse Christum! O insaniam! O tenebras! aliunde solari tristem conscientiam, aliunde sperare iustitiam et absolutam virtutem, quam a Christo!

IV.

Dicis: Cur non adsequimur iustitiam nostris viribus? Propter peccatum originale. PECCATUM ORIGINALE est genuinus ardor, impetus, raptus, quo trahimur ad vitia. Sicut in igne raptus est, quo sursum fertur: ita in homine ad peccatum. Sicut in Genesi octavo Capite [vs. 21.] edicit Dominus: sensus et cogitatio prava hominis est ad malum ab adolescentia. Nam quia Deus spiritu et luce sua, hoc est, iustitia originali nos spoliavit, rapimur in nos et nostra, incipimus summo amore complecti vitam et quidquid vitae iucundum est; denique nobis ipsis beari volumus. Quo fit, ut nihil aeque ac mors odio sit; ut omnes vitae illecebrae iucundae sint, ut adversetur cupiditas, si quid iubetur a ratione diversum; hinc odium legis est; inde et servilis metus, inde omnium affectuum perniciosorum materies. Haec enim cupiditas eximi nostris viribus non potest, perinde ut homo excitare ipse sese mortuum non potest. Et satis deprehendimus usu, quod amamus ardenter, ab eo nos nostra sponte avertere animos non posse, quum iubet ratio. Semper autem amamus nos, semper mortem odimus, semper ipsi nos nobis beari volumus. Haec cupiditas et voluntas sit libera.

V.

Voluntas potest comparari vel ad praedestinationem, sic nullo modo et libera, *sed huius sublimior est ratio, quam ut a nobis* comprehendi queat: aut sua tantum natura consideratur; tum ad affectus, non est libera, et sicut affectus est operis externi pondus, ita membra secum rapit, si coeperit paulo vehementius saevire, ita nec in externis operibus erit aliqua libertas. Verum simpliciter comparata ad opus externum est libera, sic, ut perinde ac intellectus non potest inter contradictorias nisi uni adsentiri, et tamen utramque concipere, sic voluntas affectu in aliqua re haeret, potest autem diversum [4]) externis membris imperare. Verum prout altera contradictionis pars mendacium est, ita opus externum, quod fit repugnante animi affectu. O hypocrisis operum, qua nos iustificamur [4a]) impii!

VI.

Lex est sententia, vel divinitus promulgata, vel ostensa ratione naturali, qua iubentur recta. Et hanc Paulus operum legem vocat, quod opera mandat, eademque Paulo LITTERA dicitur, hoc est, *sententia inefficax, quae id ipsum non praestet, quod mandat.* Neque enim Tarquinium, quia ratio monet, ut a parricidio manus, ab impio soceri odio, animum temperet, necesse fuit obsequi, immo ne potuit quidem. *Lex enim est inefficax cogitatio, affectus autem est vita animae, adeo ut lege vinci aut expelli non possit.* Vim legis probe intelligere qui volet, omnino comparet cum affectu cogitationem. Neque quisquam tam stolidus est, qui non intelligat, cogitationem af-

3) sursum] sic Strob. et Fried.; Ed. pr.: sorsum.

4) diversum] ad hanc vocem Kohlius adnotauit, lectionem h. l. in autographo esse dubiam, utrum *diversim* an *diversum* esse legendum.

4a) iustificamur] sic Strob. et Fried.: Ed. pr. iustificamus

fectu vinci. Aut quae proposita? quae rationis nostrae dictamina? id praestant, ut προπαθείας, primos motus, eludamus? [5]) Et fieri non potest, quin ex προπαθεία citius πάθος, affectus integer, fiat, quam tu ratione occupaveris. Res ipsa usu deprehenditur, adeo ut palam constet, hac quoque parte a philosophis erratum esse, qui perfectam virtutem in nobis per nostra dictamina innasci censuerint. Et sunt in scholasticis, qui in bono opere gratiae locum non relinquant.

Deinde, postquam deliqueris, lex quid praestat? Mille conscientiae flagra. Quis est enim, qui nesciat, delictum non tolli lege, aut operibus sequentibus, quantumvis bonis. Semper manet infirma, tristis conscientia; manet odium legis, legislatoris; e dulci nomine Dei fit nomen carnificis, vindicis, et si quid his asperius est. Propterea Paulus ait, legem iram operari, et literam occidere.

VII.

Poteris autem bifariam exponere has sententias, *Legem virtutem peccati esse, literam occidere, legem iram operari.* Primum quod lex adeo non praestet vitare peccatum, ut magis irritet ad peccandum. Quia enim concupiscentia in diversum rapitur, magis eam accendi sentimus, legis freno iniecto, vel a lege promoveri, ut metu servilia opera et mendacia faciamus. Ceterum cupiditate alio rapi, Paulusin VII. Capite ad Rom. in hanc sententiam a lege seductum se esse significat. Deinde quod lex, postquam peccatum est, conturbet conscientiam, odium Dei et metum poenae nobis incutiat, per quae non potest homo non desperare, sicut fere semper de lege loquitur scriptura, legem esse nuncium irae, exactorem et similia. *Litera* Paulo significat, quidquid extra gratiam est.

VIII.

GRATIA, quam et spiritum vocat Paulus, *est spiritus, quo illustramur, purgamur, impellimur ad bona.* Gratiam cum lege comparabis, ut cum cogitatione affectum. Proinde ut omnium animantium vita affectus est, omnia animantia sua quadam sponte, pro suo affectu ad quiddam rapiuntur: sic homo secundum naturam rapitur ad mala, quia nemo venit ad me etc. *Et hic raptus, ut vita* [6]) *hominis est, ita omni cogitatione potentior.* Nam et ad multa citra ipsorum cogitationem rapimur. *Sic oportet contrarium quendam affectum in pectoribus nostris creari, quo nostra sponte*, etiamsi nulla esset lex, ad bona rapiamur. Hic affectus meritus est per Christum, et GRATIA dicitur. Ita verum est, *iusto* legem non esse positam, id est, eiusmodi iustus, qui [7]) sua ipse sponte et ultro facturus bona sit, et ad bona rapiatur, etiamsi nulla unquam lex prodita esset.

GRATIAE PARTES: FIDES, adsensus constans verbi divini, et hac illuminamur et Deus nobis ostenditur.

CARITAS, amor Dei et proximi, odium sui. SPES, affectus, qui maxime in adversis declaratur, eoque Deo confidimus per ipsius bonitatem servari. Ex amore spem nasci manifestum est. Nam quia Deo potiri hic non licet integre, quem amamus, speramus potituros plenius alias. Complectitur spes quoddam fastidium vitae et rerum humanarum. His adiunge fructus spiritus, apud Paulum in Galatis, qui opera gratiae sunt.

IX.

Hac *gratia iustificati sunt*, quotquot praedestinati sunt: Cum patres ante χριστὸν incarnatum alius alio manifestiore de Christo revelatione, sed omnes fide venturi, tum ii, qui post Christum iustificati sunt.

X.

Familiaris Paulo tropus est, *ex fide iustificari* nos, quod vulgo sic intelligunt, fidem esse quoddam, quod exigitur, praeter reliqua opera. Ut: esto! Cato fuerit per omnia integer ac probus, tamen quia non credidit, non fuit omnino iustus et acceptus Deo. Tale quiddam de Abraham est apud D. Hieronymum. Sed hoc longe falli constat. Haec vero sententia Pauli est: *Ex FIDE IUSTIFICARI*, id est, nullum opus tam bonum, tam splendidum esse, quod affectus genuinos mutare queat, sed eo ipso, quod credimus, Christum autorem iustitiae nostrae, et imploramus nomen eius, ipse subinde novos affectus suppeditat, fides compellit, ut invocemus. Invocatio impetrat auxilium, non *quod gratiae pars non sit* et fides, sed quod fides est primum gratiae beneficium, et iustificatio non semel tota in nobis absolvitur, sed subinde affectus mutantur et purgantur. Ita nullum opus tantum est, quo mors vinci possit, atque adeo quo beari possimus. Proinde fide beamur, hoc est, quia creditur Christo, quia in ipsum nos reiecimus, ipse ineluctabilem vim mortis interimit et enecat.

---

5) προπαθείας, primos motus, elud.] sic scripsi; Ed. pr. προπαθείας, primus motus, elud.; Strobel.: προπαθείας primus motus elud.; Fried.: προπ. primos motus elud.

6) vita] sic Ed. pr.; Strob. et Fried.: vitae.

7) qui] sic Ed. pr.; Strob. et Fried.: quia.

XI. 8)

EX FIDE EST IUSTITIA ad duo pertinet. Ad impetrandum spiritum perseverantem et innovantem et instaurantem nos. Deinde et ad conscientiam tranquillandam et abolendum peccatum praeteritum. Primum si sentis infirmiorem, quam ut affectibus repugnare queas, ecce nullis operibus exemeris *πάθημα*, sed solo spiritu purgaberis, si Christum invocaveris et imploraveris. Sic Propheta: Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Sic Christus Matth. XI. [vs. 28.:] Venite adme omnes, qui laboratis et onerati estis! Deinde cum delictum fuerit, nullis operibus tranquillabis conscientiam, sed sola et pura fide in Christum pacaberis, qua credis iniquitates nostras ipsum tulisse. Illa confessio est, super quam ecclesia fundata est, contra hanc portae inferorum non praevalebunt.

XII.

Gratia non semel abolet peccatum, sed subinde expurgat 7 et 8 Rom. ad mortem usque. Proinde *quoad vivimus, semper peccatores* sumus, semper in nobis sunt veteres reliquiae veteris hominis, donec, abolita carne, tam iucunda sit lex Dei, quam est concupiscentia peccati. Sic intellige Psal. 1. [vs. 2.]: in lege Domini delitiae eius.

XIII.

DISCRIMEN IUSTITIAE GENTIUM ET CHRISTIANAE. Iustitia Gentium 8a), quae in Evangelio pharisaica, a Paulo iustitia, seu servitus legis vocatur, est, qua facimus externa operum simulacra, repugnante affectu. Facimus autem vel affectu commodi vel servili metu. In hac iustitia primum virtus non est iucunda et facilis. Deinde impossibile, ut, quamdiu in nobis est amor nostri, et metus eorum, quae nobis adversantur, quin multa vitia insideant. AMOR NOSTRI radix omnis mali est. Iam et hominem in fiduciam sui vanam ducit. Postremo neque cum affectibus repugnantibus dimicare potest. Quare si saevire coeperit 9) affectus, iam neque externa opera caveri poterunt.

IUSTITIA Christiana est, qua ultroneo spiritu ad bona rapimur, etiamsi nulla esset lex. Primum haec humiliat et tollit fiduciam nostri, neque quidquam sui agnoscit. Deinde et facilius est; postremo adfectuum compos est, quia 10) semper ex oculis *χριστοῦ* pendet. Deinde in hac quod deest, confidimus non imputari propter Christi meritum.

Denique discrimen operosae iustitiae et fidei mors declarabit. Ubi nihil operum, nihil conatuum nostrorum tantum erit, quod cum morte congredi possit. Breviter: pharisaica iustitia non est iustitia, sed mendax operum species, nec immutari ab ullo aut aliquo modo corda possunt, nisi ab eo, qui condidit. Hierem. XIII. [vs. 23.:] An mutare 11) potest *αἴθιοψ* pellem suam? aut pardus varietates suas? et vos poteritis facer bonum, cum didiceritis malum? Insuper et omnis operum et bonorum huius vitae iustitia, nec peccatum, nec infernum, neque mortem vincit, et servari oportet nos sola verbi fide, cui incorporati et insiti sumus, *Christo victore* et nos victuros.

Ecce quid fides? Unicus portus, unicum praesidium, unica anchora, unicum vallum. Omnibus dubiis rebus nostris sola fides onus legis et peccati elevat, sola fides nostras conscientias tranquillat, sola fides mortem vincit et infernum. *Crede Christo, invoca Christum per fidem, iam spiritus iustificator et purgator adest!* Iam pax datur conscientiae, iam mortis cedit horror, iam inferni minae clausae sunt. *Qui enim credit Christo, mortem non videbit.* Haec fere primo loco mihi a Paulo agi videntur: de quibus si quis rectiora sentit, minime molestum fuerit sequi, etc.

SECUNDUS LOCUS PRAEDESTINATIONIS est, de qua praeter ea, quae paucis verbis Paulus dixit, nihil potest hominis ulla ratio, ullum ingenium. Vide ad haec VI. Ioannis Caput.

TERTIUS Locus Morum totus est, ubi regulam hanc observa:

Omnium indifferentium operum regulam charitatem esse.

PAULI AD ROMANOS EPISTOLAE SUMMA.

Status caussae. *Iustitia ex fide* sine operibus, et nullum opus potest affectum immutare 12), sed sola fides impetrat iustitiam, hoc est, innovationem nostri.

ORATIO est generis iudicialis, habet exordium, narrationem, confirmationem, apte composita.

Inscriptio: Paulus Servus Iesu Christi etc. In ea inscriptione observabis

Quid servitus legis?
Servitus Christi?

---

8) XI.] hic numerus in Ed. pr. est omissus.

8a) Gentium] Ed. pr. typothetae errore: Gentiam.

9) coeperit] sic Fried.; Ed. pr. et Strob.: ceperit.

10) quia] sic Ed. pr.; Strob. et Fried.: quin.

11) mutare] sic Fried. [= Vulg.]; pr. et Strob.; Fried.: mutari.

12) immutare] sic Ed. pr.; Strob. et Fried.: mutare.

Quid lex?
Quid Evangelium?

Exordium: Primum quidem gratias ago Deo meo .... Secundo locos habet benevolentiae aptos, a principio. Deinde sequitur attentio: Non enim erubesco. Evangelium res minime pudenda est, at res pudenda est lex, quae non efficit, quod imperat. Evangelium res minime pudenda, nempe efficax ad iustificationem, quia Evangelium est virtus Dei, et est, quo Deus iustificat.

Narratio. Revelatur enim ira Dei de coelo super omnem impietatem.

Consilium narrationis est: quandoquidem volebat Paulus praescribere fontem et anchoram iustitiae tam gentibus quam Iudaeis, recte inde coepit, et gentibus et Iudaeis legem fuisse, illis naturalem, his etiam divinam, sed neque gentibus, neque Iudaeis profuisse legem ad opprimendos affectus, quin omnes senserint repugnantes legi affectus, non adsequi se, quod lex praescribit.

Summe vero Narrationis constat his axiomatis:

Gentes habuere legem naturae.
Gentes etsi legem naturae habuerint, tamen peccarunt.
Iudaei habuerunt legem divinam.
Iudaei, etsi legem divinam habuerunt, tamen peccarunt [13]).

Omnes itaque peccarunt, id est, et gentes et Iudaei, nec sunt adiuti lege, quo minus peccarent.

Iustitia vero est per Christum, nec ullis comparatur operibus. Hanc narrationem Paulus extendit ad caput usque quartum, et miscet ei aliquot digressiones, quas nisi quis observet, non facile putem adsecuturum disputationis filum.

Prima digressio est a principio Cap. secundi, propter quod excusabilis est etc. usque ad dimidium eius capitis: Ecce autem tu Iudaeus cognominaris etc.

Secunda digressio a principio Capit. tertii usque ad hunc locum: causati sumus Iudaeos et Graecos omnes sub peccato esse.

Confirmatio, quae in capite quarto est, argumenta habet sex.

Abraham fide iustificatus est, non operibus: igitur nec nos iustificamur nisi fide, nempe filii Abrahae.

David dicit, beatitudinem per non imputationem peccati esse: ergo non est ex operibus.

Abraham iustificatus est ante circumcisionem: ergo iustificatus non est ex operibus. [14])

Per legem non est promissio, et iustificatio fuit ante legem Mosaicam: ergo iustificatio non est ex legis operibus.

Si ex lege haereditas est, si sufficit lex ad iustificationem, frustra et promissio Christi, et si ex nobis est, non egemus Christo.

Lex iram operatur: ergo non conciliat; lex facit odium Dei, ergo non amorem.

Post haec in quarto capite sequitur amplificatio, qua ad gentes causam detorquet. Principio quinti capitis est exhortatio ad fidendum Christo.

Post in eodem capite, ubi dicit, praeterea sicut per unum hominem peccatum .... Ibi locum auspicatur seiunctum prorsus a superioribus, quo comparat peccatum, gratiam, legem, et est didacticus locus, quo, quid, et unde peccatum, gratia et lex sit, docet.

Summa est haec:

Per Adam est peccatum.
Per peccatum mors.
Peccatum etiam ante legem Mosaicam erat.
Sed non cognoscebatur.
Per Christum est gratia.
Per gratiam vita.
Per legem abundat peccatum.
Ut peccato agnito superabundet et gratia.
Ergone lex est causa peccati?
Respond. non.
Lex bona est.
Nos mali.
Re bona male utimur, ut frenum est equo causa saeviendi, per se ipsum non saevit.

Haec a fine quinti capitis usque ad locum septimi tractantur: scimus autem, quod lex spiritualis et ego carnalis sum. Totum vero sextum caput cum principio septimi, usque ad locum [vs. 7.:] quid ergo dicemus? lex peccatum est? digressio est, et continet moralem disputationem et discrimen regni peccati, legis et gratiae.

Non esse nos sub lege, sed sub gratia: et is locus arbitrii libertatem tollit.

A septimi parte [vs. 14.]: scimus, quod lex spiritualis est, usque ad partem octavi [vs. 12.]: ergo fratres debitores sumus non carni.

Tantas vires esse peccato,
Ut etiam in se ipso Paulo
adhuc legi repugnet. Sed subinde expugnari. Ceterum ab impossibilitate liberatum esse, et antea

---

13) Iudaei habuerunt—peccarunt.] sic Ed. pr.; a Strob. et Fried. haec male omissa sunt.

14) Abraham iustificatus — operibus.] sic Ed. pr.; a Strob. et Fried. haec omissa sunt.

quam in Christo quis sit, impossibile esse aliquid legis facere impossibile legem facere. extra Christum.

Reliqua usque ad IX. Cap. adhortatoria sunt et consolatio nisquaedam.

Cap. IX. praedestinationem et vocationem gentium continet.

Cap. X. comparationem iustitiae fidei et iustitiae pharisaicae.

Cap. XI. adhortationem.

Reliqua moralia sunt.

B. PRIMA AETAS LOCORUM THEOLOGICORUM AB IPSO MELANTHONE EDITORUM.

Illa Lucubratiuncula, quam supra p. 11—48 edidimus, in hoc tantum a Melanthone erat parata, ut Paulinae disputationis argumentum atque elenchum quam pinguissime iis indicaret, quos privatim docebat, minime autem eo consilio, ut sic ederetur: attamen, inscio atque invito auctore a quibusdam verosimiliter a. 1520. evulgari coepit (vide quae supra p. 3 sqq. de hac re diximus). Hanc editionem aegre ferens Melanthon, quantum fieri poterat, suppressit (quapropter hucusque a nemine ullum eius exemplum est inventum); desiderabant enim, ipso iudice, pleraque accuratiorem disputationem, pleraque etiam limam. Hanc ob rem ei visum est, illum libellum recognoscere ac sub incudem revocare. Sic proximam ipsius Locorum editionis primae, quae a. 1521. prodiit, ansam et causam in quorundam consilio ac studio, eam adumbrationem, quam a. 1520. auditoribus suis tradiderat, evulgandi habemus.

De hac prima Locorum editione Melanthon a. 1521. mense Aprili Ioanni Hesso scribit: „Mea Methodus (i. e. Loci theol.) nunc excuditur. Ideo mittemus auctiorem, quam scripta quondam fuerit." (vide huius Corp. Reform. Vol. I. p. 366.). Absoluta est mense Decembri huius anni, ut ex Lutheri ad Spalatinum epistola initio huius mensis scripta (vide Lutheri epistolarum a de Wettio editarum Vol. II. p. 110 sq., in cuius fine leguntur haecce: „Hic quaternio G. in Methodo Philippi superfluit, desunt autem in fine tres quaterniones novissimi Q. R. S., quos complebis in tempore.") colligi potest. Quapropter Melanthonis ad Plettenerum epistola nuncupatoria huic editioni praefixa in huius Corp. Vol. I. p. 510 sqq. inter epistolas m. Decembris refertur.

Prima huius gravissimi libri editio*) sic est inscripta:

LOCI COMMV
NES RERVM THEOLOGICA-
RVM, SEV HYPOTYPOSES
THEOLOGICAE.

AVCTORE PHILIPPO ME-
LANCHTONE.

WITTEMBERGAE. AN.
M. D. XXI.

18 plagg. litt. A—R (F et R $1\frac{1}{2}$ plag., 6 foll. contin.) sign., 72 foll. non num., quorum singulae paginae fere 34—35 lineas continent. 4°. (fol. A 1^b — 2^a Epistola nuncupatoria sic inscripta: „Iuxta pio atque erudito uiro D. Tilomanno Plettenero**) Ph. Mel. S.": fol. A 2^a extr. — R 6^a med. Loci communes seu Hypotyposes theolo-

*) Hanc Ed. et ceteras huius aetatis Strobelius in l. *Versuch einer Litterär Gesch.* etc. p. 18 — 55. descripsit.

**) Tilemannus Plattnerus s. Plettenerus a. 1490. Stolbergiae natus, a. 1521. Witebergae a Iusto Iona Doctor Theologiae creatus, primus evangelicus Superintendens Stolbergiensis erat, a. 1551. mortuus est, vide Ioh. Arn. Zeitfuchs *Stolbergische Kirchen- und Stadt-Historie* (Franckfurth u. Leipzig 1717. 4°) p. 377 — 379. et Fr. Ern. Kettner,

gicae, quibus in margine 30 annotationes adscriptae sunt, quarum autem duae nihil continent nisi verba textus repetita; ultima pagina R 6[b] vacat)*).

Editio altera sic inscripta est:

LOCI
COMMVNES RERVM
THEOLOGICARVM
SEV HYPOTY-
POSES THEO-
LOGICAE.

WITTEMBERGAE,
AN. M. D. XXI.

17½ plagg. litt. A—S (S ½ plag., 4 foll. cont.) sign., 140 foll. non num., quorum ultimum vacat, 8⁰ min. Singulae paginae fere 24 lineas continent. (fol. A 1[b] — 3[a] med. Epistola Mel. ad Tilom. Plettenerum; fol. A 3[a] med. — S 3[b] med. Loci communes seu Hypotyposes theologicae cum 58 annotatt. marginalibus, quarum 12 nihil nisi verba textus repetita praebent; ult. fol. vacat)**). Haec Ed. cum illa, quam eodem anno proxime secuta est, in textu quidem omnino congruit, in annotatt. marginall. vero atque in externis (scil. in scriptione verborum atque partitione linearum columnarumque) ita ab ea differt, ut Censori Halensi minime assentiri possim, qui in Ephemerid. Halens. a. 1829. Suppl. nr. 13. p. 101 sq.. Editione Viteb. 1521. 8. memorata, haec addit: *von welcher* (scil. Ed. Viteb. 1521. 8.) *die Quartausgabe desselben Jahres nur durch den auf den Titel gesetzten Namen Melanthon's und durch das Format verschieden ist, vielleicht nur in wenigen Exemplaren für Freunde und Gönner Melanthon's abgezogen (wie die neben den in Octav gedruckten Büchern zugleich formirten Quartausgaben auch heutzutage nicht selten eine ähnliche Bestimmung haben), daher auch so äusserst selten.*"***).

Quam rarae hae Editt. Viteberg. iam seculo XVII. ineunte fuerint, ex his intelligitur verbis Hutteri, Vitebergensis Theologi, quae a. 1619. in Locis suis Theologicis fol. 9. col. 2. de prima Ed. Viteb. scripsit: *Optandum esset,* inquit, *ut primae huius editionis exemplaria hodieque extarent, vel saltem Peucerus, scriptorum Philippicorum compilator, scriptum istud Tomis Philippicis inseruisset: ut partim de doctrina Philippi certius iudicium informari, partim profectus atque incrementa Ecclesiae recens reformatae rectius conspici posset.*" Ob hanc illarum Editt. summam raritatem Hermannus von der Hardt, Theologus Helmstadiensis, in *Historia literaria Reformationis in honorem Iubilaei anno MDCCXVII.* (Francofurti et Lipsiae 1717. Fol.) P. IV. p. 28 — 77. editionem a. 1521., introductione praemissa, reiteravit. Hanc editionem iterum edidit Io. Christ. Guil. Augusti, Professor in Universitate Rhenana, sic inscriptam: *Philippi Melanchthonis Loci Theologici ad fidem editionis primae MDXXI. in memoriam Iubilaei huius libri tertii, denuo editi et dissertationibus aliquot historicis et litterariis illustrati a Io. Christ. Guil. Augusti.* (Lipsiae 1821. 8.) XVI et 256 pagg.†) Haec vero editio,

---

Quedlinburgische Kirchen- und Reformations-Historie p. 214., qui item de hoc viro insigni disserit, quoniam Anna, Abbatissa Quedlinburgensis, consiliis et opera Pletteneri usa est, quum doctrinam evangelicam ibi introducere vellet.

*) Hanc Ed. principem omnium rarissimam ex Biblioth. senat. Norimbergensi in manibus habeo. Strobelius eam descripsit in l. *Beyträge zur Litt. bes. des XVI. Jahrh.* T. II. p. 191. sq.; eo enim tempore, quo librum: *Versuch einer Lit.-Gesch.* etc. edebat, hanc nondum ipse viderat. Recensetur etiam a Feuerlino in Biblioth. symbol. ed. Riederer p. 225. et in epistola ad Kohlium, quae legitur in *Hamburg. Briefwechsel des J.* 1751. p. 769 sqq. (maiori ex parte repetita in Kohlii *Gesammelt. Briefwechsel* etc. 1752. p. 10 sqq.) atque a Hardtio in Autographis Lutheri aliorumque T. II. p. 89.

**) Haec Ed. in meis libris et in Biblioth. regia Dresdensi et senat. Hamburg. est. Praeterea etiam invenitur in Biblioth. acad. et senat. Lips., acad. Vratisl., ducali Goth., ducali Guelferbyt., magniduc. Wimar., senat. Norimb., acad. Ienensi. — Recensetur haec Ed. in S. I. Baumgartenii *Nachrichten von merkw. Büchern* T. VI. p. 393 sq., in *Fortgesetzt. Sammlung von Alten u. Neuen Theolog. Sachen (s. Unschuldige Nachrichten)* 1737. p. 512 sqq., I. Vogtii Catalogo libror. rarior. Ed. 3. p. 451 sq., Hardtii Autogr. Luth. aliorumque T. I. p. 11 sq. 127. et aliis libris a Iac. Henr. a Balthasar l. Historia Locorum theologicorum Phil. Melanchthonis P. I. (Gryphiswaldiae s. a. 4⁰.) p. 9. memoratis.

***) Idem fere dicit Augusti in historia litter. ipsius Editioni Locor. subiuncta p. 170 in margine.

†) Utraque Ed. repetita in meis libris est.

id quod editor ipse in praefat. p. VIII. disertis verbis dicit, non ex archetypa Locorum editione, sed iuxta repetitionem Hardtianam ita expressa est, ut ipsos errores typographicos repetendos curaverit*). Hanc ob rem, quod repetitionem mendosam mendosius recudi curaverit, editorem optimo iure vituperarunt Censores Ienensis, Lipsiensis et Halensis**).

Tertia editio anni 1521. haec est:

LOCI
COMMVNES RERVM
THEOLOGICARVM,
SEV HYPOTYPO-
SES THEOLO
GICAE.

PHILIP.
MELANCH. AVCTORE.

BASILEAE, ANNO
M. D. XXI.

Hic titulus figuris ligno incisis cinctus est. In fine exstat Clausula: BASILEAE APVD ADAMVM PETRI. 15 plagg. litt. A — P sign., 120 foll. non num., quorum duo ultima alba sunt. 8⁰ min. (fol. A 1^b — 2^b Mel. epistola ad Tilom. Plettenerum; fol. A 3^a — P 6^b Loci communes seu Hypotyposes theologicae cum 54 annotatt. marginall., quorum 11 nihil nisi verba textus repetita exhibent***).

Illas tres a. 1521. Editiones subsecutae sunt haece:

4. *Loci com | mvnes rervm theo | logicarvm sev hy | potyposes theo | logicae.* — (In fine:) *Hagnoae in aedibus Thomae Anshelmi | Badensis Mense Februario. | Anno. M.D.XXII.* subiuncto Insigni, quod tres siglas TAB in unam coniunctas, circulo cinctas praebet. 13 plagg. litt. a—n sign., 104 foll. non num., quorum penultimum in priore pag. nihil nisi Clausulam cum Insigni cont., tres ult. pagg. albae sunt. 8^0 min. (fol. a 1^b — 2^b med. Mel. Epist. ad Tilom. Plettenerum; fol. a 2^b med. — n 6^b Loci communes seu Hypotyposes theologicae, annotatt. marginall. omissis; fol. n 7^a Clausula cum Insigni; fol. n 7^b — 8^b vacant)†).

5. *Loci | commvnes rervm | theologicarvm | sev hypotypo- | ses theolo- | gicae. | Philippo | Melanch- | thone avtore. | An. M.D.XXII.* Hic titulus figuris ligno incisis cinctus est. $12^3/_4$ plagg. litt. a—n (n $^3/_4$ pl., 6 foll. cont.) sign., 203 pagg., ult. pag. vacat. 8^0 (pag. 2—4 med. Mel. Epist. ad Tilom. Plettenerum; p. 5—203 med. Loci communes seu Hypotyposes theologicae, cum 58 annotatt. marginall.; p. 203. med. 13 erratula sunt adnotata; ult. pag. alba.)††)

6. *Loci | commvnes | rervm | theologicarvm, | sev | hypotypo- | ses theologi- | cae. | Philip. | Melanch. avctore.* — (In fine:) *Impressvm | Argentine. | Anno. M.D.XXII.* $15^1/_2$ plagg. litt. A — Q (Q $^1/_2$ pl., 4 foll. cont.)

---

*) Horum errorum typographicorum longum indicem Augusti praefationi editionis suae subiunxit, quorum vix octava pars in Ed. principe ipsa reperitur, ceteri omnes et alii ibi non memorat tantummodo ad Hardtii et Augusti Editiones pertinent. Plura menda Ed. Hardtianae etiam Balthasar l. l. p. 8. collegit.

**) Conf. Ephemerid. litter. Ienens. a. 1822. Iun. num. 104., Lipsiens. a. 1823. Iul. num. 186., Halens. a. 1829. Suppl. num. 13. et. 14.

***) Haec Ed. ex Biblioth. regia Stuttgard. et acad. Gotting. mihi ad manus est. Reperitur quoque in Biblioth. regia Berol. et senat. Norimb. — Recensetur in Baumgartenii *Nachrichten von merkw. Büch.* Vol. VII. p. 312 sq., a Balthasaro l. l. p. 9. et in Ranneri Catalogo Bibliothecae Ebnerianae Vol. I. p. 323, ubi vero haec Ed. male *prima editio* appellatur.

†) Hanc Ed. ex Biblioth. senat. Norimb. in manibus habeo. Recensetur in *Unschuld. Nachricht.* 1728. p. 194., in Feuerlini Biblioth. symbol. ed. Riederer P. I. p. 225. et a Balthasaro l. l. p. 10. — In huius et sequentium Editt. titulis litteram *v* in vocibus *commvnes rervm* etc. eam ob causam retinui, ut lector ex ea cognoscat, has lineas, in quibus eiusmodi voces leguntur, *litteris versalibus*, quae dicuntur, esse expressas.

††) Haec Ed. in Biblioth. acad. Halensi et Erlang., in regia Berol., ducali Guelferb., senat. Norimb. et in meis libris est. — Recensetur in Kohlii *Gesamm. Briefw.* p. 120.

sign., 124 foll. non num. (fol. A 1^b — 3^a init. Mel. Epist. ad Tilom. Plettenerum; fol. A 3^a med. — Q 4^a med. Loci communes seu Hypotyposes theologicae, annotatt. marginall. omiss.; fol. Q 4^a textus fini subiuncta est Clausula; fol. Q 4^b vacat) *).

Cum Melanthon in illis primis Editt. Viteberg. a. 1521., quas ceterae modo commemoratae sequuntur, quaedam observasset emendatione digna, anno 1522. novam curavit multis in locis mutatam. Hae recognitiones inprimis in articulis *de libero arbitrio, de monachorum votis, de discrimine novi et veteris testamenti, de legis abrogatione,* et *de scandalo* conspicuae sunt, in ceteris singulas formulas et verba tangunt. Haec Editio ab auctore recognita sic est inscripta:

7. THEOLOGICAE
HYPOTYPOSES

RECOGNITAE AB
AUCTORE.

WITTEMBERGAE.

s. a. (1522.) Hic titulus figuris ligno incisis cinctus est. 11¼ plagg. litt. A — L (L 1¼ pl., 10 foll. cont.) sign., 90 foll., quorum foll. 2 — 32. numeris Fo. II — XXXII., seqq. foll. 33 — 75. numeris Fo. XXXIIII — LXXVI., seqq. foll. 76 — 90. numeris Fo. LXXVIII — XCII. signata sunt, 8^0 min. (fol. A 1^b — 2^b med. Mel. Epist. ad Tilom. Plettenerum; fol. A 2^b med. — L 10^a Loci communes seu Hypotyposes theologicae, cum 56 annotatt. marginall.; fol. L 10^b vacat**). Hanc Ed. a. 1522. prodiisse cognoscitur ex Melanthonis ad Spalatinum epistola d. 30. Mart. 1522. scripta (in huius Corp. Vol. I. p. 567.) ubi haec dicit: „Praeter praelectiones publicas hoc tempore difficillimas recognosco Methodum meam, quae recuditur.“ Eundem annum huic Ed. adscripserunt Feuerlinus***), Balthasar (l. l. p. 9.), Hardtius†) et Baumgartenius††), quibus Strobelius *Versuch e. Litt. Gesch.* etc. p. 40.) aliique assentiuntur.

Haec Ed. ab auctore recognita repetita est hisce Editionibus:

8. *Theo | logicae hypoti | poses Philip. | Melan. Ita ab avtore | recognitae et locupletatae, | ut priorem aeditionem | multis locis non | agnoscas. | Basileae. Anno | M. D. xxij. Mense | Octobri.* Hic index figuris ligno incisis cinctus est. — (In fine:) *In aedibvs Adami Peteri, | Anno M.D.XXII. | Mense Octobri.* 13 plagg. litt. A — N sign., 104 foll. non num., 8^0 min. (fol. A 1^b — 2^b Mel. Epist. ad Tilom. Plettenerum; fol. A 3^a — N 8^a Loci communes seu Hypotyposes theologicae, cum 54 annotatt. marginall.; fol. N 8^a extr. subiuncta est Clausula; fol. N 8^b vacat) †††). Huius tituli verba „*et locupletatae, ut priorem aeditionem multis locis non agnoscas*“ a bibliopola, ut maiorem emtorum multitudinem alliceret, sunt adscripta.

9. *Loci | commvnes sev | Hypotyposes | theologicae. | Phil. Mel. | Recognitae ab Auctore. | Argentorati mense Ianuario | Anno M.D.XXIII.* Hic titulus figuris ligno incisis cinctus est. — (In fine textus:) *Argentorati apvd Iohan- | nem Hervagivm Men- | se Ianva. Anno | M.D.XXIII.* Hanc Clausulam sequitur Index cum hoc proprio titulo figuris ligno incisis cincto:

Loco- | rvm commvnivm | Philippi Melanchtonis Index, | quo duce, quaeque dignissima | scitu, ἀκονητή reperies. | Index. 13¾ plagg. litt. A — M, a, b (b ¾ pl., 6 foll. cont.) sign., 95 foll. num., 1 fol. album, 14 foll. non num., 8^0 min. (fol. 1^b — 2^b Mel. Epist. ad Tilom. Pletenerum; fol. 3^a — 95^a Loci communes seu Hypotypo-

*) Haec Ed. ex Biblioth. senat. Norimb. mihi ad manus est. — Recensetur in Hardtii Autogr. Luth. et al. T. III. p. 83.

**) Haec Ed. in Biblioth. acad. Gotting. et Vratislav., regia Berol., ducali Coburg., magniduc. Wimar., senat. Norimb. et in meis libris est.

***) In Biblioth. symbol. P. I. p. 225. nr. 1308.: „Haec mihi videtur esse editio secunda a. 1522.“ et in ipsius ad Kohlium epistola in *Hamburg. Briefwechs.* 1751. p. 774. (repet. in Kohlii Gesamm. Briefw. 1752. p. 15 sq.).

†) Autographa Lutheri aliorumque T. I. p. 139., ubi autem haec Ed. falso inter eos libros refertur, qui forma maiori (4^0) a. 1522. prodierunt.

††) *Nachrichten von merkw. Büch.* T. VI. p. 392 sq. nr. 2181. Illo numero XCII. ultimi folii hic in errorem inductus est hanc Ed. 92 folia continere.

†††) Hanc Ed. ex Biblioth. regiis Dresdensi et Stuttgardiensi in manibus habeo; etiam in Biblioth. senat. Norimb. atque acad. Gotting. et Erlang. asservatur. — Recensetur a Feuerlino in Biblioth. symbol. P. I. p. 225. et in epistola ad Kohlium (in *Hamburg. Briefwechs.* 1751. p. 774. et in Kohlii *Briefw.* p. 16.) atque a Balthasaro l. l. p. 10.

ses theologicae, cum 56 annotatt. marginall.; fol. 95b Clausula; seq. fol. M 8 album; fol. a 1a Indicis titulus; fol. a 1b vacat; fol. a 2a — b 6a Index; fol. b 6b vacat.)*).

10. *Loci | commvnes sev Hy | potyposes theo | logicae Phi- | lip. Melan. | Recogniti ab Auctore. | Locorum communium Index.* — (In fine textus:) *Argentorati apvd Iohan- | nem Hervagivm dvode. | Kalen. Ivni. Anno M. D. XXIII.* Hanc Clausulam sequitur Index locorum commun. 12 plagg. litt. A — M sign., 95 foll. num., ult. fol. album, 8° min. (fol. 1b — 2b med. Mel. Epist. ad Tilom. Pletenerum; fol. 3a — 95a med. Loci communes seu Hypotyposes theologicae cum 56 annotatt. marginall.; textu finito addita est Clausula; fol. 95b Index locorum commun.: ult. fol. vacat). Hunc Indicem, qui solos titulos capitum eo ordine, quo in libro tractantur, exhibet, sequitur alter Index alphabeticus cum eodem proprio titulo, qui in Ed. proxime praecedente allatus est. Hic Index duas plagulas non integras explet. Haec igitur Ed. cum hoc altero Indice paene 14 plagg. continet**). Haec Ed. in plerisque quidem refert Ed. recognitam anni 1522., in quibusdam vero respondet priori anni 1521., vide Balthasari recensionem l. l. p. 12. — Repetita est in Corpore doctrinae Norimbergensi sic inscripto: *Dodecas Scriptorum Theologicorum tum Veterum tum recentium pro studiosa iuuentute et Candidatis Ministerii. Norimbergae,* 1646. 4° et in eiusque repetitione, quam D. Zeltnerus curavit, sic inscripta: *Liberi Normales Noribergenses, d. i. Lehr- und Glaubens-Bücher der Nürnberg. Kirchen. Noribergae,* 1721. 4°. In utraque huius Corporis Editione Loci communes septimo loco exhibentur ex hac Ed. Argent., id quod Balthasar l. l. p. 12. argumentis probavit.

11. *Theo | logicae hypoti- | poses Philip. | Melan. | Ab avtore iam | denuo summa cura et | castigatae et locu- | pletatae. Basileae. An.* 1523. | *Mense Iunio.* Hic titulus figuris ligno incisis cinctus est. — (In fine textus:) *In aedibvs Adami Peteri,* | *Anno* 1523. | *Mense Iunio.* 13 plagg. litt. A — N sign., 104 foll. non num. (fol. A 1b — 2b Mel. Epist. ad Tilom. Pletenerum; fol. A 3a — N 8a Loci communes seu Hypotyposes theologicae, cum 51 annotatt. marginall., in fine Clausula subiuncta est; fol. N 8b vacat). His adiunctus est Index alphabeticus (in aliis exemplaribus in fronte, in aliis in calce illi libro assutus) cum hoc proprio titulo figuris ligno incisis cincto:

Ma- | gno vsvi fvtvrvs | Index Locorvm | commvnivm | Theologiae, Philip. | Melanch. | Paginas in libello non signatas numero, ipse lector iu- | xta tabulae rationem signare potes. | Quanquam non magnopere opus sit. Aliàs enim sine negocio, quae breui | tas libri est, diligentiaque indicis, quicquid uolueris | invenies. 2 plagg. litt. a, b sign., 16 foll. non num., quorum ultimum album est, 8° min. ***)

12. *Theo | logicae hypoty- | poses Philip. | Melan. | Ab avtore iam | denuo summa cura et | castigatae et locu- | pletatae.* Hic titulus figuris ligno incisis cinctus est. — (In fine:) *Anno* 1523 *Mense Octobri.* sine indicio loci. 13 plagg. litt. A — N sign., 104 foll. num (fol. 1b — 2b Mel. Epist. ad Tilom. Pletenerum; fol. 3a — 104a Loci communes seu Hypotyposes theologicae cum 54 annotatt. marginall., Clausulâ in fine subiunctâ; fol. 104b vacat). His adiunctus est Index (in aliis exemplaribus in fronte, in aliis in calce illi libro assutus) cum hoc proprio titulo figuris ligno incisis cincto:

Ma | gno vsvi fvtvrvs | Index Locorvm | commvnivm | Theologiae, Philip. | Melanch. | Anno. M. D. XXIII. 2 plagg. litt. a, b sign., 16 foll. non num., quorum ultimum album est, 8°†). Haec Ed. maxima quidem ex parte est repetitio Editionis recognitae a. 1522., aliqua vero ex parte Editionis a. 1521., vide Baumgartenii recensionem in *Nachricht. v. merkw. Büch.* T. VI. p. 396—398.

13. *Loci | commvnes sev Hy- | potyposes theologicae Philippi | Melanchthonis, recogniti | ab Autore. | Adiecta svnt The | mata eiusdem Philippi de duplici | Iustitia: Regimineque Corpo- | rali et Spirituali.* Hic titulus figuris ligno incisis cinctus est. — (In fine:) *Argentorati apvd Io- | hannem Hervagivm | dvodecimo Kalen. | Decembris. An- | no M. D. XXIII.* 13 1/2 plagg. litt. a, b (b 1/2 pl., 4 foll. cont.), A — M sign., 12 foll. non num., 96 foll. num., 8° min. (fol. a 1b — 4b Index [alphabeticus] Locorum communium inscriptus: „Tabula in Locos

---

*) Hanc Ed. ex Biblioth. senat. Norimb. in manibus habeo. Hoc Strobelii exemplar in Indicis fine mancum est, ultimum enim folium b 6 deest, quapropter in l. *Versuch* etc. p. 42. dicit, Indicem 13 foll. continere. — Recensetur in Feuerlini Biblioth. symb. P. I. p. 226. et a Balthasaro l. l. p. 12.

**) Haec Ed. in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est. Alter Index a Strobelio *Versuch* etc. p. 43. memoratus in meo exemplari deest.

***) Hanc Ed. ex Biblioth. Orphanotrophei Halensis et senat. Lips. in manibus habeo (in priori exemplari Index Locos subsequitur, in posteriori iis praecedit); asservatur etiam in Biblioth. senat. Norimb. et acad. Vratislav.

†) Haec Ed. in meis libris et Goepneri, amici cuiusdam, est; in meo exemplari Index Locis praecedit, in altero autem eos sequitur. In Strobelii exemplari Index defuit. — Recensetur in Feuerlini Biblioth symb. P. I. p. 226. et in Hardtii Autogr. Luth. et al. T. I. p. 169.

Philippi Melanchthonis"; fol. 1^a — 2^a [A 1^a — 2^a] Mel. Epist. ad Tilom. Plettenerum: fol. 2^b Index Locorum commun. [qui sola capita eo ordine, quo in libro tractantur, exhibet]; fol. 3^a — 95^a med. Loci communes seu Hypotyposes theologicae cum 55 annotatt. marginall.; fol. 95^a med. — 96^a Themata Philippi Melanchthonis de duplici iusticia: regimineque Corporali et Spirituali; fol. 96^b Clausula *).

14. *Loci | commvnes sev Hy | potyposes theo- | logicae Philippi Me- | lanchtho. | Recogniti ab Auctore. | Locorum communium Index.* Hic titulus figuris ligno incisis cinctus est. — (In fine:) *Avgvstae Vindelicorvm, | expensis D. Sigismvndi | Grim. Mense Febrv. | Anno M. D. XXIIII.* Hanc Clausulam sequitur Insigne Hercules Cerberum profligans, circumscriptum his verbis: *Monstrorvm profligator Hercules.* יהור לילא איראמה ־יעשה ילארם *Tu ne caede malis, sed contra audentior ito.* | Τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν. — 14 plagg. litt. A — O sign., 95 foll. num. et 17 foll. non num. 8⁰ (fol. 1^b — 2^b Mel. Epist. ad Tilom. Pletenerum: fol. 3^a — 95^a med. Loci communes seu Hypotyposes theologicae cum 57 annotatt. marginall.: fol. 95^b [M 7^b] Index Locorum commun. [qui tantum capita eo ordine, quo in libro tractantur, exhibet]; fol. M 8^a — O 7^b Index [alphabeticus] Locorum communium sic inscriptus: „Tabvla in Locos Philippi Melanchthonis, qua duce, quaeque dignissima scitu. ἀκονητή reperies."; fol. O 8^a Clausula; fol. O 8^b Insigne circumscriptum) **).

15. *Loci | commvnes sev Hy | potyposes theologicae Philip | pi Melanchthonis, re- | cogniti ab Autore. | Adiecta svnt The | mata eiusdem Philippi de du | plici iustitia: Regimi | neque Corporali, | et spiri- tuali.* Hic titulus figuris ligno incisis cinctus est. — (In fine:) *Argentorati excvdebat Ioannes Knoblochvs M.D.XXV. | Mense Febrvario.* $13\frac{1}{2}$ plagg. litt. a, b (b ½ pl., 4 foll. cont.), A — M sign., 12 foll. non num., 95 foll. num., fol. ult. non num., 8⁰ min. (fol. a 1^b — 64^b Index [alphabeticus] Locorum communium inscriptus: „Tabula in Locos Philippi Melanchthonis: fol. 1^a — 2^a [A 1^a — 2^a] Mel. Epist. ad Tilom. Plettenerum; fol. 2^b Index Locorum commun. [qui tantum capita eo ordine, quo in libro tractantur, exhibet]; fol. 3^a — 95^a med. Loci communes seu Hypotyposes theologicae cum 54 annotatt. marginall.; fol. [95^a med.] M 7^a med. — 8^a Themata Philippi Melanchthonis de duplici iusticia: regimineque Corporali et Spirituali; fol. M 8^b Clausula) ***).

16. *Loci* — — *Basil.* 1525. 8. †)

Denique his Editionibus primae aetatis Locorum adnumeranda est haecce rarissima:

17. *Loci com- mvnes | sev Hypotyposes theologicae | Philippi Melan- | thonis. | Quibus hoc insigne testimonium Mar- | tinus Lutherus in exordio libri | de seruo Arbitrio | tribuit: | Philippi Melan- | thonis de Locis theo- | logicis inuictus libellus, | meo iudicio, non solum immortali- | tate, sed Canone quoque Ecclesiastico dignus. | Anno M.D.XXII. | primum excusi.* sine indicio loci et anni. 13 plagg. litt. A — N sign., 104 foll. num. [loco numerorum 101—104. mendo typogr. numeri 200, 103, 400, 005 exhibentur] 8⁰ min. (fol. 2^a — 102^b med. Loci communes seu Hypotyposes theologicae cum 55 annotatt. marginall.: fol. 103^a — 104^a Mel. Epist. ad Tilom. Pletenerum; fol. 104^b vacat) ††). Haec Ed. repetitio est Editionis anni 1522., quam Editionem principem esse editor, id quod ex titulo intelligitur, falso opinatus est. Hanc Ed. post a. 1525. prodiisse, ex eo elucet, quod Lutheri de servo arbitrio liber, ex quo elogium (iam supra p. 1 sq. memoratum) in titulo affertur, 1525. m. Decembri prodiit, vide Balthasarum l. l. p. 10 — 12., ubi hanc Ed. descripsit. Feuerlinus in Biblioth. symb. ed. Riederer P. I. p. 226. ad hanc Ed. adnotavit haecce: „Haec ed. sequitur secundam ed. [scil. Ed. recogn. a. 1522.]; videtur autem multis annis iunior, et recentioribus edd. horum locorum opposita, ne Lutheri elogium his applicetur. Strobelius ex typis et charta colligit, hanc Ed. multo serius ceteris huius aetatis impressam et a Flaciano quodam vel Magdeburgi vel Ienae esse editam: in Bibliotheca Melanthoniana Ed. 3. p. 8. huic Ed. adscripsit: haec editio sine dubio circa 1550. demum impressa est."

Has Editt. omnes a Strobelio l. l. p. 18 — 45. recensitas, una excepta, in manibus habeo. Tres aliae.

---

*) Hanc Ed. ex Biblioth. senat. Norimb. in manibus habeo. — Recensetur in *Hamburg. Briefwechs. des J.* 1751. p. 639., in Hardtii Autogr. Luth. et al. T. I. p. 169. et a Balthasaro l. l. p. 13.

**) Haec Ed. ex Biblioth. senat. Norimb. et ducali Guelferbyt. mihi ad manus est: invenitur quoque in Biblioth. acad. Tubing. — Haec cum aliis Editt. brevissime memoratur a Saligio in *Historie der Augsburg. Conf.* P. III. p. 532.

***) Hanc. Ed. ex Biblioth. senat. Norimb. in manibus teneo. — Recensetur in Feuerlini Biblioth. symb. P. I. p. 225. et in Kohlii Gesamm. Briefw. p. 120 sq.

†) Sic Strobelius in l. *Versuch* etc. p. 44. breviter affert hanc Ed., quam equidem hucusque non vidi. — Ibidem addit: „17. Loci — — Viteb. 1525. 8., *diese wird in Reimanns Catalog.* p. 428. *angezeigt.*" Sed quid viderit, nescio. Diserte enim apud Reimmannum legitur: „*Germanice.*" [de qua germanica Locorum translatione a Spalatino facta infra dicemus].

††) Hanc Ed. ex Biblioth. senat. Norimb. in manibus habeo.

quae in quibusdam libris memorantur, dubiae mihi videntur: Georgius Koenigius in *Casibus conscientiae* p. 649. refert editionem *Hegenoviensem* anni 1523., Heinsius in *Historia eccles. methodo Huebneri conscripta* P. V. p. 173. editionem *Lipsiensem* anni 1525., Meisnerus in *Philosophia sobria* P. II. p. 199. editionem *Wittebergensem* anni 1526. 12. (conf. Balthasar l. l. p. 13 sq.).

Harum Editionum, quas prima aetas Locorum theol. complectitur, tres tantum ab ipso auctore curatae, ceterae vero partim ex his recusae sunt, partim ex recusis repetitae, id quod uno obtutu conspiciatur in hocce catalogo*):

I. Editt. a Mel. ipso curatae		II. Editt. recusae vel ex recusis repetitae		
Nr. 1. Ed. *Viteb.* 1521. 4. — 2. Ed. *Viteb.* 1521. 8.	ex his recusae	Nr. 3. Ed. *Basil.* 1521. 8. — 4. Ed. *Hagn.* 1522. 8. — 5. Ed. *s. l.* 1522. 8. — 6. Ed. *Argentin.* 1522. 8.		
		Ed. *Hermanni von der Hardt* Francof. et Lips. 1717. Fol.	repetita in Ed. *Augusti* Lips. 1821. 8.	
— 7. Ed. *Viteb.* (1522.) 8.	ex hac recusae	Nr. 8. Ed. *Basil.* 1522. 8.	ex hac repetitae	Nr. 11. Ed. *Basil.* 1523. 8. — 12. Ed. *s. l.* 1523. Oct. 8. — 16. Ed. *Basil.* 1525. 8.
		— 9. Ed. *Argent.* 1523. Ian. 8.	ex hac repetitae	— 10. Ed. *Argent.* 1523. 12. Kal. Iun. 8. reiterata in Libris normal. Norimberg. a. 1646. 4. et a. 1721. 4. — 13. Ed. *Argent.* 1523. 12. Kal. Dec. 8. — 15. Ed. *Argent.* 1525. m. Febr. 8.
		— 14. Ed. *August. Vind.* 1524. 8. — 17. Ed. *s. l. et a.* 8.		

Hae Editt. omnes exhibent Melanthonis epistolam nuncupatoriam ad Tilomanum Plettenerum (in huius Corp. Vol. I. p. 510—512. recusam), ex qua auctoris in hoc libro edendo consilium intelligitur. Loci ipsi ordiuntur ab exordio brevi, quod subsequitur haecce capitum enumeratio:

Sunt autem rerum theologicarum haec fere capita.

Deus.
Unus.
Trinus.
Creatio.
Homo. Hominis vires.
Peccatum.
Fructus peccati. Vitia.
Poenae.
Lex.
Promissiones.
Instauratio.
Gratia.
Gratiae fructus.
Fides.
Spes.
Charitas.
Praedestinatio.
Signa sacramentalia.
Hominum status.
Magistratus.
Episcopi.
Condemnatio.
Beatitudo.

Haec vero capita non omnia in hisce Editt. Locorum tractavit, sed quaedam, inprimis quatuor priora in

*) Similem tabulam Censor Halensis (M. Roedigerus) in Ephemeridibus litter. Halens. 1829. Suppl. num. 13. p. 104. proposuit.

iis omisit*). Cur ita fecerit, hanc affert causam: „*Non est, cur multum operae ponamus in locis illis supremis de Deo, de unitate, de trinitate Dei, de mysterio creationis, de modo incarnationis. Quaeso te, quid adsecuti sunt iam tot seculis scholastici Theologistae, cum in his locis solis versarentur? Nonne in disceptationibus suis, ut ille ait, vani facti sunt, dum tota vita nugantur de universalibus, formalitatibus, connotatis, et nescio quibus aliis inanibus vocabulis? — Mysteria divinitatis rectius adoraverimus, quam vestigaverimus. Immo sine magno periculo tentari non possunt, id quod non raro sancti viri etiam sunt experti. — — Hoc est Christum cognoscere, beneficia eius cognoscere, non, quod isti docent, eius naturas, modos incarnationis contueri.*"

Quapropter ut lector certior fiat, quaenam capita in his Editt. re vera pertractaverit, eorum titulos hoc loco proponimus:

De hominis viribus adeoque de libero arbitrio.
De peccato:
Quid peccatum.
Unde peccatum orig.
Vis peccati et fructus.
De lege.
De divinis legibus.
De consiliis.
De monachorum votis.
De iudicialibus et ceremonialibus legibus.
De humanis legibus.
De evangelio.
Quid evangelium.
De vi legis.
De vi evangelii.
De gratia.
De iustificatione et fide.
De fidei efficacia.
De charitate et spe.
De discrimine Veteris ac Novi Testamenti. Item de abrogatione legis.
De veteri ac novo homine.
De peccato mortali et quotidiano.
De signis.
De baptismo.
De poenitentia.
De privatis confessionibus.
De participatione mensae Domini.
De charitate.
De magistratibus.
De scandalo.

Ex hoc conspectu intelligitur, plures locos in hoc libro esse tractatos, qui non ad dogmaticen, sed ad ethicen christianam pertineant; utraque enim disciplina non a scholasticis solum, sed etiam a theologis Protestantium coniunctim docebatur usque ad Georg. Calixtum, qui primus eas seiungens a. 1634. Epitomen Theologiae moralis edidit, quae vero non ad finem est perducta. Primum integrum Ethices christianae Enchiridion Ioh. Conr. Durrius Altdorfinus a. 1662. 8. evulgavit**).

Nunc, Strobelio duce, singula Melanthonis dicta ex quibusdam locis Editionis 1521. afferemus***). Omnes huius primae aetatis Editiones insignes sunt duris dictis de necessitate omnium rerum absoluta, de praedestinatione et servo arbitrio. In hoc loco *de arbitrio* inter alia scripsit haec: *Quandoquidem omnia, quae eveniunt, nulla est voluntatis nostrae libertas. — — Quid igitur, inquies, nullane est in rebus, ut istorum vocabulo utar, contingentia, nihil casus, nihil fortuna? Omnia necessario evenire, scripturae docent. — — Voluntati nostrae libertatem per praedestinationis necessitatem adimit scriptura.*" De hac sententia tunc temporis Melanthoni adeo erat persuasum, ut adderet votum: „*Utinam contingat mihi Sophista, qui haec calumnietur, ut possim illam impiam, stultam, male philosophicam de voluntate sententiam iusto volumine et integra disputatione confutare.*"

De his dictis Strobelius l. l. p. 32 sq. recte laudat Durreri iudicium, quod legitur in eius Commentar. in libros normales Norimbergens. p. 99: „*Aequius,* inquit, *Philippo ignoscemus, si consideraverimus, negotium ei facessivisse Scholasticos, qui labe eius seculi corrupti, ut dignitatem et merita operum altius extollerent, libertatem arbitrii et virium humanarum praestantiam nimium quantum amplificarunt, adeo ut per ea absque auxilio gratiae omnia Dei praecepta servari, et hominem proxime disponi ad gratiam posse contenderent. His dum se vehementius opposuit Philippus, et corruptionem naturae humanae et virium in conversione rerumque spiritualium conatu et exercitio impotentiam exaggeravit, accidit, ut et alias hominum actiones et eas inprimis, quae ad salutis negotium pertinent, a fatali quadam necessitate omnem voluntatis humanae libertatem*

*) In Editt. demum secundae et tertiae aetatis haec capita pertractavit, vide infra.

**) Conf. C. Friedr. Stäudlini *Geschichte der christlichen Moral seit dem Wiederaufleben der Wissenschaften* (Göttingen 1808. 8.) p. 235 sqq.

***) Similiter Planckius varias Melanthonis sententias ex his Locis a. 1521. recensuit in *Geschichte des protestant. Lehrbegriffs* Vol. I. (Ed. 2.) p. 87 – 93.

auferente suspensum iret." — **Item ex Davidis Chytraei epistola quadam a. 1595. ad Theologos Vitebergenses** scripta, quae in eius Epistolis (Hanoviae 1614. 8.) p. 1271 sqq. reperitur, huncce affert locum: „*Scitis, dum liberum hominis arbitrium fortiter oppugnatur, multa de hoc ipso doctrinae praedestinationis capite horridius disputata et asserta fuisse, videlicet praedestinationem divinam omni voluntati humanae tum in externis operibus tum internis cogitationibus libertatem adimere, omnia necessario et quidem absoluta necessitate evenire, nullam esse in rebus humanis contingentiam. — Haec et multa his similia horridiora Philippus postea paulatim leniit ac sustulit, dum in omnibus libellis theologicis has de necessitate Stoica et Manichaea, ut vocat, opiniones absurdas refutat, et de liberi arbitrii viribus, quid possint solae, quid non possint, nisi a Spiritu S. conversae et adiutae distinctius explicat, et scripturae testimonia pro divina praedestinatione seu necessitate Stoica et Manichaea stabilienda initio causae Lutheri allegata longe aliter explicat, et argumenta praecipua ubique refutat, idque vivo adhuc Luthero.*"

In loco *de peccato originali* Melanthon praeter alia scripsit haec: „*Si de suo cuiusque peccato loquitur, cur pueri moriuntur, qui nondum admiserunt peccatum, quod vocant, actuale? Et cum nonnisi per peccatum mors irrumpat, necesse est pueros peccati reos esse, peccatumque habere, at quod? certe originale.*"

Sub finem loci *de Evangelio* dicit: *Quanquam negari non potest, quin aliqua in lege novarit Christus, quale illud est de divortio, quale item est, quod cum Iudaeis praeceptum fuerit gladio legalia defendere, Evangelium non iubet Christus armis defendi, tamen non est Christi primarium ac proprium officium legem condere, sed gratiam donare.*"

Foenerari illicitum illo tempore indicabat Melanthon: ait enim: „*Huc pertinet, quod de foenore decretum est, exteris foenerandum, non cognatis. Nunc cum nulli sint exteri, omnes cogneti, in universum interdictum est foenus.*"

In loco *de abrogatione legis* dicit: *De Eucharistia iudico, non peccare, qui scientes huius libertatis et credentes alterutra signi parte utantur.*"

In capite *de signis* (*de sacramentis*) scribit: „*In usu signorum foedissime erratur. Nam scholae cum disputant, quid intersit inter sacramenta V. et N. T., in sacramentis V. T. negant vim fuisse iustificandi, Novi Test. sacramentis tribuunt vim iustificandi, manifesto nimirum errore. Sola enim fides iustificat. — Non iustificant signa, ut Apostolus ait, circumcisio nihil est, ita baptismus nihil est. Participatio mensae Domini nihil est, sed testes sunt καὶ σφραγίδες divinae voluntatis erga te, quibus conscientia tua certa reddatur, si de gratia, de benevolentia Dei erga se dubitet.*"

In loco *de baptismo* leguntur haec: „*Et oportet iterum baptizari, qui Ioannis baptismo loti erant, quo certi essent, se iam consecutos esse remissionem peccatorum: quam obventuram hactenus crediderunt. — — Non iustificabant neque Ioannis neque Christi baptismus: de signis loquor, sed certificabat Ioannis lavacrum de praedicanda adhuc gratia.*"

In loco *de privatis confessionibus*, quas Melanthon tunc temporis necessarias indicabat, sic scribit: „*Absolutio privata sic necessaria est, ut baptismus. Tametsi enim audias Evangelium communiter universae Ecclesiae praedicari, tamen tum demum certus es id ad te proprie pertinere, quum tu privatim ac proprie absolveris. Non sitit gratiam, qui non efflictim cupit audire sententiam de se divinam. Est enim Dei non hominum sententia, qua absolveris, modo absolutioni credas.*"

In loco *de participatione mensae Domini**) leguntur haec: „*Signum gratiae certum est participatio mensae Domini, hoc est, manducare corpus Christi et bibere sanguinem. Sic enim ait: Hic est calix N. T., item quoties feceritis, facite in memoriam mei, i. e. cum facitis, admoneamini Evangelii seu remissionis peccatorum. Non est igitur sacrificium, siquidem in hoc est traditum, ut certo admoneat tantum promissi Evangelii. Nec delet peccatum participatio mensae, sed fides delet, ea vero hoc signo confirmatur. Ut Stephanum non iustificabat conspectus Christi, cum iam necandus esset, sed fidem eius confirmabat, qua iustificabatur et vivificabatur: ita nec participatio mensae iustificat, sed fidem confirmat, ut supra dixi. Est autem significatio huius sacramenti confirmare nos toties, quoties labascunt conscientiae, quoties de Dei voluntate erga nos dubitamus.*"

---

*) In epistola ad Ioannem Hessum m. Febr. a. 1520. scripta, cum Declamatiuncula in D. Pauli doctrinam coniuncta (in huius Corp. Vol. I. p. 137 — 146.) Melanthon de sacra coena primum hanc proposuit sententiam: „*Equidem sententiam de transsubstantiatione haud gravatim amplector, sed inter articulos fidei non temere numeraverim. Verum Christi corpus manducari, fidei articulus est: quocunque tandem modo sacrosanctum corpus figuram panis induat.*"

In loco *de discrimine V. et N. T. et abrogatione legis* leguntur haecce: *„Caeterum optarim etiam uti Christianos ea forma iudiciorum, quam Moses prodidit, item plerisque ceremoniis. Praestaret enim, quandoquidem -ud-c--s carere necess-tas huius v-tae non potest, nec, ut opinor, ceremoniis, uti Mosaicis illis, quam tum gentilibus, tum papisticis ceremoniis. — Contendere iudicio Christianis non licet, sed ea non est abrogandae legis causa. Nam ut peccent, qui litigant, necesse est tamen leges et iudicia esse, quibus coherceantur flagitiosi. Nec peccant, qui iudicia exercent, seu ius dicunt. — Non enim Christianus est, qui litigat. — Quanquam optarim pro gentilibus et saepe stultis legibus Mosaicas recipi. Sumus enim oleae illi inserti. Et verbum Dei decebat praeferre humanis constitutionibus. Nec hodie alius fere Romani illius iuris usus est, quam in litigando, ut habeant, unde se alant rabulae forenses.“*

Hic liber finitur brevi postfatione, cui in duabus Editt. Argent., quae 12. Kal. Dec. 1523. et m. Febr. 1525. prodierunt, subiuncta sunt *Melanthonis Themata de duplici iustitia regimineque corporali et sp-r-tual-*. Haec primum seorsim ab auctore edita sunt Witebergae 1522. 2 foll. 4⁰ (fol. 1ᵃ vacat, fol. 1ᵇ — 2ᵇ Themata cont.) sic inscripta: *Themata ad sextam feriam discutienda.*“: recusa sunt in Riedereri *Nachrichten zur Kirchen- Gelehrten- u. Bücher-Gesch.* Vol. IV. p. 399 sq. et in huius Corp. Ref. Vol. I. p. 595 sq. (In operibus Melanthonis non leguntur).

In his Locorum Editionibus auctor saepe Lutheri libros e. c. Antilatomum, de libertate christiana, de captivitate Babylonica, de votis, de spiritu et litera, aliosque laudat. Aristotelem vero impugnat, ut ex his intelligitur locis: *„Aristotelis doctrina est in universum quaedam libido rixandi, ut eum in paraeneticae philosophiae scriptoribus ne postremo quidem loco numerare conveniat. — Id ut conven-at cum Aristotelis philosophia, non laboro. Quid enim ad me, quid senserit -lle rixator? — Hoc est et festivum et mere Aristotelicum, et Arstotelis dignum Theologis commentum.“*

Nec minus in Scholasticorum*) doctrinam invehitur, non quidem in eorum ordinem methodumque theologiam dogmaticam tractandi,, quippe quam ipse retinuit, sed potius in eorum rationem, hominum, conciliorum, patrum et universitatum auctoritatem claris Scripturae sacrae dictis praeferendi et inutiles subtilesque quaestiones ac distinctiones admiscendi;**) conf. Melanthonis Apologia pro Luthero adversus furiosorum Parisiensium theologastrorum Decretum (in huius Corp. Vol. I. p. 398 sqq.). Consilium enim auctoris in hoc libro scribendo fuit non solum veram doctrinam docendi, sed etiam catholicae ecclesiae errores refellendi***).

In hocce opere celeberrimo primum doctrinae evangelicae systema traditur a Melanthone, quo ad hanc rem nemo sane fuit aptior. Singularis enim huius viri erat ingenii felicitas, qua res intricatas ante et confusas non tantum in concinnum ordinem redigere, sed et perspicua ac suavi dictione breviter proponere pollebat. Quapropter hic liber a viris doctis maximo applausu est susceptus, inprimis a Luthero, qui in libro de servo arbitrio ad Erasmum (edit. August. Vindel. 1526. 8. fol. A 2ᵇ) eum invictum libellum, suo iudicio non solum immortalitate, sed canone quoque ecclesiastico dignum iudicavit; et in Colloquiis mensalibus†) ait: *Ihr findet kein Buch unter allen seinen* (scil. Melanthonis) *Büchern, da die* summa religionis *oder die ganze Theologia fein bei einander ist, als in den* locis communibus. *Leset alle* Patres *und* Sententiarios, *so ist es doch alles nichts dagegen.* Non est melior liber post scripturam sanctam, quam ipsius loci communes.“ — Nicol. Gerbelius iam a. 1521. d. 20. Decemb. ad Ioh. Schwebelium haec scripsit: „Methodus Philippi adeo me commovit, ut dies et noctes nihil aliud somniem, nihil agam aliud, quam Wittenbergam.“

Quo magis vero haec dogmatica institutio viris evangelicae doctrinae addictis placuit et quo plures ad hanc amplectendam commovit, eo vehementius adversarii huius doctrinae in auctorem invecti sunt. Inter quos primo loco nominandus est Cochlaeus, qui in Confutatione abbreviata adversus Didymum Faventinum (i. e. Phil. Me-

---

*) De Scholasticis conf. Bruckeri Historia critica philosophiae Tom. III. p. 675 sqq., Tiedemanni *Geist der spekulat. Philosophie* T. IV. p. 334 sqq. et T. V., Tennemanni *Geschichte der Philosophie* T. VIII. P. 1. 2. et T. IX. princip., Rixneri *Handbuch der Gesch. der Philos.* T. II., Bossueti *Einleitung in die Geschichte der Welt u. der Relig. fortges. von* J. A. Cramer T. VI. VII., W. L. G. v. Eberstein *Natürliche Theologie der Scholastiker* etc.; brevius de iis disserunt Semlerus in Einleitung in die dogmat. Gottesgelehrsamkeit §§. 28 sqq., quam Tomo II. libri ab ipso editi: *S. J. Baumgartens Evangelische Glaubenslehre* praemisit, p. 25 sqq., L. F. O. Baumgarten-Crusius in libris: *Lehrbuch der christl. Dogmengeschichte* P. I. p. 444 sqq. et *Compendium der christl. Dogmengesch.* P. I. p. 248 sqq. ac Twestenius in l. *Vorlesungen über d. Dogmat. der Ev.-Luth. Kirche* Ed. 2. T. I. p. 226 sqq.

**) Conf. Buddei Isagoge p. 348. b.

***) Vide Semleri de hoc libro iudicium in Introductione modo laudata p. 147 sqq.

†) Lutheri *Tischreden* ed. Aurifaber (a. 1566. Fol.) fol. 275, a.; ed. Foerstemann. P. II. p. 439.

lanthonem)*) sub finem haec ait: „Vidi heri, quos iam edidisti, Locos communes, seu Hypotyposes theologicas, novum plane Alchoranum, qui tanto pernicior erit Babylone Lutheri, si non statim deleatur de terra viventium, quanto est tibi quam illi et stilus suavior et ingenium nobilius, ac maior cautiorque ad fallendum citatione scripturarum dexteritas et solertia. Heu infelicem hoc novo partu Germaniam, nisi mox eum velut monstrum nocentissimum perniciosissimamque Sirenem de medio sustulerit. De quo verissime dixerim: Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum. Utinam et animae tuae et universae patriae nostrae consuluisses melius. Hoc autem factum esset, si librum istum non publicasses, nisi legitime prius examinatum Nunc priusquam paretur antidotum, serpet hoc per omnia membra venenum. Ego Alchoranum istum tuum vidi solum apud alium, non habeo ipse: utinam eum haberet nemo, nisi ego solus! pro summa certe gloria habiturus essem, ipsum non edidisse, sed mox Vulcano tradidisse, ut hac peste terras, imo animas hominum levarem.“

Nec minori vehementia in huius libri auctorem inverti sunt Ioh. Eckius in Enchiridio locorum communium adversus Lutheranos, cuius editio princeps Landishutae a. 1525. 4° prodiisse videtur (alia Ed. Cracoviae 1525. 8. prodiit)**) et in alio libello Ingolstadii 1530. impresso, in quo 404 articulos proponit, de quibus se disputaturum offert***); atque Ioh. Campanus in libro: *Göttlicher vnd heiliger Schrifft — Restitution vnd besserung* etc. 1532. 8.

His denique addo alius pontificii, Casparis Ulenbergii†) de hoc libro iudicium: „Placuit,“ inquit, „hic libellus iis maxime, quibus Lutheri summa intemperies et tumultuosa scribendi ratio displicebat. Licet enim Melanthon eandem prorsus cum Luthero sententiam tuebatur, stilum tamen temperabat nonnihil ad modestiam, nec, ut ille, tanto cum impetu rem gerebat. Quo factum est, ut, quos Lutheri inaudita conviciandi rabies et canina mordacitas a novatorum consortio deterrebat, in horum animos Melanchthon, qui mitior videbatur et benignior, elegantioris stili et blandiloquentiae cuiusdam illecebris captos suaviter influeret. Nec dubium est, hac stropha multos e litteratorum numero huic factioni conciliavit, qui humanitatis atque elegantioris stili lenocinio quodam illecti Lutheranis se partibus adiunxerunt.“

Haec de primae aetatis Editionibus Locorum praemonuisse sufficiat. Quantopere Melanthon hunc librum in Editionibus secundae et tertiae aetatis mutaverit, ex his ipsis infra recensendis cognoscetur. Qui autem huius operis varias Editt. diligenter inter se comparavit, historiam theologiae dogmaticae Melanthonianae optime ex iis perspiciet, in qua re bonum adminiculum praebet Friedr. Gallii liber: *Versuch einer Charakteristik Melanchthons als Theologen und einer Entwickelung seines Lehrbegriffs.* (Halle 1840. 8.).

Haec nova Editio, quae primam Locorum communium aetatem exhibet, ex Ed. Witeb. a. 1521, octon. sic repetita est, ut scriptionis compendia in hac usitata in formas integras versa et typothetae errores in ea obvii emendati sint. De orthographia monendum est, in illa Ed. ubique *u* inveniri, ubi nunc *v* littera utimur, e. c. *u*erbum, di*u*inus: praeterea voces in *tia, tio, tium, cium*, exeuntes ut *iustitia, partitio, vitium, iudicium* alias sic, alias *iusticia, particio, vicium, iuditium* esse scriptas: item *ae* et *e* in quibusdam verbis promiscue usurpari, e. c. *laedere* persaepe *ledere* scribi. In his omnibus recentiorem scriptionem secutus sum, *u*erbum, di*u*inus etc. in *v*erbum, di*v*inus convertens et pro iusti*c*ia, parti*c*io, vi*c*ium, l*e*dere etc. constanter iusti*t*ia, parti*t*io, vi*t*ium, iudi*c*ium, l*ae*dere scribens.

In Lucubratiuncula praemissa singulos locos Editionis Witeb. a. 1521. octon. foliorum et linearum numeris accuratius notavimus. Quapropter necesse est, ut in hac illius Ed. Witteb. repetitione utrique numeri, quibus lector locos illic laudatos in ea reperiat, in margine adscribantur; ne vero numerorum multitudo nimis magna

---

*) Cochlaei Confutatio abbreviata adversus Didymum Faventinum Phil. Melanchthonis olim scripta, nunc primum edita in admonitionem fidelem Catholicorum apud exteros. Lipsiae excud. Mich. Blum. 1531. 4. — Ficto nomine Didymi Faventini Melanthon adversus Rhadinum pro Luthero orationem scripserat, vide huius Corp. Vol. I. p. 286 sqq.

**) Conf. Riederer *Nachrichten zur Kirchen-Gelehrten- und Bücher-Gesch.* T. III. p. 432 sqq., ubi plures huius libri Editiones recensentur.

***) Vide Riederer l. l. T. III. p. 440 sqq.

†) In libro: Historia de vita et moribus Lutheri, Melanchthonis et al. (Coloniae 1622. 8.) p. 12.

fiat, non unicuique, sed quintae cuique lineae numerum apposui minorem, quo linearum numeri a foliorum numeris maioribus distinguantur. Praeterea foliorum Editionis 1., quae Witebergae 1521. quatern. prodiit, numeros uncis inclusos addidi.

Hanc *Ed. Witeb. a.* 1521. *octon.* hic recusam iam Maurit. Roedigerus non solum cum *Ed. Witeb. a.* 1521. *mai.* et *Ed. ab ipso auctore recognita,* quae *Witebergae* 1522. *octon.* prodiit, sed etiam cum *Ed. Basl. a.* 1521. et nonnullis aliis huius primae aetatis Editt. contulit Ne vero annotationum numerus nimis augeatur, tantummodo *Editionis Witeb. a.* 1521. *mai.* et *Ed. Witeb. ab ipso auctore recognitae a.* 1522. supra p. 65 sq. nr. 7. descriptae, aliquot in locis etiam *Ed. Basil. a.* 1521. varietatem adnotabimus, ceterarum autem huius aetatis Editionum, quippe quae aeque ac illa Basil. ex Editionibus illis tribus Witebergensibus ab ipso auctore curatis recusae sunt (vide tabulam supra p. 71 sqq. propositam), varietatem omittemus. Praeterea annotationes marginales illarum Editt. et errores typogr., qui in Ed. Witeb. a. 1521 octon. occurrunt, in margine inferiore adscribemus. Scripturae sacrae locos ab auctore in hoc libro allatos accuratius in ipsis contextis designavi versuum (aut capitum versuumque) numeris adscriptis, quos uncis inclusi.

Illas quatuor Editt., quas in margine infeirore afferemus, iisdem numeris, qui supra in Editionum catalogo iis adscripti sunt, signabimus, nempe Ed. Witeb. a. 1521. mai.: *Ed.* 1. — Ed. Witeb. a. 1521. octon. *Ed.* 2. — Ed. Basil. a. 1521.: *Ed.* 3, — Ed. Witteb. recogn. a. 1522.: *Ed.* 7.

PH. MEL. LOCI COMMUNES RERUM THEOLOGICARUM SEU HYPOTYPOSES THEOLOGICAE.

(1, b.) IUXTA PIO ATQUE ERUDITO VIRO D. TILOMANO PLETTENERO PH. Mel. S.

Anno superiore, Paulinam Epistolam | quae Romanis inscripta est, enarraturi, communissimos rerum theologicarum locos, adeoque illius Epistolae farraginem ceu methodica ratione digessimus. Quae lucubratiuncula, cum | in hoc tantum esset parata, ut Paulinae disputationis argumentum καὶ ἔλεγχον quam pinguissime iis indicaret, quos privatim docebamus, tamen nescio a quibus evulgari cepit[1]), quorum mihi, quicunque tandem publicaverunt, | studium magis, quam iudicium probatur, nempe quod ita scripsissem ut sine Pauli Epistola, non satis intelligi posset, quid in toto opere secutus essem. Nunc, quia mihi non est in manu libellum, prope modum | publici iuris factum premere, visum est recognoscere ac sub incudem revocare, desiderabant enim pleraque accuratiorem disputationem, pleraque etiam, limam.

2, a. Porro, | quod ad argumenti summam attinet, indicantur hic Christianae disciplinae praecipui loci, ut intelligat[2]) iuventus, et quae sint in scripturis potissimum requirenda, et quam | foede hallucinati sint ubique in re theologica qui nobis pro Christi doctrina Aristotelicas argutias prodidere. Parce vero ac breviter omnia tractamus, quod indicis magis, quam commentarii vice fungimur, dum nomenclaturam | tantum facimus locorum, ad quos veluti divertendum est erranti per divina volumina, dum paucis tantum verbis monemus e quibus summa Christianae doctrinae pendeat. Non hoc ago, ut ad obscuras | aliquas et impeditas disputationes a scripturis avocem studiosos, sed ut, si quos queam, ad scripturas invitem. Nam in universum non admodum aequus sum commentariis, ne veterum quidem, tantum abest, ut ullo | meo longiore scripto velim quenquam a canonicae scripturae studio retrahere. Immo nihil perinde optarim, atque si fieri possit, Christianos omneis in solis divinis literis liberrime versari, et in illarum indolem plane (2, a.) transformari. Nam cum in illis absolutis- 2, b. simam sui imaginem expresserit divinitas, non poterit aliunde, neque certius, neque propius cognosci. Fallitur quisquis aliunde christianismi formam petit, | quam e scriptura

---

1) cepit] Ed. 1. coepit.

2) ut intelligat] Ed. 7. unde cognoscat.

Canonica. Quantum enim ab huius puritate absunt commentarii? In hac nihil reperias non augustum, in illis, quam multa quae a philosophia, ab humanae rationis aestimatione pendent, quae cum iudicio spiritus prorsus ex diametro pugnant. Non sic detriverant τὸ ψυχικὸν scriptores, ut nihil nisi πνευματικὰ spirarent. Ex Origene, si tollas, inconcinnas allegorias, et philosophicarum sententiarum sylvam, quantulum erit reliquum? Et tamen hunc auctorem magno consensu sequuntur Graeci, et ex latinis, qui videntur esse columnae, Ambrosius et Hieronymus. Post hos fere quo quisque recentior est, eo est insincerior, degeneravitque tandem disciplina Christiana in scholasticas nugas, de quibus dubites, impiae magis sint, an stultae. Breviter fieri nequit, quin cauto etiam lectori saepe imponant humana scripta. Quod si omnino prophetia et adflatus quidam est, cognitio sacrarum rerum, cur nonh oc literarum genus amplectimur, per quod illabitur spiritus. 3, a. An non omnia sui sermonis opera deus efficit? Multa enim docebit scripturarum usu spiritus, seu ut Iohannes ait, unctio, quae quantavis humani ingenii industria, non queat adsequi. Nos certe non aliud agimus, quam ut eorum qui in scripturis versari volent, studia, utcunque iuvemus, Id si non videbitur praestare libellus, pereat sane, nihil enim mea referre censeo, quid de publico opere publice iudicetur.

LOCI COMMUNES SEU HYPOTYPOSES THEOLOGICAE.

Requiri solent in singulis artibus loci quidam, quibus artis [3]) cuiusque summa comprehenditur, qui scopi vice, ad quem omnia studia dirigamus, habentur. Quod in theologia veteres quoque secutos videmus, parce quidem ac sobrie. Ex recentioribus vero Damascenum ac Longobardum, inepte utrumque. (2, b.) Nimium enim philosophatur Damascenus, Longobardus congerere hominum opiniones quam scripturae sententiam referre maluit. Et quanquam nolim immorari studiosos, ut antea dixi, hoc genus summis, tamen prope necessarium duco indicare saltim [4]) e quibus locis rerum summa pendeat, ut quorsum dirigenda sunt [5]) studia intelligatur [6]).

3, b. Sunt autem rerum theologicarum haec fere capita.

Deus	Lex,
Unus	Promissiones
Trinus	Instauratio per Christum,
Creatio	Gratia
Homo, hominis vires	Gratiae fructus
Peccatum	Fides
Fructus peccati, Vitia,	Spes
Poenae	Caritas

Praedestinatio	Episcopi
Signa sacramentalia	Condemnatio
Hominum status	Beatitudo
Magistratus	

In his ut quidam prorsus incomprehensibiles sunt, 4, a. ita rursus sunt quidam, quos universo vulgo Christianorum compertissimos esse Christus voluit. Mysteria divinitatis rectius adoraverimus, quam vestigaverimus. Immo sine magno periculo tantari non possunt, id quod non raro sancti viri etiam sunt experti. Et carne filium deus Optimus Maximus induit ut nos a contemplatione maiestatis suae ad carnis, adeoque fragilitatis [7]) nostrae contemplationem invitaret. Sic et Paulus ad Corinthios [1. epist. 1, 21.] scribit, deum per stultitiam praedicationis, nimirum nova ratione velle cognosci, cum non potuerit cognosci in sapientia, per sapientiam. Proinde non est cur multum operae ponamus in locis illis supremis, de deo, de unitate, de trinitate dei, de mysterio creationis, de modo incarnationis. Quaeso te quid adsecuti sunt iam tot seculis scholastici Theologistae cum in his locis solis versarentur? (3. a.) Nonne in disceptationibus suis, ut ille ait, vani facti sunt, dum tota vita nugantur de universalibus, formalitatibus, connotatis, et nescio quibus 4, b. aliis inanibus vocabulis, et dissimulari eorum stultitia posset, nisi Evangelium inte-

3) artis] *omittit* Ed. 7.

4) saltim] Ed. 7. saltem.

5) sunt] Ed. 3. et all.: sint.

6) intelligatur] Ed. 2. intellegatur.

7) fragilitatis] Ed. 7. imbecillitatis.

rim et beneficia Christi obscurassent nobis illae stultae disputationes. Iam si libeat ingenioso mihi esse in re non necessaria, facile queam evertere quaecunque pro fidei dogmatis argumenta[8]) produxerunt, et in his quam multa rectius pro haeresibus quibusdam facere videntur, quam pro catholicis dogmatis. Reliquos vero locos, peccati vim, legem, gratiam, qui ignorarit, non video quomodo Christianum vocem[9]), nam ex his proprie Christus cognoscitur, siquidem hoc est Christum cognoscere, beneficia eius cognoscere, non, quod isti docent, eius naturas, modos incarnationis contueri, Ni scias in quem usum carnem induerit, et cruci adfixus sit Christus, quid proderit eius historiam novisse? An vero medico satis est novisse herbarum figuras, colores, liniamenta, vim scire nativam nihil refert? Ita Christum, qui nobis remedii, et ut scripturae verbo utar, salutaris vice conatus est, oportet alio quodam modo cognoscamus, quam exhibent scholastici. Haec demum Christiana cognitio est, scire quid lex poscat, unde
5, a. faciendae legis vim, unde peccati gratiam petas, quomodo labascentem[10]) animum adversus daemonem, carnem, et mundum erigas, quomodo adflictam conscientiam consoleris. Scilicet ista docent scholastici? Paulus in Epistola quam Romanis dicavit, cum doctrinae Christianae Compendium conscriberet, num de mysteriis trinitatis, de modo incarnationis, de creatione activa, et creatione[11]) passiva philosophabatur? At quid agit? certe de lege, peccato, gratia, e quibus locis solis Christi cognitio pendet. Quoties Paulus optare se testatur fidelibus locupletem Christi cognitionem. Praevidebat enim fore, ut relictis salutaribus locis, animos converteremus ad frigidas et alienas a Christo disputationes. Itaque nos aliquam de-
(3, b.) lineabimus eorum locorum rationem qui Christum tibi commendent, qui conscientiam confirment, qui animum adversus Satanam erigant. Plerique locos virtutum et vitiorum tantum in scripturis requirunt, sed ea observatio philosophica magis est, quam Christiana. Quod cur ita dicam, paulo post intelliges.

8) argumenta] Ed, 7. *addit:* e philosophia.

9) Editt. 1. 2. 7. habent in margine annotationem: Quorum cognitio Christiano necessaria.

10) labascentem] Ed. 7. labescentem.

11) et creatione] Ed. 1. et de creatione.

DE HOMINIS VIRIBUS ADEOQUE DE LIBERO ARBITRIO. 5, b.

Scripsere de libero arbitrio Augustinus et Bernardus, et ille quidem sua posterioribus libris quos adversus Pelagianos edidit multipliciter retractavit, Bernardus non est similis sui. Sunt hac de re etiam apud graecos quaedam sed sparsim. Ego, quandoquidem non sequar hominum opiniones, et simplicissime, et planissime rem exponam, quam fere obscurarunt autores tum veteres tum novi, quia sic interpretabantur scripturas, ut simul vellent tamen rationis humanae iudicio satisfieri. Parum civile videbatur docere, necessario peccare hominem, crudele videbatur, reprehendi voluntatem, si non posset se a vitio ad virtutem convertere. Ideo et plura viribus humanis, quam par erat, tribuere, et mire variarunt cum rationis iudicio viderent ubique refragari scripturas. Et in hoc quidem loco, cum prorsus Christiana doctrina a philosophia, et humana ratione dissentiat, tamen sensim irrepsit philosophia in Christianismum, et
receptum est impium de libero arbitrio 6, a.
dogma, et obscurata Christi beneficentia per prophanam illam et animalem rationis nostrae sapientiam. Usurpata est vox liberi arbitrii[12]), a divinis literis, a sensu et iudicio spiritus alienissima, qua videmus sanctos viros non raro offensos esse. Additum est e Platonis philosophia vocabulum Rationis aeque perniciosum. Nam perinde atque his posterioribus ecclesiae temporibus Aristotelem pro Christo sumus amplexi, ita statim post ecclesiae auspicia per Platonicam philosophiam Christiana doctrina labefactata est. Ita factum est, ut praeter Canonicas scripturas nullae sint in ecclesia
sincerae literae. Redolet philosophiam, quid- (4, a.)
quid omnino commentariis proditum est[13]).

Ac primum quidem in describenda hominis natura non habemus opus multiplicibus philosophorum partitionibus. Sed paucis in duo partimur hominem[14]). Est enim in eo vis cognoscendi, est et vis qua vel persequitur, vel refugit, quae cognovit. Vis cognosendi, est qua sentimus, aut intelligimus,
ratiocinamur, alia cum aliis comparamus, 6, b.

12) Editt. 1. 2. 7. in marg. verba „Vox liberi arbitrii" repetunt.

13) commentariis proditum est] Ed. 7. commentariorum extant.

14) Editt. 1. 2. 7. in marg.: Duae hominis partes Intellectus et voluntas.

aliud ex alio colligimus. Vis e qua adfectus oriuntur, est qua aut aversamur, aut persequimur cognita, hanc vim alias voluntatem,| alias adfectum, alias appetitum nominant. Non puto magnopere referre, hoc loco separare sensus ab intellectu, quem vocant, et adpetitum sensuum, ab adpetitu superiore. Nos enim de superiore loquimur, hoc est, non modo de eo in quo | fames, sitis, et similes brutorum adfectus sunt, sed de eo in quo amor, odium, spes, metus, tristitia, ira et qui ex his nascuntur affectus insunt, ipsi voluntatem vocant. Cognitio [15]) servit voluntati, ita liberum arbitrium novo vocabulo vocant coniunctam | voluntatem cum cognitione, seu consilio intellectus. Nam perinde, ut in republica tyrannus, ita in homine voluntas est, et ut senatus tyranno obnoxius est, ita voluntati cognitio, ita ut, quanquam bona moneat cognitio, respuat tamen eam voluntas, | feraturque adfectu suo, ut posthac clarius explicabimus. Rursum intellectum cum voluntate coniunctum, vocant rationem. Nos neque rationis, neque liberi arbitrii voce utemur, sed hominis partes nominabimus vim cognoscendi, et vim obnoxiam | adfectibus, hoc est amori, odio,
7, a. spei, metui, et similibus. Haec oportuit monere quo facilius postea indicari posset legis ac gratiae discrimen, Imo quo certius etiam cognosci posset, num' qua sit penes hominem libertas. Et in hac re mirum, est, quam operose versati sint tum veteres, tum novi. Nos, si quis haec calumniabitur, libenter et fortiter tuebimur nostra. Volui enim modo pinguisssime delineare hominem, et videor mihi, quantum omnino retulit, de hominis partibus dixisse.

Pertinet autem ad vim cognoscendi lex,
(4, b.) id est cognitio faciendorum. Ad vim adfectuum virtus, peccatum. Libertas non dicitur proprie cadere in partem cognoscentem, verum ea voluntati obtemperans, huc aut illuc rapitur. Est | autem libertas, posse agere, aut non agere, posse sic aut aliter agere. Itaque in quaestionem vocatur sit ne libera voluntas [16]), et quatenus libera sit.

RESPON. Quandoquidem omnia quae eveniunt, necessario iuxta divinam praedestinationem | eveniunt, nulla est voluntatis nostrae libertas. Paul. ad Ro. XI. [vs. 36.:] Quoniam ex ipso et in ipso etc. Ad Ephe. I. [vs. 11.:] Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae. Mat. X. [vs. 29.:] Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex | illis non cadet super terram sine patre vestro. | Obsecro quid hac sententia clarius 7, b.
dici potuit? Proverb. XVI. [vs. 4.:] Universa propter semet ipsum operatus est dominus, impium quoque ad diem malum. Et rursus XX. [vs. 24.:] A domino | diriguntur gressus viri, quis autem hominum potest intelligere viam suam. Rursum XVI. [vs. 9.:] Cor hominis disponit viam suam, dominus autem dirigit gressus eius. Hiere. X. [vs. 23.:] Scio domine, quod non est hominis via eius, | nec viri est, ut dirigat gressus suos. Praeterea idem docent divinae historiae, Gene. XV. [vs. 16.:] Nec dum completae sunt iniquitates amorreorum. In secundo capite primi libri Regum. [1. Sam. 2, 25.:] Et non audierunt vocem patris sui, quia voluit dominus | occidere eos. Quid similius casui fortuito, quam quod Saul abit, quaesiturus asinas, et ungitur a Samuele, inauguraturque regno. Rursum in primo regnorum [17]) cap. X. [1. Sam. 10, 26.:] abiit cum Saule pars exercitus, quorum tetigerat | corda deus. In tertio regnorum, cap. XII. [1. Reg. 12, 15.:] non acquievit rex populo, quoniam aversatus fuerat eum dominus, ut suscitaret verbum suum, quod locutus fuerat in manu Ahiae Silonitae ad Hieroboam filium Nabath. Et quid aliud in nono capite, et 8, a.
XI. ad Romanos Paulus agit, quam ut omnia quae fiunt in destinationem divinam referat. Abhorret ab hac sententia iudicium carnis seu | rationis humanae, contra amplectitur eam iudicium spiritus. Neque enim (5, b.)
vel timorem dei, vel fiduciam in deum certius aliunde disces, quam, ubi imbueris animum hac de praedestinatione sententia. An non eam ubique | in proverbiis inculcat Salomon? ut alias timorem, alias fidem doceat. An non inculcat eam in eo libello cui Ecclesiastae titulus est? Multum enim omnino refert ad premendam, damnandamque

---

15) Quae inde ab hoc loco fol. 6, b. lin. 13. usque ad fol. 13, a. lin. 2. leguntur („Cognitio servit voluntati ...... non potest quin erumpat.") perquam mutata habes in Ed. 7. (fol. V, a. nin. 15. usque ad fol. IX, b. lin. 22.), vide infra p. 93 sqq. annotationem 23.

16) In marg. Editt. 1. 2.: Num voluntas sit libera.

17) regnorum *i. e.* Regum. „Interdum libri Samuelis et Regum iuxta Graecorum *Βασιλέων* et *Βασιλειῶν*, quod etiam Hieronymus per Regnorum expressit, ita inscribuntur. Cf. Heideggeri Enchirid. bibl. Ed. IV. Tigur. 1713. 8. p. 79." Augusti in Append. Ed. Loc. p. 254.

humanae rationis | tum sapientiam tum prudentiam, constanter credere, quod a deo fiant omnia. An non hoc uno loco efficacissime consolatur discipulos Christus, cum inquit, [Luc. 12, 7.:] Omnes capilli capitis vestri numerati sunt. Quid | igitur inquies nulla ne est in rebus, ut istorum vocabulo utar, contingentia, nihil casus, nihil fortuna? Omnia necessario evenire scripturae docent. Esto, videatur tibi esse in rebus humanis contin-
8, b. gentia, iudicio rationis hic imperandum est. Sic Solomon, cum in praedestinationis cogitatione versatus esset, inquit, [Eccl. 8, 17.:] Et intellexi, quod omnium operum dei nullam possit homo invenire rationem eorum | quae sub sole fiunt. Sed ineptus videar, qui statim initio operis de asperrimo loco, de praedestinatione disseram. Quanquam quid attinet in Compendio primo, an postremo loco id agam, quod in omnes disputationis | nostrae partes incidet. Et cum de libero arbitrio omnino primo loco agendum esset, qui potui dissimulare sententiam scripturae de praedestinatione, quando voluntati nostrae libertatem, per praedestinationis necessitatem | adimit scriptura. Quanquam non omnino nihil puto referre, statim pueriles mentes hac sententia imbui, quod omnia eveniant, non iuxta hominum consilia et conatus, sed iuxta dei voluntatem. An non hoc Solomon | in illis gnomis suis, quas pueritiae scripsit, statim a principio monet. Et quod asperior paulo sententia de praedestinatione vulgo videtur, debemus illi impiae Sophistarum theologiae, quae sic in-
9, a. culcavit nobis | rerum contingentiam et libertatem voluntatis nostrae, ut a veritate scripturae molliculae aures abhorreant. Pro-
(5, b.) inde ut iis etiam consulamus, quibus haec duriora videntur, quae | de praedestinatione diximus, ipsam voluntatis humanae naturam propius contemplabimur, ut intelligant [18]) studiosi, non modo in re theologica falsos Sophistas, sed et in naturae iudicio. Dicemus autem de praedestinatione | paulo post suo loco, revellemusque quam licebit brevissime quae hac de re impie commenti sunt Sophistae. Vallam ait Eccius [19]), quod scholarum sententiam de libero arbitrio confutarit, plura voluisse scire quam | didicisset, scilicet egregie festivus nugator. Quod si idem nobis obiecerint istae lamiae versari hominem grammatistam in [illegible] re theologica, Quid responderimus, nisi, ut n[illegible]e ab auctore [illegible] ferre | quid rem aestiment. Nunc enim non re[illegible] [illegible]ae doprofiteamur, sed utrum vera sint qu[illegible] [illegible]ena cemus an contra. Neque vero a nobis al[illegible]; censeri debet rerum sacrarum professio, nis[illegible] non sumus Christiani, quandoquidem communis omnium esse debet Christiana disciplina.

9, b. | Quod si voluntatis humanae vim, pro na-
I. turae captu aestimes, negari non potest iuxta rationem humanam, quin sit in ea libertas quaedam externorum operum, ut ipse experiris | in potestate tua esse, salutare hominem, aut non salutare, indui hac veste, vel non indui, vesci carnibus aut non vesci. Et in hanc externorum operum contingentiam defixerunt oculos philosophastri, qui libertatem voluntati | tribuere. Verum quia deus non respicit opera externa, sed internos cordis motus, ideo scriptura nihil prodidit de ista libertate. Qui externa et personata quadam civilitate mores fingunt, huiusmodi libertatem docent, | nempe philosophi ac recentiores theologistae.

II Contra, interni adfectus, non sunt in potestate nostra, Experientia enim usuque comperimus non posse voluntatem sua sponte ponere amorem, odium, aut similes adfectus, sed | adfectus adfectu vincitur, ut quia laesus es ab eo quem amabas, amare desinis. Nam te ardentius, quam quemvis alium, amas. Nec audiam Sophistas, si negent pertinere
ad voluntatem adfectus humanos, amorem, (6, a.)
odium, gaudium, | moerorem, invidentiam, ambitionem, et similes, nihil enim nunc de fame, aut siti dicitur. Quid enim est voluntas, si non adfectuum fons est? Et cur non pro voluntatis vocabulo cordis nomen usurpamus? [20]) Siquidem scriptura potissimam hominis partem cor vocat, adeoque eam in qua nascuntur adfectus. Fallunt autem scholae cum fingunt voluntatem per naturam suam adversari | adfectibus, aut posse ponere adfectum, quoties hoc monet consulitve intellectus. 10, a

III Qui fit igitur, cur saepe diversum ab adfectu homines eligamus? Principio, quod nonnunquam aliud in opere externo eligimus, quam quod cupit cor seu voluntas, fieri potest ut adfectu vincatur adfectus.

---

18) intelligant] Ed. 2. intellegant.

19) In marg. Editt. 1. 2.: Ridiculum scomma Eccii de Valla.

20) In marg. Editt. 1. 2.: Cordis vocabulo pro voluntate utendum.

ut negari non potest quin voluptatum amans sit Alexander Macedo, tamen quia gloriam magis ardet, deligit laborem, voluptates aspernatur, non quod eas non amet, sed quod vehementius amet gloriam. Videmus enim in aliis ingeniis alios regnare adfectus, sua quemque cupidine trahi. In sordidis inge-
10, b. niis dominatur habendi cupiditas. In liberalioribus, iuxta hominum iudicium, famae ac popularis gratiae studium.

IIII Deinde fieri fortasse potest, ut prorsus contra omnes adfectus deligatur aliquid. Quod cum fit per simulationem fit, ut cum quispiam eum, quem ex animo odit, cui ex animo male vult, benigne, comiter, blande tractat, nulla fortasse certa causa. Is etiam si non sentiat aliquo alio se adfectu vinci, sunt enim ingenia quaedam adeo blanda, ut etiam eos, quos oderunt, palpent. Is, inquam, simulat comitatem in externo opere, in quo secundum naturam videtur esse quaedam libertas. Atque haec est illa voluntas quam nobis stulti scholastici finxerunt[21], Scilicet vim talem, quae utcunque sis adfectus, possit tamen adfectum moderari temperareque, ut quom fictitias suas poenitentias docent. Ut ut sis adfectus, censent voluntati vim esse eliciendi, sic ipsi loquuntur, actus bonos. Si quem odio habeas, posse voluntatem statuere, quod hunc porro nolit odisse. Sic, quom natura simus impii, deique[21a] non
(6,b.) dico non amantes, sed prorsus contemptores, docent isti, posse voluntatem elicere,
11, a. quod deum porro sit amatura. Quaeso te mi lector, an non putas insanire, qui talem nobis voluntatem finxerint. Atque utinam contingat mihi Sophista, qui haec calumnietur, ut possim illam impiam, stultam, male philosophicam de voluntate sententiam iusto volumine, et integra disputatione confutare. Nam cum is qui odit, statuit ponere odium, nisi revera fuerit vehementiore adfectu victus, plane est fictitia quaedam intellectus cogitatio, non voluntatis opus. Si statuat Paris, ponere Oenones amorem, nisi fuerit victus revera vehementiore adfectu, fucata fallaxque cogitatio intellectus est. Fieri potest ut diversum imperet cum intellectu cor tuum membris exterioribus, linguae, manibus, oculis, atque est adfectus animus, quia natura mendaces sumus, veluti linguae oculisque imperabat Ioab, ut quam blandissime videretur compellare Amasan, cordi vero imperare non potest, ut ponat adfectum quem concepit. Ponit autem cum vehementiori cupiditate victus fuerit hic adfectus quo occupatur.

Non negant adfectus scholae, sed vocant 11, b.
infirmitatem naturae, satis esse si actus eli- V
citos diversos habeat voluntas. At ego nego vim esse ullam in homine, quae serio adfectibus adversari possit. Censeoque actus illos licitos, non nisi fictitiam cogitationem intellectus esse. Nam cum corda deus iudicet, necesse est cor cum suis adfectibus summam ac potissimam hominis partem esse. Alioqui cur hominem ab imbecilliore parte deus aestimaret, et non potius a meliore, si qua voluntas est alia a corde, et adfectuum parte melior ac fortior. Quid hic Sophistae respondebunt? Quod si vocabulo cordis, quod usurpat scriptura, uti maluissemus, quam Aristotelico vocabulo voluntatis, facile cavissemus hos tam pingues tam crassos errores. Vocabat quidem Aristoteles voluntatem, delectum illum rerum in externis operibus, qui fere mendax est, sed quid ad Christianam disciplinam externa opera, si 7, a.
cor sit insincerum? Praeterea ipse etiam Aristoteles non prodidit actus illos licitos, quos Scotus confinxit. Sed nunc non tam ago ut illos confutem, quam ut doceam te 12, a.
Christiane lector quid sequi tu debeas. Fateor in externo rerum delectu esse quandam libertatem, internos vero adfectus prorsus nego in potestate nostra esse, Nec permitto aliquam esse voluntatem quae adfectibus adversari serio possit. atque haec quidem de hominis natura dico, Nam qui spiritu iustificati sunt, in iis adfectus boni cum malis pugnant, sicut infra docebimus.

Praeterea quid attinet iactare externorum
operum libertatem, cum cordis puritatem VI
deus requirat. Pharisaica prorsus traditio est, quidquid de libero arbitrio, de iustitia operum stulti homines et impii conscripserunt. Iam ubi adfectus paulo vehementior fuerit, fieri non potest quin erumpat, id quod dici solet. Naturam licet expellas furca, tamen usque recurret. Iam et quam multa fiunt a nobis et in speciem optima, et quae nos ipsi pro bonis iudicamus, quod turpem adfectum non videmus unde proficiscitur opus. Est enim via quae videtur, inquit Solomon [Prov. 14, 12.] homini bona, cuius extrema ducunt ad mortem. Et cor hominis pravum et inscrutabile esse dicit Hiere-

21) In marg. Editt. 1. 2.: Ficticia voluntas scholasticorum.
21a) deique] Ed. 1. denique.

12, b. mias propheta [17, 9.]. Et David, [Ps. 18, 13.|]Delicta quisintelligit. Et [Ps. 24, 7.:] ignorantias meas ne memineris. Adeo ad multa adfectus rapit coecos homines, quae iudicare plane non possumus. Proinde Christianam | mentem oportet spectare, non quale sit opus in speciem, sed qualis apud animum adfectus sit. Non qualis est operum libertas, sed num[22]) qua sit adfectuum libertas. Praedicent liberi arbitrii vim Pharisaei scholastici. Christianus | agnoscet nihil minus in potestate sua esse, quam cor suum. Atque utinam viderent stulti scholastici quot animarum millia enecarint pharisaica sua deuterosi de libero arbitrio. Dicemus autem de adfectibus plura | mox, ubi de peccato originali agemus.

(7, b.)

SUMMA

Si ad praedestinationem referas humanam voluntatem nec in externis nec in internis operibus ulla est libertas, sed eveniunt omnia | iuxta destinationem divinam.

Si ad opera externa referas voluntatem, quaedam videtur esse iudicio naturae libertas.

Si ad adfectus referas voluntatem, nulla plane libertas est etiam naturae iudicio.

13, a. | Iam ubi adfectus coeperit furere et aestuare, cohiberi non potest quin erumpat.[23])

---

22) num] Ed. 2. nun.

23) *Quae in Ed. 2. a nobis h. l. repetita a fol. 6, b. lin. 13. med. ad fol. 13, a. lin. 2. leguntur* („Cognitio servit voluntati ...... non potest quin erumpat.") *perquam mutata habes in Ed. 7. fol. V, a. lin. 15. ad fol. IX, b. lin. 22. hoc modo:*

Sic mihi pinguissime discerni partes hominis posse videntur. Caeterum nomenclatura partium variat, Aristotelicum vulgus intellectum et voluntatem vocat. Theologi quidam veteres, voluntatem, cum consilio intellectus coniunctam, liberum arbitrium nuncupavere, petito et hoc ab Aristotelicis vocabulo, volueruntque penes voluntatem regnum esse, Intellectum prospicere, consulere, monere, quae videtur, adeoque servire voluntati. Rursum Platonici vocarunt Rationem intellectum coniunctum cum voluntate, ita ut priores tribuantur intellectui, qui voluntatem in officio contineat. Nos neque liberi arbitrii neque rationis nomine utemur, ne qua ἀμφιβολία lectorem moremur. Est autem hoc loco potissimum spectandum, quatenus intellectus vis, quatenus voluntatis impetus pateat.

Primum ergo sic censemus, intellectum humanum pro natura sua nihil intelligere, nisi carnalia. Boni et mali nullum discrimen cernit intellectus, nisi carnale. Mala esse iudicat mortem, inopiam, ignominiam. Bona, vitam, opes, gloriam. Esse deum, misericordiam, iram dei neutiquam intelligit. Id quod Paulus testatur. 1. Corinth. ij. Animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus dei. Stultitia enim est ei, & non potest cognoscere, quod spiritualiter diiudicentur. Et Psal. xiij. Dixit insipiens in corde suo, non est deus &c. Est ergo in solidum ignorans dei, & voluntatis divinae humanus intellectus. In aliis rebus quatenus humana ratiocinatio perveniat, nemo non cernit. De divinarum rerum cognitione sic habet res, Intellectum ignorare deum deique tum potentiam tum voluntatem, misericordiam & iram, etiam si perpetuo doceatur, ut legas, relegas, volvas, revolvas, audias, doceas omnes sacros libros, & scriptores perpetuo, tamen intellectus nunquam credet esse deum, esse misericordem aut iustum. Verba audis, & per hypocrisin sermonem spiritus imitaris, reipsa ignoras & pro fabula habes. Profunda caecitas humana est, ut recte dixerit Hieremias, pravum esse cor hominis & inscrutabile, quare non est, quod secundum carnem haec aestimemus, quae dixi. Et quae de intellectu scripsi, eadem de voluntate sentio. Sicut enim nihil cernit intellectus, nisi carnalia, spiritualium prorsus ignorans, ita nihil adfectat voluntas, praeter carnalia bona, vitam, opes, gloriam, bonam valetudinem, &c., nihil fugit praeter mala carnalia, mortem, inopiam, ignominiam, adversam valetudinem &c. Deum nec amat, nec metuit. Vides quantum possint intellectus & voluntas, secundum naturam. Ex quibus iudicari facile potest, quid de libero arbitrio, de humanis meritis sentiendum sit. Sed ea nos postea latius. Hic satis sit utcunque naturam hominis indicasse. Et ut hanc veluti Coronidem adiiciamus, Quod nos intellectum, quatenus moderatur voluntatem, seu iudicium, seu aestimationem rerum vocamus, Scriptura fere lumen νοῦν & φρόνημα adpellat, Quod nos voluntatem, scriptura fere cor nuncupat. Quae loquendi ratio utinam durasset in scholis Christianorum. Mire enim obscurant disputationem de hominis natura Aristotelica illa vocabula, voluntas, adpetitus, actus elicitus, intellectus agens, intellectus passibilis. Porro quando scriptura de lumine carnis, quando de lumine spiritus loquatur, Nam utrique tribuit lumen, νοῦν, φρόνημα, & cor, nullo negocio suo loco deprehendes. Carnale iudicium lumen vocat Matth. vi. Si lumen quod in te est tenebrae sunt, ipsae tenebrae quantae erunt? Roma. viij. confert Paulus φρόνημα carnis cum iudicio spiritus, e quo loco vires hominis facile colligas. Huiusmodi multa per sese diligens lector observabit. De natura hominis, deque adpellationibus virium humanarum Graeci multa nugati sunt, Nos simplicissime rem indicavimus.

Et cum huiusmodi sint vires humanae, quaeri solet, num qua sit libertas in voluntate humana, Nam ad eam partem proprie pertinere libertatem volunt.

Quod ut simplicius excutiamus de natura hominis primum, postea de divina praedestinatione dicemus.

Primum videtur esse iuxta naturae iudicium, quaedam in externis hominum operibus libertas. Experiris enim in potestate tua esse salutare amicum, aut non salutare, hac vel illa veste indui, vesci carnibus, aut non vesci. Et huiusmodi externa opera voluntas, alias alia de caussa imperat, alias per simulationem alias vere agens quod sentit. Et in hanc externorum operum contingentiam, ut illi vocant, defixerunt oculos Sophistae, qui libertatem voluntati tribuere. Verum quia deus externa opera non respicit, est enim καρδιογνώστης, sed internos cordis motus, ideo scriptura nihili facit hanc libertatem. Qui externa & personata quadam civilitate mores fingunt, philosophi et recentiores theologi, huiusmodi libertatem docent. I

Ergo cum de libertate quaeritur, non hoc tantum quaeritur, possit ne subinde aliud imperare extrinsecus, aliud subinde II

simulare externo opere sed hoc potius in quaestionem vocatur. Sit ne in potestate voluntatis, amare, vel odisse quidvis, sumere amorem, ponere amorem cuiusvis rei. Nam voluntatem voco, id quod vere est, vim qua vere affectamus, aut fastidimus ea quae cognovimus, quidquid interim externo opere simulet, scriptura cor vocat, sophistae delectum rerum in externis operibus vocaverunt, qui fere mendax est. Nos de vero & genuino voluntatis opere, quod adfectus internus est, quaerimus. Sicut fieri potest, ut aliud lingua loquatur, quam sentit intellectus, ita fieri potest ut aliud opere quocunque externo simules, quam quod adfectus cordis tui, quod vere voluntas est, ardet.

III De sublimioribus adfectibus, sic censeo, quod sicut intellectus in solidum per naturam est ignorans dei, & ut perpetuo doceatur, non credit verbo dei, per suum lumen, ita voluntas nec amare, nec metuere deum possit. Hic experientiam cuiusvis adpellare possem, si non patrocinaretur mihi scriptura. Roma. iij. Omnes vacui sunt gloria dei. Et viij. Adfectus carnis inimicitia est adversus deum, & legi dei subiici non potest. Haec infra latius, ubi de peccato originali disseremus. Simulari externa opera legis videmus. Atqui lex fidem, amorem & timorem postulat, Diliges deum ex toto corde. & non ait, simula sacrifitium, eleemosynam &c. Proinde cum tanta sit in lumine naturae caecitas, cum talis ignoratio dei, rerumque divinarum, cum in voluntate tantus sit contemptus dei, quae est hominis libertas? Vitam, incolumitatem, tranquillitatem suam amat voluntas, iuxta Paulum, Caro quaerit quae sua sunt. Quomodo igitur amabit deum, ubi sentiet aliquando iudicem, ubi occidet, ubi damnabit deus. Quaeso hic diligere deum natura potest? Frustra ne dictum putas? deum ignem esse consumentem. Et apud prophetas, Sileat a conspectu dei omnis caro.

IIII Quid si respicias adfectus carnales? nam nec in his libertas est. Tui amorem, vitae, incolumitatis tuae amorem, metum mortis, odium eorum qui te insigniter laeserunt, quomodo quaeso pones? Quaerit enim caro, quae sua sunt. Nam de tota hominis natura, deque optima eius parte loqui Apostolum, paulo post ostendemus. Et hic mihi experientia & communis sensus suffragatur. Sicut enim lumen naturae inter bona hominis haec potissimum numerat vitam, voluptates, gloriam, ita voluntas haec tantum adfectat, odit omnia quae adversantur, adeoque deum mortificantem hanc carnem. Iam experientia usuque discimus nullius rei amorem aut odium, sumi vel poni posse. Puellam amas, ut sexcenties cogites apud te. Porro neglecturum eam, frigida & ficta cogitatio intellectus est, non voluntatis decretum. Nam adversus seipsum non potest cor statuere. Odisti inimicum, invides inimico quidpiam, ut sexcenties cogites te rediturum cum eo in gratiam, frigida & ficta cogitatio est, donec potior adfectus hunc adfectum vicerit. Nam amor nostri, summus adfectus, est aliorum adfectuum ceu amussis quaedam. Tantisper amas alterum, donec laedit, ubi laeserit, tantisper odisti, donec insigni beneficio te rursum demeretur. Breviter bellua multorum capitum est, cor humanum, pravum & inscrutabile, ut Hieremias inquit.

V Fieri autem potest, ut praeter & contra adfectum deligatur opus externum, ut fieri potest, ut aliud loquare, quam quod intellectus sentit. Sed cum deligitur opus externum contra adfectum, fere fit, ut infirmior adfectus potiore vincatur. ut negari non potest, quin voluptates amet Macedo Alexander, tamen quia gloriam vehementius ardet, deligit laborem, voluptates adspernatur, non quod eas odio habeat, sed quod gloriam magis ardeat. Videmus alios adfectus in aliis regnare, sua quenque trahi cupidine. In sordidis ingeniis dominatur habendi cupiditas, in liberalioribus, iuxta hominum iudicium, famae & popularis gratiae studium. Imperabat linguae & oculis Ioab, ut blandirentur Amasae, cordi, ne odisset, imperare non potuit. Ex his intelligis insanire, qui poenitentias, attritiones, & bona proposita fingi docuerunt, cum non possit adfectum sumere caro, aut ponere.

Iam ubi paulo vehementior adfectus est, fieri non potest, ut perpetuo coherceatur. Erumpet aliquando, & pariet opus suum, ut Christus ait Phariseis. Quomodo potestis bene loqui cum sitis mali. Nunquam adfectus perpetuo dissimulari potest. Naturam licet expellas furca, tamen usque recurret. Ita vides delectum etiam externorum operum non satis liberum esse. Sed nos de operibus nihil disputamus, sed de cordis adfectibus. VI

Haec de natura diximus, quae fere experientia sine me docet. Et plena testimoniis scriptura est, quae ostendunt, hominem nihil sapere, nihil velle, nisi carnalia, deum ignorare, contemnere &c. Habes Paulum Roma. viij. & 1. Corinth. ij. Non adscendit in cor hominis &c. Item, Animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus. Et Iohann. iij. Quod natum est ex carne caro est. Nullam igitur libertatem esse voluntati humanae, in sumendis vel ponendis spiritualibus adfectibus, amore, metu dei, fide, spe &c. perspicuum est. Nam carnales nihil moror, quanquam neque in his libera est.

Postremo libertatem, homini adimit divina praedestinatio. Eveniunt enim omnia iuxta divinam praedestinationem, cum externa opera, tum internae cogitationes, in omnibus creaturis. Ad Ephes. i. Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae. Matth. x. nonne duo passeres asse veneunt & unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro. VII

Obsecro quid hac sententia clarius dici potuit? ... ... quas pueritiae scripsit, statim a principio monet. *(Haec, quae Ed. 7. fol. VIII, b. lin. 4. ad fol. XI a. lin. penult. exhibet, sunt eadem, quae Ed. 2. habet fol. 7, b. lin. 1. ad fol. 8, b. lin. 21. —* Verbis: „esse in rebus humanis contingentia," *quae in Ed. 7. fol. XI, a. lin. 12., in Ed. 2. fol. 8, a. lin. ult. leguntur, in marg. Ed. 7. adscripta sunt:* De contingentia.)

Neque fidem, neque metum dei doceri posse iudico, nisi persuasum nobis sit, omnia in omnibus efficere deum. Sophistae nobis non aliter deum descripsere, atque Iovem suum poetae, Belle scilicet illi, nam rationem sequebantur, quae prorsus ignora dei est, & ἄθεος.

Dulcescet haec de praedestinatione sententia, ubi impiae rationis iudicium spiritus dei stultificaverit. Quid enim imbecillitas humana perinde optet, atque ut in manu dei omnia nostra consistant, ne nostris consiliis, sed divinis regamur? Magnum omnino est, commisisse omnia divinae voluntati.

Tollit itaque omnem libertatem voluntatis nostrae praedestinatio divina. Qua de re copiose disseruit Paulus ad Roma. viiij.

SUMMA.

Etiam iuxta naturae iudicium in adfectibus nulla libertas est.

Nulla item libertas est, si voluntatem humanam ad praedestinationem conferas.

Quare nihili commentum est, dogma scholasticum de libero arbitrio, de praeparandis nobis ad gratiam de merito congrui, de quibus infra suo loco dicemus.

Vides lector, quanto certius[24]) de libero arbitrio scripserimus, quam vel Bernardus vel | ulli scholastici, porro haec quae hactenus disputavimus subinde clarescent in reliquis compendii nostri locis.

DE PECCATO.

Mire obscurarunt et hunc locum Sophistae, | cum de relationibus rationis in peccato disputarent, cum distinguerent de actuali peccato et originali, et alia multa, quae supervacaneum est recensere. Quid enim attinet in Compendio omnium somnia referre? | Nos rem paucis agemus, usurpabimusque vocem peccati scripturae more.

QUID PECCATUM.

I Peccatum originale est nativa propensio et quidam genialis impetus et energia, qua ad peccandum trahimur, propagata[25]) ab Adam, in omnem posteritatem. Sicut in igni est genuina vis qua sursum fertur, sicut in Magnete est genuina vis, qua ad se ferrum trahit, ita est in homine nativa vis
13, b. ad peccandum. | Scriptura non vocat hoc originale, illud actuale peccatum. Est enim et originale peccatum plane actualis quaedam prava cupiditas. Sed tam actuale quam originale vitium, peccatum | simpliciter vocat, quanquam nonnunquam ea quae nos actualia peccata, vocet fructus peccati, ut ad Romanos Paulus solet. et David, quod originale nos, alias curvitatem, alias iniquitatem adpellat. Nec est quod hic | de illis
(8 a.) stultis relationibus | in peccato disputemus. Pravus adfectus, pravusque cordis motus est contra legem dei, peccatum.

UNDE peccatum Originale.

II Deus Opt. Max. cum condidisset hominem | sine peccato, aderat ei per spiritum suum, qui hominem ad recta inflammaret. Idem spiritus gubernaturus erat omnem Adae posteritatem, nisi lapsus fuisset Adam. Iam posteaquam deliquit Adam, aversatus est | deus hominem, ut non adsit ei gubernator dei spiritus. Ita fit, ut anima luce, vitaque coelesti carens excecetur, et sese ardentissime amet, sua quaerat, non cupiat, non velit, nisi carnalia, contemnens dei, et qui possum ego verbis consequi, humani cordis 14, a.
pravitatem. Fieri enim nequit, quin sese maxime amet creatura, quam non absorpsit amor dei. Fieri nequit ut spiritalia amet caro. Sic enim in | Genesi [6, 3.] legitur. Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. Et apud Paulum ad Rom. cap. VIII. [vs. 5.:] Qui secundum carnem sunt, id est, qui sine spiritu dei sunt (Nam vel ex illo genesis loco liquet carnem esse vires humanas, sine dei spiritu) | quae carnis sunt adfectant. Et rursus, adfectus carnis inimicitia est adversus deum. Itaque cum tradunt Sophistae, Peccatum originale, esse iustitiae originalis carentiam, sic loquuntur ipsi, recte dicunt. Sed cur non addunt, quod ubi non est | originalis iustitia, seu spiritus, ibi esse revera carnem, revera impietatem, revera contemptum rerum spiritualium.[26]) Primus itaque adfectus et summus naturae hominis est amor sui, a quo rapitur, ut velit, desideretque ea tantum quae suae naturae | bona, iucunda, dulcia, gloriosa videntur, odio habeat, et formidet ea quae naturae adversa videntur averseturque eum qui arcet ab iis quae cupit, aut qui praecipit ea sectari, ea quaeri quae displicent. Proh quae hominum incomprehensibilis miseria est. | Hinc in ho- 14, b.
mine dei et legis divinae odium oritur. hinc homini, ut mox latius explicabimus, ignis consumens deus est.

Esse vero peccatum originale Pelagiani | III
negasse feruntur. quorum dogma revellit Augustinus aliquot voluminibus erudite. Nam in hac disputatione, potissimum regnat, ita ut caetera fere quae praeter Pelagianam (8,b.)
causam scripsit, frigidiora videantur. Nos subii | ciemus locos aliquot testantes esse peccatum originale. Et quid potuit clarius dici eo, quod est scriptum ad Ephesios secundo capite. [vs. 3.:] Eramus natura filii irae, sicut et caeteri. Quod si natura sumus filii irae, certi nascimur filii | irae. Quid enim ibi aliud agit Paulus, quam omnes vires nostras peccato obnoxias nasci. nihil ullo tempore in ullis hominum viribus boni esse. Capite quinto ad Romanos instituit disputationem de peccato, gratia et | lege, ubi peccatum docet propagatum in omnes homines. Quomodo vero propagatum est unius pec-

4) certius] Ed. 7. simplic ius.

5) nativa ... propagata] Ed. 7. energia, et genialis impetus carnis ignorantis deum, querendi [quaerendi] carnalia, propagatus.

26) In marg. Editt. 1. 2. 7.: Ubi non est spiritus dei, ibi omnia vitia.

catum. si non ab uno omnes nascuntur peccatores? Neque vero negari potest. quin de originali peccato eo loco Paulus disserat.
15, a. Nam si de suo cuiusque peccato loqueretur, non posset dicere, unius delicto, multos mortuos esse. quod de actuali, quod vocant. peccato non posse dici quis non videt? nisi calumniari quis textum velit. Iam si non est auctor peccati Adam, non erit solus Christus auctor iustitiae, sed etiam Adam. Item si de suo cuiusque peccato loquitur, cur pueri moriuntur, qui nondum admiserunt peccatum, quod vocant, actuale? Et cum non nisi per peccatum mors irrumpat, necesse est pueros peccati reos esse, peccatumque habere, at quod? certe originale. Loquitur autem Paulus de eo peccato, per quod omnes morti adiudicati sunt. Quin consideramus Paulini sermonis figuram. Perinde enim atque hic ad Romanos, alias etiam Corinthiis [1. epist. 15, 22.] scribit. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur. Huc pertinet Prophetae exclamatio. [Psalm. 50, 7.:] Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. Significat enim David, se natum esse peccatorem. Praetera, si omne desiderium cogi-
15, b. tationum humani cordis vanum est et pravum omni tempore, ut Genesis VI. [vs. 5.] scribitur, necesse est cum peccato nascamur. Iam si in Christo omnes benedicimur, necesse est in Adam maledicti simus,
(9, a.) At quid est maledici, nisi peccati nos damnari? Huc pertinent immundiciae in typis legis, huc pertinent caedes primogenitorum Aegypti. Et quid attinet multis rem agere, cum Christus apud Iohannem [3, 6.] satis clare dicat, Quod ex carne natum est, caro est. si caro est, ut supra monuimus, ergo sua quaerit, sese amat. Quod si non est obnoxia peccato prima nativitas, quid attinet renasci? Imo si carnis nativitas bona est, quid attinet renasci ex spiritu?

IIII

VIS PECCATI et fructus.

Minore negotio Pelagiani veteres revelli possunt, quam nostrorum temporum novi Pelagiani, qui et si non negent esse peccatum originale, negant tamen, eam esse vim peccati originalis, ut omnia hominum opera, omnes hominum conatus sint peccata. Proinde de vi, energiaque peccati originalis paulo copiosius dicemus. Vivax quaedam energia est peccatum originale, nulla non parte nostri, nullo non tempore 16, a.
fructum ferens, vitia. Quando enim hominis animus non aestuat malis cupiditatibus, in quibus quae teterrimae ac foedissimae sunt, ne deprehenduntur quidem, avaritiam, ambitionem, odium, invidentiam, aemulationem, libidinum flammas, iram, quis est qui non aliquando sentiat? arrogantiam, fastum, tumorem pharisaicum, contemptum dei, diffidere deo, blasphemiam, principes adfectus rari sentiunt. Sunt qui in speciem vivunt honestissime, et Paulus se ita vixisse ante cognitum Christum testatur ut reprehendi non posset. Hi non habent quod glorientur, siquidem animi sunt obnoxii turpissimis illis atque miserrimis adfectibus, quos non sentiscunt. Quid enim si aliquando, ut in morte, aperiat illis oculos deus, ut sua vitia, suos morbos sanctuli cognoscant. Nonne intelligent id, quod est apud Esaiam [40, 6.]? Omnem gloriam carnis, esse ceu gloriam foeni. Vides quam profunda sit, immo quam imperscrutabilis malitia humani cordis. Et Sophistas nostros nondum pudet docere operum iustitiam, docere satisfactiones ac philosophicas virtutes. Esto 16, b.
fuerit quaedam in Socrate constantia, in (9, b.)
Xenocrate[27]) castitas, in Zenone temperantia, tamen quia in animis impuris fuerunt, immo quod amore sui, ex philautia oriebantur istae virtutum umbrae, non debent pro veris virtutibus, sed pro vitiis haberi.[1]) Tolerans fuit Socrates, sed amans gloriae, aut certe placens sibi de virtute. Fortis fuit Cato, sed amore laudis. Effundit autem huiusmodi virtutum umbras deus in gentes, in impios, in quosvis, non aliter atque formam, opes, et similia dona largitur. Et cum hanc externam virtutis personam ac larvam miretur tota humana ratio, pseudotheologi nostri falsi caeco naturae iudicio commendarunt nobis philosophica studia, philosophicasque virtutes et operum externorum merita. At quid in universum docent philosophi, si qui optime docent, nisi fiduciam et amorem nostri M. Cicero in finibus bonorum et malorum omnem rationem virtutis, ab amore nostri, et philautia aestimat. Quantum in Platone tumoris est et fastus. Neque facile fieri mihi posse videtur, quin ab illa Platonica ambitione 17, a.

---

27) Xenocrate] Ed. 1. male: Xenocrite.

1) In marg. Editt. 1. 2. 7.: Virtutum umbrae in gentibus non virtutes.

contrahat aliquid vitii, si in illius lectionem inciderit, ingenium per sese altum, et vehemens. Aristotelis doctrina est in universum quaedam libido rixan|di, ut eum in paraeneticae philosophiae scriptoribus[2]) ne postremo quidem loco numerare conveniat.[3]) Sed de philosophia posthac in legum ratione dicemus.

V Et ut rem omnem velut in compendium | cogam, Omnes homines per vires naturae vere, semperque peccatores sunt, et peccant. Genesis VI. [vs. 5.:] Omne desiderium cogitationum cordis humani vanum et pravum omni tempore. Et repetita est eadem sententia in capite | octavo [vs. 21.], Sensus et cogitatio humani cordis prava, a pueritia. Ubi nos legimus prona est ad malum, quod quanquam non multum a sententia absit, tamen uti malebam germana lectione, quod clarior sit, simpliciter ad | firmans hominem pravum esse. Ne quis mihi Thomista eludat Mosen, quod cum pronitas, seu inclinatio non sit actus, non possit esse peccatum, sic enim philosophantur stolidi sophistae. Esaiae. IX. [vs. 17:] Omnes
17, b. hypocritae sunt, et | nequam, ut univer-|
(10, a.) sum os locutum est stultitiam. Rursum Esaiae XLI. [vs. 29.:] Ecce omnes vani, et vana opera eorum, ventus et inane consilia eorum. Iterum Esaiae LIII. [vs. 6.:] Omnes nos quasi | oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit. et posuit dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Quo loco propheta luculento vaticinio et historiam passionis Christi, et fructum exposuit, cum praedixit, talia passu|rum Christum, ut omnium hominum videri possit abiectissimus, at ideo passurum, ut iustificet multos, Siquidem omnes plane peccatores simus, nec aliunde iustificemur nisi per fidem in Christum. Et de iis qui suis | viribus ac operibus iustificari volunt, non per fidem in Christum, inquit, dabit impios pro sepultura, et divites pro morte sua. Item fortium dividet spolia. Nam impii, divites, fortes plane sunt isti humanae iustitiae, liberi arbitrii, | philosophicarum virtutum, breviter humanarum virium assertores, ignari Christi. Vides quam brevi concione totam Evangelii vim descripserit Esaias. Tu vero Christe spiritum imperti tuum qui haec nobis | aperiat et explicet
mysteria. Iam et Davidem | audiamus, qui 18, a.
cum idem plerisque locis sentiat, ut cum ait, omnem hominem mendacem esse, tamen toto psalmo XIII. hoc intonat, cum inquit [vs. 1.], Dixit insipiens in corde suo, non est deus, | Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis, Non est qui faciat bonum. Dominus de coelo prospexit super filios Adam, ut videat, num sit intelligens aut requirens deum. Omnes defecerunt, simul inutiles facti sunt, | non est qui faciat bonum, non est ne unus quidem etc. Ecce non accusat hominem simplicium vitiorum, sed atrocissimorum scelerum, impietatis, incredulitatis, insipientiae, odii et contemptus dei, quae vitia, deprehendere nemo potest | praeter spiritum. Quid hic hypocritae theologistae? quae nobis opera liberi arbitrii, quas humanas vires praedicabitis? peccatum originale fingitis non negari a vobis, et tamen docetis posse hominem suis viribus aliquid boni facere. | Num arbos mala bonum fructum ferre pot-
est? | An non videtis ut hic propheta arbo- (10, b.)
rem cum fructibus descripserit, cum non modo de corde insipientis, sed et de omnibus hominis studiis, consiliis, desideriis,
operibus, conatibus loquitur. | Vides autem 18, b.
quanto discrimine de homine iudicent philosophia, seu humana ratio, et sacrae literae. Philosophia non respicit nisi externas hominum larvas. Sacrae li|terae penitissimos et incomprehensibiles adfectus observant, quibus cum regatur homo, de operibus pro adfectuum ratione iudicant. Et cum in omnibus operibus nostra quaeramus, necesse est ea, revera peccata esse, | et ut non dicam interim de crassissimis cupiditatibus. nonne eorum qui in speciem bene vivunt, alius ad huiusmodi mores trahitur fastidio rerum humanarum, alius metu fortunae, alius ambitione, alius amore | tranquillitatis, nam hae caussae melioris in speciem vitae et quondam fuere philosophis, et nunc sunt plerisque hominibus, alius simulato quodam poenarum divinarum metu, alii aliis caussis, quis enim labyrinthum hu|mani cordis possit explicare? maxime cum tanta sit adfectuum, quanta ingeniorum diversitas. Quis est autem omnium hominum secundum naturam, qui non malit licere, indulgere ge-
nio, qui non aegre ferat coher|ceri lege. 19, a.
Quod si nunc non sentis, nihil refert, erit enim quom certissime senties, quam indi-

2) in paraen. philos. scriptoribus] Ed. 7. inter paraen. philos. scriptores.

3) numerare conveniat] Ed. 7. dignemur.

gnetur animus cupiditates suas lege coherceri. Praeterea Iohannis I. [vs. 12.:] Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri, iis qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntae carnis, neque ex voluntate viri, sed ex deo nati sunt. Vides damnari sanguinem, voluntatem viri, voluntatem carnis, hoc est, omnino quidquid est virium naturae, ex deo vero filios renasci. Et ut multos locos praeteream, quos studiosus lector per sese observabit, Iohan. XV. [vs. 4.:] Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.

Obiter incidit confutandum quod impii
(11, a.) isti Sophistae hic ogganniunt, cum diluunt has tam claras sententias, verum esse hominem secundum naturam non posse bene agere, meritorie, Sic enim loquuntur. Itaque duplex bonum fingunt, meritorium et non meritorium, et in hoc tantum, ne philosophicas liberi arbitrii virtutes, externas istas virtutum umbras, oporteat eos[4]) vitii arguere, O impietatem. An non est haec
(11, a.) illa *κυβεία* verborum fingere bonum, alias meritorium vitae aeternae, alias non meritorium. Tu vero certo sic sentias, nihil neque boni neque meritorii fieri posse ab homine per vires naturae. Quando quidem dicit scriptura. Omne desiderium cogitationum cordis humani vanum esse et pravum. Certe quod vanum est et pravum, id non modo non est meritorium vitae aeternae, oportet enim uti me illorum verbis, sed nec bonum. Sic David [Psalm. 115, 11.], Omnis homo mendax. Esaias [9, 17.], Omnes sunt hypocritae, et pravi, et universum os locutum est stultitiam. Ecce non modo non meritorium dicit, sed plane malum. Porro ex his quae et hactenus tractavimus, et paulo post adnotabimus hoc genus illorum nugas facile quisque per sese confutabit. Impii Sophistae non aestimabant ab adfectibus cordis opera, sed philosophico more de eis iudicabant, quod in caussa fuit, cur hallucinarentur.

Iam Paulus in omnibus fere Epistolis, maxime vero in iis, quae ad Romanos et
20, a. Galatas scriptae sunt, quid in universum aliud agit, quam ut doceat peccata, seu vitia esse, omnia opera et omnes conatus virium humanarum. Habes caput ad Romanos tertium [vs. 9.], ubi ait, omnes homines sub peccato esse, idque magnifice et splendide e prophetarum testimoniis docet. In capite octavo, postquam disputaverat non posse legem a nobis fieri, confert carnem et spiritum. Docens carnem esse prorsus obnoxiam peccato[5]), spiritum autem esse vitam et pacem. Hic Sophistae vocant carnem, adpetitum sensitivum obliti phraseos ac tropi scripturae. Non enim corpus, partem hominis, sed totum hominem, tam animam quam corpus scriptura voce carnis signat, et quoties cum spiritu (11, b.)
confertur, significat optimas naturae humanae ac praestantissimas vires citra spiritum sanctum. Rursus spiritus significat, ipsum spiritum sanctum, et eius motiones atque opera in nobis. Sic Iohan. III. [vs. 6.:] Quod natum est ex carne caro est, quod natum est ex spiritu spiritus est. Et Iohan. octavo. [vs. 15.:] Vos secundum carnem iudicatis. Et Genesis VI. [vs. 3.:] Non 20, b.
permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. Oportet ergo intelligamus carnis vocabulum de omnibus humanae naturae viribus. Alioqui non consistent Pauli argumenta in tota Epistola ad Romanos. Sic enim solet argumentari, Caro non potuit legem implere, ergo spiritu est opus qui impleat. Ibi si carnem pro parte hominis tantum usurpemus, quomodo consistet Pauli Enthymema? Posset enim eludi ad hunc modum, et si caro legem facere non potuerit, potuisse tamen meliorem aliquam hominis partem, atque ita spiritu non fuisse opus ad implendam legem. Verum dedidicimus non modo scripturae sententiam, sed et sermonem, doctoribus philosophastris, et ut in Esdra [10, 2.] legitur, alienigenas uxores duximus, et earum linguam pro nostra usurpavimus. Itaque carnis vocabulo utere et pro optimis humanae naturae viribus, et pro pulcherrimis illius conatibus. Carnis fructus est, tam speciosa illa Socratis aut Catonis virtus, quam Caesaris parricidia. Tam carnis fructus sunt speciosissimae Pauli virtutes, quibus praeditus 21, a.
erat, priusquam Christum agnosset[6]), quam Clodiana adulteria. Iam quod hic voca-

4) eos] *om.* Ed. 7.

5) In marg. Editt. 1. 2. 7.: Caro significat corpus et animam, adeoque omnes vires naturales.

6) agnosset] Ed. 3. agnosceret.

mus carnem, solemus alias nuncupare veterem ho|minem, qui itidem significat quidquid est virium humanae naturae. Id quod ipsum vocabulum palam arguit. Nam communi sensu carere videatur, qui hominis partem modo, adpellatione veteris hominis notari ve|lit. Quis enim audito hominis vocabulo corpus tantum intellexerit? Usurpat autem promiscue Paulus veteris hominis, carnis et corporis peccati voces. Iam et exterior homo significat prorsus id quod vetus ho|mo, seu caro, hoc est, non modo
(12, a.) partes hominis exteriores, sed omnes hominis naturales vires. Et de partitionibus quidem hominis infra, ubi de gratia egero, plura dicam. Nunc satis sit admonuisse, quid caro | significet. Falluntur enim qui in homine quem non instauravit purgavitque spiritus sanctus esse censent quidpiam, quod non possit caro, adeoque vitiosum dici. Proinde ut Paulinam sententiam de
21, b. naturalibus hominis viribus excutiamus, verba illius subiicio. Impossibilitatem legis (quia infirma erat per carnem) deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato | damnavit peccatum in carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Hactenus proposuit Paulus summam caussae nempe quo | cum impossibile sit legem fieri a | nobis quia carnales sumus, miserit deus filium, ut legi satisfaceret per nos, dum carne mortui, spiritu vivimus. Quaeso hic quid vocat carnem, Nam cum palam sit spiritum vocari spiritum sanctum et eius motiones ac | impulsus, consequitur necessario ut carnem voces quidquid in nobis est a spiritu sancto alienum. Porro propositae sententiae rationem reddit Apostolus, Qui secundum carnem sunt, quae carnis sunt adfectant, qui vero secun|dum spiritum sunt, quae sunt spiritus adfectant. Nam adfectus carnis mors est. Adfectus autem spiritus vita et pax. Ecce quare legi non possit per car-
22, a. nem satisfieri, Quia qui secun|dum carnem sunt, quae carnis sunt adfectant, quasi diceret, vos pharisaei, et hypocritae legem viribus vestris fieri posse censetis. Bene in speciem operari videmini, videmini | praediti pulcherrimis virtutibus. Sed ea omnia fucus sunt, Nam cum caro sitis, vestra quaeritis, vel metu poenarum vel amore commodi, vel alio quopiam carnali adfectu bene facitis in speciem. Neque fieri potest, ut sit | in vobis dei sensus aliquis, cum caro sitis. Adeo nec quae dei sunt cupere et adfectare potestis. quis est enim, quantumvis bonus videatur in speciem, qui sic amet deum, ut | si ille velit libenter mortem (12, b.)
et inferos perfe|rat. Dici non potest, quam multa, quam grandia, Apostolus tam brevi versiculo comprehenderit [Rom. 8, 5.], Qui secundum carnem sunt, quae carnis sunt adfectant. Contra, qui secundum spiritum sunt, quae spiritus | sunt adfectant, id est, in quos spiritus sanctus effusus est, in iis est sensus dei, fiducia in deum, amor dei, Sicut contra in carne, non nisi contemptus et odium dei. | Id quod vult Aposto- 22, b.
lus cum ait [Rom. 8, 6.], Adfectus carnis mors est, adfectus autem spiritus vita et pax. Et sequitur, Adfectus carnis inimicitia est adversus deum, legi enim dei non | est subditus, neque vero potest subdi. Vide quaeso Paulinum Epilogum, cum ita finit. Vim omnem carnis nostrae esse inimicam deo, nec posse legi dei subiici, Quod si non potest legi dei subiici, quid dubitamus, quos | fructus ferat? Iam non modo, inquit, non subiicitur legi dei, sed et ne posse quidem legi subiici, Consequitur itaque omnia hominum quantumvis laudabilia in speciem opera plane vitiosa esse, et morte digna peccata. | Huc adferant si libet Sophistae frivolas suas distinctiunculas de carne, et spiritu, de bono et meritorio, et quidquid est similium nugarum, ut hanc nobis Pauli sententiam extorqueant. Quid enim clarius est quam quod | ait Paulus non impleri iustificationem legis, nisi in iis qui secundum spiritum sunt. Ergo qui non sunt perfusi spiritu sancto, non satisfaciunt legi. At legem non facere, quid aliud est quam peccare? Siquidem peccatum | est 23, a.
omnis motus et impulsus animi adversus legem.

Proinde cum Sophistae docent, peccatum originale esse, excidisse favore dei et carere | originali iustitia, debebant addere, quod cum absit a nobis dei spiritus et benedictio, maledicti simus. cum lux absit, esse in nobis nihil nisi tenebras, coecitatem et errorem. Cum absit veritas, nihil in nobis esse nisi mendacium. | Cum absit vita, nihil esse in nobis nisi peccatum et mortem. Sic Paulus exponit, quid vocet filios irae, in secundo capite ad Ephesios. [vs. 3.:] Et nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostrae, | facientes vo|lunta- (17, a.)
tem carnis, et cogitationum, et eramus na-

tura filii irae. Infra ubi de legis viribus disseremus, pleraque ad hunc quoque locum accommodari poterunt, ideo non libet diutius hic immorari. Quae enim vis pecca|ti sit, tum demum cernitur quom lex revelatur, quae omnes homines peccati arguit. Conclusit enim omnia scriptura sub peccato, ut ad Galatas scribit Apostolus, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur
23, b. credentibus. | Et ex his quae hoc loco disputavimus colligere potes quid sit de humanis viribus 7) sentiendum. Num qua sit libertas, quam iactant Theologi vere liberi arbitrii, quia pro suo arbitrio, sine scriptura, quidvis decernunt. Quae enim potest esse sine spiritu libertas, cum ille tyrannus noster, peccatum in carne nostra, etiam negotium faciat viris exundantibus spiritu. Quis enim sanctorum fuit unquam, | qui non deploraverit hanc servitutem, immo captivitatem. Et Paulus cap. VII. [vs. 23.] ad Romanos, Videre, se ait legem in membris suis, repugnantem sibi, et captivantem se, ea lex membrorum, seu tyrannis peccati ardor et | impetus est peccati, quod nobis congenitum est. Et de his quidem infra, qui partim spiritu iusti, partim carne peccatores sunt.

Hinc item consequitur impossibilia, ut infra disputabimus copiosius, praecepta | esse. Id quod ex eo loco quem supra produximus ex octavo capite [vs. 7.] ad Romanos, Non posse carnem legi dei subiici satis adparet. Item, ex eo quod ibidem dicitur, Impossibile erat legi iustificare, id
24, a. est, Non satis erat lex quae ostenderet quid faceremus, Sed oportuit etiam spiritum conferri per Christum, qui nos ad legem amandam inflammaret. Et hic ruit illa philosophiae moralis, et libe|ri arbitrii Theologorum sententia, impia, et stulta, quam plenis buccis nunquam non intonant Scotistae. Voluntatem posse se conformare omni dictamini rectae rationis, 8) id est, voluntatem posse velle, quidquid recta | ratio, rectum consilium intellectus praescribit. 9) Contra Paulus inquit, legi impossibile fuisse iustificare, id est, Non fuit sa|tis, praescribere legem, quid ageremus (13, b.)
quod caro infirma esset, et aversaretur legem. 10) Sed hic impegerunt, quod novam quandam voluntatem finxerunt, quae haberet actus elicitos, quorsuncunque traheret adfectus. Quod si scripturae sermonem ac phrasin observassent, facile vidissent mendacia, et vanas cogitationes | intellectus esse, quae confixerunt de actibus elicitis. Possunt enim impelli exteriora membra, alio, nonnunquam, quam quo trahebat adfectus. sed hoc cum fit, per simulationem ac mendacium fit. 11)

Non possum hic mihi temperare, quanquam de vi legis | postea sim dicturus abun- 24, b.
de, quin obiter indicem Christiano lectori fatuas, insulsas, et impias Sophistarum argutias, quibus probant posse nos per vires naturae diligere deum. | Sic enim argutantur, Diligi potest minus bonum, nempe creatura quaepiam, posse igitur et maius bonum diligi. Scilicet hic est sermo Christianorum quem Paulus vult esse sale conditum. Adeo hoc est et festivum et | mere Aristotelicum, et Aristotelicis dignum Theologis commentum. Primum ea est amoris natura, ut non amemus, nisi quae nobis bona, tum iucunda, tum commoda videntur, adeoque quidquid amamus, nostri commodi, respectu amamus. Amas opes, amas pecuniam, non quod ipsa per sese bona res sit, sed quod usibus vitae tuae servitura videtur. Sic deum non amas quantumvis bonum, nisi tuis rationibus tibique utilem esse sentias. Iam etiam | si hac ratione respectu tui commodi amares, serviliter amares, et pravo perversoque adfectu naturae, planeque peccares. At ne sic quidem unquam amas, neque enim ex deo ulla commoda sentiuntur, nisi per spiritum sanctum | iam cor sit purificatum, et insculpta sit 25, a,
puro pioque cordi dei beneficentia. Quid autem cum conscientia tibi deum ostendit iratum, interminantem perpetuam mortem, et il|lud horrendum tempus vultus sui, sic 12) David ait, Hic cum, non bonorum sed malorum tantum sensu, nempe poenarum quae a deo infliguntur, tangatur, quaeso eo potest advertere animum natura humana, ut | amet, ut benigne ferat etiam inferorum

---

7) humanis viribus] *sic* Ed. 7.; Editt. 1. 2. 3. humanis [*om.* viribus].

8) In marg. Editt. 1. 2. 7.: Voluntas falso dicitur se posse conformare omni dictamini rationis.

9) id est, voluntatem . . . praescribit.] *om.* Ed. 7.

10) legem.] Ed. 7. *add.:* Quanquam nec recta ratio est nisi quae spiritu dei illuminata est.

11) In marg. Editt. 1. 2. 7.: Voluntas scolastica est figmentum.

12) sic] Ed. 7. sic ut.

(14, a.) poenam? Atqui ubi conscientia perculit animum, iam ita aversatur, et exhorret deum, ut carnificem crudelem, et vindicem, et quod est atrocissimum, iniquum. Hic Sophistae quid illi vestri actus eliciti, quid illa egregia vestra voluntas, quam finxistis efficiet? An non ille irae dies, ille ignis declarabit nihil nisi mendacium et cerussam esse humanas illas liberi arbitrii iustitias? et omnem gloriam carnis, esse veluti foeni gloriam. [13]) Nonne ignem ac caliginem, immo ipsam etiam Mosi faciem reformidabat Israel, cum lex promulgaretur? Nonne commota est, et contremuit terra, et fundamenta montium conturbata sunt,
25, b. et commota sunt, quoniam iratus est eis deus? Sed hac de re infra ut spero multa satis dicemus, ubi de legis vi disseretur. Habes lector hic primum non amari, nisi quae nobis commoda sunt. At deus nullius commodi respectu amari vult, sed liberaliter, Neque enim deum amat, sed sese qui commodum amat. et contra pravum hunc amorem quam multa passim scripturae monent. Subiicienda est et alia quaedam argutia non admodum huic absimilis, non absurdum videri debere, quod docent citra spiritus sancti operam, posse nos ardentius amare deum quam nos ipsos quandoquidem saepe etiam pro caducis rebus, pro hominibus, pro amoribus, pro liberis, pro coniugibus mortem obimus. Hic quid responderi debeat ex ratione adfectuum colligendum est. Primum enim nemo gaudet mori per naturam, et quorum vita pro Republica pro re familiari periclitatur, illi ipsi plane mallent vivere. Mallet enim vivere Curtius, mallet vivere Lucretia. Sed quia adeo refugit adversa, natura humana, malumus non esse,
26, a. quam male esse, quam algere, Mallet vivere Pyramus, sed quia infoelicem sibi vitam arbitratur futuram, [14]) sine Thisbe vult abrumpere id mali, et velut una cum anima ponere. Mallet vivere Saul, sed metu dedecoris et ira et desperatione, velut semel finiturus cum vita omnia adversa, abrumpit vitam. Sed quid ego exactam adeo adfectuum rationem reddere contendo, cum rarae istae neces, qualis est Lucretiae, Saulis, et
(14, b.) similium, sint mirabilia divinae maiestatis exempla.

13) In marg. Editt. 1. 2. 7.: Non ferent ignem seu gloriam vultus dei humanae iustitiae.

14) Ed. 7. hoc commatis signum post *Thisbe* transposuit.

Iam quae prodidere Sophistae, de merito congrui, [15]) scilicet, quod ex operibus moralibus, id est, quae viribus naturae nostrae facimus de congruo, sic loquuntur, mereamur gratiam, Ipse lector, intelligis blasphemias esse in iniuriam gratiae dei ementitas, etiam cum naturae humanae vires citra spiritus sancti adflatum, non possint, nisi peccare, quid merebimur nostris conatibus nisi iram? simulationes, et mendacia sunt illi actus eliciti, illa fictitia proposita, illae quas falso vocant bonas, intentiones, quas praescribunt sophistae. Quare tantum abest ut gratiam per eas impetremus, ut nihil sit quod perinde gratiae adversetur, atque illae pha- 26, b.
risaicae praeparationes. Porro hanc impietatem pertinacissime insectatur Paulus cum alias, tum in tota ad Romanos Epistola non aliud agens, nisi gratiam non esse gratiam, si pro operibus detur. Quis est enim misericordiae locus, si respectus est nostrorum operum? quae est gratiae gloria, ut Paulinis verbis utar, si debetur nostris operibus? Palam capite tertio Paulus ad Romanos docet, et omnes homines sub peccato esse, et gratis iustificari eos qui credunt. Quid quod in capite nono [vs. 31.] ait? Israel sectando legem, ad legem iustitiae non pervenisse, id est, eos qui sui liberi arbitrii viribus aggrederentur legem facere, nunquam facere legem, sed simulare tantum in speciem, Esaias propheta cap. LV. [vs. 2.] ad Christum invitat gratis empturos quosvis. Venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac. Quare adpenditis argentum non in panibus, et laborem vestrum in saturitate? id est, quare fiditis vestris operibus? quae frustrabuntur vos. Audite audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine 27, a.
anima vestra. Inclinate aurem vestram, id est, CREDITE, et vivet anima vestra, et feriam vobiscum pactum sempiternum, MISERICORDIAS DAVID FIDELES, id est, promittam misericordiam Davidi fidelem, id est ratam. Hierem. XVII. [vss. 5—8.:] Ma- (15, a.)
ledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a domino recedit cor eius. Erit enim quasi myricae in deserto et non videbit cum venerit bonum, sed habitabit in siccitate in deserto. in terra salsuginis et inhabitabili. Benedictus vir

15) Haec verba *De merito congrui.* Editt. 1. 2. 7. in marg. repetunt.

qui confidit in domino. et erit dominus fiducia eius. et erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, et cum venerit aestus non timebit etc. Vide reliqua. Nam vel unum illud eius prophetae caput satis clare coarguerit, nihil esse opera moralia, nisi simulationes et mendacia carnis nostrae.

Huc pertinet quod scholastica theologia de poenitentiae initio, deque attritionibus confinxit. Neque enim de commisso dolet natura nisi amore sui, metuque poenae, qui 27. b. amor sui et metus poenarum sunt plane peccata, et impossibile est quin adferant secum odium eius, qui poenas infligit, nempe dei. Peculiare vero dei opus est peccati in nobis cognitio, et | odium. Deducit enim dominus ad inferos ac reducit, dominus mortificat, et vivificat, dominus humiliat et sublevat, ait Hanna in Cantico I. Reg. II. [1. Sam. 2, 7.]. Et Propheta Hieremia. [31, 19.:] Postquam convertisti me egi poenitentiam etc.[16] Porro quid attinet hic im|morari, cum planissime dictum sit a Christo Iohan. VI. [vs. 44.:] Nemo venit ad me nisi pater meus traxerit eum. Quod vero obiiciunt sententiam domini apud Zachariam[17] ignari troporum et figurarum sacri sermonis sophistae, Convertimini ad me, | et ego convertar ad vos, non efficit, poenitentiae initium in nobis esse positum. Excussit autem hanc sententiam Augustinus non uno loco, neque vero obscura est, nisi Sophistis qui praeter parva logicalia aliud non[18] didicerunt. Duplex est conver|sio dei ad nos, altera praeit resipiscentiae nostrae, altera sequitur. Quae praeit, ea fit, cum deus nos resipiscere facit adflatu spiritus sui, cum ostenso peccato nos terret, conturbatque. At quae sequitur conversio, fit cum modum finemque poenarum faciens, conso|latur nos de- (15, b.) claratque | palam sese favere nobis. De po- 28, a. steriore loquitur Zacharias cum inquit [1, 3.], Convertimini ad me et ego convertar ad vos, Id est, resipiscite, et ego poenarum finem faciam. Hortatur enim Propheta eos qui iam ab exilio Assyrio redie|rant in Iudaeam, ut patrum exemplo moniti resipiscant, ni rursus velint iram divinam, poenasque prioribus similes experiri. Hinc colligi non potest, in nostra manu esse initium poenitentiae. Ipse nos invitat trahitque ad sese, et ubi traxerit, | condonans poenas declarat sese nobis placatum esse reconciliatumque. Et quod praecipit convertimini ad me, non consequitur in nostris | viribus esse, resipiscere, seu converti. Sicut, quia sese diligi praecipit super omnia, non consequitur id in nostris | viribus esse, quia praecipit. Immo ob hoc ipsum quod praecipit, non est in nostris viribus. Praecipit enim in hoc impossibilia, ut misericordiam suam nobis commendet, sicut infra de lege dicemus. Et cur non Sophistae in Zachariae prophetia hanc | etiam sententiam observarunt quae in cap. X. [vs. 6.] continetur. Et convertam eos quia miserebor eorum, et erunt sicut fuerunt, quando non proieceram eos. Ecce ipse ait se conversurum Iudam, neque vero propter illorum benefacta, sed propter suam ipsius misericordiam. | Similes locos commendo tuae, Christiane[18a] lector, industriae. 28, b. Futurum enim est ut ubi familiarior tibi scripturae usus fuerit, nullo negotio quascunque sophistarum argutias diluas. |

Habes lector de vi ingenitae pestis quantum mihi videbatur dici debere. Neque plura requirent hi qui potius divinarum literarum lectione, meditationeque formari volent, quam humanis commentariis. Nam, satisfieri nulla | commentatione potest, iis quorum animi incertis disputationibus, variis hominum sententiis atque opinionibus confusi nihil nisi carnalia sapiunt. Unus est idemque ut simplicissimus, ita certissimus doctor, divinus spi|ritus, qui sese et proxime et simplicissime in sacris literis expressit, in quas ubi animus tuus veluti transformatus fuerit, tum demum absolute, simpliciter, exacte, ut aliarum rerum theologicarum, ita huius loci | rationem compre-| 16, a. hendes. Qui pendent non a spiritus sed hominum iudicio aestimationeque non res ipsas, sed vix tenues quasdam rerum umbras cernunt, non aliter atque illi in Platonico specu. Quis enim tum philosophorum, tum | scholasticorum theologistarum (29, a.) propriam virtutis aut vitii formam vidit? Metiebantur theologastri peccatum originale[19], non nisi externis operibus, interim

16) etc.] *om.* Ed. 1.

17) In marg. Editt. 1. 2. 7.: Sententia Zachariae. Convertimini ad me. etc.

18) aliud non] sic Editt. 1. 7.; Ed. 2. aliud [*om.* non]; Ed. 3. nihil aliud.

18a) Christiane] sic Editt. 1. 7.; Ed. 2. Christianae.

19) originale] *om.* Ed. 7.

animi malitiam, et velut intercutem morbum non videbant. Et ut maxime deprehenderint quorundam adfectuum improbitatem, tamen nec omnes, nec eos animadvertit ratio, quibuscum inprimis spiritui divino bellum est, nempe blasphemiam, odium dei, amorem sui, diffidere deo et hoc genus innumerabiles, qui homini sic insiti sunt, ut non in una aliqua parte tantum, nempe in adpetitu sensitivo haereant, ut isti docent, sed universam naturam occuparint, captivamque habeant. Adfectus isti infirmitatem vocant, sed talem quae humanis viribus[20]) vinci possit. Scriptura contra negat nisi spiritu dei posse vinci carnis adfectus. Quia quos filius liberaverit, ii demum vere liberi sunt Iohann. VIII. [vs. 36.]. Proinde nihil te moveant istorum figmenta de externis operibus, de actibus elicitis voluntatis et similia. De corde iudicat deus, non de externo opere.
29, b. Non enim quomodo videt homo, videt deus ut in historia regum legitur. Et vel hinc licebit aestimare, quantum damni dederit rebus Christianis philosophia, cum Theologastri nostri philosophiam secuti finxerint bona opera, illam externorum operum personam? quae quam nihil mereantur vel sola illa in Evangelio de fatuis virginibus parabola[21]) docet. Nihil enim virgines praeter pharisaicam iustitiam, hoc est, externorum operum umbras designant. At quid aliud docent philosophi nisi opera externa? cum de virtutibus disputant, an non omnia referunt ad externa opera et illos ficticios actus elicitos? Sed caeci sunt et duces caecorum. proinde optandum est, ut animos nostros deus a rationis humanae iudicio philosophiaque ad spirituale iudicium transferat. Nam quae est caecitas humanae rationis, fieri nequit, ut citra lucem spiritus, absolutam peccati iustitiaeve formam cognoscamus. omnis humanae rationis captus tenebrae sunt.
(16, b.) Lux est Christi spiritus, is solus docet omnem veritatem. Non potest in relucentem Mosi
30. a. faciem defigere oculos caro seu humana ratio, quare velum legi obducit, et de externis tantum operibus seu ficticiis propositis, vel intentionibus, quas vocant, vel de litera, ut Pauli verbo utar, iudicat. Spiritus vero profunda scrutatur et penetrat Et ut eorum quae de peccato originali scripsimus, summam paucis verbis indicem subiiciam theses aliquot, velut *ἔλεγχον* superiorum.

Peccatum est adfectus contra[21 a]) legem I
dei.

Quia filii irae nascimur, fit ut sine spi- II
ritu dei nascamur.

Quandoquidem in homine non est spiri- III
tus dei, nihil nisi carnalia sapit, amat et quaerit.

Hinc est in homine contemptus et igno- IIII
rantia dei, et quidquid vitiorum psalmus XIII. [vs. 1.] describit. Dixit insipiens in corde suo non est deus.

Ita fit ut homo per vires naturales nihil V
possit, nisi peccare.

Non enim tantum pars hominis quam vo- VI
cant adpetitum sensitivum est obnoxia ad- 30. b.
fectibus peccati.

Quandoquidem cor immundum esse scri- VII
ptura testatur, consequitur omnes vires humanas esse impuras.

Significat enim cor non modo sensitivum VIII
adpetitum, quem sic isti vocant, sed sedem omnium adfectuum, amorum, odiorum, blasphemiae, incredulitatis.

Sicut cor significat omnium humanorum IX
adfectuum sedem, ita et caro omnes naturales hominis vires.

Carnale, quidquid per naturae vires fit, X
Socratis constantia, Zenonis moderatio, nihil nisi carnales adfectus sunt.

Semel in Epistola priore ad Corinthios XI
vocavit Paulus *ψυχικὸν* animale rationis opus, ut philosophicas virtutes.

Atque ibidem palam est damnari peccati XII
τὸ ψυχικόν.

Alias nunquam non vocat carnem quid- XIII
quid in nobis, quantumvis in speciem bonum
videatur, citra spiritus scancti, operam fit. (17. a.)
ut adparet in cap. octavo ad Romanos [vs. 4.],
cum inquit non potuisse iustificationem le- 31. a.
gis impleri per carnem. Quis non videt hic signari carnis vocabulo, potissimas hominis vires, quae videntur hominum iudicio posse legi obtemperare. Idem docet et caput tertium posterioris Epistolae ad Corinth.

Id quod monere volui ne cui imponerent XIIII

20) viribus] Ed. 2. typoth. errore: visibus.

21) In marg. Editt. 1, 2. 7.: Parabola de fatuis virginibus.

21 a) contra] Ed. 2. typoth. errore: conta.

scholastici, cum distinguunt adpetitum intellectivum et sensitivum, tribuuntque sensui | pravos adfectus, intellectivum adpetitum liberant vitio.

XV Quam sententiam scholasticorum illi scripturae loci quos supra citavimus satis redarguunt. Neque iuvari possunt Origene, ut videri volunt, ubi ille de Anima carne et spiritu disseruit. Quanquam quid ad nos quid Origenes sentiat, cum nos de scripturae, non de Origenis sententia disputemus?

XVI Quod scholastici negant omnia hominum opera peccata esse, caussa fuit quod oculos tantum defixerant in externa opera, adeoque in velatam Mosi faciem, de adfectibus non iudicabant. At deus corda et adfectus iudicat.

XVII Eadem caussa fuit cur finxerint liberum|
31, b. arbitrium, videbant enim alicubi in operibus externis quandam esse libertatem. Sic enim iudicat caro de externis operibus. Contra spiritus omnia necessario evenire | docet iuxta praedestinationem.

XVIII In adfectibus nullam esse libertatem experientia docet.

XIX Posteaquam omnia in scripturis ad externa opera referri coeperunt, semel univer|sa scriptura obscurata est, nec intellectum, quid peccatum, quid gratia, quid lex, quid Evangelium, quid Moses, quid Christus. Et has tenebras plusquam Aegyptias debemus impiae isti et execrabili scholasticorum | Theologastrorum philosophiae.

XX Quae sit illa cognata cordi impuritas, pravitas, nequitia, quam peccatum originale vo-
(17, b.) camus, deplorantque omnes | sancti ut non sentiat ratio, palam fiet, cum lex | revelabitur. hoc est, cum aperuerit oculos conscientiae tuae deus, ut infra de lege dicemus.

Debebamus hoc loco etiam de peccati fructibus, hoc est, de vitiorum ge-
32, a. neribus | disputare, Perinde atque in Epistola ad Galatas recensuit fructus carnis Apostolus, sed illa per se quisque deprehendet. Christiano satis est scire, omnia naturae opera, omnes | virium humanarum adfectus et conatus esse peccata. Iam quis adfectus omnes queat recensere? si genera vitiorum ab adfectibus, id quod fieri debet, aestimemus. Alioqui qui virtutum et vitiorum formas ab | externa specie operum aestimarunt, quoties pro virtutibus vitia, pro vitiis virtutes prodidere? Proinde relinquemus horum iudicium suo cuiusque spiritui.

DE LEGE.

Locus de legibus non paulo clarius aperiet vim rationemque peccati, siquidem peccati cognitio lex esse dicitur. Quare, si quid superiori loco deesse videbitur, sarciet hic, ni fallor, qui sequitur. Quanquam non hoc agimus ut omnia, quae de singulis fortasse capitibus dici queant coacervemus, sed nomenclaturam tantum communissimorum locorum facimus. | ut videas unde summa Chri- 32, b.
stianae doctrinae pendeat et quorsum scriptura potissimum referenda sit. Atque hos locos volo non uti me magistro, sed monitore, e scriptura, | non e meo commentario, discas. Nam crede mihi multum refert, e fontibus petas, an ex lacunis tantarum rerum materiem.

Hic non modo dulciores aquae e fonte, ut poeta dixit, sed et puriores hauriuntur. Quanto certius enim est, quod scripturae praescribunt, quam quod e commentariis decerpitur.

Est autem lex [22]) sententia, qua bona tum (18, a.)
praecipiuntur, tum mala prohibentur. Ius [22]) est auctoritas agendi secundum legem. Pro | legibus, et contra leges multa sunt a veteribus dicta, quae ex quo fonte manarint paulo post indicabimus.

Legum aliae naturales sunt, aliae divinae, aliae humanae. De naturalibus legibus non-|dum vidi neque a Theologis, neque a Iurisconsultis aliquid digne scriptum. Nam cum naturales dicantur, oportebat a rationis humanae methodo earum formulas colligi per naturalem syllogismum. Id quod nondum | video a quoquam factum, et haud 33, a.
scio an omnino possit fieri, nempe usque adeo capta, occaecataque ratione humana. Porro esse in nobis legem naturae [23]) Paulus mire elegan|ti et arguto enthymemate, in secundo capite ad Romanos [vs. 15.] docet, cum sic colligit. Est in gentibus conscientia factum defendens vel adcusans, est igitur lex. Quid enim aliud est conscientia, quam facti nostri iudicium, | quod a lege aliqua aut communi formula petitur? Est itaque lex naturae [24]) sententia communis, cui omnes homines pariter adsentimur, atque

---

22) Haec duo verba *Lex Ius* Editt. 1. 7. hoc ordine, Ed. 2. ordine inverso *Ius Lex* in marg. repetunt.

23) In marg. Editt. 1. 2. 7.: Esse legem naturae.

24) In marg. Editt. 1. 2. 7.: Quid lex natnrae.

adeo quam deus insculpsit cuiusque animo, ad formandos mores adcommodata. Nam ut sunt in disciplinis theoricis, ut mathematis, quaedam communia principia, sive *κοιναὶ ἔννοιαι ἢ προλήψεις*, quale illud est, totum esse maius partibus. Ita sunt quaedam in moralibus tum principia communia, tum conclusiones primae, utendum est enim docendi gratia istorum vocabulis, regulae omnium humanarum functionum. Has recte vocaveris leges naturae. M. Cicero in libris de legibus Platonem imitatus
33, b. ex natura hominis formulas legum derivat, quod ut non damno, ita urbane magis quam exacte fieri video. Incidunt autem in eam Ciceronis disputationem etiam pleraque impia, id quod fere solet accidere cum methodos potius et compendia rationis nostrae sectamur,[25]) quam divinarum literarum praescriptum. Est enim in universum fallax hu-
(18', b.) mani captus iudicium propter cognatam caecitatem, ita ut etiamsi sint in animos nostros insculptae quaedam formae morum, tamen eae deprehendi vix possint. Quod vero dico leges naturae a deo impressas mentibus humanis, volo earum cognitionem esse quosdam, ut isti loquuntur habitus concreatos, non inventam a nostris ingeniis, sed insitam nobis a deo regulam iudicandi de moribus. Id ut conveniat cum Aristotelis philosophia non laboro. Quid enim ad me quid senserit ille rixator? Omitto autem ea quae cum brutis communia habemus, vitam tueri, gignereque et aliud ex sese procreare. quae in ius naturae referunt Iurisconsulti, ego naturales quosdam adfectus animantibus communiter insitos voco.

34, a. Legum autem quae proprie ad hominem pertinent, haec videntur esse capita quae subiecimus.

I Deus colendus est.

II Quia nascimur in quandam vitae societatem, nemo laedendus est.

III Poscit humana societas, ut omnibus rebus communiter utamur.

Primam legem de colendo deo accepimus ex primo cap. ad Romanos, ubi non dubium est, quin inter naturales leges, eam recenseat Apostolus, cum inquit [vs. 20.], deum declarasse omnibus hominibus maiestatem suam conditione et administratione universitatis mundi. Sed ut possit syllogismo humano colligi esse deum, curiosi magis est quam pii disputare, maxime cum rationi humanae non sit tutum, de tantis rebus argutari, ut huius compendii principio monui[26]).

Secundam legem, qua cavetur, ne quis laedatur, non dubium est colligi[27]) ex necessitudine communi qua omnes omnibus devincti, copulatique nascimur, ut scriptura
indicat[28]) cum inquit, Non convenire, ut 34, b.
homo solitarius degat, sed addendum ei esse auxilium vitae. Iubet itaque lex ne quis
laedatur, hoc est, ut certatim inter nos ame- (19, a.)
mus omnes, ut benevolentiam nostram studio et officio omnes experiantur. Itaque haec lex complectitur divinas, ne quem occidamus, ne rapiamus aliena et similes.

Si dicas, cur igitur Magistratus, sontes occidunt? Respondeo. Quandoquidem ea est rerum humanarum conditio, ex quo prolapsus Adam inussit nobis omnibus notam peccati, ut saepe a malis boni laedantur, adnitendum esse humano generi ut lex de non laedendo in plurimis conservetur, ideoque coercendos, refrenandos, tollendosque esse e medio, qui publicam pacem interturbant, qui innocentes laedunt, quo plures servari possint, sublatis iis qui laeserant. Manet lex, neminem laede. At si laesus quispiam fuerit iam hoc agendum est, ne plures laedantur, tollendusque is qui laesit. Pluris est universam multitudinem servare quam unum, aut alterum, ideo tollitur is, qui malum universae multitudini uno aut al-
tero facinore mali exempli minatur. Hinc 35, a.
in re publica magistratus sunt, hinc sontium poenae, hinc bella, quae omnia Iurisconsulti referunt in ius gentium.[29])

---

25) In marg. Editt. 1. 2. 7.: Periculosum se qui rationem.

26) Pro iis, quae modo legisti fol. 34. *a.* lin. 9—20. „Primam legem ... compendii principio monui." habet Ed. 7. (Fol. XXIII. *b.* lin. 15—27.) haecce:

Posteriores duas leges facile colligat argumentis humana ratio. Primam legem, quomodo colligere possit, non video, sic occaecata, post Adae lapsum. Videmus enim ingeniosissimos quosque in eo fuisse, ut nihil esse deum sentirent. Id quod vel Plutarchus in philosophorum placitis, vel Cicero de divinatione testabitur. Proinde quantum intelligo, nihil certi de deo statuere mens humana per sese potest. Non percipit enim animalis homo ea quae sunt spiritus dei. Certe de potentia et voluntate dei iudicare per sese ratio non potest. Ut inter naturae leges haec numeretur, aliorum esto iudicium. Nam fide intelligi creationem Heb. XI. scribitur.

27) colligi] Ed. 2. typoth. errore: colli.

28) indicat] Ed. 7. iudicat.

29) In marg. Editt. 1. 2. 7.: Ius gentium.

Tertia lex de rerum communione plane ex ratione societatis humani generis oritur. Nam si inter pauculos amicos valere debet quod vulgo dicitur *τὰ τῶν φίλων κοινά*, id est, ut sint inter amicos omnia communia, cur non idem valeat inter omnes homines, siquidem debebant ita inter se omnes cohaerere, ut cohaerent fratres cum fratribus, liberi cum parentibus, parentes cum liberis. Nam hoc iubebat lex de non laedendo. Sed quia humana cupiditas non patitur ut communiter omnibus utamur, corrigenda est haec lex, superiore, scilicet, ne quis laedatur. Et eatenus communicandae sunt res, quatenus permittit pax publica, et salus multitudinis. Nam fere superioribus legibus corriguntur inferiores, et vocanda est vulgaris communio ad modum quendam. Pro-
(19, b.) inde pro tertia lege alia supponenda est. Scilicet res dividendas esse, quandoquidem
35, b. ita postulet communis multorum salus. Porro quia rerum humanarum ea est conditio ut aliqua saltem communicatione rerum opus sit, cum deberent esse res natura communes, institutum est ut usu communicentur, nempe per contractus, emptionem, venditionem, locationem, conductionem et caeteros. Et hic cernis quae sit contractuum origo. Videt haec Plato cum in libro quinto de legibus inquit eam civitatem optime administrari, in qua quam proxime accedatur ad vulgare illud dictum, Amicorum omnia esse communia, adeoque ubi non modo res inter se civium communes sint, sed etiam sua cuiusque membra, oculi, manus, pedes, os, omnium publicae utilitati serviant. nec aliud quaerendum esse exemplar bene constitutae reipublicae, nisi eam civitatem in qua possit illud *τὰ φίλων κοινὰ* observari, sunt itaque reperti contractus per quos suae cuiusque res communicarentur multis, ne nulla prorsus esset rerum communio. Et haec de generalibus formulis legum naturae, quas hoc modo potes digerere.

36, a. I Deum cole.

II Quia nascimur in quandam communem vitae societatem, neminem laede, sed officiis quosvis iuvato.

III Si fieri nequit ut prorsus nemo laedatur, hoc agatur, ut paucissimi laedantur, sublatis iis qui publicam quietem interturbant, et in hoc magistratus, poenaeque sontibus constituantur.

IIII Res dividunto, propter publicam pacem. Caeterum per contractus alii aliorum inopiam sublevent.

Iam qui volet e Poetis, Oratoribus, Historicis adiungat peculiares sententias quae ad ius gentium referri solent, qualia sunt quae de connubiis, de adulteriis, de reddenda gratia, de ingratitudine, de hospitalitate, de permutatione rerum, et hoc genus aliis passim leguntur. Nam mihi satis videbatur communissimas formas adnotare. Neque vero temere quasvis gentilium scri-
ptorum sententias pro legibus habeto. Imi- (20, a.) 36, b.
tantur enim pleraeque vulgares sententiae pravos adfectus naturae nostrae, non leges. Qualis est haec apud Hesiodum [Opp. et Dies 353. 354.:]

τὸν φιλέοντα φιλεῖν, καὶ τῷ προσιόντι προςεῖναι.
καὶ δόμεν ὅς κεν δῷ καὶ μὴ δόμεν ὅς κεν μὴ δῷ.

Nam his versibus amicitiam prorsus utilitate metitur. Tale est et vulgatum illud *δός τι καὶ λάβε τι.* Huc pertinet quod vim vi repellendam dicunt, quale illud est apud Euripidem in Ione [vss. 1045—1047.]

τὴν δ' εὐσέβειαν, εὐτυχοῦσι[30]*) μὲν, καλὸν*
τιμᾶν. ὅταν δὲ πολεμίους δρᾶσαι κακῶς
θέλῃ τις, οὐδεὶς ἐμποδὼν κεῖται νόμος.

Sunt et in iure civili, quod ita vocant, pleraque adfectus magis humanos, quam naturales leges prae se ferentia. Quid enim est a lege naturae alienius servorum captivitate? Et inciviliter nullis non contractibus praetexitur id quod interest. Sed de his alias. Bonus vir attemperabit civiles constitutiones aequo ac bono, hoc est, tum divinis, tum naturalibus legibus, contra quas quidquid constituitur, non potest non iniquum esse. Et de legibus naturae hactenus, quas si potes exactiore subtilioreque ratione digerito.

DE DIVINIS LEGIBUS. 37, a.

Divinae leges sunt, quae per scripturas canonicas a deo sancitae sunt. Ordines earum tres fecerunt, sunt enim aliae morales, aliae iudiciales, aliae ceremoniales. Morales sunt, quae decalogo praescriptae sunt, in quas referat studiosus omnes leges quae de moribus in tota scriptura proditae sunt. Quoties enim eadem lex in scripturis repe-

---

30) *εὐτυχοῦσι*] sic Ed. 7. (= Ed. Barnes.); Editt. 1. 2. *ἐντυχοῦσι*.

tita est? Est autem obser|vandum hic ne decalogum exponamus de solis externis operibus, partiamurque in consilia et praecepta more scholastico, quare paucis percurram legum formulas.

Tria[31]) priora praecepta, Non habebis deos | alienos. Non adsumes nomen dei tui in vanum, Memento ut diem sabbati sanctifices. Non dubium est quin Christus ex-
(20, b.) posuerit | per hanc legem. Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et | in tota mente tua. Videtur autem hoc esse trium illarum legum discrimen, tametsi ad idem omnes pertineant, nempe ad verum cultum dei, ut primum, Non habebis deos alienos, proprie ad adfectus re-
37, b. feratur, ne | quid amemus, ne quid formidemus praeter deum, ne nostris opibus, virtute, prudentia, iustitia, aut ulla plane creatura fidamus, sed sola dei bonitate, qui adfectus | adeo non sunt in potestate nostra, ut neque quid fiducia, neque quid metus, neque quid amor dei sit intelligatur, nisi a spiritualissimis[32]). Ad hanc legem pertinent pleraque in propheticis literis, de formidando deo, de fi|dendo in deum, et similia. Mirabiliter autem huius legis verba commendant nobis tum fiduciam tum metum. Nam quod ait, ego sum dominus deus tuus fortis Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios etc. intermi|nando terret declaratque metuendam esse vim irae suae. Rursus cum addit se facere misericordiam in millia his qui se diligunt. an non hic commendans bonitatem suam, exigit ut se amemus, sua bonitate fidamus etc. Omni|no autem maiora exiguntur, quam quae verbis humanis queam consequi. Scholastici docuerunt diligere deum, idem esse, quod velle deum esse, quod audit, non invidere ei regnum, et hoc
38, a. genus multa verbis obscurioribus quam | quae ipsi in suis scholis intelligere potuerint. Neque enim sciri potest quid sit diligere deum, nisi spiritu docente, hoc est, nisi re ipsa spiritu inflammatus experiare. Habes primi praecepti | opus, fidere deo, diligere ac timere deum. Haec adoratio est de qua Christus ait, Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu et veritate. Hunc talem adfectum sua sponte sequetur cultus externus probabilis. |

Secundum praeceptum, Cavet ne nomen dei temere usurpetur, planeque ut illam ipsam fidem, item metum et amorem dei testemur usu nominis divini, et sicut prius | praece- (21, a.)
ptum adfirmativum est, exigens fidem et amorem, ita et hoc | adfirmativum est, exigitque ut celebremus nomen et gloriam dei, invocemus nomen dei, profugiamus ad nomen dei, velut ad quendam munitissimum portum, iuremus per nomen dei. Deut. VI. [vs. 13.], psallamus secundum Davidem | nomini eius, agnoscamusque illud Solomonis [Prov. 18, 10.], Turris munitissima nomen domini, laudemus, celebremus beneficentiam erga nos dei. agamus gratias. planeque omnia a nobis fiant, ut ait Apostolus in laudem domini. Vides e priore | mandato, secundum promanare.

Tertium praeceptum iubet, ut sabbatum san- 38, b.
ctificetur, ut vacemus a nostris operibus, hoc est, ut patiamur ac tolleremus opus dei, mortificationem nostri. Primum exigit | fidem, Secundum laudem nominis dei. Tertium, tolerantiam operum dei in nobis. Hoc praeceptum in primis violant, qui praedicant opera moralia, et liberi arbitrii vim. Exigit enim liberi arbitrii mortificationem, et populus novi testamenti, cum habeat perpetuum sabbatum, is est cuius caro assiduo mortificatur, spiritus vivificatur. Ignorantque tum sabbatum tum Christianismum, isti liberi arbitrii adsertores, et inimici crucis Christi, suis se operibus, suis conatibus iustificantes. Exemplum eius sequuntur qui in sabbato ligna collegerat. Numeri XV. [vs. 32.].

Vides itaque tria praecepta, Deo fidendum esse, Laudandum esse deum, et tollerandum | eius opus in nobis, comprehendi hac sententia, dilige deum ex toto corde etc. Nam qui sic diligit, is haud dubie fidit, timet, laudat, toleratque ardentissimo spiritu. Non institui exponere legem, id enim quo modo | posset per compendium fieri? Sed haec volui 39, a.
monere, quo scires errare eos qui non putant exigi a nobis maius aliquid viribus humanis. Qui latiorem expositionem praeceptorum | desiderat, requirat vel a Lutheri libello germanico de bonis operibus. Hic Sophistae bis errant, Primum, quod censent non requiri seu exigi in hac vita sum|mum (21, b.)
amorem dei, sic iudicant et de reliquis adfectibus. Porro hanc | sententiam satis clare refutat hic textus, Diligas dominum deum tuum ex toto corde tuo, tota anima tua, tota mente tua. Nam si totum cor sibi deposcit deus, non permittit aliquando crea-

---

31) In marg. Editt. 1. 2. 7.: Morales leges.

32) spiritualissimis] Ed. 7. spiritualibus.

turae partem. His utinam con|tingat Helias aliquis, qui doceat quam infoeliciter claudicent, qui cordis partem creaturae, partem deo tribuendam existimant. Impleri non potest dum in carne vivimus hoc praeceptum, at non ideo, non exigitur, sed | omnes rei sumus dum non persolvimus quod debemus. | Atque hoc est quod supra diximus omnes homines semper esse revera peccatores, semperque peccare. Et infra ubi de gratia disputabitur, rursus excutiendum est, quatenus | [39, b.] iustificati, quatenus peccatores simus.

Deinde hallucinantur Sophistae, quod nostris vi ibus censent impleri posse tum haec tum reliqua praecepta, nam de externis tantum ope|ribus praecipi arbitrantur, ut ne colamus ceremoniis officiisque externis plures deos aut idola etc. Nos ut de adfectibus exponamus legem faciunt ipsa legis verba. Diligas dominum deum tuum ex toto corde. Iam caro sese | maxime amat, suis bonis, sua prudentia, sua iustitia fidit. Id est enim quod ad Rom. VIII. [vs. 5.] ait Apostolus. Caro quaerit quae sua sunt, et non potest legi dei subiici. Non potest igitur amare deum, fidere dei bonitate etc. Magna | et incomprehensibilis res est amare deum, nempe hilari pectore et grato complecti per omnia voluntatem divinam, etiam tum cum damnat et mortificat. Quaeso itaque te Sophista, utrum inferos velle et perpetuum supplicium na|tura possit? Quod si neges posse, nega etiam posse a carne deum liberaliter amari.

Reliqua praecepta, quae secundae tabulae dicuntur, exponit Christus, Diliges proximum sicut te ipsum, et pleraque longa ora|[40, a.]tione in capite V. Matthaei. Et caritatis leges prope innumerabiles recenset Apostolus cap. XII. | [(22, a.)] ad Romanos. Has vero etiam leges sophistae exposuerunt de externis tantum ope|ribus, nempe satisfactum esse legi si caedem non facias, si palam non scorteris etc. Contra Christus exponit legem de adfectibus, idque adfirmative. Lege non occides, praecipit ut simus corde erga quosvis dextro, candido, libera|li, exposito ad quaevis officia. Ne malo malum[33]) retaliemus, ne litigemus de rebus nostris. Breviter ne resistamus malo, denique ut amemus etiam inimicos idque liberaliter et candide. Ita legi non moechaberis, satisfa|ctum putant, si non designemus flagitium externo opere. Christus vero sic exponit, ut doceat exigi castitatem et puritatem cordis, ita ut neque cupiamus turpia. Reliqua in Evangelio per sese diligens lector observabit. |

DE CONSILIIS.

Est et hic foede ac impie erratum a Sophistis, cum ex lege divina fecerunt consilia, hoc est docuerunt quaedam non exigi a deo necessario, sed suaderi tantum, ut si cui libeat, obtem|peret, liberantque periculo eum qui non obtemperet. Recensent [40, b.] autem inter consilia ea fere, quae sunt in capite V. apud Matthaeum. Diligere inimicos, non resistere malo, nescire lites et contentiones fori, de male merentibus be- | ne mereri, donare, mutuo dare cuivis egenti, desperata etiam sorte. Haec omnia exigi dicimus et inter praecepta numeramus. Christus enim palam damnat eos, qui non diligunt nisi amicos, cum gentibus et publicanis aequat. Item eum qui irascitur proximo, aut qui fastidit proximum racha dicens, iudicii rerum facit. Quod si consulebat tantum, ne irasceremur, quid interminabatur iudicium? Si liberum est irasci offendenti, | aut non irasci, cur poenas intentabat? Exigit qui poenas intentat non consulit. Praeterea cum praeceptum sit diligi proximos, an non illa omnia, quae isti inter consilia numerant, amor complectitur. Et Paulus in cap. XIII. [vs. 9.] ad | [(22, b.)] Romanos, haec omnia refert in legem, Diligas proximum sicut teipsum. Et I. Iohann. III. [vs. 18.:] Filioli non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate, id est, et ab animo, candideque diligamus, et illum | [41, a.] amorem nostrum testemur studiis ac officiis. Iam si inter leges numerant, quod scriptum est, Non concupisces etc. cur non habent pro legibus ea quae complectitur. An non concupiscentiae opus est irasci inimico, rem vindicare, nolle pecuniam periclitari apud inopem. Fateantur igitur et haec praecipi, siquidem praecipi videtur ne quid concupiscamus. Denique cur non totam legem, consi|lium interpretantur, siquidem partem legis refigunt? Sed inquies. Actum est de mea re familiari, si cuivis largiendum est. Respondeo, hoc a carnis prudentia praetexi cupiditati tuae.[34])

33) malo malum] sic Ed. 7.; Editt. 1. 3. malum malo; Editt. 2. typoth. errore: malū malum.

34) In marg. Editt. 1. 2. 7.: Vide secundae ad Corinth. VIII.

Nam spiritus iudicabit facile. qua tenus largiendum sit, et libenter suo carebit modo subventum sit inopiae fratris. An ignoras deberi proximo, quod velles tibi fieri? At omnium iniuriae obnoxii erimus si vindicare non licet? Recte. Nam haec vita cru | cis est, ut iniuriae sis obnoxius. Rapient nostra mali, si repetere iudicio non licet? Hoc magistratus intererit cavere, ne damnum det civis civi, tuum est boni consulere, hoc genus casus. Sed quid ego ar-
41, b. gumenta carna|lis prudentiae diluere conor? cum fieri nequeat unquam ut probet legem divinam nisi qui spiritualis est. Quid, cur praeceperit Christus non intelliges, ni libeat facere. Imposuerunt etiam huiusmodi carnales argutiae sophistis, cum parum civile videretur omnium opes ita vulgari ut non liceret vindicare suum cuique. Inhumanum etiam habebatur, ignavis fructui esse otium, si alienis opibus frui tuto possent. Hinc e praecep|tis consilia facta sunt, et recepta est pestilentissima opinio, non posse res publicas administrari iuxta Evangelium. quasi tale aliquid tradiderit Christus, quod ad pauculos tantum monachos, et non potius ad universum | genus humanum per-
(23. a.) tineat. Quid enim oportet esse communis Evangelio, quod Christus universae naturae[35]) praedicari iussit. Diluit autem et Augustinus in Epistola ad Marcellinum, quae in ordine Augustiniarum Epistolarum quinta est. | hoc genus carnales calumnias adversus legem qua vindicta prohibetur. Porro non vetat scelera puniri a magistratibus. Immo hi gerunt gladium ad terrendos malos, ut Apostolus Rom. XIII. [vs. 4.] dicit, sed vetat ne nos priva|tim, cupiditate vin-
42, a. dictae, muto conficia|mus. Magistratus interest cavere, ne damnum accipiat respublica. Tuum est privatam iniuriam ferre ac dissimulare. Fortassis autem hac de re infra copiosius disputabitur.[36])

Est autem in Evangelicis literis consilium, idque quod sciam, unicum de coelibatu. de quo Christus ait, Qui potest capere capiat, Matth. XIX.[37]) cap. [vs. 12]. Et in priore Epistola ad Corinth. cap. VII. [vs. 25.] Paulus. De virginibus praeceptum domini non habeo, | consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a domino, ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori, noli quaerere solutionem, solutus es | ab uxore, noli quaerere uxorem etc. Non est autem quod hic disputes, utrum consilia sint superiora praecept|is, Scholasticorum sunt istae ineptiae, qui neque quid praeceptum, neque quid consilium esset, intelligebant. Non enim implet praecep|tum de non moechando, quantumvis coelebs. Quando non potest fieri, ut non irritet concupiscentia, quantumvis castum. At praecepto concupiscentia prohibita est, cui fieri potest ut propius respondeat aliquis coniugum, quam alicubi virgines. |

DE MONACHORUM VOTIS. 42, b.

Quid autem de monachorum votis? Primum quod ad ipsam voti rationem adtinet, neque praecipit neque consulit scriptura, ut quidpiam devoveatur. Non probat autem deus, nisi quae vel praecipit, vel consulit. Quare non video quid accedat pietati per votum. Non
exigebat Mosaica lex voveri quidpiam, sed (23. a.)
permittebat. Evangelium cum in totum sit libertas quaedam spiritus, prorsum ignorat votorum servitutem. Et quantum mihi videtur, sola fidei et Evangelicae libertatis ignoratione factum est, cur recepta sit vovendi consuetudo.[38]) Nec nihil pugnat cum fide, cum libertate spiritus vovendi ritus. Docent etiam scholastici opus e voto factum praestare operi, quod citra votum fit. Impii homines pietatem ab operibus aestimantes et non potius a spiritu et fide. Et cur prop|ter votum praeferunt opus, cum tamen nec exigatur, nec consulatur votum. De-

---

35) naturae] Ed. 7. craturae (i. e. creaturae).

36) Ed. 7. hoc loco (Fol. XXIX, *a.* lin. 3 — 20. conf. Ed. 2. fol. 43, *a.* lin. 16 sqq. Porro paupertas etc.) haecce inserit:

Paupertas Christiana, non consulitur, sed exigitur, praecepto. Est autem ea, non, nihil possidere sed ita possidere, ut alienae rei procuratorem te agere sentias, non tuae. Matth. V. Da omni petenti. Et Ephes. IV. Laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem pacienti. Hoc vult in Evangelio dominus, cum ait, Vade, vende omnia quae possides et da pauperibus. Volebat illum sic esse panperem Christus, ut largiretur. Nunc nos paupertatem vocamus, mendicitatem. Exigitur paupertas, et labor parandae rei, non nostra, sed fratrum caussa.

Exigitur et obedientia, non ea tantum, qua singuli singulis honorem cedere debent iuxta Apostolum Roma. XII. sed et ea, quae magistratibus parentibus et praeceptoribus debetur, cuiusmodi fere est monastica illa. Stulte ergo fingunt se supra legem dei consilia etiam implere.

37) XIX.] Editt. 1. 2. 7. perperam: XXI.

38) In marg. Ed. 2.: Unde vota.

inde quaeso considera quid devoveatur. Promittuntur coelibatus, paupertas, et obedientia. 43. a. Coelibatum non nego consuli. Sed cum ea sit imbecillitas carnis nostrae, ut Christus etiam neget omnes capere sermonem de coelibatu, quid attinet vulgare in tot hominum milia rem adeo ancipitem et periculosam? Ex veteribus heremitis, quantum ex historiis colligi potest, pauci adeo fuere qui foeliciter cum carne dimicarint, cum tamen sedulo emacerarent corpora fame ac siti, essentque adversus insidias daemonis divinarum literarum cognitione munitissimi. Nos quomodo vincemus in tanto luxu, in altissimo otio, adeo inermes, adeo ignari sacrarum literarum, et Evangelii, quo nisi sis instructissimus infoeliciter cum Satana congrediere. Et successus docet, quam prudenter voveamus. Porro paupertas[39]) ab omnibus Christianis exigitur iure divino, adeo non tantum ad monachos pertinet. Est autem paupertas Evangelica, non mendicitas illa vulgaris, sed sua cum omnibus habere communia, largiri, donare omnibus egentibus, et rem facere, in hoc ut alienam inopiam subleves. Non est evangelica paupertas nihil possidere, sed ita possidere, ut alienae 43. b. rei procuratorem te agere sentias, non tuae. Id quod docet Paulus ad Ephes. IV. [vs. 28.:] Magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. Huc (24. a.) etiam referri potest, quod est in Evangelio, Vade et vende omnia quae habes et da pauperibus. Nam sic illum volebat Christus pauperem esse, ut daret. Nunc nos paupertatem nihil vocamus, nisi ab aliis accipere. Vides, quantum absit ab Evangelio mendicandi institutum? ut exigitur paupertas ita et labor parandae rei, non nostra sed fratrum caussa. Tantum abest ut mendicitas probetur. Postremo obedientiam promittunt, sed hanc singuli parentibus, praeceptoribus, magistratibus, iure divino debemus. Quare nulla est perfectio peculiaris in instituto monastico. Sed nunc de monachis non libet disputare. viderint isti quam Christiane senserint, qui monachorum conditionem usque adeo nulli non generi hominum praetulerunt, aestimantes non a spiritu Chritianismum, sed ab externorum operum specie. Quondam monasteria nihil nisi scholae erant, degebant coelibes sua sponte scholastici et quamdiu libebat, utebantur cum condiscipulis communiter 44, a. omnibus rebus, obsequebantur parebant liberaliter praeceptoribus, una psallebatur, orabatur, disserebatur, habebaturque totum vitae genus, non pro peculiari quodam Christianismo, pro statu perfectionis, ut nunc loquuntur, sed potius pro imperfectorum tyrocinio ac rudimento esset. Atque utinam eadem hodie monasteriorum conditio. Nam ita et scholas haberemus sanctiores et minus superstitionis et impietatis. In qua enim Christianarum rerum parte potentius regnat Antichristus, quam in servitute monastica.[40])

DE IUDICIALIBUS et ceremonialibus.

Supersunt iudiciales et ceremoniales leges, de quibus non adtinet in compendio plura dicere. Iudiciales de iudiciis, poenis,

39) Conf. Ed. 7. supra ad fol. 42, *a.* (nota 36).

40) Ex hoc loco „De Monachorum votis" inscripto perpauca tantum servata (coll. etiam supra Ed. 2. fol. 42, *a.* lin. 4. insert.) eaque mutata aliisque aucta leguntur in Ed. 7. (Fol. XXIX, *b.* lin. 8. ad. Fol. XXX. *a.* lin. 11.) eadem illa inscriptione praemissa hoc modo:

Quondam scholae monasteria erant ubi suas ponte coelibes degebant scholastici, et quamdiu libebat, communiter omnibus rebus inter se discipuli utebantur, parebant liberaliter praeceptoribus una psallebatur, orabatur, disserebatur, habebaturque totum genus vitae, non pro peculiari quodam Christianismo, seu pro statu perfectionis, sed pro imperfectorum, pro adulescentiumt yrocinio et rudimento. Postea degenerantibus ut fit hominum moribus, legibus primum, deinde votis obstringi coeperunt [Ed. 7. ceperunt], qui se ad monasteria contulerunt. Hic disputari solet, de votorum observatione ac dispensatione. Qua de re copiose Lutherus disseruit. Nos breviter indicabimus sententiam nostram.

I Impietas est, vovere per infidelitatem, hoc est, si ideo voveas, quod hoc opere iustificari velis, scilicet ignorans sola gratia per Christum iustificari credentes. Sic Aquinas docuit, votum etiam bapstimo aequans, Sed contra Paulus, pronunciat peccatum esse, quidquid non fit ex fide. Non est igitur votum si quid voveris impie. Itidem impia vota sunt, si ventris caussa, ut plurimi solent, voveris, Quare utrum servanda sint, non est quod disputetur, cum votum non sit coram deo, quidquid impium est.

II Ut maxime pie voveris, ut si quis voveat abstinere vino propter adfligendam carnem, non quaerens eo opere iustificari, et credens fide non ficta iustificari, se sola gratia per Christum, non sic tamen obligat votum quin rescindi possit, si res postulet. Sicut enim David dispensabat de lege divina, edens panes propositionis. Ita dispensare de quavis ceremonia externa potest fides. Non enim plus obligat te votum, quam Davidem lex divina. Dominus. est autem filius hominis etiam sabbati, Matth. XII. Caetera requires a Luthero. Et infra de libertate Christiana latius dicemus. Nam praeter iustitiam spiritus nihil requirit Evangelium. Externis spiritus pro suo arbitrio utitur.

adeoque de forensibus caussis in literis divinis populo Iudaico proditae sunt. Hoc genus leges | ignorant evangelicae literae, quod [41]) vindiciae Christiano populo prohibitae sint, et mandata paupertas rerumque communio, | et interdictum sit forum,
(24, b.)
ut docet Paulus in priore ad Corinthios VI. cap. [vs. 7.:] Iam quidem omnino delictum est, quod lites habetis | inter vos invicem.[41])

44, b. Ceremoniales de ritibus sacrificiorum, de dierum discrimine, de vestibus, de victimis, deque hoc genus aliis proditae sunt. In quibus non dubium est quin sint adumbrata my | steria Evangelii, ut docet Epistola ad Hebraeos, Item loci aliquot ad Corinthios, et testantur idem prophetarum literae alicubi, qui fere typos legis ἀλληγορικῶς ad evangelica mysteria accommodarunt. Qualia sunt | in psalmis pleraque. Proinde in hoc genere requirendae sunt allegoriae, sed prudenter. Nam hic plusquam pueriliter ineptiunt etiam magni saepe auctores. Nec allegoricam interpretationem admittunt nisi ritus et facta, in | hoc prodita, ut essent signa aliarum rerum, ut sacrificia pontificatus Levitici in hoc prodita sunt, ut essent signa sacerdotii Christi. Iam infoeliciter tractabit allegorias, nisi qui universae scripturae peritissimus est. Facile | autem iudicabit spiritus, immo [42]) sensus communis, quatenus et in quam partem liceat allegoriis uti. Nec illae parum conducunt ad intelligendam vim tum legis tum Evangelii, modo apposite tractentur. Id quod
45, a. ostendit | Epistola Hebraeis inscripta, quae Aharonem cum Christo comparans, mirum est, quam clare ob oculos ponat Christum, quam proprie doceat, quid beneficiorum per Christum | orbis terrarum acceperit, quid conferat Christi pontificatus humano generi, ut non aliunde iustificemur, nisi per Christi sacerdotium.

Superest ut de legis vi, deinde et abrogatione dicatur, qui loci in primis hic requi | rendi sunt, sed quando ea disputatio non potest intelligi, nisi conferatur lex ad Evangelium, infra ubi de Evangelio dixero, simul de vi legis, et abrogatione disseremus. Nunc adiiciemus ad hunc locum, quid de huma | nis legibus sentiri debeat.

DE HUMANIS LEGIBUS. (25, a.)

Leges humanae, sunt quaecunque tandem ab hominibus constituuntur. Et ut nunc habent hominum res, Legum humanarum aliae | sunt civiles, aliae pontificiae. Civiles, quas in re publica sanciunt magistratus, principes, reges, civitates. Huiusmodi legum auctoritas quae censeri debeat, docet Paulus ad Roman. XIII. [vss. 1 — 3.] cum inquit, Omnis anima po | testatibus 45, b.
sublimioribus subdita sit. non est enim potestas nisi a deo. Quae vero sunt potestates, a deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit [43]) potestati, dei ordinationi res | stit. Qui au | tem reristunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Nam magistratuum et legum civilium non est aliud officium, nisi punire et arcere iniurias. In hoc sanciuntur leges de rerum divisio | ne, de contrahendi formis, de poenis maleficiorum. Dei enim minister est magistratus, ultor ad iram ei qui deliquerit. Porro non licet magistratui statuere adversus ius divinum, nec obtemperari adversus ius divinum debet. iuxta | illud in actis Apostolicis [5, 29.]. Oportet deo magis obedire quam hominibus. Et ex hac sententia facile aestimabit prudens lector, quatenus humanis legibus obnoxii simus. Dicemus autem infra ubi de hominum conditione | agetur, fortasse de magistratibus plura.

Quid autem de pontificiis legibus? quatenus pontifices statuunt de litibus et iudiciis plane mundi principes agunt. alioqui quod ad lites et iudicia pertinebat et ipsos sacerdotes | subiecit ius divinum magistrati- 46, a.
bus civilibus, regibus ac principibus. Nunc conniventibus principibus, ipsi sibi iura condiderunt, et impia et egregie tyrannica, de immunitatibus | ecclesiarum, de reditibus suis etc. Hic postulabat charitatis officium, ut qui sunt opulentissimi, publicam inopiam, communi pecunia et sumptu iuvarent, cum proscribunt et diris devovent, (25, b.)
quisquis | postulet a sacerdote tribu | tum, ve-

---

41) quod vindiciae . . . invicem.] Ed. 7. Nam ad Evangelium pertinet iusticiam spiritus praedicare, de usu rerum externarum, et huiusmodi iudiciis nihil statuit, quanquam gladii ius adprobet.

42) immo] Ed. 7. nonnunquam.

43) resistit] Ed. 2. ex typoth. errore: resitit.

ctigal. aut hoc genus alia quae in commune pro publica necessitate conferuntur. Sed de his alias. satis sit monuisse sacerdotum leges de civilibus rebus contra charitatem et per meram tyrannidem conditas esse.

De fide non habent ius neque pontifices, neque concilia, neque universa ecclesia, quidquam mutandi aut statuendi. Sed simpliciter ad praescriptum sacrarum literarum exigendi sunt articuli fidei. Nec habendum est | pro articulo fidei, quod citra scripturam proditum est. Primum, ne quid mutetur Paulus iubet ad Galatas [1, 9.] cum ait, Si quis vobis praedicaverit aliud quam, quod accepistis, anathema sit. Item
46, b. qui potest spiritus esse | propheticus qui dissidet a scriptura? Quin potius spiritus mendax est, qui pronuntiat adversus veritatem. Et ad Timotheum. [1. epist. 6, 3.:] Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis ser | monibus Iesu Christi, superbus est. Porro contra scripturam impie multa decreta sunt, de quibus paulo post.

Deinde non esse habendum pro fidei articulo, quod homines, seu ecclesia, seu pon | tifex statuit, praeter scripturam, testatur Paulus ad Timotheum. [2. epist. 3, 14.:] Tu permane in his quae didicisti, sciens a quo didiceris. Referre censet, scire unde didicerimus. Iam quod homines decernunt, qui sciemus unde sit pro | fectum si ad scripturam exigi non potest? nam hoc demum constat a spiritu sancto profectum esse quod scripturae confirmant. Quod praeter scripturas proditur, ambiguum est, utrum a spiritu dei an a spiritu mendaci proficiscatur. Thessalonicensibus [1. epist. 5, 21.] praecipit Paulus, ut omnia probent, quod bonum est teneant. Et alias iubet probari spiritus utrum ex deo sint. Quaeso te quomodo probabimus spiritus,
47, a. nisi ad certam aliquam re | gulam adeoque ad scripturam exigantur? quam solam certo constat spiritu dei conditum esse. Temere tribuitur Conciliis auctoritas condendi articulos fidei, vel hoc nomine quod fie | ri potest, ut in toto senatu concilii nemo sit
(26, a.) qui | spiritum dei habeat. In Samaria prophetabant sacerdotes Baal, et ex eorum oraculis omnia gerebantur a regibus Israel. Quid mirum si nunc quoque prophetent impii et | expertes spiritus dei? Adrogabant idem sibi sacerdotes in Iuda, qui adversabantur Hieremiae et spiritui dei, cum dicerent. [Ier. 18, 18.:] Venite et cogitemus contra Hieremiam cogitationes. Non enim peribit lex a sacerdote, neque con | silium a sapiente, nec sermo a propheta. Quod quid aliud est, quam quod hodie dicit Ecclesia papistica, Penes nos est auctoritas statuendi, Concilium regitur immediate a spiritu sancto, nec potest errare, sacrae literae sunt | obscurae et ambiguae, penes nos est earum interpretandarum ius et facultas, et hoc genus multa. Iam et palam praedictum est fore, ut errent principes Ecclesiae[44]) Ezech. VII. [vs. 26.:] Lex peribit a sacerdote, et consilium a senioribus, |
Et Matth. XXIV. [vs. 24.:] Surgent pseudo- 47, b.
christi et pseudoprophetae et dabunt signa magna etc. Deinde ut maxime spiritum dei habeat senatus conciliorum, errare tamen posse in | dicat scriptura Ezech. XIIII. [vs. 9.:] Propheta cum erraverit et locutus fuerit verbum, ego dominus qui decepi prophetam illum. Et in III. Regum capite ultimo. [1. Reg. 22, 22.:] Egrediar et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum. | Et quid attinet multis rem agere, Paulus [Gal. 1, 16.] ait se non adquievisse carni et sanguini nos carni et sanguini credamus? Quaeso te cur Nicenae Synodo potius quam Ariminensi credis? Num quia eam Romani Pontifi | cis comprobavit auctoritas? At hac ratione pontificis auctoritatem et concilio et scripturae praefers, quod non modo impium, sed et stultum est. Cur enim Antiochenam Synodum probas, quae Paulum Sa | mosatenum negantem Christi divinitatem damnavit, cum res omnis citra Romani pontificis auctoritatem gesta sit? In Alexandrino concilio ubi de tribus hypostasibus divinis decre-
tum est adversus Sabellium, nulla | fuit men- 48, a.
tio Romani Pontificis. In concilio Niceno Romani pontifices nusquam fuisse leguntur Constantinopolitanae Synodi scri | ptores (26, b.)
graeci, Item Ephesinae, nullam fecerunt | Romani pontificis mentionem, ut verisimile sit, aut non interfuisse Synodis illis, aut certe non praefuisse. Neque vero raro erratum est et in iis Synodis, quibus praefuere Romani Pontifices. Stephanus VI. Formo si pontificis acta rescidit auctoritate concilii. Huius sententiam Iohannes X. rursus damnavit Ravennae comitiis. Hic cum pugnent inter se Synodi, necesse est alteram errasse. Lugdunense concilium quia li-

44) In marg. Ed. 2.: Concilia possunt errare. Ed. 1.: Consilia errare possunt; Ed. 7. *om.*

bros decretalium comprobavit, pro impio haberi debet, nempe quod in illis tam multa crudelia et impia constituta sunt. Porro papisticis comitiis pene nihil videmus actum praeter caussas tyrannidis Romanae, de subigendis Imperatoribus, de tuendo patrimonio Petri, de augendis sacerdotum opibus, de opprimenda graeca Ecclesia. Palam haeretica est constitutio, ad abolendam de haereticis, quae execratur omnes qui de 48, b. sacramentis aliter sentiunt, aut docent, quam vel docet, vel observat ecclesia Romana. Nec enim sunt haeretici, graeci, qui in plerisque variant a Romanae Ecclesiae ritibus, et traditionibus. Impia sunt quae de indulgentiis decreta sunt in plerisque Conciliis. Damnavit Constantiensis synodus cum alia, tum sententiam Evangelicissimam, de discrimine operum. Omne opus bonum esse, aut malum, non indifferens, iuxta illud Evangelii, Aut facite arborem bonam etc. Et quid attinet multa commemorare, cum extent abominabiles pontificiarum legum codices, e quibus decerpe quantum voles. Haec ideo adnotavimus, ut moneremus temere receptam esse opinionem illam vulgarem, qua iactari solet, concilia non posse errare. Proinde cum constet luce meridiana clarius et errasse saepe concilia, et errare posse, quaeso te, lector, cur tandem pro fidei articulo haberi debet, quod a concilio citra scripturae suffragium decretum est? Quandoquidem perspicuum est errare posse concilia, cur non exiguntur eorum decreta ad scripturam? Absit a Christiana mente, ut articulum fidei condere arbitretur eum, 49, a. quem non sit certum fallere aut falli non (27, a.) posse. Negat Petrus privatae, hoc est, humanae expositionis esse scripturae interpretationem. Nos hominibus permittemus articulos fidei condere? Quin scripturam praeeuntem, et ut Petrus [2. epist. 1, 19.] ait, *λύχνον φαίνοντα ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ* sequimur? maxime cum neget propheta futuram lucem matutinum iis, qui non e legis et testimonii iudicio pendent. Notus locus est in octavo cap. [vs. 20.] Esa. Huc etiam Pauli locus pertinet in priore ad Corinthios [3, 11.], ubi de doctrina Christiana disserit. Fundamentum aliud poni non posse, praeter id quod positum est, hoc est, ad salutem nullam doctrinam, nullos articulos necessarios esse, praeter scripturam. Quae superstruuntur, ait diem domini probaturum. Quod si probanda sunt in die domini, cur recipiuntur non modo, pro probae monetae doctrina, sed pro necessaria etiam ad salutem? Decretum est de transsubstantiatione panis in corpus Christi, in sacramento, decretum est de Papae primatu, idque contra veterum synodorum constitutiones. Quae cum citra certum scripturae suffragium prodita sunt, quid est, cur pro certis dogma- 49, b. tis recipiantur? Apostoli in Actis et ubique Paulus, doctrinam suam, auctoritate scripturae comprobant. Christus sibi fidem per scripturas facit, cum iubet ut scrutemur scripturas quae de se testimonium perhibent, cum ait [Io. 8, 16. 17.] patrem sibi suffragari, et duorum testimonium recipiendum esse, et hoc genus multa. In Deuteronomio [12, 32] praecepit dominus, ne addatur ad verbum suum aut detrahatur, quae sententia palam docet nemini fas esse, id pro articulo fidei docere, quod non certo sciat divinum verbum esse. Prophetae, Christus, Apostoli, certo sciebant dei verbum esse, id quod docebant. Ideo sibi, immo suae voci credi volebant.

Haec mihi plane persuadent, nihil pro articulo fidei habendum esse, quod non palam scriptura docet. Ut rumpantur interim Parisienses, qui in sua illa inepta, et impia condemnatione Lutheri, principia fidei vocant conciliorum, et scholarum dogmata [45]). De divinitate filii credo Niceno Concilio, quia scripturae credo, quae Christi divinitatem tam clare nobis probat, ut ne Iudaei quidem 50, a. tergiversari possint, quantumvis caeci, quo (27, b.) minus Messiae divinitatem tribuant. Locus est apertus praeter alios in capite XXIII. [vs. 6.] apud Hieremiam. Et hoc est nomen quod vocabunt eum, Deus iustus noster. Sic iudicandum puto per scripturam et de reliquis synodis.

At de moribus constituet Ecclesia, item de ceremoniis? De moribus non video, quid sit constitutum a Pontificibus, aut a [46]) synodis, nisi fortasse ad mores pertinent leges papisticae, de bellis, litibus, coelibatu, quae si ad regulam evangelicam exigantur, quid minus pium vel a Scythis potuit constitui.

Sed de ceremoniis dicemus, quas suum

---

45) Conf. Adversus furiosum Parisiensium theologastrorum decretum Philippi Melanchthonis pro Luthero apologia (in huius Corp. Ref. Vol. I. p. 398 sqq.).

46) a] Ed. 7. *om.*

regnum putant Papistae. Principio, ut uno fasce complectar et moralia, et ceremonias, non licet Episcopis quidquam mandare praeter ea quae divinis literis prodita sunt. Misit enim Christus Apostolos docere, quae ipse tradiderat. Matthaei ultimo. [28, 20.:] Docentes eos servare omnia quae mandavi vobis. Ademit igitur potestatem novas leges, novos ritus condendi. Non praecipit
50, b. Christus Apostolis docere, nisi Evangelium. Unde igitur probabunt Episcopi ius sibi esse condendi leges? An ex hac sententia, cum ait [Luc. 10, 16.], Qui vos audit, me audit? At in decimo cap. [Matth. 10, 41.] prophetam vult nomine prophetae recipi. Non vult igitur recipi pseudoprophetam, hoc est, eum qui humana commenta, traditiones hominum docet.

Nam hos scriptura vocat somniatores. Quaeso autem vos Solones Papistae, ac *νομοθέται*, vel syllabam e scripturis producite, quae vobis auctoritatem faciat, condendi leges? Adimit autem scriptura facultatem condendi leges, cum praecipit, ne quid vel addatur, vel detrahatur legi dei. Adimit et Paulus, cum vocat spiritus ministros, Episcopos novi testamenti. Nam minister spiritus est, qui per legem dei omnium corda damnat, et consolatur rursus per Evangelium, efficax spiritu dei. Ad eam functionem quid quaeso faciunt traditiones humanae, quae de externis tantum operibus iudicant. Damnat traditiones scriptura saepius, quam ut obscurum esse possit, quid de eis sentiat. Hieremias XXIII. [vs. 28.] paleas vo-
51, a. cat. Quid paleis ad triticum? item menda-
(28, a.) cium, item somnia. Esaias vomitum sordium, scoriam, Ezechiel fornicationes, carnes asininas, hippomanes, alii prophetae, aliter. Paulus blandiloquentias seu *χρηστολογίας*. Et ut multa omittam, indicat Paulus unde proficiscantur traditiones humanae in priore ad Timotheum [4, 1.:] In novissimis temporibus discedent quidam a fide attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos deus creavit etc.[47]) Viden spiritum fallacem auctorem esse traditionum de coelibatu, de discrimine ciborum etc. At quid aliud sunt pontificii canones, nisi traditiones de coelibatu, de ciborum discrimine, et de similibus nugis. Matth. XV. [vs. 9.]. Frustra colunt me mandatis hominum, quem locum ex Esaia [29, 13.] repetit Christus.

Quid igitur, quomodo obstringunt conscientias traditiones humanae? peccant ne, qui violant hominum constitutiones? Respondeo, Ita ferendas esse pontificum leges, ut ferimus[48]) quancumque iniuriam, aut tyrannidem. Iuxta illud Matth. V. [vs. 41.:]. 51, b.
Qui te adegerit ad mille passus, vade cum illo et alia duo. Sunt autem eatenus ferendae, quatenus non periclitatur conscientia per eas Actum V. [vs. 29.:]. Oportet deo magis obedire quam hominibus, ut cum fidem obscurant traditiones, cum occasio sunt peccato, violandae sunt, nec peccat qui citra scandalum iudicio spiritus violat. Dicemus autem de scandalo post ea. Habes autem non obscuras sententias scripturae, quae docent, non obstringi conscientias traditionibus humanis, 1. Corinth. III. [vs. 21.:] Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, id est, Nec Paulus, nec Zepha habet auctoritatem obligandi conscientias vestras Et clare in eadem Epistola capite VII. [vs. 23.:] Pretio empti estis, nolite fieri hominum servi, at fiunt hominum servi, quorum conscientiis libertas per traditiones est erepta. Nam ut Christiana libertas est, conscientiae libertas, ita Christianorum servitus, est conscientiae servitus. Apertissimus locus est in Colossensium Epistola [2, 20.], Siquidem una cum Christo commortui estis, quid adhuc tanquam viventes mundo, traditionibus vexamini, et subiicit *μιμητικῶς*, 52, a.
illorum traditiones repetens [2, 21—23.]. Ne (28, b.)
tetigeritis, ne gustaveritis, ne contrectaveritis, quae sunt omnia in interitum ipso usu secundum praecepta et doctrinas hominum, quae sunt rationem quidem habentia sapientiae, in superstitione, et humilitate, et non ad parcendum corpori, non in honore aliquo, qui debetur necessitati carnis. Hieremiae XXIII. vetat dominus ne audiantur pseudoprophetae, quod haud dubie ad eum casum referri debet, ubi conscientiae periclitantur. Sic autem inquit [vs. 16.], Nolite audire verba prophetarum, qui prophetant vobis, et decipiunt vos, visionem cordis sui loquuntur, non de ore domini. Habeo in hoc loco adstipulatores etiam recentiores quosdam,

---

47] etc.] *om.* Ed. 7.

48) ferimus] Ed. 2. ex typoth. errore: feirmus.

et potissimum Gersonem, qui nobiscum sentit, non obstringi conscientias humanis traditionibus, hoc est, non peccare eum qui traditionem humanam violat, nisi intercedat casus scandali. Vellem Bernardum de his paulo liberius iudicasse, ubi de dispensatione scribit, Iudicabit autem certissime spi-
52, b. ritus, iuxta illud [2. Cor. 3, 17.], Ubi spiritus domini, ibi libertas. Et [1. Cor. 2, 15.:] spiritus omnia diiudicat, et ipse a nemine diiudicatur.

Qualia sint quae constituta sunt a conciliis, a pontificibus non possim equidem recensere, ni velim repetere, et universum ius canonicum, et totam rerum ecclesiasticarum historiam. Verum pauca exempla huiusmodi traditionum repetemus, e quibus aestimari possit, id quod toties monet scriptura, nihil perinde pietati adversari, atque hominum doctrinas. In Synodo Nicena constitutae sunt quaedam poenitentiae formae, non pronuntio, quo spiritu decreverint patres, at video bonam Evangelii partem, immo vim germanam Evangelii obscuratam esse ea traditione. Nam inde primum natae sunt satisfactiones, quae principio fortasse tolerabiles erant, cum adhuc purior esset Evangelii intellectus penes Ecclesiam, sed paulo post ex satisfactionibus, quae conscientiarum carnificina facta est? Obscurata gratia est, et quod Evangelium fidei tribuit, coeptum est satisfactionibus tribui, quo quid
(29, a.) est et impium magis, et perniciosius? Et his
53, a. malis certe occasionem dedit Nicena synodus. Quanto satius fuerat, sequi Pauli exemplum in formis poenitentiae, qui citra omnem satisfactionem, moechum illum Corinthium, ubi resipuit, recepit, monens etiam, ut est in posteriore Epistola ad Corinthios [2, 6.], sufficere obiurgationem. Porro, nostrorum temporum theologastri secuti priscam traditionem Synodi Nicenae, fecerunt ex satisfactionibus partem poenitentiae, quo errore plane non est alius nocentior.

Quid negotii fecit etiam piorum conscientiis confessio illa papistica, quot millia animarum illa sola perdidit? Cum Paulus Corinthios cavere voluerit, ne nimia tristitia adfligeretur moechus ille. At pontifices Romani, quorum inventum confessio est, quaeso, quid aliud agunt, quam ut miserrime et crudelissime divexent pavidas et vere pias conscientias?

Iam in tot genera vivendi scissus Christianismus, quid refert Christianae caritatis, et simplicitatis? Alii laici, alii monachi, alii clerici sunt, et in his innumerae sectae sunt, quae tolerari possent fortasse, nisi et studiis, et ambitione certaretur. Deinde quibusdam vivendi generibus addita est in- 53, b.
tolerabilis sarcina, Coelibatus, actumque de coelibatu est, etiam in Nicena synodo, Quid autem per eam traditionem profectum sit, nihil attinet referre, quando non alio consilio vulgari libidines indulgentius potuere. In cap. VII. ad Corinth. [1. epist. 7, 25.] ubi de virginitate disserit Paulus, nihil audet praecipere, ne laqueum iniiceret, vultque hoc deligi, per quod possint servire deo absque ulla distractione, et assiduo, εὐπρόςεδρον τῷ κυρίῳ καὶ ἀπερισπάστως. sic enim inquit [ibid. vs. 35.] Apostolus, at qui minus adsidui, seu εὐπρόςεδροι sunt, qui vehementius a deo divelluntur, quam, quos urunt flammae carnis. Haec prospiciens Paulus non praecipit coelibatum, immo et ad Timotheum scribens [1. epist. 4, 1.], doctrinam daemoniorum vocat traditionem de coelibatu. Vicit Satan, et recepta lex est, et vulgata in tot hominum millia magna cum pernicie rei Christianae.

Iam et Eucharistia ablegata est ad pecu-
liare quoddam genus hominum, ad sacerdo- (29, b.)
tes, et qui communis esse volebat omnium piorum Christus, iam a solis sacerdotibus
usurpatur, atque ita et missae fructus, et vis 54, a.
eucharistiae prorsus obscurata est, nec aliud nunc est Eucharistia, nisi nondinatio sacerdotum, cum repertum est a Satana, oportere sacerdotes[49] esse, qui pro populo sacrificent, Missas vulgo vendi posse, et huiusmodi alia. Non perisset Missae usus, ni scissae fuissent vivendi conditiones, in sacerdotes et laicos. O horrendam et abominabilem impietatem, quae regnat hodie in Papisticis Missis.

Et quid attinet multa commemorare? vides in his exemplis nullam fuisse tam piam traditionem in speciem, quae non magno malo fuerit rei Christianae. Quid enim videtur magis convenire, quam ut sint in Ecclesia publicorum scelerum satisfactiones? at illae obscurarunt gratiam. Quid decentius[50], quam Episcopos coelibes degere? at per eum coelibatum via libidinibus facta est. Quid reverentius, sic enim iudicant homines, non spiritus, quam non vulgari usum eucharistiae in quosvis? At ita Missae
fructus periit. Ita fit, ut traditiones habeant 54, b.
quidem rationem sapientiae, sed ea ipsa spe-

---

49) sacerdotes] Ed. 7. tales sacardotes.
50) decentius] Ed. 7. magis decebat.

cies, ille ipse impiae ac consceleratae[51]) Iezabelae fucus laedit.

DE EVANGELIO.

Hactenus peccati formam, et legum rationem, brevius fortasse, quam pro re, tractavimus. non enim commentarium scribimus, sed vulgarem quandam locorum formam adumbramus, quos in discendis sacris literis sequaris. Nunc de Evangelio et gratia disputabimus, e quibus locis nonnihil accedet lucis etiam superioribus. Nam de legis abrogatione, de vi legis dilata disputatio est in hunc usque locum. Porro, ut peccati ratio nisi ex legum formulis, non intelligitur, ita nec gratiae vis, nisi ex Evangelii descriptione, cognosci potest. et ut hactenus egimus de hominis damnatione, seu maledictione, ita nunc agemus de hominis instauratione, seu benedictione. Duae in universum[52]) scripturae partes sunt[53]) Lex et Evangelium. Lex peccatum ostendit, Evangelium gratiam. Lex morbum indicat, Evangelium remedium. Lex
(30, a.) mortis ministra est, ut Pauli verbis utamur
55, a. Evangelium vitae ac pacis. [1. Cor. 15, 56.:] Lex virtus peccati est, Evangelium virtus salutis omni credenti[53a]). Neque vero ita legem et Evangelium tradidit scriptura, ut Evangelium id modo putes, quod scripserunt Matthaeus, Marcus, Lucas et Iohannes. Mosi libros, nihil nisi legem. Sed sparsa est Evangelii ratio, sparsae sunt promissiones in omnes libros, veteris ac novi testamenti. Rursum leges etiam sparsae sunt in omnia tum veteris, tum novi testamenti volumina. Nec, ut vulgo putant, discriminata sunt legis, et Evangelii tempora. Quanquam alias lex, alias Evangelium, subinde aliter revelata sunt. Omne tempus, quod ad mentes nostras adtinet est legis, atque Evangelii tempus, sicut omnibus temporibus eodem modo homines iustificati sunt, peccatum per legem ostensum est, gratia per promissionem seu Evangelium. Revelationis tempora variant, nam alias lex, alias Evangelium, et subinde aliter, revelata sunt, id quod e scripturis constat. Vides enim praeter naturalem legem, quae impressa est mentibus humanis, ut opinor, etiam leges latas esse a deo Adamo, ne 55, b.
delibaret poma arboris scientiae boni ac mali. Caino, ne irasceretur fratri suo, et eidem, peccaturum, qui se occideret. In hunc modum legis naturae cognitionem instaurabat praedicatione continua spiritus dei, quae iam obscurabatur excaecatis peccato mentibus humanis, ita ut mihi pene libeat vocare legem naturae non aliquod congenitum iudicium, seu insitum et insculptum natura mentibus hominum, sed leges acceptas a patribus, et quasi per manus traditas subinde posteritati, ut de creatione rerum, de colendo deo, docuit posteros Adam, sic Cainum monuit, ne fratrem occideret etc.[54]) Sed ad Evangelium redeamus.

QUID EVANGELIUM.

Sicut lex est, qua recta mandantur, qua peccatum ostenditur, ita Evangelium est promissio gratiae, seu misericordiae dei,[54a]) adeoque condonatio peccati, et testimonium benevolentiae dei erga nos, quo testimonio certi animi nostri, de benevolentia dei, credant sibi condonatam omnem culpam, et erecti ament, laudent deum, exhilarentur et exultent in deo, ut infra de vi evangelii dicemus. Porro illarum promissionum omnium 56, a. (30. b.)
pignus est Christus, quare[55]) in eum referendae sunt omnes scripturae promissiones, qui obscure primum, postea subinde clarius revelatus est.

Posteaquam Adam deliquerat, et iam morti aeternae destinatus erat, periisset haud dubie ni dominus eum promissione gratiae consolatus fuisset[55a]). Tyrannis peccati describitur, cum inquit ad serpentem [Gen. 3, 15.]. Inimicitias ponam inter te et mulierem, et

---

51) consceleratae] Ed. 7. sceleratae.

52) Duae inuniversum ..... ἤδη τεθείκαμεν εὐαγγέλια (fol. 54, *b.* lin. 20. ad fol. 71, *a.* lin. 9.)] hic locus reperitur etiam in hocce libro a. 1523. primum edito: „In obscuriora aliquot capita Geneseos Phil. Melanchth. annotationes. Hagenoae per Ioannem Secerium anno 1523. mense Nov.“ 8. [recuso Tubingae 1523; iterum: „In obscuriora aliquot capita Geneseos Phil. Mel. annotationes. Ex foelicissima Haganoa per Io. Secerium. (Praecedit praefatio Nicolai Gerbelii data a. 1524.) 42 foll. num. 8.; iterumque: „In obscuriora — annotationes.“ In fine: Anno M. D. XXIIII. (s. l.) 39 foll. num. 8.], in quo in Genesin commentarium subsequitur [in Ed. 3. fol. 29—42., in Ed. 4. fol. 28—39.] tractatus sic inscriptus: DISCRIMEN LEGIS ET EVANGELII. Hic liber in sequentibus insignitur: „In Genesin.“

53) partes sunt] In Genesin Ed. 3. fol. 29, *a.*: sunt partes.

53a) In Genesin, in marg.: Legis ac evangelii discrimen.

54) etc.] *abest* In Genesin Ed. 3. fol. 29, *b.*

54a) In Genesin, in marg.: Evangelium quid.

55) quare] *abest* In Genesin Ed. 3. fol. 30, *a.*

55a) In Genesin, in marg.: Consolatio Adae facta.

semen tuum, et semen illius. Et statim victoria promittitur. Ipsum semen mulieris conculcabit caput tuum. Rectius enim meo iudicio refertur pronomen, eo loco, ad semen, quam ad mulierem ut in nostris codicibus legitur. Ea prima promissio est. primum Evangelium, quo sublevatus Adam, concepit certam suae salutis spem, adeoque et iustificatus est. Deinde facta est promissio Abrahae[55b]), futurum ut in ipsius semine, benedicerentur omnes gentes, quae certe nisi de Christo intelligi non potuit, estque hic Abrahae sinus, in quem qui[56]) recepti sunt, servati sunt, id est, servati sunt, qui promissioni illi, quae Abrahae
56, b. facta est crediderunt. Atque haec promissio est, quam ubique iactat scriptura novi testamenti. Poterit diligens lector omnes promissiones de Christo in hunc locum congerere. Quae plane non aliud sunt, nisi Evangelium. Deutero. XVIII. [vs. 18.:] Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, et ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia quae praecepero illi. Qui autem verba eius, quae loquetur in nomine meo audire noluerit, ego ultor existam. In secundo volumine historiae regum cap. VII. [2. Sam. 7, 12.] promittitur Davidi Christus. Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum eius. Ipse aedificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni eius usque in sempiternum. Et ob hanc promissionem filius David Christus adpellatur[56a]) a prophetis. Immo Davidem etiam Ezechiel nominat. Prophetae in totum et legem repetunt, et Christum promittunt. Proderitque piae menti subnotare, et in promptu habere promissiones divinas, quod ad confirmandas, erigendasque conscientias mire efficaces sunt.

57, a. Et in hunc modum revelavit deus Evange-
(31, a.) lium statim post Adae lapsum, et subinde clarius aperuit, donec exhibuit Christum. Id est quod scribit Paulus ad Roma. I. [vss. 1—3.:]. In Evangelium filii sui, quod iam ante promisit per prophetas, in scripturis sanctis, de filio suo. Et literae nostrorum Evangelistarum, non aliud agunt nisi ut testentur exhibitas esse promissiones. Atque id est, cur sic ordiatur Matthaeus, [1, 1.], Liber generationis Iesu Christi, filii David, filii Abraham. Vocoque Evangelium promissionem gratiae[56b]), benedictionis, benevolentiae dei per Christum. Sunt in scripturis, praeter hanc promissionem aeternae benedictionis, etiam promissiones rerum temporalium. qualis est ea, quae facta est Nohae, quales pleraeque sunt in lege, de terra, de opulentia etc. quae non modo figurae sunt spiritualium promissionum, sed per sese sunt testimonia gratiae et misericordiae dei, ita, ut consolentur, et erigant conscientias nostras, ut deum glorificent. Et de his quidem promissionibus infra agetur, ubi de fide dicemus, quae fides, et quomodo iustificet.

Vides consilium divini spiritus in scripturis, quam suaviter, quam blande erudiat pios, 57, b.
ut nihil aliud agat, quam, ut salvemur. Tota scriptura alias lex est, alias Evangelium, Libri Mosi alias legem tradunt, alias Evangelium, adeoque Evangelium intra ipsam etiam legem abditum est.[57]). Quid enim magis Evangelicum reperias quam promissio illa est[58]), quam spiritus dei, pro *αἰτιολογίᾳ* primi praecepti subiecit. Faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, et custodiunt praecepta mea. Et vide ex legislatore Mose, quomodo Evangelista, hoc est, gratiae et misericordiae praeco subito factus sit? cum inquit in Exodo cap. XXXIIII. [vs. 6.:] Dominator domine deus, miserator et clemens, patiens et multae miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, et scelera, atque peccata, nullusque apud te per se innocens est. Da in omnibus novi testamenti literis, magis Evangelicam contionem[59]). Et ad hunc modum alias legem, alias Evangelium Mosaici libri docent. Nihil iam de figuris loquor, sed de iis, quae palam litera (31, b.)
prae se fert. Nam illa potissimum spectanda sunt. Historiae sacrae, alias legum, alias evangelii exempla sunt. Nam ad leges haud 58, a.
dubie pertinet horrendus Saulis casus. Ad Evangelium David, qui cum oppressisset alienam[60]) uxorem, tamen gratiam impetra-

55b) In Genesin, in marg.: Promissio Abrahae.

56) qui] *abest* In Genesin Ed. 3. fol. 30, *a*.

56a) In Genesin, in marg.: Christus filius David.

56b) In Genesin, in marg.: Evangelium promissio gratiae.

57) In marg. Editt. 2. 7. et In Genesin: Discrimen librorum totius scripturae. (*om*. Ed. 1.).

58) est] *abest* In Genesin Ed. 3. fol. 31, *a*.

59) contionem (i. e. concionem?)] Ed. 7. et In Genesin. Ed. 3. fol. 31, *b*.: contentionem.

60) alienam] Ed. 7. et In Genesin Ed. 3. fol. 31, *b*.: Uriae.

vit, fuitque plane Evangelica vox, illa prophetae denuntiatio, II. Reg. XII. [2. Sam. 12, 13.:] Dominus sustulit peccatum tuum, Non morieris. Ad eum modum de similibus exemplis iudicandum est[61]). Prophetae legem docent, dum insectantur hypocrisin, cum impietatem, securitatem, et hoc genus alia. Nam obscura vitia, seu hypocrisin potissimum reprehendunt, Evangelium quoque denuntiant, quoties illis suis vivacissimis promissionibus de Christo erigunt labefactatas conscientias, animant, atque ita implent, ut plane id Apostolicum[62]) sonare possit. Quis separabit nos a dilectione dei? Literae Apostolicae Matthaei, Marci, Lucae, Iohannis, ad eundem modum[63]) alias legem, alias promissiones tradunt. et in his exempla tum gratiae, tum irae dei. Zachaei, Centurionis, Syrophoenissae exempla, misericordiam testantur. Pharisaeorum caecitas et furor exemplum est irae dei. Quanquam hoc differunt historiae Apostolicae a veteribus,
58, b. quod testantur exhibitum Christum, quem veteres tantum promiserant. Deinde promissiones de gratia, iustitia, vita aeterna clarius explicant, quam illae quondam Mosaicae, aut propheticae literae. Paulus Apostolus διδακτικῶς Evangelium cum lege, peccatum cum gratia contulit, potissimum in Epistola ad Romanos, quam ego puto universae scripturae velut Indicem quendam esse[63a]) καὶ κάνονα. Reliquae Epistolae cum pene παραινετικαὶ sint, ad legem pertinent, Quanquam nulla sit, in qua non alicubi attingat Evangelii rationes. Id quod per sese diligens lector animadvertet.

Haec monuimus ob hoc potissimum, ut vulgatum illum errorem convelleremus, quem de discrimine legis, et Evangelii veteris et novi testamenti, prodiderunt impii Sophisticae theologiae professores[63b]). Mosi Christum[64]) successisse, novamque legem dedisse, quae nova lex Evangelium vocetur, contineaturque iis[65]) capitibus, quae sunt Matthaei V. et VI. Inter Mosi legem, ac Christi hoc interesse, quod Mosi lex externa tantum opera, Christi lex etiam adfectus exigat. (32, a.)
quasi vero Mosaica lex doceat, quandam 59, a.
hypocriticam et pharisaicam iustitiam. Quid enim est aliud operum externorum simulatio, quam pharisaismus? Porro exigi a lege Mosaica adfectus[66]) vel prophetae testentur, qui toties praecipiunt agnoscere deum, timere deum, facere iudicium, et iustitiam, quae dabunt mihi fortasse Sophistae, ante Christi[67]) incarnationem, et suorum temporum homines docuisse. Quid autem illa Hieremiae sententia apertius, quam, velint nolint Sophistae, referre oportet ad Mosi legem. Ait autem[68]) cap. VII. [vs. 22 sq.:] Non sum locutus cum patribus vestris, et non praecepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocaustomatum, et victimarum, sed hoc verbum praecepi eis, dicens, Audite vocem meam, et ero vobis deus, et vos eritis mihi populus. Dic Thoma[68a]), quid in mentem venerit, cur doceres Mosaica lege nihil exigi praeter pharisaismum, hoc est, externa opera? cum toties etiam Moses exigat nihil obscuris verbis adfectus. et ut multos locos omittam, nonne vetat concupiscere rem alterius etc.[69]) Exodi XX. [vs. 17.]. Opus iam ante interdixerat, cum furari, cum moechari prohiberet. Dabis igitur de adfectu caveri, 59, b.
his[70]) verbis, Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem eius, non servum etc. Et Deuteronomii X. [vs. 12.:] Et nunc Israel quid dominus deus tuus petit a te, nisi ut timeas dominum deum tuum, et ambules in viis eius, et diligas eum, ac servias domino deo tuo, in toto corde tuo et[71]) in tota anima tua, custodiasque mandata domini, et ceremonias eius, quas ego hodie praecipio tibi, ut bene sit tibi. Et rursus, circumcidite praeputium cordis vestri, et cervicem vestram ne induretis etc. Hoc genus in Mose sexcentos locos reperias,

---

61) est] *abest* In Genesin Ed. 3. fol. 31, *b*.

62) Apostolicum] In Genesin Ed. 3. fol. 31, *b*.: Apostolorum.

63) eundem modum] sic Editt. 1. 7.; Editt. 2. 3. eundem (*om.* modum).

63a) In Genesin, in marg.: Epistola ad Rom. index scripturae.

63b) In Genesin, in marg.: Impia Theologia Sophistarum.

64) Christum] In Genesin Ed. 3. fol. 32, *a*.: Christum Salvatorem nostrum.

65) iis] Ed. 7. et In Genesin Ed. 32. fol. 3, *b*.: his.

66) In marg. Editt. 2. 7. et In Genesin: Quod lex Mosi exigat adfectus. (*om.* Ed. 1.).

67) Christi] *abest* In Genesin Ed. 3. fol. 32, *b*.

68) autem] In Genesin l. c.: enim.

68a) In Genesin, in marg.: Thomae error.

69) etc.] *abest* In Genesin l. c.

70) his] In Genesin Ed. 3. fol. 33, *a*.: iis.

71) in toto corde tuo et] *abest* In Genesin l. c.

ut nihil sit obscurum et adfectus et opera a Mose exigi.[72])

Proinde exponit legem Christus,[73]) non enim potest praedicari gratia sine lege, et pharisaeorum ac scribarum interpretationem reprehendit, cum a principio ait, non ingressuros in regnum coelorum, ni nostra iustitia superet pharisaeorum ac scribarum iustitiam. Sic interpretabantur Pharisaei, satisfactum legi, non occides, si manu caedem non faceres. Legi, non moechaberis,
60, a. si alterius uxorem non comprimeres. Chri-
(32, b.) stus docet cordis adfectus exigi a lege, non externam tantum operum simulationem, vetat enim lex concupiscere. Vindictam lex etiam[74]) prohibebat, adeoque exigebat inimicos diligi. Levitici XIX. [vs. 17.:] Non oderis fratrem tuum in corde tuo sed publice argue eum, nec portes adversum[75]) illum peccatum. Ne vindica, nec memor esto iniuriae filiorum populi tui. Diliges proximum tuum sicut teipsum, quod nescio cur maluerit Hieronymus vertere[75a]) amicum, sic enim in nostris codicibus legitur, cum vox hebraea magis cognatum significet, et septuaginta Interpretes verterint, πλησίον, quos secutus est ad Ro. XIII. [vs. 9.] Paulus, ubi hanc ex lege paraenesin citat. Est autem haec summa Mosaicae illius[76]) sententiae, ut inter se Iudaei ament, tum amicos, tum inimicos[77]), ut bene mereantur, etiam de male merentibus. Accedit huc cap. Esaiae LVIII. quod plane vetat vindicari, et exigit amorem etiam inimicorum. Et Proverbiorum XX. [vs. 22.:] Ne dicas reddam malum, pro malo, expecta dominum et liberabit te.

60, b. Iam in lege, quod ego sciam, nusquam reperias haec verba. Odio habebis inimicum tuum, ut satis adpareat, non legis sententiam. sed pharisaicam traditionem Christum retulisse, ut damnaret. De Chananaeis acceperant Iudaei praeceptum, ut eos perderent, Exodi XXIII. [vs. 2.] quorsum adlusisse Christum nonnulli opinantur, cum ait dictum esse de persequendis inimicis.[78]) Quod si verum est, quid aliud dicemus voluisse Christum, quam ut revelato Evangelio, et diruto interstitio[79]) maceriae, ut Paulus ait, et sublato inductoque discrimine gentium ac Iudaeorum, sicut antea Iudaeis Iudaeos diligere, tum amicos, tum inimicos mandatum[80]) fuerat, ita nos tum gentes tum Iudaeos, cum amicos tum inimicos diligeremus. Quid autem quod de solis etiam Cananaeis Israeli praeceptum fuit? Quid quod advenas etiam iubentur diligere?[81]) Huc pertinet, quod de foenore decretum est, exteris foenerandum, non cognatis. Nunc cum nulli sint exteri, omnes cognati, in universum interdictum est foenus.

Quanquam negari non potest, quin aliqua in lege novarit Christus, quale illud est de divortio, quale item est, quod cum Iudaeis 61, a.
praeceptum fuerit gladio legalia defendere, (33, a.)
evangelium non iubet[82]) Christus armis defendi, imo[83]) Petro [Matth. 26, 52.] ait, Converte gladium in locum suum, Qui gladium acceperit, gladio peribit. Tamen[84]) non est Christi primarium ac proprium officium legem condere, sed gratiam donare. Moses legum lator est, et iudex, Christus salvator, sicut ipse de sese[85]) testatur Iohann. III. [vs. 17.:] Non misit deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Lex damnat, quandoquidem per nos ei satisfieri nequit. Christus gratiam peccati donat credentibus. Saepe quidem legem etiam Christus praedicat, quod sine lege peccatum cognosci non possit, quod nisi sentiamus, vim gratiae et amplitudinem non intelligemus. Proinde simul et lex et Evangelium praedicari

---

72) exigi.] Ed. 7. (Fol. XLI, *b.* lin. 1—4.) et In Genesin l. c. huic verbo addunt haecce: Quanquam quatenus de iudiciis, de puniendis flagiciis publicis statuit, nam hypocrisis humano iudicio coargui non potest, civilis ordinatio est. Sic enim legis natura postulat.

73) In marg. Editt. 2. 7. et In Genesin: Christus exponit legem. (*om.* Ed. 1.).

74) etiam] *abest* In Genesin l. c.

75) adversum] In Genesin Ed. 3. fol. 33, *b.*: adversus.

75a) In Genesin, in marg.: Hieronymi translatio.

76) illius] In Genesin l. c.: illae.

77) inimicos] Ed. 2. typoth. errore: inimico.

78) Ed. 7. et In Genesin in marg. addunt: Sic et de loco in Levit XXVI. Persequemini inimicos vestros etc. iudicandum est.

79) interstitio] Ed. 7. typoth. errore: instertitio.

80) mandatum] Ed. 2. typoth. errore: mandadatum.

81) Quid autem quod ... diligere?] Ed. 7. et In Genesin Ed. 3. fol. 34, *a.*: Quod de Cananeis praeceptum est, ad omnes gentes pertinet, oppugnantes Israelem. Nam huic populo praeceptum erat armis legem tueri.

82) iubet] Ed. 7. et In Genesin l. c.: vult.

83) imo] Ed. 7. et In Genesin l. c.: et.

84) peribit. Tamen] Ed. 7. et In Genesin l. c.: peribit. Nam Evangelium spiritus iusticiam tantum tradit, quae gladio extorqueri hominibus non potest, sicut civilis iusticia. Tamen

85) sese] In Genesin l. c.: se.

debet, ostendi debent et peccatum et gratia. Duo Cherubim arcae impositi erant. Lex et Evangelium, quare fieri nequit, ut Evangelium sine lege, legem sine Evangelio recte aut foeliciter doceas. Et ut cum Evangelio Christus legem coniunxit, ita cum lege Evangelium, prophetae. Habes huius rei exempla etiam in Apostolorum concioni-
61, b. bus in Actis. In primis autem Epistolas Pauli omnes, in quibus fere primum de ratione Evangelii disserit, postea paraeneses praescribit.

DE VI LEGIS.

Evangelium non esse legem, sed promissionem gratiae diximus, nunc superest, ut quae legis, quae Evangelii vis sit, utcunque doceamus. Nam hinc legis et Evangelii discrimen aliqua ex parte cognosci poterit. Ac principio quidem de vi legis variat scriptura, ab humana ratione. Scriptura legem vocat virtutem irae, peccati, sceptrum exactoris, fulmen, tonitru. Ratio humana, emendationem vitiorum et doctrinam vivendi. Sic enim vocat Cicero de legibus. Et nihil vulgo laudibus legum celebratius est, ut carni videri possit etiam insanire Paulus, cum virtutem peccati legem vocat. Sic Iudaei Iohann. IX. [vs. 28.] cum se Mosis[86]) discipulos profitentur, agnoscere Christum volunt. Proinde ut de vi legis exacte disputemus, duo hominum genera inter se conferamus.

Ex primo genere sunt qui legem carna-
(33, b.) liter intelligunt, nec sentiunt exigere impossibilia caeci, qui nec peccatum, nec le-
62, a. gem, nec iustitiam[87]) vident. Sunt autem hypocritae, Sophistae omnium seculorum. Huiusmodi iustitiam Paulus vocat iustitiam ex operibus legis. nempe eorum qui cum legem audiunt, facere aggrediuntur suis operibus, et ad legem adferunt manus, pedes, os, cor autem non adferunt. mallent enim sine lege esse, quantumvis sibi sancti videantur. Adhuc placent voluptates, opes, honor. Hi quales sint nemo melius quam spiritus dei dixerit. Principio fide carent, hoc est, cor eorum nihil intelligit dei, et ut scriptura loquitur, deum non requirit, hoc est, non magnificat, sed contemnit. Deinde declinant, iuxta psalmum XIII. id est, cum nec timeant deum, nec credant deo, ad sua consilia deflectunt, contempto deo, per quae sibi aut ad opes, aut ad dignitates viam faciunt. Praeterea etiam suis operibus conantur se iustificare, cuiusmodi operarios iniquitatis scriptura saepe perstringit. Psal. V. [vss. 10 sqq.] a Davide describuntur hypocritae ad hunc modum, quod non sit in ore eorum rectum, candor, quod interiora sint vacuitas, quod guttur eorum sit patens vorago. Cum hoc hominum genere nihil est legi negotii. Nam e falso et carnali intellectu leges vivunt,
quare in eis efficere id non potest lex, 62, b.
quod debebat. Sed ipsi sibi ex lege, idola, imagines masculinas, et carnalium virtutum umbras fingunt. Trahuntur enim ad simulanda bona opera carnali quodam adfectu, vel poenae metu, vel commodi studio, stulte securi, cum non videant morbum animi sui. Estque huius generis incredibilis superbia, tumor, pertinacia, φιλαυτία. Tantum abest ut legi satisfaciant, ut nulli longius a lege absint. Huiusmodi est pharisaeus ille Lucae XVIII. [vs. 11.] qui ait, non sum sicut caeteri homines. Et Esaias describit ebrios Ephraim, cap. XXVIII. [vs. 15.:] percussimus foedus cum morte, et cum inferno fecimus pactum[88]). Et Hiere. VI. [vs. 15.:] Erubescere nescierunt. Et Matth. VII. [vs. 23.] operarii iniquitatis. Qualem se fuisse testatur Paulus priusquam converteretur, Ro. VII. [vs. 9.:] Ego aliquando sine lege vixi, id est, fuit aliquod tempus cum viderer mihi legem egregie praestare, cum vincerem hypocrisi operum etiam omnes aequales meos, non enim arguebat me, non accusabat, non damnabat tum lex. Et ta-
les quidem omnes homines sunt, qui per vi- (34, a.)
res naturae pro captu rationis legem ex-
primere conantur, cum nec legem nec vires 63, a.
suas intelligant. Atque hi sunt qui Mosi tergum tantum, qui Mosi velatam tantum faciem contemplantur, ut vult Paulus in posteriore ad Corinthios [3, 13 sqq.], ubi a Iudaeis negat intelligi posse iustitiam Evangelicam, quod corde velato contueantur Mosen, hoc est, quid exigat lex, quam nos nihil nisi peccatum et maledictum simus, per legem non vident.

Et hactenus quidem de iis qui per vires naturae, pro facultate rationis humanae tentant legem, qui quales sint, a suo corde

86) Mosis] sic Editt. 1. 7.; Ed. 3. Mosi; Ed. 2. typoth. errore: Moses.

87) In marg. Editt. 2. 7. et In Genesin: Hypocrisis humana iustitia. (*om.* Ed. 1.).

88) pactum] sic recte Editt. 3. 7.; Ed. 2. typoth. errore: peccatum; Ed. 1. exhibet scripturae compendium: pctm.

quisque poterit aestimare. Ad hos non pertinent proprie hae Pauli sententiae. Lex virtus irae, virtus peccati, ministratio mortis etc. Quanquam his etiam lex damno sit, quod ex ea idolum sibi faciant, deinde nihil non operentur cum ineffabili quadam cordis tum superbia tum molestia.

Ex altero genere sunt, ad quos hae sententiae, Lex virtus peccati, virtus irae etc. pertinent, quibus legem deus revelat, ostenditque corda, et quos sensu peccati sui terret deus et confundit. Hi demum sunt in quibus per legem deus operatur. In hypocritis
63, b. nihil agit lex, sed ipsi quandam legis umbram, umbra quadam hypocriticae iustitiae referunt. In his vere ac proprie lex agit quibus ostenditur peccatum. Quod quia vere fit, a deo fit, et vocat hoc opus scriptura, iudicium, iram dei, furorem dei, adspectum, vultum irae etc. Psal. XCVI. [vs. 2.:] Iudicium correctio sedis eius, Ignis ante ipsum praecedet, et inflammabit in circuitu inimicos eius. Alluxerunt fulgura eius orbi terrae, vidit et commota est terra. Montes sicut cera fluxerunt a facie domini, a facie domini omnis terra. Psal. LXXV. [vs. 9.:] De caelo auditum fecisti iudicium, terra tremuit et quievit. Et Zachar. III. [2, 13.:] Sileat omnis caro a facie domini. Esa. XI. [vs. 4.:] Percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium. Abacuk. III. [vs. 6.:] Aspexit et dissolvit gentes, et contriti sunt montes seculi. Quanquam quid attinet multa congerere, cum haec plane altera scripturae pars sit, Lex et legis opus occidere et damnare, ostendere radicem peccati nostri et confundere. Mortificat non avaritiam tantum aut libidinem, sed caput omnium malorum amorem nostri, iudicium rationis, et quidquid boni sibi videtur habere natura. Hic adparebit quam puteant virtutes morales, quam sint
64, a. pollutus menstruo pannus, iustitiae sanctorum[89]).
(34, b.) Quandoquidem etiam Mosen exclamare oportuit [Exod. 34, 7.]. Coram te ne innocens quidem est innocens. Et Naum [1, 3.] Mundans non faciet innocentem. Et David [Ps. 142, 2.], Ne intres in iudicium cum servo tuo. Et [Ps. 6, 2.], Domine ne in furore tuo arguas me. Et Esaiae XXXVIII. [vs. 13.] Ezechias, Quasi leo contrivit omnia ossa mea. Et hoc est quod parcissime dixit, ut solet omnia Iohannes [1, 17.:]. Per Mosen lex data est, gratia et veritas per Ihesum Christum facta est. Veritas hypocrisi, gratia furori dei opponitur, Proinde cum per Ihesum Christum gratia, id est, misericordia et favor dei partus sit, et verax in corde nostro iustitia, necesse est ut lex hypocrisis tantum auctor sit, cum coherceat invitos et frementes adversus deum, et irae, cum damnat nos reos.

Sic Paulus ad Rom. VII. ubi de vi legis diligentissime disseruit. Peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Idem cap. III. [vs. 20.:] per legem cognitio peccati, quasi dicat, hypocritis falso persuasum, parari lege iustitiam, cum lex tantum ostendat cordi peccatum. Deinde occasione accepta peccatum per mandatum in me operatum est omnem concupiscentiam.
Id est, ubi coepi legis onus sentire, adeo 64, b.
nihil profectum est lege, ut concupiscentia magis etiam irritata coeperit fremere[90]) adversus iudicium et voluntatem dei. Nam sine lege peccatum erat mortuum, hoc est, ni lex mihi in corde peccatum ostendisset, ni me sensus peccati conterruisset, mortuum fuisset peccatum, non efferbuisset. Vixi enim aliquando sine lege. Fuit aliquod tempus, cum iustus mihi viderer, legem non videbam, adeoque nec peccatum. Atque ibi tum peccatum conquiescebat, nec palam irascebatur deo, sed cum venisset mandatum, peccatum revixit, ego autem mortuus sum, hoc est, cum iam lege ostendisset mihi peccatum deus, exuscitatum est peccatum, ego confusus sum, pavefactus, inhorrui, breviter mortuus sum. Et tum quidem adparuit quae vis legis esset. Prodita quidem lex est ut viveremus, sed cum facere non possimus, mortis organum est. Et quae caussa est tandem cur lex occiderit? Lex spiritualis est, id est, exigit spiritualia, veritatem, fidem glorificantem deum, amorem dei, ego vero carnalis (35, a.)
sum, incredulus, ignorans dei, insipiens, amans mei etc.

Nusquam vim rationesque legis tam copi- 65, a.
ose tractavit Apostolus Paulus, ut hoc loco, quem proposuimus, in quo non video quid desiderari possit. Obscuritas nulla est, nihil impeditum, plana, aperta omnia, ut dubitari non possit de eius sententia. Quod

89) In marg. Ed. 2.: Virtutes Sophisticae. Ed. 7. et In Genesin: Virtutes Theologicae. (*om.* Ed. 1.).

90) fremere] Ed. 7. et In Genesin: furere.

si volet studiosus lector scripturae, addat huic veluti suffragatores, eos locos qui sunt in alias sparsi Epistolas.

In priore ad Corinth. [15. 56.:] Aculeus mortis peccatum, potentia vero peccati lex. non enim confunderet, non terreret peccatum, ni lege[91]) ostenderetur nobis, adeoque non esset efficax peccatum, nisi per legem esset excitatum et ostensum. Ita nec mors efficax esset, nisi peccati viribus et opera terreret nos. In posteriore ad Corinthios capite tertio [vs. 5.] discernitur lex a spiritu, ad hunc modum. Sufficientia nostra ex deo est, qui et idoneos nos fecit, ministros novi testamenti, non literae sed spiritus. Litera enim occidit, spiritus autem vivificat. Et quid literam, quid spiritum vocet sequentia clarius docent, cum ait [vs. 7.]. Quod si ministratio mortis literis deformata in saxis
65. b. fuit in gloria, adeo ut non possent oculos intendere filii Israhel in faciem Mosi, propter gloriam vultus eius, quae aboletur, cur non potius administratio spiritus erit in gloria? Ministratio mortis lex est, quae ostenso revelatoque peccato, confundit, conterret, et occidit conscientiam. Ministratio spiritus Evangelium est, ut postea dicemus, quod consolatur, erigit, animat, vivificat ante pavefactas mentes.

In tertio capite Epistolae ad Galatas, cum longa disputatione docuisset Apostolus, non parari solius legis adminiculo iustitiam[92]), addit id quod obiici posse non inepte videbatur [vs. 19.:] Quid igitur lex? id est, si non profuit ad parandam iustitiam, quaeso quis eius fuit usus? Propter transgressiones, inquit, lex tradita est, id est, ut augeretur praevaricatio. Auget enim cognitio peccati, peccatum, cum quod implacabilius saeviat, cum cohercetur, tum quod indigne fert natura se confundi, et irascitur divino iudicio.

Hanc esse vim legis etiam docent typi
(35, b.) scripturae plerique, Exod. XIX. cum legem esset laturus deus, terrebatur mirifice populus, tonitru, fumo, fulgore, nubibus, clango-
66, a. re buccinae, et quibus non horrendis spectris? quae omnia perculsae conscientiae terriculamenta designant. An non vox populi, conscientiae labefactatae vox est? cum inquiunt. Non loquatur dominus nobis, ne forte moriamur. Et populum quidem sic consternatum mire sublevat Moses, non iam legis minister, sed Evangelista, cum ait. Nolite timere, ut enim probaret vos venit deus, et ut terror illius esset in vobis, et non peccaretis. O Evangelicam plane vocem Mosi, quam nisi audiat conscientia quomodo sustinebit illum horrendum vultum iudicis, Sed de Evangelica consolatione postea dicemus.

Iam ea[93]) e Mosi facie lux resplenduit, ut perstringerentur populo oculi. Id quod in caussa fuit, cur deinceps non nisi velata facie sese populo ostenderet. Non enim ferunt fulgorem divinae lucis, oculi aut mentes humanae.

In summa, fulgor, faces[94]) in monte, splendor in facie Mosi, plane indicant, ut cum Paulo loquar, gloriam dei qua cor humanum deus confundit. Iudicium dei est ista peccati cognitio. Cedant hinc sophisticae attritiones, et simulatae contritiones, cedant cauteriatae conscientiae hypocritarum.
Hic profunda cordis deus scrutatur. Tan- 66, b.
tum abest enim ut ratio humana videat peccatum suum, ut sanctos etiam et plenos spiritu oporteat pro ignorantiis supplicare. Exclamat David [Ps. 18, 13.], Delicta quis intelligit? Et [Ps. 24, 7], Ignorantias meas ne memineris. et hoc genus multa alias. Hiere. cap. XVII. [vs. 9.:] pravum et inscrutabile ait esse cor hominis. Ego dominus scrutans cor et probans renes. Et cap. XXXI. [vs. 18.:] Castigasti me domine, et eruditus sum, quasi iuvenculus indomitus. Converte me, et convertar, quia tu dominus deus meus. Postquam enim convertisti me egi poenitentiam, et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum et erubui, quom sustinui ignominiam pueritiae meae. Et quis est, qui se legem adsecutum putet, cum praecipiatur ut nosmet ipsos abnegemus, Matth. XVI. [vs. 24.]. In summa, proprium legis opus est peccati revelatio, aut ut clarius dicam peccati conscientia, et ut Paulus vocat Chirographum in dogmatibus, quod adversatur nobis. Sic enim Pau-
lus multo elegantius, multo certius difiniit (36, a.)
conscientiam, quam Sophistae sententiarii,
qui nescio quot practicos syllogismos con- 67, a.

91) ni lege] sic Editt. 3. 7. et In Genesin; Ed. 1. nisi in lege; Ed. 2. in lege.

92) iustitiam] Ed. 7. typoth. errore: institiam.

93) ea] *om.* Ed. 7. et In Genesin.

94) faces] sic Editt. 1—3.; Ed. 7. et In Genesin: facies.

cipiunt, dum vocabulum conscientiae describant. Quid enim aliud est conscientia peccati, quam legis sententia, in corde ostendens peccatum nostrum. [95] Nam quod | Paulus ait in Coloss. Epistola [2, 14.:] *χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν ὃ ἦν ὑπεναντίον ἡμῖν*, vult conscientiam Chirographum esse, idque in decretis, id est, quod per decreta, per legem adversatur nobis. |

Habes legis opus esse, revelationem peccati, porro cum peccatum nomino omnia genera peccati complector, externa, interna, hypocrisin, incredulitatem, amorem nostri, contemptum seu ignorantiam [96]) dei, ipsas scilicet | radices omnium humanorum operum. Et in iustificandis quidem peccatoribus, primum[97]) hoc opus dei est, revelare peccatum nostrum, confundere conscientiam nostram, pavefacere, terrere, breviter damnare, ut exemplum indicat Hieremiae, quod paulo ante citavi. Et ait Paulus [Gal. 2, 19.], Ego per legem legi mortuus sum. Et David II. Reg. XII. [2. Sam. 12, 13.] increpatione prophetae confusus exclamat, Peccavi domino. Et III. Reg. XXI. [1. Reg. 21, 27.:] Achab dirupit vestem etc. et
67, b. ut ait scrip|tura ambulavit demisso [98]) capite, et in secundo *παραλειπομένων* cap. XXXIII. [vs. 12.] scribitur de Manasse, quod sit coangustatus, utendum est enim scripturae verbo. Et in secundo capite histo|riae Apostolicae [Act. 2, 37.], his auditis compuncti sunt corde. Hic satis sit monuisse hoc opus legis initium esse poenitentiae, quo spiritus dei terrere ac confundere conscientias solet. Nam natura per sese peccati foeditatem non potest | cognoscere, tantum abest ut odisse possit. Animalis enim homo non sentit ea quae sunt dei. et ad Rom. VIII. [vs. 5.] Caro adfectat ea quae carnis sunt. Haec de poenitentiae initio tractant sophistae in quarto sententiarum, nos hic velut in vesti|bulo nostri operis. Nam iustificationem hominis, adeoque verum baptismum auspicatur mortificatio, iudicium, confusio, quae fit a spiritu dei per legem. Et sicut hinc nempe a peccati cognitione vita Christia na auspicanda est, ita a legis officio Christiana doctrina auspicanda est.

Non est operae pretium disputare, sit ne hic timor servilis, an, ut vocant, filialis. Permittamus hoc genus disceptationes otiosis inge niis. Quanquam hac de re plerique sic disputant ut satis adpareat eos ne- 68, a. (36, b.)
que quid servilis, neque quid filiorum metus sit intelligere.[99]) Certum est, odio peccati tangi nem|nem posse, nisi per | spiritum sanctum, certum item est sic conterritos fugere vultum dei, et conspectum, nisi spiritu dei retrahantur, revocentur ac confirmentur, ut clament cum Paulo [Act. 16, 30.], Domine quid me vis facere. Fugere conspectum dei conterritos lege, | docet historia in Exodo, cum appellat Mosen populus [Exod. 20, 19.:] Non loquatur dominus nobis ne forte moriamur. Et David. psal. CXXXVIII. [vs. 7.:] Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Extant testimonia abunde multa huius loci in scripturis, mihi satis visum est haec monuisse, quo discrimen legis et Evangelii certius teneretur. Vides autem quantum inter simulatam poenitentiam et veram intersit.

DE VI EVANGELII.

| Quos ad eum modum terruit conscientia, ii haud dubie ad desperationem adigerentur id, quod in damnatis usu venit, nisi promissione gratiae ac misericordiae dei (nam Evangelium dici constat) sublevarentur et erigerentur. Hic si credat | adflicta 68, b.
conscientia promissioni gratiae in Christo, fide resuscitatur[100]) et vivificatur, id[1]) quod mirifice declarabunt exempla.

In Genesi cap. III. Peccatum, poenitentia | et iustificatio Adae describitur. Posteaquam deliquissent Adam et Heva, et iam nuditati suae tegmen ac *περιζώματα* quaererent, Sic enim solemus hypocritae, conscientiis mederi per satisfactiones nostras, compellabantur a do|mino, Ea vero vox intolerabilis erat. Hic nihil perizomata, nullus praetextus excusabat peccatum. Iacet convicta, iacet rea conscientia, peccato

95) In marg. Editt. 2. 7. et In Genesin: Quid conscientia. (*om.* Ed. 1.).

96) ignorantiam] Ed. 7. et In Genesin: ignorationem.

97) In marg. Editt. 2. 7. et In Genesin: Principium poenitentiae.

98) demisso] sic Ed. 7. et In Genesin; Editt. 1. 2. dimisso.

99) In marg. Editt. 2. 7. et In Genesin: Timor servilis. Timor filialis. (*om.* Ed. 1.).

100) resuscitatur] Ed. 2. typoth. errore: resucitatur.

1) id] Ed. 2. male: id id

ob oculos posito per vocem dei. Fugiunt, et caussam fugae exponit Adam, cum inquit [Gen. 3, 10.:] Vocem tuam domine audivi in paradiso, et timui eo quod nudus essem. Ecce confessionem καὶ ἐξομολόγησιν conscientiae. Interim Adam misere secum luctatur, donec audit promissionem misericordiae, vocem de uxore dictam. Semen eius conteret caput serpentis. Nonnihil faciebat ad confirmandas eorum conscientias etiam quod dominus eos vestiit, haud dubia significatione incarnationis Christi, nam ea caro tandem operit nuditatem no- (37, a.) stram, et eximit confusionem paventibus 69, a. conscientiis, nempe, in quam opprobria exprobrantium incidere. Psal. LXVIII. Paulo ante Davidis meminimus, ut voce Nathan prophetae confusus sit. Et periisset ille quidem ni statim Evangelium audisset. Dominus sustulit peccatum tuum, non morieris. Sunt qui putant in veteris instrumenti historiis praeter allegorias nihil requirendum. Sed hic vides quantum sit eruditionis in uno hoc Davidis exemplo, si solam literam consideres. Immo ea sola est spectanda, in qua cum irae tum misericordiae suae opera spiritus dei nobis large exhibuit. Quae vox magis Evangelica cogitari potuit, quam haec? Dominus sustulit peccatum tuum. An non haec summa est Evangelii, seu praedicationis novi testamenti? Sublatum esse peccatum. Addes his si voles acervum historiarum Evangelicarum Lucae VII. [vss. 37 sqq.] Mulier peccatrix lacrumis lavat pedes domini, quam consolatur his verbis, remittuntur tibi peccata. Et quid vulgatius filii prodigi historia Lucae XV. confitentis delictum suum, quem pater quam amanter excipit, complectitur, oscula- 69, b. tur etc. Lucae V. Petrus stupefactus miraculo, adeoque perculsus corde exclamat [vs. 8.:]. Exi a me domine, quia homo peccator sum. Quem consolatur et revocat Christus, cum inquit, Noli timere etc. Ex his exemplis credo posse intelligi, quid inter legem et Evangelium intersit, quae vis sit legis, quae Evangelii. Lex terret, Evangelium consolatur. Lex irae vox est et mortis, Evangelium pacis et vitae, et in summa vox sponsi et sponsae, sicut propheta dicit. Et qui sic erectus voce Evangelii, credit deo, is iam iustificatus [2]) est, ut mox copiosius dicam. Non est obscurum Christianis, quantum gaudii, quantum laetitiae ista consolatio adferat. Atque huc pertinent laetae illae prophetarum voces, quibus describunt Christum et Ecclesiam. Esaiae XXXII. [vs. 18.:] Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciae et in requie opulenta. Item gaudium et laetitia invenietur in ea et vox laudis. Hiere. XXXIII. [vs. 6.:] Revelabo illis deprecationem pacis et veritatis, Et erit mihi in nomen et in gaudium et laudem et exultationem cunctis gentibus terrae. Sophon. III. [vs. 9.:] Reddam populis labium electum, ut invocent omnes no- 70, a.
men domini. Psal. XX. [vs. 7.:] Laetificabis eum gaudio etc. Et XCVI. [vs. 11.:] (37, b.) Lux orta est iusto et rectis corde laetitia.

Et quid attinet multa congerere, cum ex promulgatione legis, item ex Christi adventu satis adpareat tum legis, tum Evangelii vis. Etenim quam terribili spectaculo lex promulgata sit describitur. Exod. XIX. et nos paulo ante recensuimus. Sicut enim tum Israelem terrebat dominus, ita singulorum conscientiae terrentur voce legis, et una cum Israele clamant, Non loquatur nobis dominus, ne moriamur. Exigit lex impossibilia, coarguitur peccati rea conscientia. Hinc pavor, confusio, sic exercent conscientiam, ut remedii nihil usquam adpareat, ni ipse qui humiliavit erigat. Sunt qui suis viribus, conatibus, operibus ac satisfactionibus quaerunt consolationem. Sed ii non plus efficiunt, quam effecerat Adam suis perizomatis. Ita sunt qui se peccato sui arbitrii viribus, opponunt. eos subinde miserabilius ruere, res ipsa docet. Fallax enim equus ad salutem, in abundantia virtutis suae non salvabitur, psal. XXXII. [vs. 17.]. Et, Da nobis auxilium domine quia vana salus hominis. psal. CVII. [vs. 13.]. Contra Christi adventus describitur a pro- 70, b.
pheta Zacharia IX. [vs. 9.:] Exulta filia Zion, iubila filia Ierusalem. Ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator, ipse pauper. Primum cum iubet exultare, docet aliud esse verbum huius regis, quam lex sit, adeoque exprimit conscientiae gaudium, exultantis, ubi audierit verbum gratiae. Deinde nihil tumulti est, sed placida omnia, ut intelligas auctorem pacis esse, non irae. Hoc est quod pauperem vocat Zacharias, quod Evangelista velut exponens fecit man-

2) In marg. Edit. 2. 7. et In Genesin: Iustificatio quid. (*om.* Ed. 1.).

suetum. Et Esaias eodem spectat XLII. [vs. 3.:] Calamum quassatum non confringet, linum fumigans non extinguet.

Sic confert Mosi vultum, cum Christi vultu Apostolus in posteriore ad Corinth. [3, 13 sqq.] Terrebat Moses fulgore vultus, ut supra monuimus. Quis enim iudicii divini maiestatem ferat, cum id propheta etiam deprecetur. Ne in|tres in iudicium cum servo tuo. Christi gloriam cum in Thabor vident discipuli, quam novo, quam admirando gaudio perfunduntur. ita ut ignarus sui Petrus clamaret, Domine bonum
38, a. est nos hic esse, | faciamus tria tabernacu-|
71, a. la. Hic enim adspectus est gratiae et misericordiae dei. Sicut aheni serpentis conspectus servabat, ita servantur qui defixos in Christum oculos fidei habent. Iohann. III. [vss. 14 sq.]. Ideo aptissi-|mo nomine *εὐαγγέλιον* dixerunt Apostoli, laetum nuntium. Nam et graeci vulgo *εὐαγγέλια* vocarunt nuntia, praeconia publica rerum bene gestarum. Sicut est apud Isocratem, *δὶς ἤδη τεθείκαμεν εὐαγγέλια.* [3])

DE GRATIA.

Sicut lex peccati cognitio est, ita Evangelium promissio gratiae et iustitiae. Proinde quia de verbo gratiae et iustitiae, nempe de Evangelio dictum est, hic subiiciendae sunt gra|tiae et iustificationis formulae. Nam ita Evangelii ratio plenius cognosci poterit.

Hic vero merito quis expostulet cum scholasticis, qui sacro sancto vocabulo gratiae tam foede abusi sunt, cum pro qualitate, quae | sit in animis sanctorum usurpant, et pinguissime omnium Thomistae, qui qualitatem, gratiam, in animae natura posuere. fidem, spem, caritatem, in potentiis animae. Atque hic quam aniliter, quam
71, b. stulte digladiantur de potentiis | animae. Sed sordescant prolixe [4]) impii homines, et contempti Evangelii poenas dent nugando. Tu mi lector precare ut Evangelium suum cordibus nostris revelet spiritus | dei. Est enim verbum spiritus, quod doceri nisi per spiritum non potest, id quod Esaias [54, 13.] ait, omnes esse *θεοδιδάκτους*.

In literis novi testamenti fere gratiae voca- I
bulum usurpatum est pro hebraico חן[5]) quod | *χάριν* verterunt septuaginta Interpretes, ut Exodi XXXIII. [vs. 12.:] Invenisti gratiam coram me etc. et saepe alias. Significat autem plane id quod latinis favor, atque utinam verbo favoris uti maluissent interpretes, quam vocabulo gra|tiae. Defuisset enim hoc loco ineptiendi occasio Sophistis. Proinde sicut grammatici dicunt Iulium favere Curioni, cum significant in Iulio esse favorem, quo sit complexus Curionem. Ita in sacris literis gratia favorem designat, estque |gratia seu favor in deo, quo complexus est sanctos. Facessant Aristotelica figmenta de qualitatibus. Non aliud enim est gratia, si exactissime describenda sit, nisi dei benevolentia erga nos, seu voluntas dei miserta
nostri. | Non significat ergo gratiae voca- 72, a.
bulum qualitatem aliquam in nobis, sed po- (38, b.)
tius ipsam dei voluntatem, seu benevolentiam dei erga nos.

Paulus ad Ro. V. [vs. 15.] distinguit a II
gratia do|num.[6]) Si unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia dei, et donum in gratia, ea, quae est unius hominis Iesu Christi, in multos exundavit. Gratiam vocat favorem dei, quo ille Christum complexus est, et in | Christo, et propter Christum omnes sanctos. Deinde, quia favet, non potest deus, non effundere dona sua in eos quorum misertus est. Sic homines, quibus[7]) favent, eorum res adiuvant, iis sua impertiunt. Donum ve|ro dei est ipse spiritus sanctus, quem effundit deus in corda suorum. Iohann. XX. [vs. 22.:] Insufflavit et dixit, Accipite spiritum sanctum. Et ad Ro. VIII. [vs. 15.:] Accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus abba pater. Porro spiri|tus sancti opera sunt in sanctorum cordibus, fides, pax, gaudium, caritas etc. Ad Galatas quinto [vs. 22.]. Petrum Longobardum quod alicubi spiritum sanctum potius gratiam vocarit, quam Parisiensem,
hoc est, fictitiam | illam qualitatem, mirum 72, b.
est quo supercilio tractent Sophistae, qui tamen quanto rectius, quam isti, sentit?

Sed nos simplicissime nomenclaturam | III.
hanc facimus gratiae, secuti phrasin scri-

3) Ed. 7. addit in marg.: Et Demost[h]enes pro Ctesiphonte dixit *εὐαγγελιζόμενον*, pro bene precante.

4) prolixe] sic recte Editt. 3. 7.; Ed. 1. proliue, Ed. 2. prolive.

5) חן] *om.* Ed. 1.

6) In marg. Editt. 2. 7.: Differentia gratiae et doni. (*om.* Ed. 1.).

7) est. Sic homines, quibus] Ed. 7.: est, sicut homines. quibus

pturae, ut sit gratia, favor, misericordia, gratuita benevolentia dei erga nos. Donum, ipse spiritus sanctus, quem in eorum corda effundit, quorum est misertus. Fructus spiri|tus sancti fides, spes, caritas, et reliquae virtutes. Et haec quidem de nomine gratiae. In summa, non aliud est gratia, nisi[8]) condonatio seu remissio peccati. Donum est spiritus sanctus regenerans et sanctificans corda. | Iuxta illud [Psalm. 103, 30.], Emitte spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terrae. Tam gratiam, quam donum promittit Evangelium. In promptu sunt scripturae, quare satis videtur unum locum indicasse. Hiere. XXXI. [vs. 33.:] Post dies illos | dicit dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, quae verba certe ad donum pertinent. Ad gratiam ea quae sequuntur. Omnes cognoscent me a minimo eo-
73, a. rum usque ad maximum, ait dominus, | quia
(39, a.) propitiabor[9]) iniquitati eorum, et peccati eorum non recordabor amplius.

DE IUSTIFICATIONE ET FIDE.

I. Iustificamur igitur cum mortificati per le|gem, resuscitamur verbo gratiae, quae in Christo promissa est, seu Evangelio condonante peccata. et illi fide adhaeremus, nihil dubitantes quin Christi iustitia sit nostra iustitia, quin Christi satisfactio, sit expiatio | nostri, quin Christi resurrectio nostra sit. Breviter nihil dubitantes quin peccata nobis condonata sint, et iam faveat ac bene velit deus. Nihil igitur operum nostrorum, quantumvis bona aut videantur, aut sint, iustitia sunt. Sed sola FIDES de misericordia et gratia dei in Iesu Christo IUSTITIA est. Atque hoc est, quod ait propheta, et toties iactat Paulus. Iustus ex fide vivit. Ro. III. [vs. 22.:] Iustitia dei per fidem Iesu Christi, id est, Iam | manifestata est non operum hypocrisis, quam pro iustitia homines reputent, sed eiusmodi iustitia est revelata, quam deus pro iustitia reputat. Nempe ea quae est per fidem Iesu Christi.
73, b. Et ad Ro. IV. [vs. 5.:] CREDENTI re|putatur fides ad iustitiam. Et Genesis XV. [vs. 6.:] Credidit Abraham deo et reputatum est ei ad iustitiam. atque has duas quidem sententias, ob hoc volo tibi commendatiores esse, | ut intelligas apposite dici fidem, iustitiam. Offenduntur enim hac loquendi forma sophistae, cum dicimus fidem esse iustitiam. Sed ut fidei naturam ac vim propius contemplemur, paulo altius eius ὑπογϱαφὴ repetenda est.

Satis constat vulgus Sophistarum fidem II.
vocare adsensum eorum quae scripturis prodita sunt, deinde eam esse fidem etiam impiorum. Credere etiam iniustos, esseque otiosam in anima qualitatem, communem impiis cum | piis. Et ne non elabantur cum vident scripturam [Rom. 1, 17.] dicere, Iustum ex fide vivere. Item ex fide iustitiam esse fingunt aliam fidem formatam, id est, cum caritate coniunctam. Aliam informem, id est,[10]) eam quae fit etiam in impiis, | carentibus caritate. Adeoque caussantur homines acuti, Apostolum falso tribuisse fidei, id quod caritatis erat, ut hac velut illecebra ad fidem quamplurimos invitaret. Iam et fidem infusam, et acquisitam, ac gene|-
ralem et specialem, et nescio quae por- 74, a.
tenta verborum finxerunt. (39, b.)

Sed mittamus ista nugamenta, nam paulo post coarguemus sophistas ipsius rei con|ditione, ut permittant nobis fidem non esse, id quod sic ipsi nominarunt.

Non obscura vox prophetae est [Psalm. 52, 1.], Dixit insipiens in corde suo, non est deus. Et vulgatissimum est illud Pauli I. Corinth. II. [vs. 14.:] Animalis | homo non percipit ea quae sunt spiritus. Et Ezechiel. XXIX. [vs. 9.:] Meus est fluvius, et ego feci meipsum. Huiusmodi sententiae testantur, carnem nihil nisi carnalia sapere aut cognoscere. Esse deum, dei ira, dei misericordia, spiritua|lia sunt, non possunt igitur a carne cognosci. Proinde quidquid de deo cognoscit natura, sine spiritu dei instaurante et illustrante corda nostra, qualecunque sit, frigida opinio est, non fides[11]). adeoque nihil nisi simulatio et hy|pocrisis, ignoratio dei et contemptus. Quanquam hanc ipsam hypocrisin non cernant carnales oculi. Spiritus autem omnia diiudicat. Et ut exemplis res agatur. Fidelis videtur

---

8) nisi] Ed. 7. quam.

9) pertinent. Ad gratiam . . . quia propitiabor] Ed. 7. pertinent, Omnes cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, ait dominus. Ad gratiam quae sequuntur, quia propitiabor

10) cum caritate coniunctam. Aliam informem, id est,] *haec exciderunt* Ed. 7. *ob homoeoteleuton.*

11) In marg. Editt. 1. 2. 7.: Fidem sive informem sive acquisitam vocent scholastici, non esse fidem, sed opinionem.

fuisse Saul in speciem, sed hypocrisin de-
74, b. clarat eventus. | Quia non credebat (ex corde dico) res tantas, quas gerebat, divinitus administrari, dona et opera misericordiae dei esse, sed ex suis consiliis pendere, aestimabat. Nam de | cordis adfectu loquor, nec timebat iram dei, nec fidebat benignitate. Eum dei contemptum declarat, cum non expectato Samuele ipse sacrificat, ne a Palaestinis antevortatur. I. Reg. XIII. [1. Sam. 13, 9.] et rursus, cum gentium more sibi tro phaeum erigit. I. Reg. XV. Erat in Saule opinio, esse deum, esse vindicem peccati, esse mericordem. Alioqui cur sacrificasset? sed fides non erat, hoc est, ut egregio scripturae verbo utar, non requirebat. Er acht seyn | nicht, cor ignorabat tum severitatem tum bonitatem dei. O[12]) horrendum et miserabile spectaculum, si hanc cordis impietatem contingat oculis spiritualibus cernere. Quaeso te dispice vitam tuam, et ex fructibus quo ad | potes aestima hanc cordis tui immundiciem. Nonne ideo declinas, ut cum scriptura loquar, et ad tuas cupiditates deflectis animum, sollicitus es ideo de victu, fama, vita, liberis, con-
75, a. iuge, quia deo parum fidis, quia am | plitu-
(40, a.) dinem, misericordiae divinae non expendis. Nonne ideo ruis in alia subinde scelera, quia de gratia, de misericordia dei, erga te desperas? haud dubie facturus et passurus | omnia gratissimo pectore, si salutis tuae certam spem concipere posses. nonne rem facis, ad opes adspiras quacunque tandem ratione, quia iudicium dei non times. At timeres certe, si ex corde crederes, si vim irae dei pos | ses animo concipere. Atque hanc insipientiam, hanc ignorationem, hanc caecitatem cordis noto, cum nego fidem esse in natura. Maius omnino et certius aliquid fides est, quam, quod possit comprehendere caro. |

Proinde illa Sophistica fides, quam vocant tum informem, tum acquisitam, qua sic adsentiuntur historiae Evangelicae impii, ut solemus vulgo Livianae, aut Salustianae. non fides, sed opinio est, hoc est incerta, in | constans et fluxa animi cogitatio, de verbo dei. Habes quid de scholastica fide sentiendum sit, habes nihil docere Sophistas nisi mendacium, vanitatem, et hypocrisin. Quod si videor hic de eorum dog-
mate aliquid du | rius dixisse, non mihi, sed 75, b.
Paulo irascantur, FICTAM fidem[13]) adpellanti hypocrisin, I. Timoth. I. [vs. 5.:] Finis praecepti caritas est de corde puro, et conscientia bona, et FIDE NON | FICTA. Simulari igitur fidem alicubi indicat. Et de hypocritis ait ad Titum I. [vs. 15.:] Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus, nihil est mundum, sed inquinatae sunt eorum mens et conscientia. Profitentur se | nosse deum, factis autem negant, cum sint abominabiles, inobedientes, et ad omne opus bonum reprobi. Quo loco si fides impiorum erat vere fides, loquitur enim certe de piis in speciem, non debuit infideles dicere se | carita | tis expertes, sicut Parisienses loquuntur. Fictam fidem ad Timotheum tribuit hypocritis, hic infideles vocat. Quare non est cur de fide formata et informi distinguamus. Plane enim non est fides illa de credendis seu de divina | historia opinio, quam sine spiritu sancto conceptam habent hypocritae. Non adsentitur verbo dei natura, adeoque nec movetur. Solebam quondam historicam fidem docendi gratia voca-
re, illam acquisitam informem | nunc pror- 76, a.
sum non fidem, sed opinionem adpello. (40, b.)
Quae diximus eo pertinent, ut scias simplicissime uti verbo fidei scripturam, nec vocari posse fidem, illam Parisiensem quali | tatem, quae etiam in impiis est, et contemnentibus dei. Damnati vero non ut dent gloriam verbo dei, credunt. Sed experientia coacti, quae certe fides vocari non potest. Idem de desperabundis dici potest, sicut de Cain, | Saule. Quid enim inter hos et damnatos interest? Quid igitur fides? constanter adsentiri omni verbo dei. id quod non fit, nisi renovante et illuminante corda nostra spiritu dei. Porro verbum dei cum lex est, tum | Evangelium. Legi minae sunt adiectae. Timorem scriptura vocat, quo minis illis creditur, Fidem qua Evangelio, seu promissionibus divinis fiditur. Non iustificat sine fide timor.[14]) Nam alioqui etiam desperabun | di, damnati iustificarentur. Non enim qui ad eum modum timent, glorificant deum aut omni verbo dei credunt. Nam promissionibus non cre-
dunt. Iustificat igitur sola fides. | 76, b.

---

12) O] *om.* Ed. 7.

13) In marg. Editt. 2. 7.: Ficta fides. (*om.* Ed. 1.).

14) In marg. Editt. 1. 2. 7.: Non potest esse timor filialis, nisi in habentibus fidem.

IIII.[15] Est itaque fides.[16] non aliud nisi fiducia misericordiae divinae, promissae in Christo, adeoque quocunque signo. Ea fiducia benevolentiae, seu misericordiae dei cor primum pacificat, deinde et accendit velut gratiam acturos deo pro misericordia, ut legem sponte et hilariter faciamus. Alioqui quoad non credimus, non est in corde sensus misericordiae dei. Ubi non est sensus misericordiae dei, est aut contemptus dei, aut odium. Quare quantacunque legis opera fiant sine fide, peccatur. Atque hoc est quod Paulus ait ad Ro. XV. [14, 23.:] Quidquid non est[17] ex fide, peccatum est.[18] Quae sententia fidei vim atque naturam clarissime exponit. Nam quidquid fit a natura fit aut odio dei, cuiusmodi opera sunt eorum, qui inviti, metu legis et poenarum bene operantur. Nam cum sine fide bona opera simulamus, nonne sic cogitat cor nostrum. Ego quidem, quod potui feci, sed nescio utrum probet mea opera deus, aut improbet. Severus iudex est, nescio utrum sit mei misertus, an contra. Ea cogitatione qui fieri potest, ut non irascamur iudicio dei. Et in hac hypocri-
77, a. si cum magna molestia cordis maxima
(41, a.) pars homines vivunt, qui quam prave iudicent, vel hinc adparet. Debebant enim non opera sua, sed promissionem misericordiae dei contemplari. Quid est enim iniquius quam AESTIMARE VOLUNTATEM dei ex nostris operibus, quam ille ipse suo verbo nobis declararit. Iam magna hominum pars cum contemptu dei vivit, ita operatura, ita victura, etiam si displiceat deo. Eiusmodi sunt opera quae sine fide fiunt, hoc est, quae cum odio dei, aut cum contemptu dei fiant. Est ergo pulcherrime dictum Ecclesiastici XXXII. [vs. 27.:] In omni opere tuo crede ex fide animae tuae, haec est enim conservatio mandatorum. Qualiacunque sint opera, comedere, bibere, laborare manu, docere addo etiam, ut sint palam peccata, non est, quod opera spectes, promissionem misericordiae dei specta, eius fiducia nihil dubita quin iam non iudicem in coelis, sed patrem habeas, cui tu sis curae, non aliter atque sunt parentibus filii inter homines. Quod si voluntatis erga nos divinae nulla esset significatio praeter hanc, quod voluit adpellari se patrem, in ea prece, quam quo- 77, b.
tidie dicimus, sola haec satis magno argumento esset, nihil exigi a nobis prius fide. Nunc cum hanc toties exigat deus, cum hanc toties unam probet, cum hanc nobis locupletissimis promissionibus, adeoque per mortem filii sui commendarit, quid est, cur non illi nos tantae misericordiae committamus et credamus? Scolastica theologia pro fide, pro anchora conscientiarum, opera, satisfactiones hominum docuit. Male perdat deus scandalum illud Ecclesiae suae.

V Habes, in quam partem fidei nomen usurpet scriptura, nempe pro eo quod est fidere gratuita dei misericordia, sine ullo operum nostrorum sive bonorum sive malorum respectu. Quia de Christi plenitudine omnes accipimus. Iam omni verbo dei minis et promissionibus, historiae divinae vere adsentiuntur qui sic fidunt. Scholastica fides nihil nisi mortua opinio est. Nam quomodo credunt omni verbo dei? qui promissam remissionem peccatorum non credunt? Non enim valet quod dicunt Sophistae impios credere, non sibi quidem, sed aliis remis- 78, a.
sionem peccatorum contingere. Quaeso enim an non iis quoque impiis promissa (41, b.)
est condonatio peccatorum? sed non instituimus disputare, contenti paucis indicasse quid nomine fidei significaretur.[19] Extat Lutheri libellus de Christiana libertate, e quo qui volet fidei commendationes alias requirat. Porro fidei vim, opinor e scripturae exemplis clarius cognoscemus.

Genesis XV. [vs. 1.] promittit misericordiam suam Abrahae deus verbis magnificis. Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, et merces tua magna valde. Paulo post pollicetur etiam posteritatem. Sequitur[20] autem, Credidit Abraham deo, et reputatum est ei ad iustitiam. Quid igitur credebat Abraham? non aliud nisi esse deum immo et promissioni dei credidit,

15) IIII.] sic recte Ed. 7.; Editt. 1—3.: II.

16) In marg. Editt. 1. 2. 7.: Quid fides (Ed. 7. typoth. errore: fide).

17) est] *om.* Ed. 7.

18) In marg. Editt. 1. 2. 7.: Locus Pauli. Peccatum est, quidquid non ex fide.

19) significaretur] Ed. 7. significetur.

20) posteritatem. Sequitur] Ed. 7. posteritatem, adeoque et Christum. Nam cum posteritatem expectat Abraham, Christum expectat. Sequitur

eamque[21]) fidem deinde declaravit egregio exemplo, cum filium esset immolaturus, nihil dubitans, quin daturus esset deus posteritatem, etiam hoc filio necato. Iam cum fides sit adsentiri verbo dei, quid crediderit Abraham ex promissione quoque satis apparet, cum se protectorem illi addicit deus. Ergo credunt qui pro protectore,
78, b. pro patre, deum habent, non pro iudice tantum. Exodi XIIII. fremunt Israelitae per diffidentiam, cum fugam suam[22]) intercluderent maria, montes, et hostis a tergo instaret. Hos iubet consistere Moses, visuros magnalia dei, et addit promissionem, Dominus pugnabit pro vobis et vos tacebitis. Quid si hic de fide disputassent pro more scholarum nostrarum Israelitae. Satis esse si historiae credant, quod sit deus, quod malis poenas, bonis praemia dispenset, se quoque malos esse et fieri posse, ut punire velit utrosque tum Aegyptios, tum Israelem. Sed credebant divinae voci, divinis miraculis, fidebant misericordia dei, ut maxime ipsi quoque mortis essent rei, atque ita committebant se alveo per fidem. Et iam hoc exemplo experti voluntatem dei erga se, cum viderent se servatos, Aegyptium perisse undis, timuerunt, inquit, dominum, et crediderunt domino, et Mosi servo eius. Et ea quidem nobis exempla sunt exhibita, ut discamus credere, non illa quidem Sophistica fide, sed hac fiducia verbi dei, qualem fuisse in Mose vides hoc loco etc.

79, a. (42, a.) Qualem autem fidem exigit in Numeris XIIII. cum desperaret de Palaestina occupanda populus? Ait enim dominus. Usquequo detrahet mihi populus iste? quousque non credent mihi in omnibus signis quae feci coram eis? Et capite XX. [vs. 12.] Irascitur Mosi et Aharon, quod non credidissent aquam e petra promanaturam. Credebat certe Aharon, credebat Moses esse deum, sed de divina voce dubitabat, qua promissa erat aqua e petra. Eam incrudulitatem taxat dominus.

Aut de qua fide loquitur Moses Deutero. I. [vs. 31.:] Portavit te deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum in omni via, per quam ambulastis donec veniretis ad locum istum. Et ne sic quidem credidistis domino deo vestro, qui praecessit vos in via etc. Habebant illi certe fidem informem, habebant fidem acquisitam, sed promissionibus misericordiae dei non fidebant, non erant erecta corda eorum fiducia misericordiae dei. vivebant in incredulitate, contemnentes verbi dei, opus dei, reductionem ex Aegypto indigne ferebant, ideo eius incredulitatis poenas dedere, haud dubie alias boni viri in speciem. 79, b.
Haec est hypocrisis hominum, qui ad eum modum fucati sunt bonis operibus, cor autem non est erectum, fiducia et gaudio in deo, cum hanc unam fiduciam requirat deus, cum illius unius confirmandae gratia, filium dederit, ne de bona voluntate erga nos sua dubitemus, ut ponamus in deo spem nostram, et non obliviscamur operum dei, et mandata eius requiramus. Psal. LXXVII. [vs. 7.] Item I. *παραλειπομένων* V. [vs. 20.:] Deum invocaverunt, cum praeliarentur, et exaudivit eos, eo quod credidissent in eum. Et II. *παραλειπομένων* XVI. [vs. 9.:] Oculi domini contemplantur universam terram, et praebent fortitudinem his qui CORDE PERFECTO credunt in eum. Ubi Asam regem Iuda propheta Anani taxat, Syrorum auxiliis fidentem. Verum haud scio, an usquam fidei vim exemplo potiore exhibeat scriptura, quam id est quod de Iosaphat. II. *παραλειπομένων* XX. [vss. 21 sqq.] legitur, cum ille Ammonitas, et Moabitas solo cantu funderet, nec aliud praecepisset exercitui suo, quam ut consisterent confidenter. Eiusmodi est et Ezechiae exemplum.

Quam fidem autem requirebat ab Achaz Esaias, cap. VII. cum vetat auxilia Assy- 80, a. (42, b.)
riorum implorare, polliceturque opem divinam, addens [vs. 9.], Si non credideritis, non permanebitis.

Plenae sunt huius generis exemplorum sacrae historiae omnes, erit igitur pii ac studiosi lectoris, et pro discenda fidei ratione, et pro[23]) confirmanda conscientia decerpere exempla. Repetemus autem aliquot locos etiam ex literis novi testamenti, vel in hoc ut intelligatur idem spiritus esse historiarum utriusque testamenti.

Et ut hinc ordiar, Actuum XV. negat Petrus operibus legis iustificatos patres,

21) ad iustitiam. Quid igitur ... credidit, eamque] Ed. 7. ad iustitiam. Eamque

22) suam] *om.* Ed. 7.

23) pro] *om.* Ed. 7.

quanquam in lege viverent. sed fide. additque [vs. 9.] fide purificari corda. quae nisi tu intelligas. sicut ipse exponit. de fiducia gratiae et misericordiae dei. iam toto erras coelo, qui enim fieri poterit, | ut fides scholastica corda purificet? Vult ergo Petrus omnia opera patrum Davidis, Esaiae, Hieremiae peccata fuisse, iustificatos autem esse sola fiducia misericordiae dei in Christo promissae. Sicut saepe prophetae
80, b. de se testantur. | Haec fiducia bonae voluntatis dei spargitur in omnem vitam, in omnia opera, in omnes tentationes corporales et spirituales.

VI Una eademque fides[24]) est, qua creditur deo, | qua fiditur bonitate dei, qualicunque tentatione. Spiritualis ten|tatio illa mulieris peccatricis erat Lucae VII. quam erexit Christus inquiens [vs. 48.], remittuntur tibi peccata tua. Item [vs. 50.:] Fides tua te salvam fecit, vade in pace. Cor|poralia erant pleraque cum morbos curaret, et incredulitatem discipulorum in re corporali arguit. Matth. XVI. cum illi de panibus essent solliciti. Sic enim increpat [vs. 8.], Quid cogitatis inter vos modicae fidei? etc. Et patris curam de suis | in re corporali quoties inculcat? Matth. VI. [vs. 32.:] Scit pater vester, quod his omnibus opus habetis. Et X. [vs. 31.:] Multis passeribus meliores estis vos. Et huiusmodi corporalia non contemnenda rudimenta sunt exercendae fidei. |

Haec moneo ne quid laboremus distin-
VII guendis pro|missionibus divinis.[25]) Sunt enim aliae rerum corporalium, ut veteris testamenti omnes. Aliae spirituales, quae
(43, a.) proprie ad novum testamentum | pertinent.
81, a. Sic enim sentio nec pro|missionibus corporalibus credere ex corde nisi iustos. Et corporalium rerum promissione misericordiam suam declarasse deum, quo argumentari facile poterant sancti, multo | magis animas suas curae esse deo, si curae fuissent corpora. Nec desinere patrem esse animarum, qui corporibus patrem egisset. Hoc est quod ante dixi, etiam corporalium rerum promissiones per se fuisse promissionem gratiae, | obscuram quidem sed tamen habentibus spiritum dei satis cognitam. Iam et Mosi precanti pro populi peccato, in Numeris cap. XIIII.[26]) [vss. 19 sq.] condonatur peccatum populi. Et lex cum promissione gratiae lata est. Exod. XX. [vss. 5 sq.:] Ego sum | dominus deus tuus faciens misericordiam in millia his qui diligunt me et custodiunt praecepta mea. Et sacrificia pro peccato tradita sunt, quae necesse est fateamur fuisse signa remissionis peccatorum fidelibus. | Non | quaero allegorias, sed historiam volo promittere misericordiam in eo ipso quod corporalia beneficia promissa sunt. Atque huc pulcherrime quadrant pleraeque historiae, ut Genesis XXVIII. [vs. 20.] ait Iacob, Si fuerit dominus mecum et custodierit me in via per 81, b.
quam ego ambulo et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum etc. [vs, 21.:] erit mihi dominus in deum. Fidem misericordiae et | bonitatis dei efficacissime nobis commendavit Moses exemplis operum et promissionum corporalium. Deutero. VIII. [vs. 3.:] Adflixit te penuria et dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu et patres tui, ut OSTENDERET tibi, quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore dei. Adeo verbum vitae est, quocunque misericordiam dei cognoscit cor humanum. Huius formae exempla fidei recensentur | ad Hebr. XI.[27]) quorum pleraque ad res corporales pertinent. Et cur non ad hunc locum accommodamus totum illud caput.

Principio fidem sic definit,[28]) Fides est sperandarum rerum hypostasis, id est, expectatio,[29]) cer|titudo non apparentium. Hanc ὑπογραφὴν fidei eiusmodi glossematis detorserunt ad sua somnia sophistae, et ad carnalem illam opinatiunculam, quam fidem vocarunt ut plane nihil Apostolicae sententia | intelligeretur. Pro|inde nos simpli- (43,b.)
cissima verba simplicissima sententia fere- 82, a.
remus. Fidem esse certitudinem eorum quae non adparent. Obsecro quid est certitudo? at divinarum ac spiritualium rerum nihil | certo tenet natura, nisi per spiritum sanctum illustrata. Iam et sperandarum re-

24) In marg. Editt. 1. 2. 7.: Unam fidem esse, quae omnibus verbis dei credit.

25) In marg. Editt. 1. 2. 7.: De promissionibus corporalibus et spiritualibus.

26) XIIII.] sic scripsi; Editt. 1. 2. 7. male: XIII.

27) In marg. Editt. 2. 7.: Locus ad Heb. XI. (*om.* Ed. 1.).

28) In marg. Editt. 2. 7.: Simplicissima definitio fidei. (*om.* Ed. 1.).

29) expectatio] Ed. 7. argumentum.

rum expectationem[30] adpellat. Non est igitur fides credere minis tantum, immo hoc potius timorem vocat scriptura, sed et promissionibus credere, hoc est fidere misericordia et bonitate dei, adversus iniuriam mundi, peccati, mortis, adeoque portarum inferi. Viden expectationem[30] rerum quae sperantur adpellari fidem. Non credunt igitur, qui non expectant promissam salutem. At dices, credo promissam salutem, sed aliis obventuram. Sic enim sentit caro. Sed audi, An non haec tibi quoque promissa sunt? An non in omnes gentes praedicatum est Evangelium? non credis igitur ni tibi quoque salutem promissam credas. Certa impietas et infidelitas est, non omni verbo dei credere, aut credere non posse, quod et tibi sit promissa remissio peccatorum.

Subiicit autem definitionis exempla Epistola ad Hebraeos. [11, 3.:] Fide intelligi-
82, b. mus conditum esse mundum verbo dei, ut invisibilium scilicet divinitatis, et virtutis eius visibilia scilicet opera divinae potentiae fierent. Sic enim hic locus cum eo qui est in Romanis [1, 20.] convenit. Hic vero Sophistae obstrepent, inepte a nobis aliam requiri fidem praeter historicam, cum Epistola ad Hebraeos hic de historia tantum, nempe conditi mundi, loquatur. Sed audi, quomodo quadrabit ad definitionem fidei praescriptam hoc exemplum, si ad solam historicam fidem pertinet? Proinde fidem historiae de mundo condito,[31] non opinionem tantum illam vulgarem, quae gentibus etiam, quae Saracenis persuasa erat, sed cognitionem potentiae et bonitatis ab opere creationis collectam vocat. Ea fides non alia erat, quam vel Petri, vel Pauli. Nam ut potentiam dei intelligit Petrus in resurrectione Christi, ut bonitatem, ut misericordiam intelligit, cum credit pro se Christum victimam ac satisfactionem fuisse. Adeoque nullo opere suo, sed simpliciter misericordia dei fidit, quam in Christo pollicitus est. Ita qui
(44, a.) 83, a. spiritu rerum conditionem aestimat, is et potentiam dei videt auctoris tantarum rerum, et bonitatem cum se omnia velut e manibus creatoris sentit accipere, vitam, victum, sobolem, et illa permittit creatori, ut temperet, regat, administret, suppeditet, pro sua bonitate, quae libet. Haec fides est de rerum conditione, non frigida opinio, sed vivacissima cognitio tum potentiae, tum bonitatis dei, effundentis se in omnes creaturas, regentis et administrantis omnes creaturas[32]), quam si possem explicare, ut rei dignitas postulat, quantum chartarum insumerem in hunc unum locum. Quanquam qui vere credit, quae sit fides de rerum creatione,[33]) spiritu facile aestimabit. Fortasse ridebunt haec Sophistae, sed rideant sane, dum refutare non possint, quae ego tam firma esse scio, ut ne ab inferorum quidem portis possint convelli. Vocat Paulus creationis fidem, augustius et vivacius quiddam, quam opinionem sophisticam, cum ad Romanos I. [vs. 20.] ait, Invisibilia dei nempe sempiternam virtutem, et divinitatem conspici, per visibilia. Porro virtus dei seu divinitas, quid nisi potentia et bonitas est? Et Actuum XIIII.
[vs. 16.:] Non sine testimonio se reliquit 83, b.
benefaciens, de coelo dans pluviam et tempora fructifera. Et quam suaviter oblectat se David meditatione creationis, Psal. CIII. [vs. 24.:] Omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tui. Item, [vss. 27 sq.:] Omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore. Dante te illis colligent, aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate. Quaeso te ad eum modum mysterium creationis tractare potest caro? aut illud carnalium somniorum chaos philosophia, quae cum contingenter evenire res arbitretur, plane negat opus creationis. Itaque sicut legis populus potentiam ac bonitatem dei cognovit, in eo quod vindicatus est a servitute Aegyptiaca. Sic enim ait Exodi XX. [vs. 2.:] Ego sum dominus deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypto, de domo servitutis etc. et ante[34]) legem promulgatam cognoscebant patres, in[35]) iis quae cum Abraham, Isaac, Iacob gesserat. Quare deum Abraham etc. vocant. Ita ante hos creatio rerum erat signum certum et forma, e qua cognoscebatur deus. Sic Abel, sic alii sancti credidere, quanquam horum fidem quoque excitavit promissio de capite serpentis conterendo per semen Hevae. Ideo subiicitur,

---

30) expectationem] utroque loco Ed. 7. pro illa voce habet: argumentum.

31) In marg. Editt. 2. 7.: Fides historiae de creatione. *(om.* Ed. 1.).

32) regentis et administrantis omnes creaturas,] *haec omisit* Ed. 7. *ob homoeoteleuton.*

33) creatione] Ed. 2. typoth. errore: cratione.

34) et ante] Ed. 7. et ut ante

35) patres, in] Ed. 7. patres deum, in

84, a. Fide potiorem hostiam Abel[36]. quam Cain (44, b.) obtulit. Erat in utroque dubio procul historiae scientia. alioqui cur offerret Cain? Ergo cum fidem Abelo tribuit, non Cain, non aliquam historicam opinionem designat. sed fidem glorificantem deum, bene sentientem de deo, fidentem divina misericordia etc. Hac fide vincebat Abel, per hanc fidem consecutus est testimonium, quod esset iustus. Id quod diligenter adnotavit auctor Epistolae, ut admoneret fidem esse, quae pro iustitia reputaretur, non hostiam, non ullum opus. Fide Enoch[37]) translatus est ne videret mortem, hoc est, quia credidit Enoch, deo placuit. atque ita. ut in ipso patribus ostenderet et argumentum et spem vitae melioris, cum eum transferret. Quid enim attinet quaerere quorsum sit translatus, modo intelligamus[38]) eum velut specimen vitae et certissimum argumentum immortalitatis exhibitum patribus ad confirmandam eorum fidem. Iam quod sequitur, sine fide impossibile est placere deo, credere enim oportet accedentem ad deum, et quod sit, et quod inquirentibus se, remunerator sit, vides quam non possit de sophistica fide

84, b. intelligi, qua satis constat non confidere deo hypocritas quod misertus sit, quod benevelit, quod sit salvaturus. Nam si interroges eorum corda, nonne ita respondebunt, Nescio utrum deo sint accepta opera mea, nescio utrum possim salvari, Scio quidem promissam salutem, scio deum esse misericordem, sed fortasse mecum non aget pro misericordia. Ista mei rationem maiestas non habet, et hoc genus impia multa. Quanquam ne haec quidem, quae de dei iudicio loquuntur impii, ex vero corde proficiscuntur. Contemnunt enim dei iudicium, non timent, donec a deo confunduntur. Esset autem debellatum nobis, si cor magnitudinem bonitatis, et amplitudinem gratiae concipere posset, atque ita[39]) confidere. Non est oblitus tui deus, tanta eius misericordia est, ut si te ei credas, servet, tueatur, salvet. confide igitur. Quorum corda ad eum modum erecta sunt sensu bonitatis dei, quae credunt SIBI eventura, quae promisit deus. ea demum vere credunt deum esse remuneratorem. Immo ea quoque tandem vere credunt deum. Non credunt enim impii, sed frigida opinione tenen- (45, a.)

tur, cui non adhaeret profunditas cordis. 85, a.

Fide Noe[40]) responso accepto, metuens ea quae nondum videbantur, paravit arcam ad salutem domus suae. Ecce duo complectitur Nohae fides, minas et promissionem. Atque id est, quod ante dixi, nulli verbo dei impios credere, nec minis, nec promissionibus. Nohe deo gloriam veritatis tribuit, ideo et minas formidat, et promissione salutis, adeoque misericordia fidit. Multi, ne dubita, illis quoque temporibus fuere hypocritae qui fidem simularunt, esse deum, esse malorum vindicem, esse bonorum servatorem. Sed hos illae dei minae nihil moverant. Quare? quod non crederent vero corde, nec movit promissio salutis, per Arcam, quod non fiderent misericordiae dei SUPER SE. Adeo nihil est sophistica fides, nisi mera impostura, merum ludibrium animarum, et tamen impii et ἄθεοι Sophistae docent satis esse illam suam fictam fidem ad bonum opus. Cum bonum opus non sit quod aut odio aut contemptu dei fit. Fit autem odio et contemptu dei, quidquid non fit fiducia misericordiae et bonitatis dei. Sicut Paulus 85, b.

[Rom. 14, 23.] ait, Peccatum est quidquid non fit ex fide. Et [Hebr. 11, 7.:] per Arcam, ait, damnavit mundum. Nempe quod unum fides servarit, reliquos perdiderit incredulitas. Et quam sollicite monet summam esse iustitiae, fidem misericordiae et gratiae dei, cum addit, et iustitiae quae per fidem est, haeres institutus est. Nihil de figuris loquor, non quaero allegorias, sed ad simplicissimam historiam me refero. Iustificatur Noe non ullo suo bono opere, sed sola fide misericordiae dei, quam cum ex hac promissione de se servando ex aquis, tum ex ea, quae de capite serpentis[41]), hoc est, de aculeo mortis, conterendo, maioribus tradita erat conceperat. Fide adpellatus Abraham obediit, ut in locum exiret quem accepturus erat in haereditatem, et exiit nesciens quo iret. Fidebat Abraham[42]) misericordia, bonitateque dei nihil dubitans, quin ubicunque gentium esset, deum esset habiturus protectorem, et servatorem, Ideo

36) In marg. Editt. 2. 7. repetitur: Abel.

37) In marg. Editt. 2. 7. repetitur: Enoch.

38) intelligamus] sic Ed. 1.; Editt. 2. 7. intellegamus.

39) ita] *om.* Ed. 7.

40) In marg. Ed. 2.: Noe; Ed. 7.: Nohe.

41) In marg. Editt. 2. 7.: Caput serpentis.

42) In marg. Editt. 2. 7. repetitur: Abraham.

se eius voci commisit. deserens patriam, non aliter atque se voci Mosi committebant Israelitae, cum alveum rubri maris ingrederentur. Porro quanta haec Abrahae fides fuit? quae, quanquam tota ille vita vagaretur incertis sedibus, tamen non est labefactata. 86, a. (45, b.) Satis potens, satis opulentus, satis tuto loco colere sibi videbatur, quia sub umbra alarum dei degeret. Iam in eo ipso etiam, quod certam in Cananaea sedem nec sibi, nec gnato contingere videbat, hospitem se huius terrae agnoscebat esse, civem fore aeternae civitatis sperabat. Fide et Sara[43]) vim accepit ad concipiendum, retinendumque semen. Vivificat enim et creat omnia verbum dei, quo cum fideret Sara, nempe promissione sobolis, qui fieri potuit, ut non ex sterili, ex effoeta, foecunda fieret. OMNIA enim possibilia sunt credenti. Sed Abrahae fides ut oppugnata est, quam valido ariete concussa est cum Isaac, in quo scie|bat promissam esse posteritatem, iuberetur immolare. Quam fuit autem constans in adulescente Isaac[44]) fides cum patris imperio, cum voluntati divinae adeo nihil contaretur obsequi. Putas potuisse tam saevum imperium exercere patrem in filium, et eum quidem cui promissa erat posteritas. Putas filium obtemperaturum fuisse patri, ni uterque confisus misericordia divina, illi se commisisset. Nec fefellit fides. Servatur filius, restituitur patri, collaudatur patris obedientia. Vides hic praelusum esse peccato et morti et iustificationi et resurrectioni, 86, b. adeoque toti novo testamento. An non hic didicerunt non Abraham modo et Isaac, sed omnes pii priusquam revelaretur Evangelium, quid in morte sperandum esset de voluntate dei. An non hoc exemplo fidem victae mortis, concepere patres? videruntque praelusum Christo, qui caput serpentis, aculeum mortis contriturus esset. Fide Isaac benedixit Iacob et Esau, futurum credens ut promissam terram olim occuparent. Iam hoc mirabilius est, quod ratam esse voluit benedictionem Iacob, quam is praeripuisset[45]) natu maiori fratri, cui iure gentium debebatur, nimirum fide divini verbi, Maior serviet minori. Fide benedixit Iacob filios Ioseph, quanquam iam exules, nihil dubitans tamen redituros in Cananaeam, esseque maximarum gentium primordia. Nec dubitarunt Mosi parentes quin [46]) redituri essent in Palaestinam, quod in caussa fuit, cur occuluerint infantem, spem generis. Deinde etiam, cur expositum commiserint potius divinae misericordiae, quam necarint.

Adde si voles et reliqua exempla, nos formam exemplorum tractandorum delineavimus, (46, a.) 87, a. docuimusque non de sophistica hypocrisi, sed de fide loqui eius Epistolae auctorem, hoc est, de fiducia misericordiae seu gra|tiae dei.

Hic non vides discrimen promissionum divinarum, sed simpliciter verbum fidei esse, promissionem misericordiae et gratiae dei. sive de rebus aeternis, sive de rebus tempo|ralibus agatur. Quanquam fere promissiones rerum spiritualium ex corporalium promissionibus colligi possint, non dico per allegoriam tantum, sed claro et manifesto[47]) argumento spiritus. Quid in morte sperandum esset Abra|hamum perspicuo docebat filii immolatio. Iam hoc quoque non adtinet discernere promissiones, quod in primam promissionem de semine Hevae, id est, Christo, omnes reliquae directae sunt. Ideo expectabatur posteritas, quia semen illud expectabatur, scilicet Christus[48]). Atque ita renovata est promissio Hevae facta, in promissione Abrahae facta, cum inquit Genesis XXII. [vs. 18.:] Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quod nisi de Christo exponi non potest. Atque ita inter- 87, b. pretatur Apostolus ad Galat. III. [vs. 16.:] In semine tuo, qui est Christus, et expectatam esse posteritatem, expectatum esse regnum propter Christum promissum satis declarat Iacob Genesis XLIX. [vs. 10.:] Non auferetur sceptrum de Iuda, et dux de foemore eius, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium, ubi quid aliud voluit, nisi regni, adeoque omnes corporalium rerum promissiones in Christum referri, et in Christo consummari[48a]). Hoc in caussa est cur nullo discrimine Paulus quasvis promissiones Abrahae factas citat, Ad Galatas III. [vs. 8.] eam quae est Genesis

43) In marg. Editt. 2. 7. repetitur: Sara.
44) In marg. Editt. 2. 7. repetitur: Isaac.
45) praeripuisset] Ed. 7.: praeripuerat.

46) quin] sic Editt. 1. 7. (Ed. 1. quī); Ed. 2. qui.
47) manifesto] Ed. 7. aperto.
48) In marg. Editt. 2. 7.: Omnes promissiones sunt directae in Christum. (*om.* Ed. 1.).
48a) In marg. Editt. 2. 7.: Pertinere ad Christum et Christianos omnes promissiones tum corporales tum spirituales. (*om.* Ed. 1.).

XII.[49]) [vs. 3.:] In te benedicentur omnes gentes. Et ad Romanos IIII. [vss. 16 sqq.] dicit Abrahae promissam haereditatem mundi, et quod filii Abrahae sint ex omnibus gentibus qui credidere, et quod omnes fideles sint reges in Christo rege. Sicut psalmus [8, 8.] ait, Omnia subiecisti sub pedes eius. Rursum, qui manifeste revelato Evangelio in Christum credunt, in eo omnes corporales benedictiones habent, nam si proprio filio deus non pepercit, sed pro nobis 88, a. (46, b.) omnibus tradidit eum, quomodo non omnia cum eo donarit? Idem apparet ex regni ratione, quod omnes creaturae, ut Christo, ita illius fratribus subiectae sunt, mors, fames, gladius, potestates, summa, infima, peccatum, denique quidquid est omnium rerum, quas metuere humana imbecillitas solet, in nostra potestate est, sub pedes nostros subiectum est, nisi regnare Christum[50]) non credimus. Huc illud pertinet, quod supra dixi, fidem spargi in omnes casus vitae, mortisque nostrae, quod nulla creatura recte utamur, nisi per fidem, quod omnibus creaturis abutamur per diffidentiam, hoc est, non credentes in creaturae usu nos placere deo, diffidentes in usu creaturae de misericordia, de benevolentia dei erga nos. Abutitur inopia, morte, adversis rebus, qui non credit divinae misericordiae opera esse, qui hic diffidit, ad humana praesidia profugit, qui dubitat se in Christo vincere posse. Sic abusus fuisset tristissimo imperio de mactando filio Abraham, nisi libenter obsecundans, commisisset se misericordiae divinae confisus nihil non agi secum a deo paterno ad- 88, b. fectu. Non minus abutitur pecunia, vita, secundis rebus, qui non agnoscit esse dona misericordiae divinae, qui non utitur fideliter, tanquam alienis donis etc.

Summa, Omnia habet, omnia potest, qui Christum habet, hic iustitia, pax, vita, salus est. Et in hunc modum vides cohaerere promissiones divinas. Nam prorsum singulae significationes et testimonia bonae voluntatis dei erga nos sunt, quam alias alio opere alio dono nobis commendat et insinuat. Ita in hoc per universae scripturae historiam totus incumbit, ut doceat, ut adsuefaciat nos confidere sua bonitate, quam si quis in tot, tamque multiplicibus promissionibus contempletur, is quomodo cohibere se poterit, quo minus in illius tantae misericordiae sinum effundat animum, et spiritum. Porro bonam voluntatem[51]) meruit Christus, quem pro nobis intercessorem, quem pro nobis victimam et satisfactionem dedit. Sic enim deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret pro mundo. Huic quia favet, nobis favet, huic quia omnia subiecit, nobis subiecit. Ita omnes promis- 89, a. siones in eum, nempe qui nobis emeruit mi- (47, a.) sericordiam patris, qui nobis conciliavit patrem, referendae sunt. Sicut Iohannis I. [vs. 16.:] De plenitudine eius omnes nos accepimus, et gratiam pro gratia, favorem erga nos, pro favore erga Christum. Exercebis spiritum meditatione promissionum accurate, quod nisi e promissionibus cognosci neutiquam poterit Christus. at nisi Christum noris, nec patrem cognosces. Huc igitur omnes, spiritus tui cogitationes adfer, huc incumbe, ut ex promissionibus cognoscas, quae tibi in Christo sint donata. Quaeso autem ubi promissionum scholastica Theologia vel verbo meminit? Atque ita factum est, ut gratiam Christi obscuraret,[52]) ut ex Christo non pignus misericordiae, sed legislatorem, et exactorem multo tristiorem faceret, quam Moses etiam visus est.

Et de promissionibus quidem hactenus, quae omnes in primam illam, quae Hevae facta est, referri debent. qua significatum fuit Adae ac Hevae futurum, ut et peccatum[53]) et mors, illius peccati poena, olim abolerentur, cum scilicet serpentis illius caput Hevae progenies contereret. Quid enim 89, b. caput serpentis, insidiae serpentis, praeter peccati mortisque regnum significant? Ad hanc si revoces reliquas promissiones, videbis in universam scripturam mirifice sparsum esse Evangelium, quod est simpliciter condonatio peccati per Christum, seu praedicatio gratiae. Quanquam ut paulo ante dixi, promissiones omnes etiam corporalium rerum, sunt testimonia benevolentiae, seu misericordiae dei, quibus qui credit, quia de deo bene sentit, eique laudem clementiae et bonitatis tribuit, is iustus est. Nondum credit omni verbo dei qui minas audit, qui historiam profitetur, sed qui praeter minas, praeter historiam, etiam promissionibus cre-

49) eam quae est Genesis XII.] *om.* Ed. 7.

50) In marg. Editt. 2. 7.: Regnum Christi. (*om.* Ed. 1.).

51) bonam voluntatem] Ed. 7. gratiam patris.

52) obscuraret] Ed. 7.: obscurarit.

53) ut et peccatum] Ed. 7. ut peccatum.

dit. Neque vero historiae de Christo credere, id est, quod putant impii, sed credere cur carnem induerit cur crucifixus sit, cur post mortem in vitam redierit. nempe, ut iusti|ficaret, quotquot credituri sibi essent. Haec tu si credis, tuo bono, tui servandi gratia gesta esse, foeliciter credis. Praeter eiusmodi fidem, fucus, mendacium, falsae insaniae sunt quidquid vocant fidem. |

90, a. Ecquid[54]) in caussa est cur soli fidei
(47, b.) tribuatur iustificatio? Respondeo, cum sola misericordia dei iustificemur, fidesque plane sit misericordiae cognitio, qualicunque promis|sione eam prehenderis, soli fidei tribuitur iustificatio. Qui mirantur cur soli fidei iustificatio tribuatur, ii mirentur etiam cur misericordiae dei tantum, ac non potius humanis meritis iustificatio tribuatur. Est enim| credere, nullo ullorum operum nostrorum respectu, fidere divina misericordia. Misericordiae dei iniurius est, qui fide iustificari sanctos negat. Nam cum iustificatio nostri solius divinae misericordiae opus sit, non| operum nostrorum meritum, Sicut aperte docet ad Romanos XI. Paulus, necesse est ut iustificatio soli fidei tribuatur, nempe, qua sola promissam misericordiam accipimus. |

Quid igitur opera? quae praecedunt iustificationem, liberi arbitrii opera, ea omnia maledictae arboris, maledicti fructus sunt. et ut pulcherrimarum virtutum exempla sint,|
90, b. quales erant ante conversionem Pauli iustitiae, tamen, nihil nisi fucus et mendacium sunt, quod ex impuro corde proficiscantur. Cordis impuritas, ignorantia[55]) dei est, non time|re deum, non fidere deo, non requirere deum, ut supra monuimus. Nihil enim caro nisi carnalia sapit, ad Romanos VIII. [vs. 5.]. Caro adfectat ea quae sunt carnis. Et prima ad Corinth. II. [vs.14.:] Animalis homo non percipit ea | quae sunt spiritus dei. Quis cognovit sensum domini etc. Intelligit, sapit, adfectat, gloriam, opes, vitae tranquillitatem, ac dignitatem, natura. Qualia multa philosophi inter fines bonorum numerant, alius εὐθυμίαν, | alius ἀναλγησίαν. Divini nihil adfectat natura, id quod adparet. Nec enim terretur verbo dei, nec ad confidendum animatur. Et talis quidem arboris fructus, quid nisi peccata sunt?

Quae vero opera iustificationem consequun|tur, ea tametsi a spiritu dei qui occupavit corda iustificatorum proficiscuntur, tamen quia fiunt in carne adhuc impura, sunt et ipsa immunda. Coepta enim iustificatio est non consummata. Primitias spiritus accepi|mus, nondum decimas. Adhuc expecta- 91, a.
mus, ut[55a]) ad Ro. VIII. [vs. 26.] dicitur, (48, a.)
cum gemitu redemptionem corporis nostri. Proinde quod in his etiam operibus immundum quiddam est, iustitiae| adpellationem non merentur. et quaqua te verteris, sive ad opera praecedentia iustificationem, sive ad ea quae sequuntur iustificationem, nullus nostro merito locus est. Adeoque solius misericordiae opus esse iustificatio|nem necesse est. Hoc est quod ait Paulus ad Galat. II. [vs. 20.:] Quod autem nunc vivo in carne, in fide filii dei vivo, qui dilexit me, et tradidit semetipsum[56]) pro me. Non autem ait in meis bonis operibus nunc vivo, sed in fide mise|ricordiae dei vivo. Porro quod ea opera quae iustificationem sequuntur, pro peccatis non imputantur, fides facit. Qua de re paulo post agetur.

Ergo cum fidei iustificatio tribuitur, mise|ricordiae dei tribuitur, humanis conatibus, operibus, meritis adimitur. Initium ac profectus misericordiae debent, ut universae vitae iustitia non alia sit, nisi fides. Hoc est, cur Christi regnum, misericordiae regnum
vocet| propheta Esaias XVI. [vs. 5.:] Et 91, b.
praeparabitur in misericordia solium etc. Nam si nostris operibus iustificaremur, non iam Christi, non misericordiae, sed nostrum, sed operum no|strorum regnum esset. Et Oseae II. [vss. 19 sq.:] Sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi in iustitia et iudicio, et in misericordia, et in miserationibus, et sponsabo te mihi in fide, et scies, quia ego dominus. Et| psalmo LXXXVIII. [vs. 15.:] Misericordia et veritas praecedent faciem tuam. Misericordia liberalis favor est, qui meriti nostri nullam habet rationem. Veritas est opus dei, vere non ὑποκριτικῶς iustificantis nos. Et quid adtinet| multa congerere, cum propheta Esaias cap. LIII. primum palam damnet iustitias

54) Ecquid] Ed. 7. Et quid.

55) ignorantia] Ed. 7. ignoratio.

55a) ut] Ed. 1. typoth. errore: v

56) semetipsum] Ed. 7. seipsum.

omnes nostras, cum inquit. [vs. 6.:] Omnes nos velut oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et posuit dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Et paulo post, non ait operibus nostris, non egregiis voluntatis nostrae conatibus, non consiliis nostris, sed ipse Christus, cognitione sui
92, a. iustificabit multos. Ecce cognitio Christi
(48, b.) iustificatio est, cognitio autem sola fides est. Hoc genus alia per se observabit diligens lector. Nam fidei naturam ac vim non videor mihi posse verbis, ut optabam, explicare. Qui norunt peccati vim, quorum conscientias peccati cognitio perculit, iis demum voluptati est hanc de fide doctrinam audire. Caeterum velatum est Evangelium nostrum in hypocritis, in quibus deus huius seculi excaecavit mentes infideles, ut ne illucesceret eis lumen Evangelii gloriae Christi, qui est imago dei.

Dices, Nihil igitur meremur? Ecquid scriptura toties mercedis vocabulo utitur. Respondeo, merces est, debeturque non merito ullo nostro, sed quia pater promisit, iam velut obstrinxit se nobis ac debitorem fecit, iis qui tale nihil meruerant. Quid enim clarius adversus merita nostra dici potuit, quam quod est apud Lucam capitulo XVII. [vs. 9.:] Nunquid gratiam habet servo illi, quia fecit, quod imperaverat? Non puto,
92, b. Sic et vos cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis dicite, servi inutiles sumus. Quod debuimus facere, fecimus. Et Paulus ad Roma. VI. [vs. 23.:] Stipendium peccati mors, donum autem dei vita aeterna. Vitam aeternam donum vocat non debitum, quanquam et debitum est, quia pater eam promisit, qui nobis fidem suam obstrinxit.

Nec est quod offendant ii loci scripturae, qui operum merita praedicare videntur, qualis hic est ad Ro. II. [vs. 10.:] Gloria et honor omni operanti bonum. Et Matth. XXV. [vs. 35.:] Esurivi et dedistis mihi manducare etc. Nam huiusmodi multa sunt in scripturis. Respondeo paucis, scripturam non de specie tantum externa operis, seu de fuco loqui, sed de toto opere, hoc est, cum de externa specie, tum maxime de voluntate, auctore operis, seu de adfectu. Bonum opus vocat scriptura, non simulationem tantum externam operis, sed totum opus, hoc est, bonum adfectum, et eius adfectus fructum, non aliter atque communis hominum sensus loqui solet. Quis enim bonum opus vocat, quod a maligno animo proficisci novit? Ita- 93, a.
que cum Paulus ait, Gloria et honor ope- (49, a.)
ranti bonum, non video quibus hic glossematis opus habeamus, quo minus, quam simplicissime, ut loquitur, intelligatur. Non enim ait Paulus, Simulanti bonum, sed operanti, corde, adfectu, manibus, opere etc. Depravant ergo id quod ab Apostolo simplicissime, rectissimeque dictum est, qui verba eius non de toto opere, non de vita, ac anima operis, sed de specie externa operis exponunt. Recepta etiam vulgo in scholis sententia est, et communis naturae sensus docet, nullam esse bonitatem operis, praeter adfectum. Communem sensum consulant qui de parte operis, non de toto opere scripturam interpretantur. Quid quod eodem loco pulcherrime Paulus ad fidem refert bene actam vitam, docetque ex fide, ceu fonte, exorta esse bona opera? cum inquit. Quaerentibus gloriam et honorem, per perseverantiam boni operis. Quaerere enim quid aliud est, quam quod ad Hebraeos XI. [vs. 6.] scriptum est. Credere oportet, accedentem ad deum, quod sit, et quod remunerator sit inquirenti-
bus se. Quaerunt qui credunt, qui fiducia 93, b.
verbi dei trahuntur ad gloriam. Item, qui potest fidei vis ac natura exprimi certius, quam verbo perseverandi? cum inter tot illecebras carnis et mundi, inter tot adflictiones consistere ac perdurare in bonis operibus nemo sine magna fide possit. Rursum et vitam male actam eodem loco ad incredulitatem refert, cum ait, Contentiosis, et qui non acquiescunt veritati. Non acquiescere veritati, quid aliud est quam diffidere? Contentiosi, qui veritati adversantur, qui carnis opinionem sequuntur. Nam quisquis palam peccat, is aut contemptu dei, aut desperatione misericordiae dei peccat. Sennacherib. IIII. Reg. XIIII. Quia nihil esse deum censebat, in Israelem arma impia movit. Cain, quia desperabat misericordiam, ideo nihil non ausus est postea. Nemo est enim qui, si confideret futurum, ut sui miseresceret deus, non cupidissime legi dei se accommodaret. Sed quia contentiosi sumus, ipsi disceptamus nobiscum, de divinae irae, ac misericordiae amplitudine, angustius quid-
dam sentimus, quam res est. Ideo contem- 94, a.
ptu tum irae tum misericordiae dei, deflecti- (49, b.)
mus ad cupiditates nostras, nihil non audemus impii, caeci, furentes, vel gloriae, vel rerum, vel voluptatum amore. Miserum spectaculum, si illam cordis tui impiam insaniam,

et insanam impietatem cernere contingat. Viden, quam adposite ad fidem retulerit Paulus bene actam vitam, ad incredulitatem, male actam. Sic | alios locos circumstantiae exponunt, ut peregrinis glossematis nihil opus sit. Quorum tractationem industriae spiritualium lectorum relinquo. Nam illos male feriatos Sophistas, nolo, quibus nihil tam bene, tam simpliciter dictum est, quod non pervertant, distinguant, discerpant in mille formas. Certe in illo Matthaei loco quem citavimus obscuritas nulla est, si recte rem aestimes. Nam ut haec non urgeam, quod cum | benedictos patris sui vocat, significat salutem benedictione divina, non nostris meritis contigisse, negari non potest quin de fidei operibus[57]) loquatur CHRI-
94, b. STUS, | cum inquit [Matth. 25, 35.], Esurii, et dedistis mihi manducare. et paulo post, Quod uni de his fratribus meis minimis fecistis. Nam quia credunt iusti se Christo facere, quod illis faciunt, recte agunt. Ea fides distinguit opera. Hypocritae non alunt, non potant Christum, sed se. Suae enim gloriae serviunt, quantumvis pulcherrimarum virtutum specimen prae se ferant. Haec satis sit monuisse, | ut formam huiusmodi locorum tractandorum habeant studiosi, nam mihi commentarii modus temperandus est.

DE FIDEI EFFICACIA.

Iam hoc quoque spectandum est, quod ope|ra, ut fructus, ita indicia, testimonia, signa spiritus sunt, ut Christus ait [Matth. 7, 16.], Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Nam fieri nequit, ut perpetuo dissimuletur hypocrisis, et fides non potest non effundere se, quin in omni|bus creaturis deo cupidissime serviat, ut pio patri pius filius solet, Nam ubi fide degustavimus misericordiam dei, et cognovimus bonitatem divinam per verbum Evangelii, condonantis peccata,
95, a. promittentis | gratiam peccati, non potest ani-
(50, a.) mus non redamare deum, ac gestire et velut gratitudinem suam mutuo aliquo officio, pro tanta misericordia testari. Quod significantissime[58]) | dixit Paulus [Rom. 8, 15.], Fide nos clamare abba pater. Iam quia vere se talis mens subiicit deo, ambitio, aemulatio, livor, invidentia, avaritia, voluptates, et horum fructus iugulantur. humilia sapit, sese odit, suas cupiditates | omnes abominatur. Et quod aptissime dicit Paulus ad Roma. VI. [vss. 19 sqq.] iam pudet eorum quibus antea fruebamur. Effundit ergo se in proximos quosque, illis inservit, illis se praebet utendum, illorum necessitatem pro sua ducit, omnia cum omnibus candide, sinceriter, nihil ambitiose, nihil maligne agit. Haec efficacia fidei est, ut ex his fructibus facile adpareat in quorum cordibus vera fides sit. De tali fide ad Galat. V. [vs. 6.] Paulus scribit. In Christo Iesu neque | circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides quae per charitatem efficax est. Fidem dicit in Christo valere, deinde eam fidem eiusmodi esse, quae se per caritatem effundat in usus proximi. Et egregie Iohannes, | I. Iohan. IIII. [vss. 7 sq.:] 95, b.
Omnis qui diligit fratrem suum, ex deo natus est, et cognoscit deum. Qui non diligit, non novit deum, quod deus caritas sit. Et II. Petri I. [vss. 5—8.:] Subministrate in fide | vestra virtutem, in virtute vero scientiam, in scientia vero temperantiam, in temperantia vero patientiam, rursus in patientia pietatem, in pietate autem fraternam caritatem, in fraterna vero caritate, dilectio|nem. Haec enim si adfuerint nobis, efficient ut ne sit infrugifera cognitio domini nostri Iesu Christi. Qua gradatione Petrus, fidei, velut radici, pulcherrimos ramos, reliquas virtutes inserit, ut fidem virtus, id est, | fervor, et impetus mortificandae carnis comitetur. Sed eum fervorem regat scientia, ut suum quoque pensum corpori praestetur, Sit aliqua ratio, qua domitum corpus serviat spiritui εὐπροσέδρως, ut Paulino ver|bo utamur, non interimatur. Rursum eatenus serviatur necessitati corporis, ut ne luxuriet, ut temperans sit. Iam praeter temperantiam et malorum tolerantia accedat. Sunt enim temperantes plerique, sed offensi im|placabiles. Tolerantiam comi- 96, a.
tetur pietas, hoc est, ut adversa non modo (50, b.)
coram hominibus placide feramus, sed etiam coram deo, gratias illi agentes, qui nos mortificet, nihil indignantes voluntati dei, sicut fremebant adversus voluntatem dei, Israelitae, qui in deserto periere. Pietas efficiat fraternam caritatem, hoc est, ut de iis ipsis bene mereamur, qui nos persequuntur, ut inimicos be|neficiis invitemus. Demum, ut id ex sincero pectore proficiscatur, ut in universum omnes ex aequo et candide diligamus. Summam habes universae vitae Christianae, fidem, cum fructibus suis. Nec est

57) operibus] Ed. 7. fructibus.
58) significantissime] Ed. 7. significatissime.

quod virtutum genera et formas distinguamus philosophorum et scholasticorum more, in morales theologicas, dona, fructus, quemadmodum Aquinas ineptiit cum suis. Unica fides est, sensus misericordiae dei, quae | omnium bonorum operum et fons, et vita et rectrix est.

DE CARITATE ET SPE.

Ex his adparet, quomodo ex fide nascantur
96, b. Amor dei, et amor proximi, quem | caritatem vocant. Efficit enim cognitio misericordiae divinae, ut redametur deus, efficit, ut nos sponte omnibus creaturis subiiciamus, qui proximi amor est. |

Porro et spes fidei opus est. Nam fides est qua verbo creditur, spes qua expectatur, quod per verbum promissum est. Ut expectemus fides verbi dei facit. Iuxta illud psal. IX. [vs. 11.:] Sperent in te omnes qui noverunt nomen tuum. | Non est autem cur separes alterum ab altero. Certe promiscue usurpat scriptura spei, ac fidei expectandi sustinendi vocabula. Et sicut fides, est fiducia misericordiae dei gratuitae, nullo operum nostrorum respectu, ita | spes est salutis expectatio, nullo nostrorum meritorum respectu. Immo ne spes quidem de deo est, ni non sit de meritis. Quomodo enim de misericordia sperat, qui velut debitam suis meritis mercedem postulat. Gau- | det adflicta conscientia, gaudet Evangelicus peccator, nullum esse meritorum respectum. Indignatur hypocrita, ut sit Christus scandalum Iudaeis, et stultitia gentibus, salus autem et sapientia credentibus. |

97, a. (51, a.) Obiicitur iis qui fidei iustitiam vindicant, id quod in priore ad Corinthios scriptum est, in cap. XIII. [vs. 2.:] Si habeam fidem tantam, qua montem transferam, caritatem| autem non habeam, nihil sum. Quaeso autem vos Sophistae, cur (cum videretis universam scripturam in eo esse, ut doceat misericordiae opus esse iustificationem, et Paulum toties nihil obscuris verbis ingemina|re hanc [Rom. 1, 17.], Iustus ex fide vivit. Item [Rom. 4, 5.], Credenti in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam. Item [Rom. 10, 10.], Corde creditur ad iustitiam, et huiusmodi multa,)[59]) hanc unam ex Corinthiis sententiam, universae scriptu|rae, omnibus ubique Epistolis Pauli sic opposuistis, ut reliqua omnia glossematis excusaretis, hanc temperare interpretatione nolueritis? Nos nullo glossemate eam simplicissime, ut est simplicissime dicta, effere|mus. Primum satis constat, Paulum eo loco de amore erga proximum loqui, cui nec scholae vestrae principium iustificationis tribuunt. Nam commentum illud nihil moror, eundem esse amorem dei et proximi. Deinde negari |
non potest quin hic fidei vocabulum pro 97, b.
dono, seu facultate designandorum miraculorum usurparit, id quod et caput XII. [1. Cor. 12, 9.] testatur, ubi sic legitur. Alteri fides in eodem spi|ritu. Receptum est autem posse etiam in impios conferri faciendorum miraculorum χάρισμα, non aliter atque prophetiam, linguarum peritiam, eloquentiam. [60])

Mea est sententia, ut maxime non sepa-| res fidem iustificantem a dono miraculorum, Paulum hic, sicut et pene in tota illa Epistola, praeter fidem, exigere caritatem. Non aliter atque a credentibus, a iustificatis, alias exigit bona opera in omnibus Epistolis. Tametsi | illis fructibus per sese non vacet fides, tamen exigit, propter fidei nostrae imbecillitatem. Et quod ait nihil esse eum, cui sit omnis omnino fides, citra caritatem, recte sentit. Quanquam enim sola fides iustificet, tamen et caritas exigitur, | nempe legis altera pars, ad Rom. XIII. [vs. 10.:] Tota lex repetitur in hoc, dilige proximum sicut te ipsum. Non iustificat autem caritas, eo quod nemo diligat, quantum debet. Fides iustificat, quae misericordia dei, non suo merito fidit. [61]) |

Superest Iacobi sententia [2, 17.:] Fides 98, a.
sine operibus mortua est. Bene quidem (51, b.)
ille. Nam eos reprehendit, qui iudicabant historicam opinionem de Christo fidem esse. Propterea sic | ut Paulus aliam fictam fidem

59) (cum videretis . . . multa,)] haec verba apte uncis inclusa exhibet Ed. 3.

60) In marg. Editt. 1. 2. 7.: Matth. VII. In nomine tuo virtutes multas fecimus.

61) Ed. 7. (Fol. LXVII, *a*. lin. 6—16.) h. l. addit haec: Quid autem, quod inter tria, fidem, spem, et caritatem, maximam caritatem esse dicit? Primum, ut maxime donarem eum Pauli locum de amore dei exponi debere, permitteremque amorem, maiorem esse fide, non statim consequeretur, non esse ex fide iustitiam. Sed Paulum satis adparet fidem, spem, et caritatem inter se penes fructus conferre. Nam ibi de iustificatione non disserit. Amplior autem caritas, et plus fructuum fert caeteris. Nam fidei cum deo res est, caritati cum proximo, cui per opera servitur.

adpellat, aliam veram, Ita Iacobus aliam vocat, fidem vivam, aliam mortuam. Vivam fidem, efficacem illam et ardentem fiduciam misericordiae dei, nunquam non parturientem bonos foetus. Hoc | est, quod ait [2, 22.], Operibus fides consummata est. Item, quia vivacem in Abrahamo fidem fuisse, opera declarant, ideo scriptura impleta est dicens [2, 23.]. Credidit Abraham deo, et reputatum est ei ad iustitiam. Itaque in summa | hoc agit Iacobus, mortuam fidem, hoc est, frigidam Parisiensem opinionem non iustificare. Fidem vivam iustificare. Vivam vero esse quae se in opera effundit. Sic enim inquit [2, 18.], Ostende mihi fidem tuam sine operibus, | et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Non autem ait, ego ostendam tibi opera sine fide. Quadrat autem ad hanc meam expositionem aptissime, id quod dictum est, Fides si non habeat opera,
98, b. mortua est in semetipsa. | ut satis adpareat eum hoc tantum docere, quod in iis intermortua sit fides, qui fructum fidei non faciunt, quanquam in speciem credere videantur. |

Non erit inutile et hoc monere, de quo ambigi passim video, qui sciat homo, Num in gratia dei sit, cognosci ne possit in nostro corde fidem[62]) inesse? Duplex quaestio est, nam priore, de voluntate dei erga nos, non de | nostris adfectibus. Posteriore de nostris tantum adfectibus, quaeritur. Et scholastici quidem foedissimo errore, neutrum sciri posse tradiderunt, ut vel hoc solo loco satis adpareat, nihil fuisse spiritus, in toto isto ge|nere. Nam quod ad carnem attinet, cum illa in universum sit ignorans dei, voluntatem erga se divinam, qui cognoscat? Et quomodo de spiritualibus adfectibus caro iudicabit, quae ne suos quidem adfectus bene com|pertos habet? [Ier. 17, 9.] Pravum enim cor hominis, et inscrutabile est. Sic ergo scholastici, fingebant in hominis anima, stertere aliquot qualitates, quas ipsi nos ignoraremus. Praeter ea, ut nobis velit deus, ne quaerendum quidem |
99, a. esse, ita ut apud sese conscientia perpetuo
(52, a.) in incerto fluctuet. Quod quid aliud est, quam desperationem docere? Equidem sic sentio. Primum, quod ad divinam voluntatem attinet, fidem non aliud esse nisi certam, et constantem fiduciam benevolentiae divinae, erga nos. Voluntas dei cognoscitur, sed fide, ex promissione seu Evangelio. Non enim tribuis gloriam veritatis deo, si ita velle deum, | ut Evangelio testatus est, non credis. Sciunt se esse in gratia dei, hoc est, habere benevolentem deum, qui verbo dei credunt, qui voluntatem dei aestimant ex verbo suo, non ex nostris meritis. Sic Paulus ad Rom. IIII. cum | multis argumentis docet, ex fide iustitiam esse, tandem velut efficacissimam rationem hanc subiicit. Quod si ex operibus nostris potius esset iustificatio, quam ex fide, nunquam conscientia conquiesceret, iam hoc, iam illud | in vita, in opere nostro desiderans, ut fieri non posset, quin desperaret. Sic enim inquit [Rom. 4, 16.], Ideo non ex operibus, ut secundum gratiam firma sit promissio. Et prophetae quoties de securitate gloriantur. Oseae II. [vs. 18.:] Dormi-
re | faciam eos fiducialiter. Et Hiere. XXIII. 99, b.
[vs. 6.:] In diebus illis salvabitur Iuda, et Israel habitabit confidenter. Quid autem aliud significant voces, fiducialiter, confidenter, et similes, | nisi securitatem. Atque eam quidem securitatem pulcherrime expressit Micheas [4, 4.], Sedebit vir sub vite sua, et sub ficu sua. Et nihil obscure Esaias XXXII. [vs. 17.:] Et erit opus iustitiae pax, et cultus iustitiae silentium, et securitas usque in | sempiternum, Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciae, et in requie opulenta. Ad hunc modum prophetae describunt regnum Christi, fore regnum securitatis. Quae autem securitas erit, si | de voluntate dei perpetuo ambigunt conscientiae? Necesse est igitur certos nos esse de gratia, de benevolentia dei erga nos. Hoc est, quod apud Hiere. IX. [vs. 24.] dominus inquit, In hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse | me. Vult cognosci voluntatem suam deus, vult gloriari nos de voluntate sua. Quid est igitur magis impium, quam negare, vel non debere, vel non posse cognosci voluntatem divinam. Nempe cum eam expresserit verbo suo? |
Et interrogemus Sophistas, credant ne id 100, a.
quod in symbolo apostolico est, Remissio- (52, b.)
nem peccatorum? Item, credant ne sententiae sacerdotis, cum absolvuntur. Quod si credunt, | necesse est ut agnoscant se esse in gratia dei. Quod si non credunt, cur confitentur? Scelesta Roma, et auctor Bullae Romanae Eccius damnarunt articulum quendam Lutheri de fide, qui docet. Absolutioni credendum | esse. Respondeant igi-

62) fidem] sic recte Ed. 7.; Editt. 1. 2. perperam: fide.

tur. cur audiant absolutionem. nisi credant. Obscura est impietas haec. et perniciosior quam quisquam putet. Nec dubito quin multas animas necarit. quae ad desperationem isto carnali. Sophistico. Parisiensi dogmate adactae sunt. Disperdat dominus omnia labia loquentia mendacium. Christiana mens facile experientia magistra discet. nihil esse Christianismum. nisi eiusmodi vitam, | quae de misericordia dei certa sit. Ad Romanos XII. [vs. 2.:] Ut discatis quae sit voluntas dei bona. perfecta. bene placens etc. Ergo inquient Sophistae, nihil est quod timeamus? Recte. si vacet fide timor. impius
100. b fuerit. | Porro. qui cum fide coniunctus est, is non est misericordiae ignorantia. Sed cum Iob [9, 28.] inquit, Verebar omnia opera mea. Sancti timent propter opera sua. Fidunt autem mise|ricordia dei. hypocritae fidunt operibus. Misericordiam dei ignorant. Immo et timorem dei ignorant. Sicut dixit propheta. Timor dei non est coram oculis eorum. Id quod adparet in hypocrita apud Lucam XVIII. [vss. 10 sqq.]. Do|cebit autem scripturae usus collationem timoris et fidei. Nunc hoc monuisse satis sit, Timorem ad opera nostra, fidem ad misericordiam dei referri debere. Sancti timoris fides auctor est. Qui metus fiducia bonita|tis dei vacat, is impius sit, necesse est.

Quod ex Ecclesiaste citatur VIII. [9, 1.:] Nescit homo, utrum amore aut odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur. non efficit ignorare hominem, condonarit ne noxam | deus, an contra. Alioqui hoc etiam inde effecero ignorari, irascatur ne peccato deus, an contra. Neque satis demirari possnm hoc loco versutiam Satanae, quom hac sententia scripturae abusum, video mirifice,
101. a. non fidem | modo, sed et timo|rem ex homi-
(53, a.) num pectoribus excussisse. Quid aliud *κυβείαν* et *πανουργίαν πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης* vocat Paulus [Ephes. 4, 14.], si non Parisiensem Theologiam, | quae tam callide scripturam evertit. Hoc in universum agit eo libro Solomon, non esse humanis argumentis iudicandum de iudiciis dei. adeoque impiae philosophiae calumnias adversus iudicia dei refutat. Atque utinam | pro pestilente philosophia hic liber iuventuti exhiberetur discendus, quo corda infirma fide ac timore dei stabilirentur. Nunc philosophica impietate, impiis poetarum ac oratorum sententiis naturae impietas excitatur, quae modis omnibus verbo dei premenda et revellenda erat. Sic ergo Solomon [Eccles. 9, 1.], Sunt iusti, sunt sapientes, sed nihil est, quod vel iustitia, vel sapientia fidere possint. Nam eorum opera sunt in manu dei. Ecce quam | magnifice uno versu. et timorem et fidem docuerit Solomon, cum vetat fidere iustitia. aut sapientia nostra. Rursum. cum in manu dei sint opera iustorum et sapientum. praecipit illo fidere qui in potestate sua | habet spiritum sapientium ac iustorum. 101, b.
Post sequitur, Sunt qui diliguntur a deo, sunt quos aversatur deus, sed ex facie ab homine cognosci non possunt. sed omnia ser|vantur in futurum. Id est, ratio humana iudicat deo acceptos esse, quos donis suis, opulentia, sapientia, iustitia, gloria cumulat. Rursum invisos esse deo, quibus illa desunt. Atqui falso iudicat ad eum modum ra|tio. Diligit enim vel maxime inopes illos, calamitosos, viles, abiectos. Odit vel maxime quos immodice cumulare solet. Utriusque exemplum in filiis Israel et Pharaone habes. Hoc igitur agit, non posse discerni inter pios | et impios ab externis eventibus, quemadmodum humana ratio iudicat. Nam si de suae cuiusque conscientiae iudicio Solomonem interpreteris, non video qui ignoret peccator odium dei, cum nihil sit certius, quam offendi | deum peccato. Deinde ut maxime donemus Solomonem de iudicio conscientiae sanctorum accipi debere, hoc tantum effeceris, sanctos nondum esse securos, nisi quatenus credunt. Iuxta illud Ro. VIII. [vs. 24.:] Spe salvi (53, b.)
facti sumus. | Immo fides plane sola, san- 102, a.
ctorum securitas est. Sed ut fide misericordiam norunt, ita fideli timore se [63]) divinae voluntati iudicandos ac damnandos permittunt, ut dent gloriam deo. | Sic enim precamur, Fiat voluntas tua. Exemplum Davidis habes II. Reg. XV. [2. Sam. 15, 25.:] Si invenero gratiam in oculis domini, reducet me et ostendet mihi eam, et tabernaculum suum. Si autem dixerit mihi non places, praesto sum. | Faciat quod bonum est in oculis suis. Non potest enim a fide timor separari. Fides misericordiam dei solam intuetur. Timor iudicium dei, et opera nostra. Sic Paulus ad Ro. XII. [11, 20.:] Tu fide stas, ne efferaris animo, sed timeas. Item, | cum in eo sit totus ille Solomonis liber, ut doceat, Carni non esse iudicandum de divinis consiliis, ut abdicati a nobis et timeamus deum, et credamus ei, non inepte opinor videri potest hoc monere, ignorari

---

63) se] *om.* Ed. 7.

quos elegerit, quos reiecerit deus. et ne superbiant sancti, et ne desperent peccatores. Caeterum verba Solomonis haec sunt, quantum intelligo[64]), Et dilectionem, et odium ignorat omnis homo in facie eorum, eo quod iuxta eveniant omnia iusto ac impio. 102, b. Unde satis adparet Solomonem, non de suae cuiusque conscientiae iudicio, sed de ratione discernendi pios ab impiis, extrinsecus, et ab aliis, loqui. Quod in latinis legitur, omnia in futurum servantur. additum videtur ab interprete declarandi gratia. Nec in Hebraeis, quod sciam, nec in graecis codicibus extat. Sed haec longiorem alicubi disputationem desiderant. Certissima sententia esto oportere nos certissimos semper esse, de remissione peccati, de benevolentia dei erga nos qui iustificati sumus. Ideoque sacramenta seu signa misericordiae dei, promissionibus sunt addita, ut postea dicam, quae certissime testarentur nobis contigisse benevolentiam dei. ut, certus est foenerator, se ab eo pecuniam adcepturum, cuius consignatum *αὐτόγραφον* ea de re habet. Ita ut certi sint[65]) Christiani condonari sibi peccata, signa, baptismus, et participatio mensae domini, promissionibus *αὐτογράφοις* Christi sunt addita. Et norunt quidem fide sancti certissime, se esse in gratia, sibi condonata esse peccata. Non enim fallit deus, 103, a. qui pollicitus est se condonaturum peccata (54, a.) credentibus, tametsi incerti sint, an perseveraturi sint.

Hactenus dixi, oportere certos esse nos de benevolentia dei erga nos. Quid autem de operibus dei in nobis ipsis, scire ne possumus, an spiritum dei conceperimus in pectore nostro? Respondeo, fructus spiritus sancti testantur nobis, quod in pectore nostro versetur. Ad Galat. V. [vs. 24.:] Qui Christi sunt, carnem crucifixerunt etc. Sentit autem quisque, vere ne et ab animo oderit et abominetur peccatum. Nam id est crucifigere carnem. Sentit quisque, num timeat deum, num credat deo. Aemula quidem hypocrisis est spiritus dei, sed tentatio discernit, ubi soli fideles perdurant. Iam et ne potest quidem odisse vitia hypocrisis. Qualis qualis autem videre tibi vide omnium primum, ut credas. Vult enim gloriam veritatis sibi deus tribui. Conferamus autem totam hanc disputationem de lege, Evangelio, ac fide, in aliquot capita.

I Lex doctrina est, quae facienda, et omittenda praescribit.

II Evangelium est promissio gratiae dei.

III. 103, b. Lex impossibilia exigit, Amorem dei, ac proximi, ad Roma. VIII.

IIII Qui legem, per vires naturae seu liberi arbitrii exprimere conantur, externa tantum opera simulant, adfectus quos exigit lex non exprimunt.

V Legi igitur non satisfaciunt, sed sunt hypocritae, sepulchra extrinsecus dealbata, ut Christus [Matth. 23, 27.] vocat. Et ad Galat. III. [vs. 10.:] Qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.

VI Ergo non est legis opus, iustificare.

VII Sed legis proprium opus est, ostendere peccatum, adeoque confundere conscientiam. Ad Ro. III. [vs. 20.:] Per legem cognitio peccati.

VIII Conscientiae agnoscenti peccatum, et confusae per legem, Evangelium ostendit Christum.

IX Sic Iohannes cum poenitentiam praedicat, simul ostendit Christum. Ecce agnus dei, qui tollit peccata mundi. Iohann. I. [vs. 29.].

X Fides, qua creditur Evangelio ostendenti Christum, qua Christus accipitur pro eo qui placarit patrem, per quem gratia donetur, est iustitia nostra. Iohan. I. [vs. 12.:] Quotquot receperunt eum dedit eis potestatem filios dei fieri.

XI Siquidem ea sola fides iustificat, meritorum nostrorum,[65a]) operum nostrorum, nullus 104, a. plane respectus est, sed solorum meritorum (54, b.) Christi.

XII Ea fides pacificat cor, et exhilarat. ad Roma. V. [vs. 1.:] Iustificati per fidem pacem habemus.

XIII Facitque ut pro tanto beneficio, pro condonato peccato propter Christum, redametur deus. Adeoque amor dei fructus fidei est.

XIIII Eadem fides facit, ut pudeat offendisse tam benignum. tam liberalem patrem.

XV Adeoque facit, ut abominemur carnem nostram cum concupiscentiis suis.

XVI Humana ratio, nec timet deum, nec credit ei, sed est prorsus ignorans dei, et contemptrix. iuxta psalm. [13, 1.:] Dixit insipiens in corde suo non est deus. Et Lucae XVI.

---

64) intelligo] sic Ed. 1.; Editt. 2. 7. intellego.

65) sint] sic recte Ed. 3.; Editt. 1. 2. 7. sunt. Illam lectionem a nobis receptam etiam Spalatini interpretatio german. exprimit: „Alſo damit tie Chriſten des gewiß vnd ſicher ſeyen."

65a) meritorum nostrorum] Ed. 1. typoth. errore: merito- strorum.

[vs. 31.:] Si Mosen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Ubi significat Christus cor humanum non credere verbo dei. Hanc humani cordis amentiam Solomon in toto Ecclesiaste insectatus est, ut cap. VIII. [vs. 11.:] Quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.

104 b. XVII Quia cor humanum prorsus est ignorans dei, ideo ad sua consilia, et ad suas cupiditates deflectit, et sese sibi pro deo erigit.

XVIII Quom cor humanum deus per legem sensu peccati confundit, nondum novit deum, nempe bonitatem eius non cognoscit, ideo odit velut carnificem.

XIX Quom cor humanum deus per Evangelium ostenso Christo erigit et consolatur, tum demum id cognoscit deum, nam et potentiam, et bonitatem eius cognoscit. Hoc est quod Hieremias [9, 24.] dixit, In hoc glorietur, quod novit me.

XX Qui Evangelio crediderit, adeoque bonitatem dei cognorit, eius cor iam erigitur, ut et fidat deo, et timeat deum, adeoque ut humani cordis consilia abominetur.

XXI Aptissime ergo dixit in Actis [15, 9.] Petrus, Fide purificari corda.

XXII Misericordia ostenditur promissionibus.

XXIII Alias corporalia, alias spiritualia promittuntur.

XXIIII In lege res corporales, ut terra Cana-
(55, a.) naea, regnum etc. promissae sunt.

XXV Evangelium est promissio gratiae, seu
105, a. condonatio peccatorum per Christum.

XXVI Promissiones corporales omnes pendent ex promissione Christi.

XXVII Nam prima promissio, fuit gratiae seu Christi promissio. Gen. III. [vs. 15.:] Semen eius, conteret caput tuum, id est, semen Hevae conteret regnum serpentis insidiantis calcaneo nostro, id est, peccatum et mortem.

XXVIII Ea in promissione Abrahae facta innovata est. In semine tuo benedicentur omnes gentes.

XXIX Proinde cum nasci ex Abrahami posteritate Christum oportuerit, promissiones quae legi additae sunt, de possessione terrae etc. promissiones obscurae venturi Christi sunt. Nam corporalia illa ideo populo promissa sunt, ne interiret, dum promissum semen nasceretur, et ut interim, corporalibus rebus indicaret deus misericordiam suam et populi fidem exerceat[66].

Christo nato, promissiones una cum populo consummatae sunt, et remissio peccati palam facta est, propter quam oportuit Christum nasci. XXX

Promissiones veteris testamenti indicia XXXI
sunt venturi Christi, adeoque promissionis 105, b.
gratiae olim vulgandae. Evangelium ipsa gratiae promissio est iam palam facta.

Sicut non novit deum, qui esse tantum novit, nisi et potentiam eius norit et misericordiam. Ita nec credit, qui esse deum tantum credit, nisi et potentiae credat et misericordiae. XXXII

Credit igitur vere, qui praeter minas, etiam Evangelio credit, qui vultum in misericordiam dei seu Christum pignus misericordiae divinae defigit. XXXIII

Hactenus de fide, de caritate paulo post, quaedam adiiciemus, ubi absolverimus hanc de discrimine legis et Evangelii partem.

DE DISCRIMINE VETERIS ac novi testamenti. Item de abrogatione legis.[67]

Ex iis quae de lege ac Evangelio, deque legis et Evangelii officio diximus, colligi fa-
cile potest, quid intersit inter vetus testa- (55, b.
mentum ac novum. Qua in re non aliter, atque in discrimine legis ac Evangelii misere laborant scholae, cum vetus testamentum vocant, legem quandam, quae externa tantum opera exigat. Novum, legem, quae praeter externa opera etiam adfectus exigat.
Quo fit ut obscuretur gratiae maiestas et 106, a.
amplitudo, quam oportuit velut in illustri positam loco undique omnibus conspicuam ostendi, et vel solam praedicari. Nos rem paucis absolvemus. Quid lex sit, quid Evangelium ex superioribus pete. In usu vocum hic laboratur.

Qui vetus testamentum simpliciter id quod legem vocant, consuetudinem loquendi, ut mihi videtur, magis quam rationem sequuntur, et nomine testamenti communiter pro constitutione seu instituto utuntur. Ego vetus testamentum voco promissionem rerum corporalium, coniunctam cum exactione legis. Nam et per legem exigit iustitiam deus, et mercedem illius pollicetur, Chananaeam

---

66) exerceat.] Ed. 7. exerceret.
67) Totus fere hic locus (exceptis paucis in fine) in Ed. 7. prorsus immutatus est, vide notam, quae infra exhibebitur.

terram, opus etc. ut ex Deuteronomio adparet cap. XXIX. [68]) [vss. 10 — 13.:] vos statis hodie cuncti coram domino deo vestro, principes vestri, et tribus, ac maiores na'tu, atque doctores, omnis populus Israel, liberi et uxores vestrae, et advenae qui tecum morantur in castris, exceptis lixis, ut transeas in foedere domini dei tui, et in iureiurando quod hodie dominus percutit te- 106, b. cum, ' ut suscitet te sibi in populum, et ipse sit dominus tuus, sicut locutus est tibi etc. Contra novum testamentum, non aliud est, nisi bonorum omnium promissio citra legem, nullo ' iustitiarum nostrarum respectu. Veteri testamento promittebantur bona, sed simul exigebatur a populo legis impletio. Novo, promittuntur bona citra conditionem, cum nihil a nobis vicissim exigatur. Atque hic vides quae ' sit amplitudo gratiae, quae sit misericordiae divinae prodigalitas. Breviter quae sit Evangelii gloria, cum gratis, nullo nostrae iustitiae, nostrorum operum respectu salutem donat. An non exclamet de tanta profusione gra'tiae pectus humanum? Quis credat huic auditui. Atque hoc discrimen veteris ac novi testamenti Hieremias cap. XXXI. indicat. Quod ut cognosci certius possit, de abrogatione legis disserendum est. '

Et cum legis tres partes sint, exequamur (56, a.) quatenus singulae ' sint abrogatae. praesertim cum non videantur eodem antiquatae modo. Et consensus scriptorum obtinuit iudicialia et cerimonialia exolevisse. Moralia 107, a. no'vata esse. Nos de moralibus primum dicemus.

Esse antiquata novo testamento partem legis, quam decalogum, seu praecepta moralia vocant. Primum hoc probat, quod ex' Hieremia relatum est in Epistolam ad Hebraeos, ubi caussatur propheta, ideo abrogandam esse legem divinitus, quod irritam fecerit populus. Non autem in cerimonias tantum peccavit Israel, sed in decalogum summam ' potius legis partem, ut vocat Christus in Evangelio. Item cum propheta novum pactum appellat Evangelium, antiquari sentit vetus, ut auctor Epistolae ad Hebraeos argumentatur, dicens, novum veteravit prius. Ad He'braeos VIII. [vs. 13.] et ad Timoth. I. [1. Tim. 1, 9.:] Iusto non est lex posita. Hoc genus multa sunt, et in Romanis et in Galatis, libertatis testimonia. Quis enim ignorat vulgatam ex Galatis [5, 13.] sententiam? Liberi estis, veruntamen ne detis libertatem ' occasionem[69]) carni. Immo et vilissima fuerit libertas Christiana, et plusquam servitus, si solas cerimonias tollat, partem legis omnium facillime ferendam. Quis enim non pecus mactet, minore negotio, quam irae, amori, ' aut similibus cupidi- 107, b. tatibus imperet. Necesse est itaque fateri decalogum etiam antiquatum esse.

Licebit igitur quidvis, necare insontes. / peierare etc.? Eadem quaestio apud Paulum est Roma. VI. [vs. 15.] cum inquit. Si quidem non sumus sub lege, peccabimus ergo? Est autem libertas in eo, quod ius omne legi ereptum est adcusandi, ac damnandi nos. Maledicit lex ' eos qui non nniversam legem semel absolverint. At universa lex nonne summum amorem erga deum, vehementissimum metum dei exigit? a quibus cum tota natura sit alienissima, ut maxime pulcherrimum pharisaismum ' praestemus, maledictionis tamen rei sumus. Eam maledictionem legis, id ius legis sustulit Christus. ut quanquam peccaveris, quanquam iam nunc peccatum habeas, est enim utendum sermone scripturae, tamen salvus sis.[70]) Vim ' mortis, vim peccati, portas inferi Sanso noster effregit. Hoc illud est quod ad Galatas [3, 13.] Paulus scribit. ' Christus nos redemit de maledicto legis, fa- (56, b.) ctus pro nobis maledictum. ' Item [Gal. 4, 108, a. 4.], Ubi venit plenitudo temporis, misit deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Et Roma. VI. [vs. 14.:] Peccatum vobis non do'minabitur. Non enim sub lege estis, sed sub gratia. Atque haec securitas est, quam adeo pleno ore, nusquam non celebrant prophetae. nulla non potentia legis superiores esse eos, qui sunt in Christo, hoc est, tametsi pecca'ris, tametsi habeas peccatum, damnari non posse. Iuxta illud, Absorpta est mors in victoria. ubi est mors victoria tua? etc. Haec inculcari Christianis debebant cum semper alias, tum maxime morituris, quibus haec ' una anchora reliqua est, vere sacra, ut proverbio dici solet. Atque haec libertas est, quam fere ubique Paulus praedicat. Cerimonias vix uno atque altero loco attingit. Nec aliud est no-

68) XXIX.] sic scripsi; Editt. 1. 2. male: XXXIX.

69) occasionem] Ed. 7. in occasionem.

70) sis] sic recte Ed. 1.; Ed. 2. es [quam lectionem etiam Spalatinus in interpretatione german. exprimit: „Also daß ob du gleych gesundigt hast, — du dennoch sälig bist.“].

vum testamentum, nisi huius libertatis | promulgatio. Id quod adposite secundo psalmo [vs. 6.] significavit propheta. Ego constitui regem meum super Zion montem sanctum. Hic pater inquit se regem designa-
108, b turum monti Zion. | post quale regnum sit futurum aperit, nempe ubi verbo suo deus, non humanis viribus aut mundi potentia regnet. Ideo subiicit [2. 6 sq.:] Praedicabo mandatum. Dominus dixit ad | me, filius meus es tu. Quae haec nova praedicatio erit? An non ante verbum dei praedicatum est in monte Zion, nempe lex? Ea vero nunc nova praedicatione abrogatur, ubi de filio Christo sermo[70a]) instituitur. Quod si | non aliud praedicatur, nisi filium esse Christum, consequitur legis iustitiam, opera non exigi, nec aliud praecipi, quam ut filium illum exosculemur. Id quod paulo post apertius dicit. Beati omnes qui fidunt eo, non serva|bit vos iustitia vestra, non servabit sapientia vestra, sed hic filius servabit, rex vester, propugnaculum vestrum etc. Sunt huiusmodi multa in scripturis, quae hanc nobis libertatem commendent. Nam quid in | universum aliud est Evangelium, nisi huius libertatis praeconium. Postremo libertas est Christianismus, quia, qui spiritum Christi non habent, legem facere neutiquam possunt, suntque maledi-
109, a. ctionum legis rei. Qui spiritu | Christi in-
(57, a.) novati sunt, | ii iam sua sponte, etiam non praeeunte lege, feruntur ad ea quae lex iubebat. Voluntas dei lex est. Nec aliud spiritus sanctus est, nisi viva dei voluntas, | et agitatio, quare ubi spiritu dei, qui viva voluntas dei est, regenerati sumus, iam id ipsum volumus sponte, quod exigebat lex. In hanc sententiam dictum est a Paulo [1. Tim. 1, 9.]. Iusto non esse legem positam. Et ad Roma. VIII. [vs. 2.:] Lex spiri|tus vitae, id est, lex motio spiritus vivificantis, liberavit me a lege peccati et mortis. Et libertatem Christianam Augustinus ad eum modum copiose tractat, in libro de spiritu et litera. Et Hiere. XXXI. [vss. 31—34.:] Ecce dies venient, di|cit dominus, et feriam domui Israel et domui Iuda foedus novum, Non secundum pactum, quod pepigi cum patribus vestris, in die qua adprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti, pactum, quod | irritum fecerunt, et succensui eis dicit dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel. Post dies illos dicit dominus, Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eo-
rum scribam eam, et ero eis in | deum, et 109, b.
ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum dicens, cognosce dominum. Omnes enim cognoscent me a minimo eorum, | usque ad maximum, ait dominus, Quia propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non recordabor amplius. Quo in loco duplex pactum commemorat propheta, vetus, ac novum, vetus, iustificationem per legem, | dicit irritum factum esse. Quis enim legem exprimere potuit? propterea sublata exactione, iam legem cordibus inscribendam esse, ut exprimi possit. Ergo libertas est, non ne faciamus legem, sed sponte ab animo, | velle ac cupere, quod lex poscit. Id quod antea nemo potuit. Idem Ezech. XI. [vs. 19.:] Auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum, ut in praeceptis meis ambulent, et iudicia mea custodiant, faciantque | ea et sint mihi in populum.

Habes quatenus a decalogo liberi simus. Primum, quod tametsi peccatores, damnare non possit eos qui in Christo sunt. Deinde quod qui sunt in Christo, spiritu trahun-
tur ad le|gem faciendam, et spiritu faciunt, 110, a.
amant, timent deum, proximi necessitatibus (57, b.)
se adcommodant, atque ea ipsa capiunt, quae lex praecipiebat, facturi, etiamsi nulla esset lex | lata. Nec aliud est eorum voluntas, nempe spiritus, quam viva lex.

Ad eum modum fuerunt liberi etiam patres ante Christi incarnationem, quotquot spiritum Christi habuere. Id quod vidit Pe|trus in Actis cap. XV. [vs. 10.] cum negat eos potuisse legem facere. Neque nos, inquiens, neque patres nostri portare potuimus. Sed fide iustificati sunt. Id est, cum non possent praestare legem patres, agnoverunt se quoque liberos | esse per Christum, suntque fide in Christum iustificati, non operum, non iustitiarum suarum meritis. Non enim eo loco in Actis de ceremoniis tantum Petrus loquitur, sed de tota lege. Nam lex ceremoniarum, ni praestes et decalogum, praestari | neutiquam potest. Non enim fiunt ceremoniae coram deo, nisi fideli spontaneo corde fiant. Et Petrus non hoc agebat, non posse externa opera ceremoniarum fieri. Quid enim facilius est, quam pauculis adeo ceremoniis defungi.
Nam si numeres | quanto plus rituum pa- 110, b.
pisticorum hodie in Ecclesia est, quam in

70a) Christo sermo] Ed. 2. typoth. errore: Christ sermoo

Mose videas. Et Mosaicas ceremonias in universum pauculis versibus complecti queas, cum papisticis tam magna decretorum et decretalium volumina non satis sint. Quam dissimiles Romani pontifices Petri sunt, quo praecessore gloriantur. Ille iure divino traditas, easque pauculas ceremonias abrogavit. hi nullo non seculo novas et stultas commenti sunt. Non igitur de ceremoniis tantum videri potest in Actis egisse Petrus, sed de tota lege.

In Romanis de hac libertate latius disputat Apostolus cap. VI. VII. et VIII. docens novum tantum hominem liberum esse. Proinde, quatenus spiritu novati sumus, eatenus liberi sumus, quatenus caro et vetustas sumus, sub lege sumus. Quanquam credentibus, quod reliquum est vetustatis, propter fidem condonetur. In summa, quatenus credimus, liberi sumus, quatenus diffidimus sub lege sumus. In Antilatomo copiose disputavit Lutherus de peccatis sanctorum, seu de reliquiis vetustatis in regeneratis ut
111, a. mihi ea de re non sit necesse multis age-
(58, a.) re. Praesertim cum tam clare dicat Paulus se adhuc captivum esse peccati. Idem non uno loco Augustinus, et Cyprianus. Nam iustificari hic cepimus, nondum absolvimus iustificationem. Sic Paulus subinde iubet reformari nos novitate sensus nostri. Et ad Philippenses [3, 12.] ait se nondum accepisse, nondum perfectum esse, sed sequi ut comprehendat. Ergo cum de legis abrogatione disputatur, hoc potius agendum erat, quatenus decalogum antiquarit Evangelium, quam, ut ceremoniae, ut iudicialia sublata sint. Nam ex decalogi abrogatione, gratiae amplitudo vel proxime cognosci potest, cum citra legis exactionem, nullo respectu operum nostrorum salvari credentes arguit. Ergo abrogata lex est non, ut ne fiat, sed ut et non facta, non damnet, et fieri possit. De iudicialibus ac ceremoniis, utinam exactius disseruissent, qui libertatem ad ea sola retulerunt. Et in his accurate observandum est, id quod Paulus [1. Cor. 7, 19.] ait, Circumcisionem nihil esse. Et in Galatis [5, 6.], In Chri-
111, b. sto Iesu neque circumcisionem, neque praeputium sed novam creaturam valere. Item illud, quod ad Corinthios scribit, Domini est terra, et plenitudo eius. Quae libertatem Christianam hanc esse probant, ut vel uti huiusmodi rebus externis, vel non uti possis. Sic alium Paulus circumcidit, alium non circumcidit, Alias attemperavit se iis, qui ritus Iudaicos observabant, alias refragabatur. Eadem nobis libertas esto. Non peccant, neque qui circumciduntur, neque qui intermittunt circumcisionem. Durius igitur est quod Hieronymus confinxit, de antiquatis ceremoniis. Atqui hunc hodie fere sequuntur. Sed hi peccant, qui necessariam putant esse circumcisionem, qui in hoc circumciduntur, ut iustificentur, ut bonum opus faciant. Rursum peccant, et qui intermittunt circumcisionem in hoc ut iustificentur. Tam errat Hieronymus vetans circumcisionem, quam errabant Iudaei, sicubi requirebant circumcisionem. Tam erraverit, si quis praecipiat, suillam carnem edere. quam erraverit, si quis vetet. Atque haec Paulo ratio fuit. Circumcidere Titum noluit, cum videret exigi a Iudaeis circum-
cisionem, adeoque obscurari doctrinam 112, a.
fidei, cum circumcisioni, non fidei iustifica- (58, b.)
tionem tribuerent. Idem servandum est in moralibus operibus, ut sicut non in hoc edis, aut bibis, ut iustificeris, ita nec in hoc largiare eleemosynen, ut iustificeris, Sed ut in hoc edis ac bibis, ut necessitati corporis servias. Ita in hoc largiare eleemosynen, diligas fratrem etc. ut communi necessitati servias, in hoc libidinem coherceas, ut corpus sit obnoxium spiritui etc. Quam non iustificant edere, bibere, dormire, stare, sedere, tam non iustificant non modo circumcisio, sed et moralia illa. castitas, servire fratrum necessitatibus et similia. Sola enim fides iustificat, iuxta illud [Rom. 1, 17.:] Iustus ex fide vivet. Porro haec in moralibus libertas, quam est necessaria cognitu, tam obscura est, nec nisi a spiritualibus intelligi potest.

Valeat igitur quod diximus, non esse iudicialia aut ceremonias ita sublatas, ut peccet, si quis ex illis quidpiam usurpet. Sed quia Christianismus libertas quaedam est, uti illis, vel non uti penes nos est, non aliter atque edere aut bibere penes nos
est. Caeterum optarim etiam uti Christia- 112, b.
nos ea forma iudiciorum quam Moses prodidit. Item plerisque ceremoniis. Praestaret enim quandoquidem iudiciis carere necessitas huius vitae non potest, nec, ut opinor, ceremoniis uti Mosaicis illis, quam tum gentilibus legibus, tum papisticis ceremoniis.

Et ut propius ad rem accedamus una eademque caussa est, cur universa lex abrogata sit, non ceremoniae tantum et iudiciorum formae, sed et decalogus, quod

praestari non potuerit. Hanc abrogandae legis caussam prodidit et Petrus in Actis, et Hieremias cum ideo novum pactum iniri docet, quod vetus illud irritum fecerimus. Atque eo loco nullam legis partem excipit, ut satis appareat eum de tota lege loqui. Est autem in iis antiquata tantum, qui pacto posteriori, hoc est, Evangelio crediderunt, adeoque in quibus spiritus Christi est. hi prorsus ab omni lege liberi sunt.

Quod autem decalogum faciunt sancti, hoc in caussa est, et quod decalogus praeter cordis iustitiam non exigit certa locorum, 113, a. temporum, rerum, personarum discrimina (59, a.) et spiritus ipsa cordis iustificatio sit. Non potest non praestari decalogus abrogata lege. ut sub exortum solis nequit fieri, quin illucescat. ita non potest non praestari decalogus effuso in corda sanctorum spiritu. Caeterum spiritualis sic liber est, ut nisi adferret ipse secum spiritus pro sua natura decalogi impletionem, ne deberemus quidem. Nunc cum adfert spiritus eiusmodi voluntatem, quae sit ipsa decalogi impletio, fit lex, non quod exigatur, sed quia ne potest quidem a spirituali diversum fieri.

Iudicialia et ceremoniae praeter cordis iustitiam externae observationes sunt, rebus, personis, locis, temporibus circumscriptae. Quas observationes quia non necessario secum spiritus adfert, ideo non est cur a nobis fiant. Esse non potest in humano corde spiritus dei, quin exprimat decalogum. Fit igitur necessario decalogus. Esse potest spiritus in humano corde, etiam sine externis illis observationibus. Non igitur fiunt necessario iudicialia et ce- 113, b. remoniae. Hinc adparet, cur decalogus fere negativas leges contineat, ut significetur nullum certum opus, circumscriptum personis, locis, temporibus, sed potius cordis iustitiam exigi. Reliquae leges res externas distribuunt ac dispensant. Sed hanc libertatis rationem relinquo meditandam sublimioribus spiritibus. Ego contentus sum monuisse decalogum antiquatum esse, non ut ne fiat, sed ut ne damnet, si quid deliquimus, deinde ut et exprimi possit. Adeoque libertas haec conscientiae est, fide sentientis condonari peccatum.

Ceremonias esse abrogatas fere ideo iudicant, quod umbrae Evangelii fuerint, quibus cum corpus, hoc est, ipsum Evangelium nunc extet, nihil opus sit. Quam caussam haud scio an usquam secutus sit Paulus. In Coloss. [2, 16.] inquit, Nemo vos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut Neomeniae, aut sabbatorum, quae sunt umbrae futurorum. corpus autem Christi. Quo in loco typi rationem caussatus videri fortasse potest. Certe in Galatis ideo ceremonias reiicit, quod non iustificent. Idem in Hebraeis agitur per totam (59, b.) Epistolam, non ceremonias modo, sed to- 114, a. tam legem ideo antiquari, quod iustificare non potuerit, seu ut supra diximus, quod exprimi non potuerit. Sic enim cap. VII. [vs. 18.] scribitur. Reprobatio quidem praecedentis mandati propter infirmitatem eius et inutilitatem. Et ubi de sacerdote late disseruit, hoc constituit. Ideo sacerdotium Leviticum antiquari, quod remissionem peccati non impetrarit. Impetret autem noster pontifex Christus. Vides unam hanc abrogatae legis caussam in scripturis premi, ac urgeri, legem ideo antiquari, quod non iustificarit, seu quod exprimi non potuerit. Scholae ceremonias tollunt solas, quod Evangelii typi fuerint. Decalogus manet quod τυπικὸς non videatur. Sed quid hoc ad gratiae commendationem? Scriptura sic de abrogatione legis disserit, ut ubique nobis in ea gratiae amplitudinem commendet. Sic ceremonias tollit ut universam legem adpareat sublatam. Sic ceremonias reiicit, ut adpareat propter decalogum abrogandum, abrogari ceremonias. Quae commendatio gratiae et sola et summa est. Sic ergo ceremoniae sublatae sunt, non ne fiant, sed quod nullo conscientiae periculo aut fieri aut omitti possint, quod non da- 114, b. mnent intermissae, nec iustificent si feceris. Haec satis sit indicasse, quorum rationem ex Galatarum Epistola, et ex Hebraeis petas. Augustinus alicubi caussam abrogatae legis inquirens, nihil praeter figuras caussatur. Scriptura ideo legem abrogat, quod non iustificet Quid igitur erat cur ferretur lex? ut ostenderet peccatum, seu ut peccati coargueret, et palam fieret opus esse nobis misericordia dei.

De formis iudiciorum sic sentio. Eas quoque antiquatas esse, quod externae observationes sint, non aliter atque ceremoniae quibus liber spiritus vel uti, vel non uti possit. Contendere iudicio Christianis non licet, sed ea non est abrogandae legis caussa. Nam ut peccent qui litigant, necesse est tamen leges et iudicia esse, quibus coherceantur flagitiosi. Nec peccant qui iudicia exercent, seu ius dicunt. Nec in hoc lata Mosi lex est, ut litigandi materia civibus es-

set, sed ut iudicandi formula magistratui esset. Non in hoc igitur disputandum est, Mosaica ne, an quavis lege uti possit qui
115, a. litigare velit. Non enim Christianus est,
(60, a.) qui litigat. Sed Mosaica ne lege sola uti debeat iudex Christianus? Hic respondeo, penes iudicem esse, uti vel non uti Mosi lege. Est enim rerum externarum dispositio quaedam, quae ad Christianismum nihil pertinet non aliter, atque edere ac bibere. Paulus tantum sapientem virum, et in quo sit Christi spiritus iudicem postulat I. Corinth. VI. [vs. 2.:] An nescitis quod sancti de hoc mundo iudicabunt. Item, [vs. 5.] Adeo non est inter vos sapiens quisquam qui possit iudicare etc. Quibus locis adparet, eum non legem aliquam certam, sed spiritualis viri iudicium requirere. Alias etiam gladium gentium probat, de quo postea dicemus, vocatque dei ordinationem. Porro gladii potissima pars leges sunt. Atque ita usi sunt gentium gladio, et gentium legibus Naaman Syrus. Nabugdonosor, et si qui alii ex gentibus pii principes fuerunt. Et haud scio an gesserint etiam Daniel, et alii Israelitae inter Assyrios. Certe gentium gladium gessit Romanum praesidium Iudaeae impositum. Et probavit Iohannes Lucae III. [vs. 14.:] Neminem con-
115, b. cutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris. Talis et Cornelius fuit Actorum X. talis fuit et Proconsul Sergius Actorum. XIII. [vss. 7—12.] Haec ideo recensui, ut intelligatur, ad iustitiam spiritus, nihil pertinere civilem illam et externam rerum dispensationem, non aliter atque agrum fodere, aut aedificare, aut suere calceos nihil referunt iustitiae spiritus. esseque penes Christianos uti, vel non uti formis iudicandi Mosaicis. Quanquam optarim pro gentilibus et saepe stultis legibus Mosaicas recipi. Sumus enim oleae illi inserti. Et verbum dei decebat praeferre humanis constitutionibus. Nec hodie alius fere Romani illius iuris usus est, quam in litigando, ut habeant unde se alant rabulae forenses.

[*Hactenus (fol.* 105, *b. lin.* 14. *ad fol.* 115, *b. lin.* 15.*) locum prorsus immutatum habes in Ed.* 7. *(Fol. LXXII, a. lin.* 28. *ad Fol. LXXV, b. lin.* 22.*) hoc modo:*

DE DISCRIMINE NOVI ET VETERIS TESTAMENTI.

CONFUSIUS paulo videtur hic locus tractatus esse superiore commentario. Quare hic retexendum duxi, ut digereretur.

Vetus testamentum lex est, ut simplicissime et pinguissime loquamur. Sic Moses adpellat Exodi XXIIII. [vs. 3.] cum velut paciscitur Israel cum deo, facturum se, quidquid legerat Moses. Eiusque pacti σφραγὶς est, sanguis quo conspergitur Israel.

Adpellat item legem, testamentum, foedus, aut pactum. Hiere. XXXI. [vs. 33.] ut multa huiusmodi in psalmis interim praeteream.

Et Paulus II. Corinth. III. [vs. 14.] plane legem, vetus testamentum adpellat.

Novum testamentum, Evangelium est, id est, gratiae adnuntiatio, adeoque et spiritus sancti donatio. Sic Christus vocat Matth. XXVI. [vs. 28. :] Hic est sanguis meus, novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. ubi definit novum testamentum, inquiens esse remissionem peccatorum. Et sicut sanguine vituli Israel a Mose adspersus est, cum dedicaretur testamentum vetus, et velut obsignaretur. Ita sanguis Christi, signaculum est testamenti novi.

DE LEGIS ABROGATIONE.

Quom Christus novum testamentum vocat, non dubium est, quin vetus illud antiquatum, et abrogatum velit. Sic enim argumentatur auctor Epistolae ad Hebraeos, ex Hieremiae verbis, quae paulo ante citavimus, dicendo, novum antiquavit prius, cap. VIII. [vs. 13.] Et vel ex his adparet, quantum intersit, inter Mosen et Christum, inter legem et Evangelium. Moses veteris testamenti, hoc est, legis minister erat. Christus novi testamenti, non legis quidem, nam ea iam antea promulgata erat, ministerio Mosi. sed remissionis peccatorum. Proinde, non est Evangelium, ut scholastici senserunt, id quod lex, sed plane remissio peccatorum, et ipsissima absolutio, ut vocant.

Supra legem in tres partes distinximus, In formas morum, ceremoniarum et iudiciorum. Quas omnes necesse est abrogatas esse, si vetus testamentum antiquatum est. Quaeras igitur, num occidere, moechari liceat. Siquidem lex, in solidum abrogata est novo testamento. Sic et apud Paulum quaeritur, Si non sumus sub lege, ergo peccabimus?

Respondeo, Hic abrogandae legis caussa, et quo mutata lex sit, spectandum est. Primum caussam legis abrogandae necessariam exponit Hiere. XXXI. [vss. 31 sq.] ubi ideo dominus novum testamentum promittit, quia vetus illud non praestiterimus, et fecerimus irritum. Eundem allegat in Actis [15, 10.] abrogandarum ceremoniarum caussam Petrus, cum ait, Nec nos, nec patres nostri portare potuimus, quae sententia ad universam legem pertinet, nam ceremonias nullum fuit negotium ferre, legem moralem, ut vocant, nemo expressit. Quis enim omnium vel sanctorum concupiscentia vacavit? Et auctor Epistolae ad Hebraeos, mandatum infirmum et inutile, legem esse dicit, et propterea, novo testamento mutandum fuisse. Fuit ergo haec legis abrogandae caussa, quia praestari seu fieri non potuit. Quae caussa cum ad legem moralem potius, quam vel ad iudiciorum formas, vel ad ceremonias pertineat necesse est fateamur decalogum quoque abrogatum esse. Sophistae nostri iudicialia, et ceremonias dicunt abrogatas esse. Legem de moribus a Christo etiam novis legibus auctam esse. Adeo ex Christo bis Mosen faciunt.

Habes caussam abrogandae legis. Nunc quo mutata sit, considerandum est.

Novum testamentum est remissio peccatorum, et donatio spiritus sancti. Proinde legem esse inductam seu abrogatam, nihil est nisi peccata condonari, et spiritum sanctum effundi in corda eorum, quibus peccata condonavit deus. Quod legem abolet, facit, ne vel meritis

nostris (ut loquuntur) salvemur, vel propter peccata nostra pereamus. Non ergo lex abolita est, ne fiat, sed ne damnet, ubi violata est, at eam nemo non violat. Itaque non lex sed maledictio legis sublata est. Vides hoc loco amplissimam gratiae commendationem contineri, cum legem audis ideo abrogari, ut prorsum gratis, sine ullo nostro merito servemur.

Deinde, quibus peccata remittuntur, remittuntur autem credentibus tantum, donatur et spiritus sanctus, qui illorum corda accendat, ut ultro legem, et ex corde faciant. Voluntas dei, lex est, sed mortua, descripta enim est in saxo. Viva dei voluntas, spiritus sanctus est. Proinde quorum corda spiritum sanctum conceperunt, ii, quod lex praecipit, iam etiam si non cogat lex, faciunt.

Ergo lex non est abrogata, nisi populo novi testamenti, hoc est, novo homini, id est, vere fideli. Nam hi credunt peccata sibi remissa esse, credunt et peccatum in carne reliquum condonari, et conceperunt spiritum sanctum, mortificantem reliquias peccati in carne, et renovantis corda. Hi norunt, metuunt, amant deum, amant et proximum. Breviter, quia voluntas eorum, spiritus sancti voluntas est, non possunt non id velle quod vult spiritus sanctus. Nam unus spiritus, cum deo sumus. Non possunt igitur non praestare legem sancti. Nam eo natura spiritus sancti trahit, occidere, scortari, furari, mentiri non potest spiritus sanctus, ergo nec is, qui unus cum eo spiritus est.

Ita vides primum a lege neminem esse liberum, nisi eum, qui in Christo est, nam ille est novi testamenti mediator. deinde, necessario fieri legem moralem, quia id cogat natura spiritus, qui in cordibus Christianorum regnat. Haec Paulus Roma. VIII.

Dices autem, cur igitur non et ceremonias faciunt sancti? Respondeo, Eam legis partem necessario a sanctis fieri, cuius impletionem ipse secum spiritus sanctus adfert. Adfert autem earum legum impletionem, quae de adfectibus cordium praecipiunt, hoc est, cognitionem, metum, dilectionem dei, fidem, spem etc. amorem item proximi.

Ceremoniae et iudicialia, praeter cordis iustitiam externae observationes sunt, circumscriptae locis, temporibus, personis, quas observationes quia non adfert secum spiritus sanctus, ideo possunt a sanctis omitti. Non potest esse in corde humano spiritus sanctus, quin fiat lex moralis. Esse potest in corde humano spiritus sanctus, etiam sine externis illis observationibus, quare non exiguntur necessario.

I Ex his facile est colligere, in quo posita sit Christiana libertas. Primum enim in eo est, quod damnare lex non possit, quanquam habentes peccatum, modo credamus legis maledictionem a Christo sublatam esse. Fides autem ut pacis, ut libertatis auctor est, nec aliud re ipsa libertas, quam pax est, cuius in quinto capite [vs. 1.] ad Rom. meminit Apostolus. Iustificati ex fide pacem habemus. Huc pertinent ea quae de libertate sunt apud Iohann. cap. VIII. [vs. 36.:] Si vos filius liberaverit, vere liberi estis.

II Postea vero quam cor hoc libertatis genere, hoc est, remissione peccatorum pacatum est, quia spiritus in tale cor effunditur, iam lex dei fit, cognoscitur deus, fiditur deo. timetur deus ac diligitur. Diligitur et proximus, mortificatur concupiscentia, sanctificantur corpora. Et in hunc modum de libertate loquitur Paulus II. Corinth. III. [vs. 17.:] Ubi spiritus domini, ibi libertas. Priusquam enim cor renovatum fuerit a spiritu sancto, plane neque timetur deus, neque fidiur deo. Simulari lex potest, fieri non potest, nisi spiritus sanctus cor inflammaverit.

Quia novo testamento non lex, sed spiritus sanctus datur. Iam et Evangelium tantum est ministerium spiritus, et nihil praedicat, nisi remissionem peccatorum, ideo liberi sumus ab omnibus externis observationibus, et ceremoniis, quod has non adferat secum natura spiritus dei. Adeoque Christiana iustitia plane cordis iustitia est, non externarum observationum, ut in Evangelio [Luc. 17, 21.] Christus ait, Regnum dei intra vos est. Et Paulus Ro. XIIII. [vs. 17.:] Non est regnum dei, esca aut potus, sed iustitia, pax, et gaudium in spiritu sancto. Atque haec caussa est, cur a Christianis nec ceremoniae, nec formae iudiciorum exigantur. Caeterum penes nos est, uti vel non uti Mosaicis observationibus. III

Quid senserit de ceremoniarum abrogatione Hieronymus, etiam tonstrinae norunt, sed in ea disputatione quos secutus sit, ipse viderit. Scriptura certe liberas facit omnes huiusmodi observationes, ut inter Iudaeos, iudaicos ritus, inter gentes, gentiles servare possis. Notus locus est in priore Epistola ad Corinthios. Errat qui exigit circumcisionem, tanquam necessariam. Errat, item qui vetat circumcisionem, tanquam impiam. Errat item qui sic vetat simulachra haberi, tanquam per sese impium sit. Errat item qui sic tuetur simulachra, tanquam impium sit tolli. Errat qui putat impium edere suillam carnem. Errat item, qui putat impium, abstinere a suilla. Media sunt haec, et in arbitrio nostro posita. Sic et de Eucharistia iudico, non peccare, qui scientes huius libertatis, et credentes, alterutra signi parte utantur *). Dominus est enim filius hominis, etiam sabbati. Quae de ceremoniis diximus, eadem de formis iudiciorum sentimus. Christianum uti posse vel Iudaicis legibus, vel gentilibus. Obsecro enim quid aliud sunt iudiciorum formae, quam rerum externarum civilis et externa dispositio, quae non magis ad spiritum pertinet quam sutoria, aut ratio colendi agri, coquendi etc. Contendere iudicio Christianis non licet, sed ea non est legis abrogandae caussa. Nam, ut maxime peccent, qui litigant, non peccat tamen qui gladium administrat, iudex aut Iurisconsultus. Opus habemus iudiciis, et legibus adversus vim, ut Apostolus ait. Dei minister est, vindex in iram dei qui male agit, Ro. XIII. [vs. 4.]. Potest itaque Christianus iudex uti vel Mosaicis, vel gentilibus legibus in iudicando. Nam in Actis Apostolicis vetat spiritus sanctus legem imponi gentibus. et Paulus gladium gentium probat. Porro gladii potissima pars, leges gentium sunt. Et gladio gentium usi sunt, Nahaman Syrus, Nabugdonosor. Et haud scio an gesserint etiam Daniel et alii Israelitae inter Assyrios. Certe gentium gladium gessit praesidium Romanum Iudaeae impositum, et probavit Iohan. Lucae III. [vs. 1.] gessere et Cornelius Actorum X. et Sergius PROCOS. Actorum XIII. Haec ideo recensui, ut intelligas, iustitiae spiritus nihil referre, huiusmodi externam rerum dispositionem, *καὶ οἰκονομίαν.*

Quatenus liberi simus, diximus, Quatenus autem libertate utendum sit, docet Paulus cum alias tum in Corinthiis, ut praestemus, ne cum scandalo fratris utamur libertate nostra. Et in Galatis [5, 13.], Ne demus libertatem in occasionem carni. At nunc quidam nulla re alia Christiani videri volunt, quam contemptu ceremoniarum, omnis civilitatis, quae tamen creaturae dei bonae sunt. Neque alii Evangelio tantum conciliant odii, quantum hi, qui pro sua libidine hac libertate abutuntur, ut plane videri possint hi esse, qui in castra

---

*) In margine huius Ed.: De altera specie sacramenti.

Israelitica cacent, contra quam lex divina constituit, Deuter XXIII. [vss. 12—14.]. At Paulus ita iussit vivere Christianos, ne demus occasionem ulli blasphemandi boni nostri. Sed de scandalo infra dicemus.

IIII · Quatenus sit antiquata lex opinor, ex his *etc.*]

Quatenus sit antiquata lex opinor, ex his cognosci posse, aliqua ex parte, quae diximus. Certius enim usu scripturae docebit spiritus. Neque potest nisi a spiritualibus intelligi haec libertas.

Dices autem si liberi sunt qui spiritum Christi habent, igitur et David et Moses liberi erant? maxime. Nam hoc est quod ait Petrus [Act. 15, 10.:] Neque nos, neque
116, a. patres nostri portare potuimus, sed per
(60, b.) gratiam domini nostri Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi. Hoc est, agnorunt patres omnia sua opera peccata esse. agnorunt se non mereri salutem operibus suis ullis, sed misericordia dei egere. Itaque crediderunt, suntque misericordiae fiducia servati, et concepto spiritu dei, senserunt se liberos esse a legis maledictione, adeoque ab omni onere vel exactione legis. Sed quod ceremonias non omittebant, in caussa est, quod nondum libertas revelata erat, nondum Evangelium libertatis evulgatum erat. Quare legem tulere nihil gravatim, cum se fide iustificari sentirent. Vides etiam nonnunquam libertatis privilegio recte usos esse. ut I. Regum XXI. [1. Sam. 21, 6.] David panes propositionis edit, quos edere fas non erat, nisi sacerdoti. Et David egregie de libertate praefatus inquit [1. Sam. 21, 5.], Viam quidem pollutam esse, sed sanctificari in vasis, hoc est, mundos esse se, quod fideles essent, et sanctificari omnia, victum, operas etc. fide sanctorum. Non aliter atque Paulus [Tit. 1, 15.] ait, omnia munda mundis esse, coinquinatis nihil mundum.

116, b. Summa, Liberi sumus per fidem ab universa lege, sed eadem fides, ille ipse[71]) spiritus Christi, quam[72]) concepimus, reliquias peccati in carne mortificat. Non quod exigat lex, sed quod illa ipsa sit spiritus natura, ut non possit non mortificare carnem. Hoc est quod ait Paulus [Rom. 8, 1.] Nihil nunc damnationis est his qui sunt in Christo Iesu, id est, qui credunt, quia iam a legis maledicto redempti sunt, salvi sunt. Sed illi iidem non secundum carnem ambulant, hoc est, quia in eis regnat spiritus, ideo carnis reliquiae crucifiguntur. Et leges praescribuntur fidelibus per quas spiritus mortificet carnem. Nondum enim consummata in nobis libertas est, sed vindicatur dum et augescit spiritus, et necatur caro. Estque decalogi usus in mortificanda carne. Ceremonialium legum aut Iudicialium non item. Ita fit, ut decalogo opus sit fidelibus, reliquis legibus non item. Sed ceremonias, et externas observationes pro arbitrio concipit spiritus.

DE VETERI AC NOVO HOMINE.

Dixi libertatem nondum consummatam esse, 117, a.
quod et sanctificatio nondum in nobis con- (61, a.)
summata sit. Coepimus enim spiritu dei sanctificari, sanctificamurque dum caro illa prorsus enecetur. Ita fit ut duplex sit sanctorum natura, spiritus et caro. Novus homo et vetus. Interior homo et exterior. Caro, non corpus tantum designat, ut supra disputatum est, sed totum plane hominem ψυχικὸν ut vocat Paulus [1. Cor. 2, 14.], hoc est eum, qui naturalibus adfectibus et motibus obnoxius est. Idem quod caro, significant homo vetus, Item homo exterior. Estque caro, quidquid est humanorum adfectuum secundum naturam. Non modo esurire et sitire, sed et amare opes, gloriam, et huiusmodi alia. Planeque caro sunt virtutes philosophicae, et conatus liberi arbitrii qualescunque. Rursum spiritus est, cum ipse spiritus sanctus, tum eius in nobis agitatio. Novus homo, interior homo, spiritus sunt, quod a spiritu sancto regenerati sint. Iohann. III. [vs. 6.:] Quod natum est ex spiritu, spiritus est. Sancti ergo sumus, quatenus spiritus sumus, quatenus novati sumus. In carne,
in veteri homine, in exteriore homine ad- 117, b.
huc peccatum est. Sic Apostolus, Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem. Sophistae Parisienses negant peccatum esse concupiscentiam quae in carne sanctorum est, sed infirmitatem. Hos satis copiose Lutherus in Antilatomo confutavit. Et quid est clarius, quam peccatum esse, quidquid adversatur legi dei. Caro adversus legem dei concupiscit. Quid est igitur cur peccatum concupiscentiam non vocent? an non sua quaerunt etiam sancti, an non in sanctis amor est, vitae, gloriae, securitatis, tranquillitatis, rerum? quae quod peccatum non vocarunt Parisienses, hoc in caussa est, quod adfectuum rationem non habuerunt,

71) ipse] *om.* Ed. 7.
72) quam] sic Editt. 1. 2. 7. (defendi quidem potest, sed scr.: quem).

sed externis factionibus peccari putaverunt. Radicem operum non vident. Ita fit ut de fructibus inepte iudicent. Quod tam bonum opus est, quo non suum aliquid natura quaerit? ut κενοδοξίας amorem posueris, certe nondum poenarum metum posuisti. Polluit ergo quantumvis bona opera caro. Iam si praeterea nihil pecces, nonne foedissime et atrocissime delinquimus torpore seu ignavia spiritus. Flagrare amore dei, fiducia, pavere
118, a. metu dei oportuit, quae primo praecepto exi-
(61, b.) guntur. Quae quis praestat? Fateamur igitur quod res est, esse in carne nostra peccatum. Estque haec misericordiae dei gloria, quod credentibus peccatum condonat. Nec aliud est abrogatio legis, quam legi ad eum modum ius esse ademptum per Christum, damnandi peccatores. Sunt qui tres hominis partes fecerunt, spiritum, animam, corpus. Quod non damno, modo permittant, mihi quod res est, spiritum proprie non naturae partem esse, sed agitationem divinam. Corpus et animam, hoc est, naturam sine spiritu, non posse non peccare, nec a peccato morales virtutes excusent. Paulus Apostolus ad Philippenses [3, 8.], omnes iustitias suas pro damnis et stercoribus habet, quas praeeunte lege naturae conatus expresserat. Quid est igitur cur naturae opera usque adeo in iniuriam Evangelii, blasphemi sophistae iactent? Nec enim amplitudinem gratiae quidquam adeo obscurat ut impia illa moralium operum doctrina. gaudet Paulus reperiri in Christo non habens suam iustitiam ex lege, sed eam quae per fidem est Christi, quae iustitia ex deo est. ex lege etiam meritum ponunt Sophistae in iustitia.

118, b.

DE PECCATO MORTALI
et quotidiano.

Supra de peccato dictum est, ubi consulto omisimus peccati formas tractare, mortale, ut loquuntur, et veniale. Est enim mortale peccatum, omne opus hominis, qui non est in Christo, quia malae arboris nempe carnis malus fructus est. Adfectus autem carnis mors est, ad Roma. VIII. [vs. 6.]. Item [vs. 7.:] adfectus carnis inimicitia est adversus deum. Item [vs. 8.], qui in carne sunt deo placere non possunt. Quibus locis necesse est, ut carnem interpreteris de tota hominis natura, adeoque de praestantissimis naturae viribus ut supra docuimus.

Immo non alia pars hominis magis caro est, quam suprema vis, ratio, quod in illa proprie sit ignoratio et contemptus dei, incredulitas et hoc genus sonticae pestes, quarum fructus et opera sunt, omnes functiones humanae. Contra venialia peccata sunt, omnia sanctorum opera, nempe, quod per misericordiam dei, credentibus condonentur. Nonnunquam sanctis eripit deus spiritum, ita ut in manifesta vitia prolabantur, quae vocent
sane, me nihil refragante peccata mortalia, 119, a.
modo sciant me mortalia ad eum modum (62, a.)
adpellare quidquid fit ab iis qui spiritu dei carent. Quondam fere crimina vocabantur, quae Sophistae nunc vocant peccata mortalia, facinora palam mala. Et quotidiana peccata quae isti venialia.

De lege ac Evangelio, de veteri ac novo testamento, haec quae dixi puto requiri potissimum. quae ipse video a me tenuius, quam pro rei dignitate tractata esse, sed nolo Rabbi vocari. Abunde suppeditabit scripturae usus, quod nos praeterivimus. Satis esse putavi indicare, quid potissimum in scriptura requireres. Requires autem legem ac Evangelium. Lex peccatum ostendit, ac conscientiam pavefacit. Evangelio peccatum condonatur, et exhibetur spiritus qui ad faciendam legem cor inflammet. Si testamenti nomen propius consideres, vetus testamentum τύπος novi testamenti, non testamentum fuerit, ut in quo non decesserit testator. Novo testamento decesserit testator. Vetere pro testatore typi gratia pecu-
des caedebantur, quae testatoris [73]) mor- 119, b.
tem significabant. Sed haec argutiora sunt, quam quae huius commentarii ratio admittat. Solet hic de litera et spiritu disputari, de quibus malo vel Augustinum, vel Lutherum quam me consuli. Quanquam supra etiam in legis ratione attigerim.

DE SIGNIS.

Evangelium promissionem esse gratiae diximus. Porro promissionibus proximus signorum locus est. Adduntur enim in scripturis ceu sigilli vice, signa promissionibus, quae cum admoneant promissionum, tum certa testimonia divinae voluntatis sint erga nos, testanturque certo accepturos, quod pollicitus est deus. In usu signorum foedissime erratur. Nam scholae cum disputant quid intersit inter sacramenta veteris ac novi testamenti, In sacramentis veteris

73) testatoris] Ed. 7. testaturis.

testamenti negant vim fuisse iustificandi. Novi sacramentis tribuunt vim iustificandi, manifesto nimirum errore. Sola enim fides iustificat. Proinde quae signorum natura sit, facillime ex Pauli Romanis potest intel-
120, a. ligi, ubi de circumcisione in capite quarto
(62, b.) disserit ad hunc modum. Abrahamum non esse iustificatum ex circumcisione, sed ante circumcisionem, et citra circumcisionis meritum, accepisse vero postea circumcisionem *σφραγίδα δικαιωσύνης*, hoc est, sigillum, quo testaretur deus Abrahamum esse iustum et quo innotesceret Abrahamo, se coram deo iustum esse, ne in ancipiti fluctuans conscientia desperaret. Quem usum si intelligas, quid potest signis laetius contingere. Parum est quod admonent signa promissionum divinarum. Hoc vero magnum est, quod certum testimonium divinae voluntatis erga te sunt. Sic circumcisionem signum vocat Moses Genesis XVII. ut sit vobis in signum foederis inter me et vos. Quod signum circumcisio est, admonet promissionis divinae Abrahamum, et omnes circumcisos. Quod foederis signum est circumcisio, hoc est, quod significat ratum fore hoc foedus, confirmat conscientiam Abrahae ut nihil dubitet, quin eveniat, quod promissum est. Quin praestet deus quod pollicitus est. At quid erat pollicitus Abra-
120, b. hae deus? nonne, se futurum Abrahae deum, hoc est complecti se Abrahamum, iustificare, et servare etc. Haec, ita certa esse, nihil dubitabat Abraham, circumcisione, velut sigillo confirmatus.

Percurre si libet universam scripturam, et signorum rationem ex historiis sacris pete, non ab impiis Sophistis. Ezechiae dominus vitam Esaiae oraculo prorogat. Eam promissionem, ut ratam fore certo sciret rex, confirmat deus adiecto signo, ut decem gradibus horologii umbra revocaretur. Gedeon ne quid dubitaret futurum, ut suo ductu vindicaretur Israel in libertatem duobus signis confirmatus est. Achazum Esaias [7, 13.] increpat contemnentem signum divinae voluntatis erga se. Nam nec promissioni credebat. Et quid attinet multa quaerere, cum scriptura sit huiusmodi exemplorum plena. Ex quibus qui sit signorum usus credo disci posse. Non iustificant signa, ut Apostolus ait, Circumcisio nihil est, ita baptismus nihil est. Participatio mensae domini nihil est, sed testes sunt *καὶ σφραγίδες* divi-
121, a. nae voluntatis erga te. Quibus conscientia tua
(63, a.) certa reddatur, si de gratia, de benevolentia dei, erga se dubitet. Quam dubitare non potuit Ezechias, quin revalesceret, cum et promissionem audisset, et signo vidisset confirmatam promissionem. Quam non potuit dubitare Gedeon, quin victurus esset, cum tot signis confirmatus esset, tam dubitare tu non debes, quin misericordiam consecutus sis, ubi Evangelium audieris, et Evangelii *σφραγίδας* acceperis baptismum, et corpus domini ac sanguinem. Vel sine signo restitui Ezechias potuit, si nudae promissioni credere voluisset, vel sine signo Gedeon victurus erat, si credidisset. Ita sine signo iustificari potes, modo credas. Adeo non iustificant signa, sed erat Ezechiae, item Gedeonis fides huiusmodi signis sublevanda, erigenda, et confirmanda, ita nostra imbecillitas signis erigitur, ne de misericordia dei, inter tot insultus peccati desperet. Non aliter atque pro signo favoris divini haberes, si ipse tecum coram colloqueretur, si peculiare aliquod pignus misericordiae, qualecunque
miraculum, tibi exhiberet, decet de his te 121, b.
signis sentire, ut tam certo credas tui misertum esse deum, cum baptismum accipis, cum participas mensae domini, quam crediturus tibi videris, si ipse tecum colloqueretur deus, aut aliud quiddam ederet miraculi, quod ad te peculiariter[74]) pertineret. Fidei excitandae gratia signa sunt proposita. Nunc et fidem et signorum usum extinxerunt, qui ea in questu habent. Saluberrima est signorum cognitio, et haud scio an aliud conscientiam consoletur, et confirmet efficacius atque hic signorum usus.

Quae alii sacramenta, nos signa adpellamus, aut si ita libet, signa sacramentalia. Nam sacramentum ipsum Christum Paulus vocat. Quod si signi nomen displicet *σφραγίδας* adpelles, quo propius vis sacramentorum signetur. Probabilis et illi voluntatis, qui symbolis seu tesseris militaribus haec signa comparaverunt, quod essent notae tantum, quibus cognosceretur, ad quos pertinerent promissiones divinae. ut Cornelius baptizatus est, cum iam iustificatus esset, ut in eorum numero referretur, ad quos pro-
missio regni dei, et vitae perpetuae pertine- 122, a.
bat. Haec de signorum natura ideo monui, (63, b.)
ut qui sit usus pius sacramentorum, possit intelligi. ne quis scholasticos sequatur, qui iustificationem horrendo errore signis tribuerunt.

---

74) peculiariter] Ed. 2. typoth. errore: peculiater.

Duo sunt autem signa a Christo in Evangelio instituta. Baptismus, et participatio mensae domini. Nos enim signa sacramentalia ea esse iudicamus, quae gratiae dei signa divinitus tradita sunt. Nam divinae voluntatis signum erga nos, nec instituere homines possumus, nec ad voluntatem divinam significandam, ea signa referre, quae alio scriptura retulit. Quo magis miramur quid venerit in mentem Sophistis, praesertim cum signis iustificationem tribuerent, inter sacramenta referre, ea quorum ne verbo quidem scriptura meminisset. Nam unde confictus ordo est? Et nuptias non in hoc instituit deus, ut essent proprium gratiae signum. Unctio ritus magis vetus est, quam gratiae signum. Copiose disputavit hac de re Lutherus in Babylonica captivitate. unde
122, b. requires exactiorem disputationem. Porro haec summa rei est, gratiam non significari certo ac proprie, nisi iis signis, quae divinitus prodita sunt. Atque ita vocari non posse sacramentalia signa nisi ea quae divinis promissionibus addita sunt. Hinc dictum est a veteribus rebus et verbis constare sacramenta. Res, signum est, verba promissio gratiae.

DE BAPTISMO.

Sophistae materiam et formam, sic enim loquuntur, sacramentorum prolixe et superstitiose tractarunt, usum rei nullum indicantes. Signum est immergi in aquam. Minister is qui demergit, significat dei opus, adeoque et signum divinae voluntatis esse demersionem illam, cum inquit, Baptizare se nomine patris, filii et spiritus sancti. aut, ut Apostoli baptizabant in Actis, nomine Christi. Quibus verbis plane hoc significatur. Ecce, quod demergeris, id ita accipias pro certo favoris erga te divini testimonio, atque si ille ipse baptizet. Pro divini favoris te-
64, a. stimonio habebat Ezechias, quod mirando eventu revocaret umbram deus. Populus Israhel pro divini favoris testimonio habe-
123, a. bat, quod undae in sinu Arabico viam sibi aperuissent. Sic tu pro certo gratiae divinae pignore habeto hanc demersionem. Nam quod dicitur In nomine patris et filii et spiritus sancti, notat vicem, quod pater, filius, spiritus sanctus baptizent, et interpretetur is qui baptizatur, remitti sibi peccata ab ipso patre, filio et spiritu sancto. Significari baptismo, nam hinc usus eius cognoscetur, constat transitum per mortem ad vitam. Estque demersio veteris Adae in mortem, et exuscitatio novi. Id est cur Paulus [Tit. 3, 5.] vocet lavachrum regenerationis. Intelligetur haec significatio ex typo facillime. Adumbratus est baptismus transitu Israelitarum per sinum Arabicum. Quid aliud illi quam mortem ingrediebantur cum aquis se committerent? Transibant fide per aquas, per mortem, dum evaderent. In ea historia gesta res est, quam Baptismus significat. nempe per mortem ad vitam transierunt Israelitae. Sic tota vita Christiana est mortificatio carnis, et renovatio spiritus. et res, quam significat baptismus geritur tantisper dum prorsus a mortuis resurgamus. Vera poenitentia est pro- 123, b.
prie quam significat baptismus. Adeoque sacramentum poenitentiae baptismus est, ut postea dicemus.

Usus vero signi hic est testari, quod per mortem transeas ad vitam. Testari, quod mortificatio carnis tuae salutaris sit. Terrent peccata, terret mors, terrent alia mundi mala. confide, quia σφραγίδα accepisti misericordiae erga te. futurum ut salveris, quomodocunque oppugneris a portis inferorum. Sic vides et significatum baptismi, et signi usum durare in sanctis per omnem vitam. Imo hoc ausim dicere, non aliam efficaciorem consolationem exhiberi posse morituris, quam signi huius mentionem, si admoneantur baptismi, se σφραγίδα promissionis divinae in hoc accepisse, ut certo scirent futurum, ut deus se per mortem in vitam reduceret. Eo signo nil opus fuisse, si sine divina ope transiri potuisset. Nunc ideo signum oblatum esse, ut ne diffiderent, quin deducente deo evasuri essent. Nonne si Moses baptizasset Israelitas priusquam viam in aquis ingrederentur, debuisset interim, dum medium mare penetrant, admonere accepti signi de rei 124, a.
eventu, praecipereque ut meminissent in hoc (64, b.)
proditum fuisse signum, ne quid dubitarent se servatum iri. Idem baptismi usus est in mortificatione. Monet conscientiam conterri tam remissionis peccatorum et certam reddit de gratia dei. adeoque efficit ut ne desperemus in mortificatione. Proinde quantisper mortificatio durat, tantisper signi usus est. Non absolvitur autem mortificatio, dum vetus Adam prorsus extinctus fuerit. quare fit, ut interim, ac perpetuo per omnem vitam signi usus sit, quod in assidua illa mortificatione conscientiam consoletur. Atque hinc adparet quam nihil signa sint nisi fidei exercendae μνημόσυνα. Sic baptismum tractat Paulus ad Ro. VI. [vs. 3.:] Qui in Christum

baptizati sunt, in mortem eius baptizati sunt. hoc est, ut mortificentur, sicut Christus mortificatus est, et ut sciant monente baptismo eam mortificationem esse transitum ad vitam. Nam quod adiicit Paulus [vs. 4.], consepulti sumus per baptismum, docet, non tantum mortificari sanctos, sed et in mortificatione quiescere, et agere sab-
124, b. batum sepulturae Christi. Impii mortificantur quidem, sed quia non credunt per Christum eum esse transitum ad vitam, desperant et prorsus pereunt. Pii mortificantur, sed ita ut sabbatum agant sepulturae Christi, hoc est, credant eum esse transitum ad vitam, expectentque consolationem per Christum. Eius consolationis interim pignus καὶ μνημόσυνον baptismus est. ut Paulus inquit. Per baptismum consepulti sumus. Fides facit ut sabbatizemus, quiescamus, expectemus consolationem. Baptismus fidem excitat, nempe signum divinae gratiae. Hic baptismi usus quam locuples adflictae conscientiae consolatio sit, nemo opinor facile verbis consequi queat.

De institutione baptismi laboratur ac discrimine baptismorum Iohannis et Christi. Qua de re qui rectissime senserunt, ita iudicarunt.[75]) Iohannis baptismum simpliciter esse signum mortificationis, Christi baptismum esse signum vivificationis, quod ei addita sit gratia promissio, seu condonatio peccatorum. Ideoque Iohannis lavachrum vocari baptismum poenitentiae, Christi baptismum,
125, a. baptismum in remissionem peccatorum.
(65, a.) Quod Iohannes legem praedicans, praeparet ad Christum conscientias agnoscentes peccati. Christus eos vivificet, quorum conscientiae lege et praedicatione Iohannis conterritae sint. Est enim iustificationis principium peccati cognitio, et iudicii divini metus. Consummatio fides, et pax conscientiae, quam cordi spiritus sanctus inserit, ut de lege et Evangelio supra diximus. Mihi videntur duo illa lavachra simplicius discerni posse. Si Iohannis baptismum pro signo gratiae per Christum paulo post praedicandae. Christi baptismum, pro signo iam donatae gratiae accipias, ut eiusdem rei signum uterque baptismus sit, sed hoc discrimine, ut Iohannis baptismus adfuturae paulo post gratiae, Christi baptismus iam collatae gratiae pignus sit καὶ σφραγίς. Ita idem significabat uterque baptismus mortificationem et vivificationem. Nemo enim iustificatur nisi qui ante mortificatus sit. Atque ut ita sentiam, primum hoc facit, quod Iohannis officium non hoc tantum est, legem praedicare, sed vel potissimum testimonium de Christo dicere, deque Evangelio, seu remissione 125, b.
peccati. Iohann. I. [vss. 7 sq.:] Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Et Matth. XI. [vs. 11.:] Inter natos mulierum non surrexit maior Iohanne baptista. Qui autem minor est in regno coelorum maior est illo. Id est, Ante revelationem Evangelii nullius officium, Iohannis officio praestat, ut qui non legem modo, ut Moses et alii prophetae praedicat, sed et testatur Evangelium mox per Christum revelandum esse. Porro Iohanne Christus maior est, quanquam minimus sit. Adeoque et Iohannis officio, maius erit Apostolorum officium. Et quia testis est Evangelii Iohannes, per eum institutum est signum, quod postea erat Evangelii seu donatae gratiae pignus futurum. Deinde Lucae III. [vs. 3.] Iohannis baptismus, dicitur baptismus poenitentiae in remissionem peccatorum. Et apertissime Iohan. I. [vs. 31.:] Ut manifestetur in Israel propterea veni ego in aqua baptizans. Et[76]) Act. XIX. [vs. 4.] Paulus ait. Iohannes baptizavit baptismo poenitentiae populum dicens, in eum qui venturus esset post ipsum, ut crederent. hoc est, in Iesum. Et Matth. III.[77]) 126, a.
[vs. 11.] Iohannes testatur suum baptismum (65, b.)
esse signum futuri baptismi per spiritum sanctum, cum inquit. Ego baptizo vos in aqua, qui post me venturus est baptizabit vos spiritu sancto. Nam hoc agit, se non esse Christum, sed testem de Christo. Sicut Iohan. III. [vs. 28.] inquit. Non sum ego Christus. Adeoque idem baptismus uterque significat, sed hoc discrimine, quod adhuc praedicandae gratiae Iohannis baptismus testimonium erat, Christi baptismus iam collatae. Neque aliter opinor baptizaverunt Christi discipuli Iohan. IIII. [vss. 1 sq.] quam Iohannes, eo quod Christus nondum esset glorificatus. Et oportuit iterum baptizari, qui Iohannis baptismo loti erant, quo certi essent se iam consecutos esse remissionem peccatorum, quam obventuram hactenus crediderant. Nam in hoc signa ad-

---

75) Conf. Lutheri ad Spalatinum epist. d. 29. Maii. 1522. ap. de Wette II. p. 202.

76) Et] Ed. 2. typoth. errore: Ei.

77) III.] sic scripsi; Editt. 1. 2. 7. male: XIII.

hibentur, ut conscientiam certificent. Non iustificabant,|neque Iohannis, neque Christi baptismus, de signis loquor, sed certificabant. Iohannis lavachrum de praedicanda adhuc gratia. Christi baptismus testabatur iam collatam esse gratiam, et promulgatam
126, b. promissionem gratiae.|In utroque iustificabat fides. Sed Iohannes aqua baptizat, quod ipse non sit in quem credatur, qui salvet. Christus cum sit salvator, baptizat spiritu sancto et igni. Atque ita re|baptizabantur, qui loti a Iohanne erant, tametsi iusti, ut si qui fuerunt iusti Iudaei alicubi, qui Iohannis baptismo loti non erant. Certificat enim baptismus Christi de collata iam gratia. Non enim video quid inter iustos|Iudaeos ante Iohannem, et eos, qui a Iohanne loti sunt, interfuerit, nam utrique expectarunt Christum, nisi quod hi propius Evangelium et remissionem peccatorum cognoverunt.

Haec paucis attigisse satis sit, ne quem lon|giore tractatione a lectione scripturae remoremur, ubi diligentius hoc genus quaestiones excutiendae sunt.

DE POENITENTIA.

Poenitentiam non esse signum, nihil ob|scurum est. Est enim poenitentia vetustatis nostrae mortificatio, et renovatio spiritus. Sacramentum eius, vel signum, non aliud nisi baptismus est. Atque hic omnium re-
(66, a.) ctissime vocetur sacramentum poeni|tentiae.
127, a. Siquidem poe|nitentia mortificatio nostri est, in vitam, seu ut renovemur. Id quod baptismo, ut ante dixi, significatur. et testatur Paulus ad Roma. VI. [vs. 3.:] Qui baptizati sumus in Christum|Iesum, in mortem eius baptizati sumus etc. Et ad Titum [3, 5.], nuncupatur lavachrum regenerationis. Neque aliud est vita Christiana, nisi haec ipsa poenitentia, hoc est, regeneratio nostri. Mortificatio fit per legem ut su|pra dictum est. Nam haec conscientiam terret et occidit. Vivificatio fit per Evangelium, seu per absolutionem. Non enim aliud est Evangelium, nisi ipsa absolutio. Quod mortificationem nos vocamus, scholastici contri|tionem voluerunt dici, id quod ita permitto, si non de dolore per liberum arbitrium, per vires humanas simulato loquantur. Non potest enim odisse peccatum natura. Sed divinum opus est conscientiam nostram confundere | et pavefacere. Hiere. VI. [vs. 15.] Erubescere nescierunt. Et XVII. [vs. 1.:] Peccatum Iuda scriptum est stilo ferreo in ungue Adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum. Et XXXI. [vs. 19.:] Postquam ostendisti mihi percussi
femur meum. Et | Christus de pharisaeis 127, b.
Lucae XI. [vs. 39.:] Nunc vos pharisaei, quod deforis est calicis et catini, mundatis, quod autem intus est vestrum plenum est rapina et iniquitate. Sed haec supra la-|tius, cum de collatione legis et Evangelii dissereremus. Non aliud enim poenitentia est, nisi iustificatio. Interim moneo, ut tanquam pestem caveas scholastica figmenta de attritionibus et de dolore per liberum arbitrium simulato. | Facile autem iudicabit cor tuum vere doleas, an simules dolorem. Sed nec dolore tuo fidas, quasi ideo condonetur peccatum quod doleat, sed potius ut postea dicam, Absolutione et verbo dei. |

Fortassis autem permittes poenitentiae, hoc est, mortificationis et vivificationis signum baptismum esse, si perseveres. Quod autem lapsis signum est, quod recipi eos in gratiam testetur? Nam ad lapsos tantum re|tulerunt poenitentiae vocabulum et sacramentum. Respondeo. Sicut Evangelium non amisimus alicubi lapsi, ita nec Evangelii σφραγίδα, baptismum. Certum est au-
tem | Evangelium non semel tantum, sed 128, a.
iterum atque iterum remittere peccatum.
Quare non| minus ad secundam condona- (66, b.)
tionem, quam ad primam baptismus pertinet. Est enim | baptismus Evangelii, id est remissionis peccatorum arrabo et pignus. Matth. XVIII. [vss. 21 sq.] Petrus interrogat, Quoties debeat remittere fratribus, ubi dominus respondet, Septuagies septies condonandum esse. Et I. Iohan. II. [vss. 1 sq.:] Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud patrem, Iesum Christum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris etc. et II. Corinth. II. [vss. 5—8.] Paulus recipi iubet incestum. Est et apud Chrysostomum, et citatur ex Cle|mente Alexandrino Iohannis Apostoli factum, qui iuvenem quendam desertorem ad poenitentiam revocarit.

Et quia poenitentiam partiti sunt in contritionem, Confessionem, et Satisfactionem.| paucis referemus de his nostram sententiam. De contritione satis dictum est, quae si vera est, mortificatio vetustatis nostrae est, quam ita vocat scriptura, dolor omnino
maior, | quam quem possit vel aestimare 128, b.
hominis ratio. Tantum abest ut sine opera

spiritus sancti, libero arbitrio conteramur, seu mortificemur.

Confessio alia est, qua coram deo agnosci|mus peccatum, et condemnamus nos ipsos. Ea confessio non aliud nisi illa ipsa mortificatio et vera contritio est, de qua modo dicebam. Atque huius saepe scriptura meminit. I. Iohan. I. [vs. 9.:] Si confiteamur peccata nostra, fi|delis est, et iustus ut remittat nobis pecata nostra. Et David [Psalm. 50, 5 sq.], Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi et malum coram te feci, ut iustificeris in ser|monibus tuis et vincas cum iudicaris. Item [Psalm. 31, 5.:] Dixi confitebor adversum me iniustitiam meam domino, et tu remisisti impietatem peccati mei. Citra hanc confessionem peccatum non condonatur. Rursum non potest | non condonari huic confessioni nempe qua nos ipsos adcusamus et damnamus, deo gloriam veritatis et iustitiae tribuimus.

Alia confessio est qua nos non domi tantum apud nos, sed et coram aliis accusa-
129, a. mus. | Haec quondam in Ecclesia talis erat. Qui criminis alicuius reus erat, pri-
(67, a.) mum privatim a | fratre quopiam, deinde coram ecclesia arguebatur. Atque ibi condonabatur noxa resipiscenti. | Eiiciebatur ex ecclesia is qui ecclesiam non audiebat. Habes formam huius confessionis Matth. XVIII. [vs. 18.] ubi usus clavium proditus est. Nunc eius exemplum in ecclesia nullum est cum ad cohercenda vitia non alia ratio com|modior esset. Sed successit ei confessio illa, qua privatim et seorsum apud singulos presbyteros res agitur. Et inter priscam illam confessionem et nostratem hoc |interest, quod de publicis tantum et manifestis crimini|bus prisca agebatur, nostrate de secretis etiam agitur. Vetustissimus mos fuit, accusari publica crimina coram universa ecclesia, et totius Ecclesiae suffragiis absolvi. Is mos iam olim abrogatus est, designatusque unus ali|quis ex numero presbyterorum, coram quo privatim adcusabantur quanquam publica crimina, is mulctam indicebat flagitiosis pro arbitrio coram Ecclesia, nempe pro publicis
129, b. criminibus. Nec ad Synaxin admitte|bantur, nisi qui poena illa publica defuncti erant. Eius exemplum adhuc manet in publicis poenitentiis nostrorum temporum, cum homicidae in ecclesia plectuntur. Hanc | poenitentiae formam describit quisquis est tripartitae, quam vocant, historiae auctor, graecus ut adparet. Aitque Constantinopoli antiquatam, durare adhuc in ecclesiis occidentalibus, estque ea, cuius saepe Cyprianus me|minit. Qui cum de publicorum criminum confessione loquitur, tamen indicat eam coram sacerdote potius, quam universa ecclesia factam. Require si libet eius sermonem de lapsis. Verba graecae historiae subiiciam. | Visum est antiquis pontificibus, ut velut in theatro, sub testimonio Ecclesiastici populi delicta pandantur, et hac caussa presbyterum bonae conversationis, servantemque secreti, ac sapientem virum designaverunt, ad quem adcedentes hi, qui deliquerant, delicta propria fatebantur. At ille secundum uniuscuiusque culpam, mulctam indicebat. Quod etiam hactenus diligenter in occidentalibus servatur ecclesiis,
et maxime Romae, | ubi etiam locus est 130, a.
certus poenitentium, | ubi stant rei, velut ii (67, b.)
qui lugent. Porro ubi sacra celebratio impleta fuerit, illi communionem non percipientes, cum gemitu et lamentatione | seipsos in terra prosternunt, Ad quos adcurrens Episcopus, et ipse cum lachrymis et gemitu spirituali procumbit, et totius Ecclesiae plebs illachrymatur. Postea primus omnium consurgit Episcopus, et iacentes erigit | e terra. Tum facta pro poenitentibus oratione, dimittit omnes. Interim illi se macerant variis adflictionibus ex sententia Episcopi, Synaxeos tempus, quod praescribit Episcopus expectant. Quo tempore, velut iam per|soluto debito una Synaxi cum reliqua Ecclesia participant. Haec Romani pontifices ad nostra usque tempora observaverunt. Sed Constantinopoli tantisper presbyter poenitentibus praefuit, dum mulier quaedam, primae nobilitatis post confessionem, in Ecclesia poenitentiam agens, cum Diacono aliquoties concubuisset. Quod ubi palam factum est, adversus presbyteros coorta plebs
est, quod Ecclesiam violassent. | Ibi Ne- 130, b.
ctarius Episcopus Diaconum officio deiecit, et veterem [78]) poenitentium morem antiquavit, nullo designato poenitentibus presbytero, permisitque, ut pro suae quisque conscientiae iudicio, participaret mensae domini, cum liberet. Haec fere ad verbum historia tripartita.

Ex his colliges duplicem formam publi-

---

78) veterem] Ed. 7. veterum.

cae poenitentiae fuisse quondam. Alteram primae ecclesiae, ubi coram universa ecclesia res gesta est, et vel eiecti e communione fidelum flagitiosi, qui resipere nolebant, vel absoluti qui resipiebant. Exemplum huius habes I. Corinth. V. Et. II. Corinth. II. de incesto. Alteram ubi poe|na publica est, confessio non item. Cuius exemplum hodie extat in homicidarum poenitentia. Poenae vero non debentur iure divino, sed a traditionibus humanis profectae sunt, ut postea dicam. Et de hoc genere poe|nitentiae, fere canones veteres loquuntur. Quos ad privatam detorquent inepte, fatui iuris pontificum professores.

131, a.

DE PRIVATIS CONFESSIONIBUS.

Praeter publicam poenitentiam, privatae
(68, a.) confessiones sunt. | Primum illae, cum privatim reconciliamus eos quos offendimus. De quo | genere dictum est Matth. V. [vs. 23.:] Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te etc. vade reconciliare fratri tuo. Et Iacobi ult. [5, 16.:] Confitemini alter alteri peccata, id est, alter | alterum deprecetur offensam etc.

Deinde sunt ecclesiasticae illae, quarum fere usus hodie est. Eas quondam tales fuisse adparet, ut quorum conscientiae angebantur aliqua de re, sanctos et peritos rerum spiritualium con|sulerent, et ab illis absolverentur. Huius mentio facta est a Basilio, si titulus non fallit, in opere de institutis monachorum, quod a Rufino latinitate donatum putant. Et tot quidem genera confessionum mihi com|perta sunt, quae cum alia sint iure divino tradita, alia hominum inventa, prudenter discernenda sunt.

Exigi iure divino confessionem eam quae deo fit, satis 79) constat vel ex illa I. Iohan.
131, b. I. sen|tentia, quam supra citavimus. Nec enim remittitur peccatum, nisi confiteamur deo, hoc est et damnemus nosipsos, et fidamus misericordia dei condonari noxam. |

De confessione publica, publicorum criminum coram ecclesia ubi testibus res geritur, quid attinet disputare? Fateri res ipsa cogit non ius tantum divinum, si adcuseris.80) cogit item ius divinum ut fratrem places. |

Reliquae confessiones sunt hominum traditiones. Nam si te ultro ecclesiae offeras, et absolvi velis, sive clam, sive publice deliqueris, non exigit ius divinum recensionem factorum. Sic Christus absolvit plerosque, sic | Apostoli in Actis [2, 38 sqq.] absolvunt aliquot milia, nihil postulantes recenseri catalogum peccatorum. Haec dicuntur in hoc ut imbecillibus eorum conscientiis consulatur, qui si quid in recensenda confessione praeterierint, | tantum non desperant.

Absolutio privata sic necessaria est, ut baptismus. Tametsi enim audias Evangelium communiter universae Ecclesiae prae- 132, a.
dicari, tamen tum demum certus es id ad te proprie pertinere, quom tu privatim ac proprie absolveris. Non sitit gratiam qui non | efflictim cupit audire sententiam de se divinam. Est enim dei non hominum sententia, qua absolveris, modo absolutioni credas. | Quam certa erat mulier peccatrix (68, b.)
Lucae VII. [vss. 47 sq.] culpam omnem sibi condonatam | esse, cum audiret Christi vocem. Remittuntur tibi peccata, tam certus esto tu quoque cum a fratre, quisquis est, absolveris. Neque vero absolvuntur, nisi qui et absolvi se optant et credunt, quare non absolvuntur ii | qui coacti pontificia constitutione, quotannis confessionem et poenitentiam simulant. Immo ludibrio habent Christum, qui adacti lege pontificia non desiderio spiritus, absolutionem petunt. |

Satisfactio nulla est praeter Christi mortem. Esaiae LIII. [vs. 11.:] Ipse iniquitates nostras portavit. Quae vero nunc poenitentibus satisfactiones imperantur, hominum |
inventum sunt, et ortae e canonibus poe- 132, b.
nitentialibus, qui de publicis quondam poenitentiis conditi sunt. Hoc satisfactionum commento Christi satisfactio, et fides in verbum | absolutionis egregie extincta sunt. Sunt quidem in scripturis poenae peccatorum alicubi, sed non omnium. Quare satisfactiones eas poenas nemo recte dixerit. Ex satisfactionibus indulgentiae, Merx Romana, ortae sunt, | quae remittebant poenas illas canonicas publicarum poenitentiarum. Has impii homines pro divina condonatione vendi instituerunt, ut suo potius, quam dei verbo fideretur. Porro, ut finiam tandem, poenitentiae partes duae sunt, Mortificatio et vivificatio, Mortificatio fit cum conscientia lege terretur. Vivificatio cum per absolutionem erigeris et confirmaris. Est enim absolutio Evangelium quo Christus ti-

---

79) satis] Ed. 2. typoth. errore: satit.
80) adcuseris] Ed. 7. adcusaveris.

bi condonat noxam. Signum poenitentiae aliud non est praeter baptismum.

DE PARTICIPATIONE

Mensae domini.

Signum gratiae certum est participatio mensae domini, hoc est, manducare corpus
133, a. Christi et bibere sanguinem. Sic enim ait [Luc. 22, 20.], Hic est calix novi testamenti etc. Item. [1. Cor. 11, 25.], quoties feceritis, facite in memoriam mei. Id est, cum facitis admoneamini Evangelii, seu remissionis peccatorum. Non est igitur sacrificium, siquidem in hoc est traditum, ut certo admoneat tantum promissi Evangelii. Nec delet peccatum participatio mensae, sed
(69, a.) fides delet, ea vero hoc signo confirmatur. Ut Stephanum non iustificabat conspectus Christi, cum iam necandus esset, sed fidem eius confirmabat, qua iustificabatur et vivificabatur. Ita nec participatio mensae iustificat, sed fidem confirmat, ut supra dixi. Sunt igitur impiae missae omnes praeter eas quibus conscientiae ad confirmandam fidem eriguntur. Sacrificium est, cum nos aliquid deo offerimus, at Christum non offerimus deo, sed ipse se semel obtulit, quare qui missas in hoc faciunt, ut ceu bonum aliquod opus faciant, ut deo Christum offerant, pro vivis ac mortuis, ut putent quo saepius ingeminetur, eo melius fieri, impie errant. Et hos errores magna ex parte
133, b. opinor Thomae imputandos esse, qui docuit missam prodesse aliis praeter eum qui manducat.

Est autem significatio huius sacramenti, confirmare nos toties, quoties labascunt conscientiae, quoties de dei voluntate erga nos dubitamus. Id cum alias saepe tum maxime cum moriendum est accidit. Potissimum igitur eo morituri confirmandi sunt. Neque vero vita Christiana est, nisi assiduo moriamur. Confirmationem, opinor, impositionem manuum esse. Unctionem arbitror esse eam de qua Marci VI. [vs. 13.]. Sed ea signa esse tradita, ut certo significent gratiam non video. Matrimonium non esse institutum ad significandam gratiam non est quod dubitemus. Quid autem in mentem venit iis qui inter signa gratiae Ordinem numerarunt? cum non aliud sit ordo, quam deligi ex Ecclesia eos qui doceant, baptizent, mensae benedicant, et eleemosynas partiantur egenis. Episcopi seu presbyteri dicebantur, qui docebant, lavabant, et benedicebant mensae. Diaconi, qui eleemosynas partiebantur inter inopes. Neque sic discretae horum functiones erant, ut Di- 134, a.
acono piaculare esset docere, baptizare, aut benedicere mensae. Immo haec omnibus Christianis licent. Nam omnium sunt claves Matth. XVIII. [vs. 18.]. Sed demandabatur eorum procuratio quibusdam, ut essent qui sibi rem ecclesiasticam necessario scirent administrandam esse, et ad quos rite referri posset, si quid incidisset.

Et ut hoc obiter moneam, vocabulo (69, b.)
Episcopi, aut presbyteri, aut diaconi, non convenire cum vocabulo sacerdotis. Sacerdos enim a sacrificio in scripturis et interpellando dicitur. Sumusque sacerdotes omnes Christiani, quia sacrificium, hoc est, corpus nostrum offerimus. Nam praeterea nullum est sacrificium in Christianismo, et ius habemus interpellandi dei immo et placandi. Huc pertinet sententia Petri, gens sancta, regnum sacerdotale. Reges enim sumus Christiani, quia liberi per Christum omnium creaturarum, vitae, mortis, peccati dominamur, ut supra dixi. Sacerdotes quia nosipsos deo offerimus, et interpellamus pro peccatis nostris. Haec latius docet Epistola ad Hebr. Episcopi, Presbyteri, 134, b.
Diaconi, non sunt, nisi qui docent, baptizant, benedicunt mensae, eleemosynas dispensant. Missarii sacerdotes prophetae Iezabelis, hoc est, Romae sunt.

DE CARITATE.

De peccato, lege, gratia, Evangelio, adeoque et iustificatione hactenus, quae quaestio omnium hominum semper communis fuit, eritque. Qui nam iustificari homo possit. Philosophi et pharisaei docuerunt hominem suis virtutibus et conatibus iustificari. Nos docuimus iustificari sola fide, hoc est, Christi iustitiam nostram iustitiam esse per fidem, opera nostra, conatus nostros nihil nisi peccatum esse. Haec qui tenet, summam scripturae tenet, videlicet iustificari credentes MISERICORDIA dei. Postremo res postulat ut de caritate dicamus. Supra monui amorem dei esse fructum fidei. Non potest enim non redamare deum, qui fide misericordiam comprehendit. adeoque amor dei, fidei fructus est. Ex amore dei nascitur et proximi amor, cum deo in omnibus creaturis servire cupimus. Et huius quidem amoris ego nullam regulam breviorem aut aptiorem pos- 135, a.

sum tradere. quam haec est. Dilige proximum sicut teipsum. Augustinus ordinem diligendorum concepit, ut primum animas, postea corpora. primum nostros, postea
(70, a.) alienos diligamus. Nos ' fidem caritati semper praeferimus. Ergo et ea quae sunt animae, corporis necessitatibus fere praeferimus. Caeterum alienos, inimicos iuxta atque amicos diligi Christus ' iubet Matth. V. [vs. 44.] et Paulus Rom. XII. [vss. 14. 17 sqq.] Quibus benefacere debeas, cum amicis, tum inimicis facile iudicabit spiritus. Certe Paulus maxime domesticorum rationem haberi voluit ad Galat. et ad Timoth. Nolo enim libertatem spiritus eiusmodi disputationibus vinciri, quales illae sunt vel sumulariorum, vel Ciceronis in III. officiorum, ubi disserit de officio eius, qui ex naufragio in tabulam eandem pervenerit, quam et sapiens quispiam' tenuit. Apagesis illas stultas quaestiones quarum exempla nulla facile in res humanas cadunt.

DE MAGISTRATIBUS.

135, b. Maxime necessarius visus est locus de ma'gistratibus, ac primum quidem sequemur vulgarem divisionem, docendi gratia. Magistratus alios censent civiles esse, alios ecclesiasticos. Civiles magistratus est qui gladium ' gerit, et civilem pacem tuetur. Hunc probat Paulus Roma. XIII. [vss. 1 sqq.] Gladii partes sunt iura civilia, ordinationes civiles iudiciorum forensium, poenae sontium. Estque ius gladii dispensatio legum de non occidendo, de ' non vindicando etc. Adeo pie administrat gladium magistratus. Item Iurisconsulti, si de iure respondeant, aut patrocinentur oppressis, ut maxime peccent, qui litigant. De ferenda autem gladii potestate sic sen'tio, Primum si quid contra deum imperarint principes, non esse obtemperandum. Actuum V. [vs. 29.:] Oportet deo magis obedire, quam hominibus. Exempla huius loci habes innumera, et vel illud pulcherrimum ' Amos VII.

Deinde si imperarint, quod est ex utilitate publica, obtemperandum est iuxta illud Roma. XIII. [vs. 5.] Obediendum esse non
136, a. so'lum propter iram, sed et propter conscientiam. Nam caritas nos obstringit ad omnia onera civilia.

Postremo, si quid imperent tyrannice, ' hic quoque ferendus est magistratus, propter caritatem, ubi sine publico motu, sine seditione nihil mutari potest. Iuxta illud [Matth. 5, 39.], Qui percusserit te in dextram, obverte ei et sinistram. ' (70, b.)

Quod si citra scandalum, citra publicum motum elabi possis, elabere, ut si coniectus sis in carcerem nihil mali meritus, et effringere possis, sine publico motu, nil vetat fugere. Iuxta illud, primae Corinth. VII. [vs. 21.:] Si po'tes liber fieri magis utere.

De Ecclesiasticis magistratibus sic censemus, Primum ministros esse Episcopos, non potestates aut magistratus. Deinde non habere ius Episcopos condendi leges, ut ' quibus mandatum sit praedicare verbum dei tantum, non hominum, ut supra diximus. Et ex Hiere. XXIII. satis adparet.

Primum ergo si doceant scripturam, sic 136, b.
audiendi sunt ut Christus. Iuxta illud [Luc. I
10, 16.], Qui vos audit, me audit. Nam ad scripturam, non ad traditiones humanas pertinet, ut pa'tet, cum inquit [Matth. 10, 41.], Qui prophetam nomine prophetae receperit, non pseudoprophetam.

Deinde si quid contra scripturam docue- II
rint, non sunt audiendi. Act. V. [vs. 29.:] Oportet deo magis obedire quam hominibus. Et[81]) Matth. XV. [vs. 6.:] ' Irritum fecistis mandatum dei propter traditionem vestram. Contra ius divinum decretum est a Papa hoc tempore in Bulla qua Lutherus damnatus est, hic neutiquam audiendus est,

Tertio si quid praeter scripturam statue- III
rint, in hoc, ut conscientias obstringant, non sunt audiendi. Nihil enim conscientiam obligat nisi ius divinum. De his loquebatur Paulus I. Timoth. IIII. [vss. 1 sqq.] ubi doctrinas ' daemoniorum vocat, legem de coelibatu, de cibis interdictis, quae quanquam non videantur adversari scripturae, ut quae per sese non sint mala. Malus enim coelibatus non est. Abstinere carnibus malum non est. Sed impiae haec '
sunt si peccare te putes ubi diversum fece- 137, a.
ris. Impia docent, qui censent peccare eum, qui horas canonicas non legerit, qui carnem ederit die sexta aut septima, etc. Non enim potest ' Episcopus Christianam conscientiam vincire, II. Corinth. ultimo [13, 10.], Data est nobis potestas non in destructionem, sed aedificationem.

Quarto, Si non oneres conscientiam Epi- IIII

---

81) Et] Ed. 2. typoth. errore: Er.

scopi lege, sed pro onere externo interpreteris, ut solent spirituales et ii qui in-
17, a. telligunt[81a]) conscientiam vinciri nulla lege humana posse. Sic iudicabis de lege Episcopi, ut de tyrannide magistratus civilis. Quidquid enim Episcopi praeter scripturam imperant, tyrannis est. Nam imperandi ius non habent. Feres ea onera propter caritatem, iuxta illud [Matth. 5, 39.], Qui te percusserit in dextram, obverte et sinistram. Porro si sine scandalo possis diversum facere, nihil vetat. Ut si sine motu publico possis effringere carcerem, in quo a tyranno vinctus teneris, nihil vetat. Iuxta illud [1. Cor. 7, 21.], Si potes liber fieri, magis utere. Et Christus dispensavit de traditionibus pharisaicis Matth. IX. et
137, b. XII. De legibus autem civilibus non dispensavit. Et pharisaicis legibus dispensandis liberiores sumus ut quae et privatim singulorum magis, quam communia onera sint, et conscientiam facile illaqueent. Sunt autem omnium legum humanarum et regula et dispensatio, fides et caritas adeoque et necessitas. Haec liberat ab omnibus traditionibus, sicubi vel anima vel corporis vita per traditionem adducta fuerit in discrimen.

DE SCANDALO.

Quaeris autem quatenus habenda sit scandali ratio? Primum omnium moneo, quod et antea fidem et caritatem regulas esse omnium functionum humanarum, sed in his fides potior est.

Est autem scandalum offensio, qua in proximo aut fides aut caritas laeditur. Fides ut si quid a sacris literis doceatur diversum, fides proximi offenditur. Huiusmodi scandalum tota doctrina scholastica est, quae satisfactiones, quae opera liberi arbitrii probans obscuravit gratiam. De hoc genere Christus loquitur Matth. XVIII. [vs.
138, a. 6.:] Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt satius fuerat eum mola asinaria de collo suspensa demersum esse etc. Caritas laeditur si quis egentem non adiuvet, interturbet publicam pacem. De hoc genere Christus loquitur Matth. XVII. [vs. 26.] de tributo persolvendo. ne scandalizemus eos.

I In iis quae exiguntur iure divino, nullo respectu scandali, iuri[82]) divino obtemperandum est, faciendum, et docendum quod exigitur iure divino. Semper enim fides (71, b.) caritati praeferenda est. Atque huc iterum facit quod est in Actis V. [vs. 29.:] Oportet deo magis obedire quam hominibus. Et Christus inquit [Matth. 10, 34.], Non veni pacem mittere sed gladium. Sic Daniel non obtemperabat legi de statu aurea adoranda. Nec nos pareamus impiis principibus damnantibus Evangelium hoc tempore.

II In iis quae sunt iuris humani et media, ut coelibatus, abstinere a carnibus, non obligat traditio humana in casu necessitatis. Nam et Christus de divina lege, in casu necessitatis dispensat. Matth. XI. [12, 1.] Discipulis spicas vellentibus. Quanto magis licet hominum traditiones si necessitas vi- 138, b. tae postulet violare. Multo magis violare liceat, si periclitetur anima, ut si uratur sacerdos, ut vocant. Iuxta illud II. Corinth. ult. [13, 10.:] Data est nobis potestas in aedificationem non in destructionem. Paulus ad Coloss. II. damnat leges quae corpus immodice onerant.

III Coram pharisaeis exigentibus suarum traditionum observationem, quasi necessariae sint ad salutem, nullo respectu scandali violentur. Fecit hoc in iure divino Paulus, cum Titum circumcidere nollet, ad Galat. II.[83]) [vs. 3.]. Quanto magis liceat in stultis traditionibus papisticis. Et Christus iubet sinendos esse eos qui scandalizabantur quod coeci essent, et coecorum duces.

IIII Docendae libertatis gratia violare licet traditiones humanas, ut intelligant imperiti, non peccari etiamsi quid contra traditiones hominum admittant. Plane in tali casu reprehendit Petrum Paulus [Galat. 2, 11 seqq.], quod cesserat imperitis, leges stulte observantibus et ignaris libertatis Evangelicae.

V Apud infirmos et qui nondum audierunt Evangelium, faciendum est caritatis officium, 139, a. et serviendum traditionibus humanis, modo contra divinum ius nihil admittamus. Sic Paulus in Actis [21, 24 sqq.], Hierosolymis rasus est, cum in tanta multitudine pauci admodum essent, qui libertatem Evangelicam satis intelligerent. Et hic Paulus perpetuo mavult carnibus abstinere, quam fra-

81a) intelligunt] Ed. 2. typoth. errore: intelgunt.

82) iuri] Ed. 7. iure.

83) II.] sic scripsi; Edit. 1. 2. male: I.

tris anima perdere. Et Roma. XIIII. [vs. 1.:] Infirmum in fide suscipite. Quanquam illis temporibus de divina lege agebatur. nunc cum de traditionibus huma-
139. a nis agatur. liberius dispensemus. Immo impium est obtemperare. sicubi sunt Episcopi qui earum observationem exigunt ita ut conscientiam peccato oneratam velint si violentur. Sunt enim cum exiguntur daemoniorum doctrinae. caeterum si non exigantur. Pauli regula servetur. Neque abundat qui manducat, neque eget qui non manducat. I. Corinth. VIII. [vs. 8.]. [84]

Habes rerum theologicarum communissimos locos, quorum exactiorem rationem e scripturis pete, nos contenti sumus indicasse quid observes. Adeoque mecum etiam bene actum puto, quod tenuius res tantas, quam debui, tractavi. ne quem infoelici di- 139. b.
ligentia a scripturis ad meas disputationes avocarem. Censeo enim non aliter atque pestem fugiendos hominum commentarios in rebus sacris. Quod doctrina spiritus pure, nisi e scripturis hauriri non possit. Quis enim spiritum dei propius expresserit, quam ipse sese?

Οὐκ ἐν λόγῳ ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ ἀλλ' ἐν δυνάμει.

---

84) Pro iis, quae a fol. 138, b. lin. 8. ad fol. 139, a. lin. 19. leguntur, in Ed. 7. (Fol. XCI. b. lin. 22. ad Fol. XCII. a. lin. 17.) haec sunt:

III In iis quae media sunt. satis est docuisse. quod nec peccent, qui violant eiusmodi traditiones, nec pietas sit, observasse. qualia sunt, carnem edere, vel non edere, vestire rubro aut nigro etc. Et quia sine aliquo animarum periculo servari possunt, serventur propter imperitos et ignorantes libertatis. tanquam aliae observationes politicae. Nemo pietatem in eo ponit, quod adsurgat seniori, neque rursus peccari, si ille forte fortuna praeteriens, a nobis non fuerit conspectus. Pro eiusmodi humanis ordinationibus, seu elementis mundi. habeantur et pontificiae leges, quas ordinationes, qui ex contemptu violat, peccat. Sunt enim creaturae dei bonae, publici mores, quibus nihil peccatur. Notum autem est illud Apostoli, neque abundare edentem, neque egere abstinentem. Et regnum dei non esse in cibo et potu, sed iustitiam, pacem, et gaudium in spiritu sancto. Et in Coloss. non damnavit elementa mundi, tantum non voluit nos *δογματίζεσθαι*, id est, conscientiis vexari, propter huiusmodi mores.

Nunc videmus quantum concilient invidiae Evangelio, qui libertate abutuntur, ad quos Evangelium prorsus nihil pertinet. Sues enim sunt, quibus non sunt obiiciendae margaritae. Impii homines, qui cibo fratrem perdunt. pro quo Christus mortuus est. Itaque quae pacis sunt sectemur, et quae aedificationis sunt invicem custodiamus. At quid aedificent, qui Evangelica libertate ad suam tantum libidinem abutuntur.

His Locis in duabus Editt. scil. 13. et 15. (vide earum descriptionem supra p. 67—70. propositam) in fine annexa sunt Melanthonis *de duplici iustitia Themata*, quae inter eius Propositiones in huius Corp. Vol. XII. non inveniuntur, quapropter h. l. afferenda sunt.

THEMATA PHILIPPI MELANTHONIS DE DUPLICI IUSTITIA

regimineque corporali et spirituali.

1 Duplex est regimen, spirituale, et corporale.

2 Corporale regimen, de externo rerum usu constituit.

3 Estque civilis administratio, qua cohercetur corpus, res dividuntur, vis prohibetur.

4 Deus commisit Adae regimen corporale, cum ei subiecit Hevam, praecepitque occidi homicidas. Genesis 9.

5 Ea lex postea confirmata est, et lege de talione et praecepto, Honora patrem et matrem.

6 Proinde iure Divino, commissum est parentibus, ut familiam corporaliter regant.

7 Id quod testatur lex, quae ius facit occidendi contumacem filium Deutero. 21.

8 Quia enim lex Dei non iustificat, Ideo iustitiae carnis in lege traditae sunt.

9 Haec enim externa administratio iustitia carnis est.

10 Parentum loco sunt, quibus illi vicem suam committunt ut paedagogi, magistratus in urbibus, principes, ad quos consensu civium defertur imperium.

11 Hoc est, quod Paulus Rom. 13. potestatem ordinationem Dei vocat.

12 Nam ordinatio a Deo est, quales quales sunt, qui vel invadunt, vel gerunt imperium.

13 Cum magistratus aut principes nomino, comprehendo omnes ministros legum, iudices, advocatos, patronos litigantium.

14 Hac ordinatione, quia bona creatura Dei est, uti sine peccato possunt legum ministri.

15 eccant, qui contra hanc ordinationem usurpant gladium, cuiusmodi sunt, qui aliena invadunt.

16 Peccabat et Petrus, quom contra ordinationem legitimam gladium usurparet.

17 Nam et Christus gladii ius confirmans, inquit, gladio occidi debere, qui sumit gladium.

18 Non peccavit Iehu, cum adversus regem arma cepit, quod id fecerit aperta vocatione Divina coactus.

19 Peccavit Sambri, qui citra apertam vocationem regnum invasit.

20 Legitima ordinatio, quia ex Deo est, non potest, nisi Deo iubente, violari.

21 Spiritualiter regitur, solo verbo Dei, non humana potentia.

22 Ecclesiasticae traditiones, civiles leges sunt, et paedagogia quaedam, nihil ad regimen spirituale pertinens.

Loquor autem de iis traditionibus, in quibus nihil contra scripturam decretum est. 23

Verbum Dei alios vivificat, alios occidit, quia mundum iudicat. Sic Ananiam Petrus iure occidit. 24

Ministerium Evangelii, plane spirituale regimen est. 25

Quod quia praedicat iustitiam spiritus, nihil constituit de externo rerum usu. 26

Nam iustitia spiritus, est vita aeterna, verbum enim vita est. Ioann. 1. 27

Quid autem vitae aeternae, cum iustitiis carnis, quae circa res usu pereuntes versatur? 28

Misere falluntur, qui iustitiam spiritus, nihil aliud esse iudicant, quam illam carnalem iustitiam mundi. 29

Cum iustitia mundi stare potest ignoratio et contemptus Dei, quare ea iustitia non est vita. 30

Sed res quaedam exterior, qua sancti sic utuntur, ut cibo et potu. 31

Iusti spiritu, non possunt abuti rebus externis. 32

Itaque corporale regimen institutum est ad cohercenda corpora eorum, qui carent spiritu Dei. 33

Breviter iustitia mundi, non est vita, sed mors, et peccati poena. 34

PHIL. MEL.

Inter huius primae aetatis Editionem a. 1525. et primam secundae aetatis intercedit Enchiridion Locorum a Melanthone institutum, nec tamen impressum, cuius exemplum ms. an uspiam servetur, adhuc ignoro, et ad quod pertinent ea Melanthonis verba, quae leguntur in eius libello *Brevis discendae theologiae ratio* inscripto. a. 1530. primum edito (recuso in huius Corp. Vol. II. p. 456 sqq.): „Instituendus est et libellus articulorum fidei de trinitate, de creatione, de Christi duabus naturis, de peccato originali, de libero arbitrio, de iustitia fidei, de Ecclesia, de clavibus. Hic libellus paene similis erit *Locis communibus*, sed tantum breviter debet tenere sententias, quae probant articulos seu dogmata, *sicut ego institui enchiridion, cuius exemplum ab his, qui audiverunt, petere potes.*“ Haec vero non pertinere ad Locorum adumbrationem, neque ad illam genuinam, quam supra p. 11—48. edidi, neque ad illam a Kohlio, Professore Hamburgensi, a. 1752. e Melanthonis autographo primum editam, supra p. 49—60. recusam, facile est intellectu, ac multo minus ad Dispositionem orationis in Ep. Pauli ad Rom. iam a. 1529. editam spectant (vide Maur. Roedigeri dissertationem supra p. 1. nota*) laudatam p. 8.).

C. SECUNDA AETAS LOCORUM THEOLOGICORUM AB IPSO MELANTHONE EDITORUM.

Quamquam vero illae editiones primae huius libri aetatis tanto plausu exceptae et auctoritate quasi canonica ornatae erant, tamen auctor mox intellexit plures eius locos accuratiore disputatione egere. Erat enim in natura viri singularis et sincerus ille veritatis amor, qui, non ignorans quam humanum sit errare, omnes errores

studio vitare, et commissos, quantum fieri potest, emendare nititur. Quapropter iam in Commentario de Pauli ad Colossenses epistola a. 1527. primum edito plura illic proposita mutavit, id quod ipse in *Brevi discendae theologiae ratione* a. 1530. primum edita (recusa in huius Corp. Vol. II. p. 456 sqq.) dicit hisce verbis (l. l. p. 457.): „Post hanc (scil. epistolam ad Galatas) et Colossenses legendi cum commentario meo, in quo etiam volui complecti praecipuos locos. Iuberem et meos communes locos legere, sed multa sunt in illis adhuc rudiora, quae decrevi mutare. Facile tamen intelligi potest, quid mihi ibi displicent, ex meis Colossensibus, ubi locos aliquot mitigavi.“ Multo plura in doctrina, quam in primis Locis proposuerat, mutavit in Commentariis in epistolam Pauli ad Romanos recens scriptis atque Witebergae 1532. 8. editis (ab iis, qui in huius Corp. Vol. XV. p. 495 sqq. ex Opp. Viteb. Mel. Tom. III. p. 279 sqq. recusi sunt, diversis).*) Ex quibus elucet, auctorem iam a. 1527. novae horum Locorum editionis elaborandae consilium cepisse. Permultis autem rebus illo tempore occupatus ex. c. Visitatione ecclesiarum scholarumque Saxonicarum, Colloquiis publicis, inprimis Comitiis Augustanis impediebatur ab hoc consilio iam tunc exsequendo. Eaedem vero res, quibus hoc opus retardabatur, etiam varias eius emendandi occasiones atque opportunitates praebuerunt. Nec minus his adnumerandae sunt praelectiones super hoc libro repetitae atque adversariorum scripta, uti Io. Eckii, Io. Cochlaei aliorumque theologorum catholicorum libri, et disputationes Io. Campani, Andr. Carolostadii, Casp. Schwenkfeldii aliorumque. Nam Melanthon a προσωποληψία alienissimus etiam ab adversario doceri fas putavit.**)

Quo autem anno haec nova Locorum editio primum typis impressa sit, dissentiunt scriptores. Frid. Myconius in *Hist. Reformationis*, a Cypriano edita, p. 95. eam refert ad annum 1531. Alii, ut Hutterus in *Locis* p. 10., I. F. Mayer in Diss. *de Locis Theol. Ph. Melanchthonis* p. 12., Sontagius et Wendlerus in Diss. *de praecipuis quibusdam Sec. XVI. et XVII. Theologis* p. 83., Durrius in *Isag. ad Lib. norm. Norimb.* p. 96., Baumgarten in *Erläuterungen der S. Schr.* p. 255., item *Walchius*, *Buddeus* et *Bruckerus* eam referunt ad a. 1533., quibus adstipulari videtur ipse Melanthon in *Epist. ad Camerarium* data Martio 1544. (Corp. Ref. Vol. V. p. 332.), in cuius principio haec leguntur: „Meministi nostri theatri iudicia, qualia facta sint de me, cum *ante annos decem, editis Locis Theologicis*, disputassem quaedam minus horride, quam antea in ruinis monasticae doctrinae proposita fuerant.“ Attamen idem in *Epist. ad Brentium* data Iulio 1533. (Corp. Ref. Vol. II. p. 660 sq.) scribit: „Praelego nunc iterum *locos communes, ut novam editionem atque emendationem adornem*, in his etiam haec attigi.“ Denique Theologi Electorales in *Actis* suis *Colloquii Altenburg.* fol. 319, a. et in *Endlicher Bericht* fol. 18, b. atque Pezelius in *Epist. dedicat. Locor. Theol. Vict. Strigelii* eam ad a. 1536. referunt.***) Nobis vero persuasissimum est, primam secundae aetatis huius libri editionem typis excusam esse a. 1535. sic inscriptam:

1. LOCI
COMMVNES THE-
OLOGICI RECENS
collecti & recogniti a
Philippo Me-
lanthone.
M. D. XXXV.

Hic titulus figuris ligno incisis cinctus est. — (In fine:) *Impressvm Vitebergae | per Iosephvm Clvg.* 29 plagg. litt. A—E, a—z, Aa sign., 231 foll. non num. et 1 fol. album, 8° (fol. A 1ᵇ Epigramma graecum [auctore Camerario, ut videtur]; fol. A 2ᵃ—B 1ᵇ Mel. Epistola nuncupatoria ad Henricum VIII., Angliae Regem;

---

*) De hisce doctrinae mutationibus, quae Melanthon ante primam Ed. secundae aetatis Locorum fecit, vide Galle *Versuch einer Charakteristik Melanchthons als Theologen* p. 274 sqq. Conf. etiam ibid. p. 266 sqq., ubi auctor causas affert, quibus Melanthon ad doctrinae mutationes sit commotus.

**) Verba Strobelii *Versuch e. Litt. Gesch.* etc. p. 56 sq. haec sunt: „Die vielen Berathschlaguugen und Unterredungen, welchen Mel. der Religion wegen beywohnte, und die vielen Schriften der Gegner, gaben ihm die schönste Gelegenheit, manche Lehrsätze reifer durchzudenken, genauer zu bestimmen, die Widersprüche gründlicher zu heben, die Einwürfe der Gegner besser zu beantworten, schärfere Beweise, auch mehrere Dicta probantia aus der Schrift und Zeugnisse aus den Kirchenvätern zur Befestigung der Wahrheit beyzubringen. Insbesondere war der Reichstag zu Augsburg 1530, auf welchem er fast die ganze Theologie mit den Päpstischen durchdisputiren musste, und die in den Jahren 1527 und 1528 angestellte Visitation der Kursächsischen Lande für ihn eine fruchtbare Schule des Unterrichts. Die öftern Vorlesungen über die Locos wurden ihm auch Gelegenheiten zu mancher Veränderung und Verbesserung derselben.“

***) Vide Balthasari Hist. Locor. Theol. Ph. Melanthonis p. 16.

fol. B 2ª — Aa 7ª Loci communes theologici, subiunctâ in fine Clausulâ; 3 ult. pagg. vacant)*) Haec Ed. finitur verbis: *Lans Deo* (pro: *Laus Deo,* quae in Editt. 4—14. h. l. leguntur).

Hanc Ed. huius alterius aetatis principem secutae sunt haece:

2. *Loci* | *commrnes the-* | *ologici recens* | *collecti & recogniti a* | *Philippo Me-* | *lanthone.* | *M. D. XXXV.*

Hic titulus et verbis et typis cum Ed. principe omnino congruens iisdem, ac ille, figuris cinctus est. — (In fine:) *Impressvm Vitebergae* | *per Iosephvm Clvg.* 29 plagg. litt. A — E, a — z, Aa sign., 231 foll non num. et 1 fol. album, 8⁰ (fol. A 1ᵇ Epigramma graecum; fol. A 2ª — B 1ᵇ Mel. Epistola nuncupatoria ad Henricum VIII., Angliae Regem; fol. B 2ª — Aa 7ª Loci communes theologici, subiunctâ in fine Clausulâ; 3 ult. pagg. vacant)**). Haec Ed., quae item errore typogr.: *Lans Deo* finitur, ab illa fere hisce differt: fol. c 4ᵇ lin. 9. Ed. 1. recte exhibet: *Philosophi,* Ed. 2. male: *Ehilosophi*: fol. c 5ᵃ lin. 17. Ed. 1. recte: *illae,* Ed. 2. typothetae errore: *ille*; fol. n 2ª columna inscripta est in Ed. 1. recte: DE BAPTISMO, in Ed. 2.: DE BBAPTISMO; fol. o 7ª columna inscripta est in Ed. 1. male: DE ETCHARISTICO, in Ed. 2. recte: DE EVCHARISTICO. Ceteroquin utraque Ed. plane consentit.

3. *Loci communes theologici recens collecti et recogniti a Philippo Melanchthone. Impress. Haganoae Anno M. D. XXXV. mense Martio. 8.****)

4. *Loci com-* | *mvnes theolo* | *gici recens collecti & reco-* | *gniti à Philippo Me* | *lanchthone.*

Ad Lectorem.

οὐ θυσίαις ὁ θεὸς μᾶλλον δὴ τέρπεται ἄλλαις
ἢ διδαχῆς μελέτῃ εἰλικρινοῦς τε λόγου
τοὺς δ' οὖν χριστὲ ἄναξ κραδίῃ δέχου ἵλεῳ ὕμνους
ἡμετέρας δ' ἁγίῳ πνεύματι ἄρδε φρένας. †)

Additus est Index Capitum & re- | *rum memorabilium huius* | *commentarij.* | *Haganoae* 1536. — (In Locorum fine:) *Impressvm Haganoae per* | *Petrvm Brvbachirm.* | *Anno* 1536 *mense* | *Februario.* Hanc Clausulam sequitur Insigne typogr.: Scutum, in quo Iani caput bifrons est.

Huic subiunctus est Index sic inscriptus:

Index | *insignivm et memora* | *bilium Locorum ferè omnium, qui in* | *Episto. ad Roman. et utráq; ad* | *Corinthios continentur.* | asterisco et triplici alio signo infra additis. Hic titulus cinctus est figuris ligno incisis. 26 plagg., quarum 25 priores litt. A, B, a—z signatae sunt, ultima autem litterae signo caret, 8 foll. num., 8 foll. non num., 183 foll. num., et 9 foll. non num., 8⁰ (fol. 2ª — 8ᵇ [A 2ª — 8ᵇ] Mel. Epist. nuncup. ad Henricum VIII., Angliae Regem; fol. B 1ª — 2ª Index capitum; fol. B 2ᵇ — 7ᵇ Index rerum memorabilium huius commentarii; fol. B 8 album est; fol. 1ª — 183ᵇ [a 1ª—z 7ᵇ] Loci communes theologici cum 243 annotatt. marginall., Clausulâ in fine additâ; fol. z 8ª Insigne typogr.; fol. z 8ᵇ vacat; ult. plagulae fol. 1ª titulus, fol. 1ᵇ — 8ᵇ Index.) ††)

5. *Loci com* | *mvnes theologici, re-* | *cens collecti & recogni* | *ti a Philippo Me-* | *lanchtho-* | *ne.* | *Accessit Editioni hvic* | *Index locupletissimus.* | *Argentorati, Anno* | *M. D. XXXVI.* — (In fine:) *Ex libera Argentina per* | *Ioannem Albertvm,* | *Mense Martio,* | *Anno* | *M. D. XXXVI.* 25½ plagg. litt. A — Z, aa — cc

---

*) Hanc Ed. ex Biblioth. senat. Norimb., regia Dresdensi, acad. Erlang. et Vratislav. in manibus habeo, asservatur etiam in Bibl. acad. Lipsiensi, ducali Goth. et Guelferb. — Recensetur in Baumgartenii *Nachrichten von merkw. Büch.* Vol. VII. p. 314 — 316.; in Feuerlini Biblioth. symb. ed. Riederer P. I. p. 226. nr. 1312. et a Balthasaro l. l. p. 16. sq. aliisque ibi laudatis.

**) Hanc Ed., quam Strobelius affert quidem, at ipse non vidit, ex Biblioth. Ponickaviana Halensi in manibus habeo. — Recensetur a Feuerlino l. l. P. I. p. 226. n. 1313., et Balthasaro l. l. p. 19.

***) Sic hanc Ed. Panzerus in Annal. typogr. Vol. VIII. p. 114. nr. 390. affert ex Maittairii Annal. typogr. Tom. V. P. II. p. 571., ex quibus etiam Balthasar l. l. p. 19. et Strobelius Literär Gesch. p. 118. eam quidem memorant, sed ipsi hanc non viderunt. Quapropter Panzerus l. l. huic titulo adscripsit haecce: „Editionem hanc b. Strobelius nunquam vidit. Eodem anno, mense et die Augustana Confessio Haganoae prodiit (vide ibid. p. 113. nr. 376.), Ex hac fortasse haec editio Locorum — perquam dubia — per errorem a Maittairio facta est?“ Neque ego hucusque ullum huius Ed. exemplum conspexi.

†) Hoc Epigramma graecum, h. l. verbis: *Ad Lectorem* inscriptum, idem est, quod in Editt. 1. 2. in secunda primi folii pagina legitur.

††) Haec Ed. ex Biblioth. regia Stuttgard. mihi ad manus est; etiam in Biblioth. senat. Norimb. exstat.

(aa ½ pl., 4 foll. cont.) sign., 8 foll. non num., 181 foll. num., 21 foll. non num., 8⁰ (fol. A 1ᵇ Epigramma graecum: fol. A 2ᵃ—8ᵇ Epist. nuncup. ad Henricum VIII.: fol. 1ᵃ—181ᵇ [B 1ᵃ—aa 3ᵇ] Loci communes theologici: fol. aa 4ᵃ ᵇ et bb 1ᵃ—cc 6ᵇ Index rerum notatu dignarum in hoc libello, 5 erratis typogr. in fine memoratis: fol. cc 7ᵃ Clausula cum duobus ornamentis typogr. supra et infra appositis; fol. cc 7ᵇ—8ᵃ vacant; fol. cc 8ᵇ Insigne typogr.: Adam et Eva arbori adstantes, pomum ab angue accipientes, altera manu clypeum tenentes, qui litteram I cum duabus stellis continet) *). Haec Ed. ab Editt. Witeb. a. 1535., quarum repetitio est, eo differt, quod post titulum *De lege naturae* illae Editt. habent inscriptionem: *Catalogus*, haec vero Argent.: ***Decalogus***, quia h. l. leges naturae recensentur secundum ordinem Decalogi.

6. ***Loci communes theologici***. *re-* | *cens collecti & re-* | *cogniti a Phi-* | *lippo Melan-* | *thone.* | *Augustae Vindelicorum. Anno* | ***M. D. XXXVI.*** Hic titulus figuris ligno incisis cinctus est. — (In fine:) *Augustae Vindelicorum*, *excudebat Henricus Steyner*, *Mense* | *Martio*, *Anno* | ***M. D. XXXVI.*** 22 plagg. litt. A—Y sign., 176 foll. non num., 8⁰ (fol. A 1ᵇ Epigramma graecum; fol. A 2ᵃ—8ᵃ init. Epist. nuncup. ad Henricum VIII.; foll. A 8ᵃ med.—Y 8ᵃ Loci communes theologici. Clausulâ in fine additâ: fol. Y 8ᵇ vacat) **).

Eodem anno prodiit Ed. haecce novo *de officio Angelorum* loco a Melanthone sub finem aucta:

7. LOCI
COMMVNES THE-
OLOGICI RECENS
COLLECTI ET RE-
COGNITI A PHI-
LIPPO ME-
LANTHO-
NE.

VITEBERGAE.
M. D. XXXVI.

Hic titulus figuris ligno incisis cinctus est. — (In fine:) ***Impressvm Vitebergae per*** | ***Petrvm Seitz. Anno.*** | ***M. D. XXXVI.*** 27 plagg. litt. A—Z. a—d sign., 216 foll. non num., 8⁰ (fol. A 1ᵇ Epigramma graecum; fol. A 2ᵃ—B 1ᵃ Epist. nuncup. ad Henricum VIII.; fol. B 2ᵃ—d 8ᵃ Loci communes theologici. Clausulâ in fine additâ; fol. d 8ᵇ vacat) ***). Haec Ed. a praecedentibus differt fere hisce: a) in Catalogo Locorum, qui praefationem proxime sequitur, et in ipsa tractatione in fine additus est Locus ***De Angelis***: b) post locum ***Divisio legum***, distinctae sequuntur inscriptiones: ***Decalogus*** [verbis: „Tabulae duae sunt" etc. praefixa] et ***Prima Tabula*** [verbis: „Primum Praeceptum" etc. praefixa]. Titulus sequens: ***Secunda Tabula*** iam exstat in Editt. a. 1535.; c) interdum voces aut transpositae, aut mutatae, aut additae, aut omissae sunt, ut: fol. I 7ᵃ lin. 18. ***docentium ac discentium*** pro ***discentium ac docentium***: fol. B 8ᵇ lin. 8 sq. Pater autem Deus ***communicat*** essentiam suam ***illi imagini***, pro: P. a. D. ***transfundit*** e. s. ***in illam imaginem***. In loco ***De Libertate christiana*** mutatae sunt §§. finales, ipsaque verba de piis, excusandis in casu impossibilitatis, omissa. In loco ***De Sacramentis*** inserta sunt verba: ***Sacramenta proposita sunt, ut Deus per ea moveat, sicut per verbum. Quare in adultis excitari fides debet, iuxta illud***: ***Iustus fide sua vivet. Caeterum, in infantibus agit Deus suo quodam modo, adhibito signo, ut infra dicetur.*** In illius fine, ubi de caritate S. C. promovenda agitur, addita sunt verba: ***de caritate***, ***et profecto non est levis adhortatio.*** Conf. etiam differentia in loco ***De coena Domini***, quam infra contextis in margine inferiore adscribemus. etc.

8. ***Loci*** | ***commvnes the-*** | ***ologici recens*** | ***collecti et re-*** | ***cogniti a Phi-*** | ***lippo Me-*** | ***lantho-*** | ***ne.*** *Vitebergae.* ***M. D. XXXVIII.*** Hic titulus verbis typisque cum praecedente Ed. congruens iisdem, ac illius ti-

---

*) Hanc quoque Ed. ex Biblioth. regia Stuttgard. in manibus habeo; eadem in Biblioth. senat. Norimb. et Seminarii Witteberg. asservatur. — Recensetur a Balthasaro l. l. p. 20 sq., ubi recte illam discrepantiam affert; ceterae vero huius Ed. differentiae, in loco ***De coena Domini***, quas ibidem addit, minime ad Editt. Witeb. a. 1535., sed ad Ed. Witeb. a. 1536. spectant, quopropter h. l. optimo iure sunt omissae.

**) Haec Ed. ex Biblioth. regia Stuttgard. mihi ad manus est. asservatur etiam in senat. Norimb. et ducali Gothana. — Recensetur a Feuerlino l. l. p. 226. nr. 1314 et Balthasaro l. l. p. 21.

***) Haec Ed. in Biblioth. regiis Stuttgard. et Dresd., ducali Goth., academ. Lips., Ienens. et Tubing., senot. Norimb. atque in meis libris est. — Describitur a Balthasaro l. l. p. 19.

tulus, figuris cinctus est. — (In fine:) *Vitebergae excrdebat Pe- | trus Seitz. Anno | M. D. XXXVIII.* 27 plagg. litt. A—Z, a—d sign., 216 foll. non num. 8⁰ (fol. A 1ᵇ Epigramma graec.; fol. A 2ᵃ—B 1ᵇ Epist. nuncup. ad Henricum VIII.; fol. B 2ᵃ—d 8ᵃ Loci communes theologici. Clausulâ subiunctâ; fol. d 8ᵇ vacat. *)

9. *Loci commv | nes theologici recens | collecti et recogniti à Philippo | Melanthone. | Cum interpretatione Graecarum sententiarum ac | dictionum, quae passim in hoc libello reperi- | untur, prioribus aeditionibus | non adiecta | Accessit praeterea in gratiam studiosorum Theolo | giae Index Locorum, ordine alphabetico | descriptus. | Halae Srevorvm | Anno XXXIX.* — (In fine:) *Halae Sueuorum Anno | XXXIX.* 25 plagg. litt. A, a—z, A sign., 8 foll. non num., 185 foll. num., 7 foll. non num., 8⁰ (fol. A 1ᵇ Epigramma illud graec. h. l. inscriptum: *Ad Christum*: fol. A 2ᵃ—8ᵇ Epist. nuncup. ad Henricum VIII.: fol. 1ᵃ—185ᵃ [a 1ᵃ—A 1ᵃ] Loci communes theologici, cum 245 annotatt. marginall.: fol. A 1ᵇ—7ᵇ med. Graeca, quae in hoc libello continentur, expositio; fol. A 7ᵇ med. — 8ᵇ Index locorum qui in hoc libello continentur, ordine alphabetico descriptus, Clausulâ in fine additâ.) **) Haec Ed. Editionum Viteberg a. 1535. repetitio est.

10. *Loci communes Theologici recens collecti & recogniti à Phil. Melancht. Cum interpretatione Graecarum sententiarum & dictionum, quae passim in hoc libello reperiuntur, prioribus editionibus nunquam adiectae* (sic). *Cum indice. Halae Suevorum.* 1540. 8.***)

11. LOCI COMMV-
NES THEOLOGICI RECENS
COLLECTI ET RECOGNI-
TI A PHILIPPO MELAN-
THONE.
(Insigne electorale Saxonicum corona florea cinctum.)
VITEBERGAE.
M. D. XLI.

In fine: *Vitebergae excrdebat | Georgivs Rhaw. | Anno M. D. XLI.* 46½ plagg. litt. A—Z, a—z (A 1½ pl., 6 foll. cont.) sign., folia plagg. A—Q. et fol. z 4. numeris carent, folia plagg. R—z 3 numeros 64—180 habent. 4⁰ (fol. A 1ᵇ Epigramma graec. [sine inscript.]: fol. A 2ᵃ—6ᵃ Melanthonis Epistola ad lectorem. Epistolae nuncupatoriae ad Henricum VIII. partem priorem inde a principio »Cum in docendo magnopere prosit« usque ad verba »aliis etiam literis atque artibus opus esse.« addito »Vale.« exhibens: fol. A 6ᵇ vacat; fol. B 1ᵃ—z 3ᵃ Loci communes theologici; fol. z 3ᵇ—4ᵃ Catalogus Locorum communium subiunctâ Clausulâ; fol. z 4ᵇ vacat). †) Haec Ed. ab Ed. Witeb. 1536. quibusdam in locis partim verbis mutatis, partim additamentis differt. In loco enim *De tribus personis* fol. C 2ᵃ lin. 4—8. verbis: *Ideo Filium Iohannes nominat λόγον*, adduntur haec: *Sunt qui aliquanto minus subtiliter λόγον dici existimant, quia sit Persona loquens cum Patribus, Sicut in scriptura constat Filium Dei collocutum esse cum Iacob, Moise, Daniele;*

*) Hanc Ed. ex Biblioth. Comitis Wernigerodani et acad. Vratislav. in manibus teneo; etiam in Bibl. ducali Goth. et senat. Norimb. exstat. — Recensetur a Balthasaro l. l. p. 21.

**) Haec Ed. ex Biblioth. senat. Norimb. mihi ad manus est. — Recensetur a Balthasaro l. l. p. 21.

***) Sic haec Ed. in Hardtii Autogr. Luth. et coaetan. Tom. II. p. 233. affertur, ex quo loco etiam Strobelius l. l. p. 120. eam memorat, ipse autem hanc non vidit, neque ego unquam conspexi. Memoratur etiam in Kraftii *Emendandis Historiae Mayerianae* p. 31. et a. Balthasaro l. l. p. 22.

†) Haec Ed. et in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est; videtur etiam asservari in Biblioth. regiis Berolin. et Stuttgard. Recensetur a Balthasaro l. l. p. 22. — Cum Melanthon a 1541. hanc Ed. retexeret, sacrarum literarum studiosis Methodum Theologiae in Genesi ostendit, quam praelectionem Casp. Bruschius a. 1546. edidit in hocce libro: *Insignis | et lrcvlentissima | Sacrae Scriptvrae Metho- | dus in Mose ostensa, a Philippo Melanthone: | cum Anno* 1541. *Locos suos | Theologicos retexeret. | Item. | Psalmorvm CXI. | Confitebor tibi Domine in | toto corde meo, et CXII. Beatus uir qui timet | Dominum etc. pia, erudita et utilis | enarratio. Vitebergae nata | et nunc primum | aedita. | Cvm aliis qvibvsdam: qvo- | rum Elenchum uersa Pagella | indicabit. M. D. XLVI.* — (In fine:) *Erphvrdiae Wolff- | gangus Sthurmer | excudebat.* 10¼ plagg. litt. A—L (L ¼ pl., 2 foll. cont.) sign., 82 foll. non num. 8⁰ min. (fol. A 1ᵇ Catalogus eorum quae continentur in hoc libello praeter ea, quae in titulo significata sunt: fol. A 2ᵃ—5ᵃ Gasp. Bruschii poetae epistola nuncupat. ad Principem Georgium Episcopum Morsenburgensem etc. a. 1545. scripta: fol. A 5ᵇ—B 3ᵃ init. Methodus Sacrae Scripturae luculentissima, in Mose ostensa a Philippo Melanthone, cum 29 annotatt. marginall.; fol. B 3ᵃ med. -D 5ᵃ med. Versio Psalmi CXI. eiusque pia erudita ac utilis enarratio; fol. D. 5ᵃ med. — H 5ᵃ Versio Psalmi CXII. et commentarius in eundem; fol. H 5ᵇ—6ᵃ Bruschi epist. ad pium lectorem: fol. H 6ᵇ—I 3ᵃ Psalmus in Hebraeo LXXVII. explicatus; fol. I 3ᵇ—L 2ᵇ Varia Bruschii carmina.). Hic liber perrarus in meis libris est.

et fol. C 4^{b} lin. 1 sq. habet: *necesse est in eo aliquam esse divinam naturam substantialiter*, pro quibus Ed. 1536. exhibet: *necesse est in eo aliquid esse divinae naturae substantialiter;* atque fol. E 1^{b} lin. 5—F. 2^{a} lin. 2. ante tractationem *De Spiritu S.* inserta est §. duas naturas et officia Christi ex V. T. apparitionibus illustrans: *Cum cogitamus filium Dei — Sicut inquit Iacob.* In loco *De humanis viribus s. de libero arbitrio* fol. G. 8^{a} lin. 11. leguntur haecce: *Praeterea si de moribus piorum loquamur*, quorum loco Ed. 1536. habet: *Praeterea si de tota vita piorum loquamur.* Ante locum *De peccatis actualibus* paene quatuor paginae fol. I 2^{a} lin. 7. — I 4^{a} lin. 19. *Ut autem studiosi - - et reatum.* insertae sunt ad uberiorem peccati originis explicationem. In loco *De bonis operibus* fol. 71^{a} lin. 25. haec Ed. habet: *Et tamen haec nova spiritualis obedientia ita necessaria est ad vitam aeternam*, pro quibus Ed. 1536. exhibet: *Et tamen bona opera ita necessaria sunt ad v. aet.* — Haec Ed. in secundo Tomo Operum Phil. Melanchthonis, quae Basileae apud Io. Hervagium a. 1541. Fol. prodiere, pag. 441 — 596. cum eadem Epistola ad lectorem repetita est, id quod integer (si pauca, quae sunt typographi, exceperis) consensus ac minutiae quoque complures docent.

12.

LOCI
COMMVNES
Theologici recens col
lecti et recogniti a
PHILIPPO ME
lanthone.
VITEBERGAE.
M. D. XLI.

Hic titulus figuris ligno incisis cinctus est. — (In fine:) *Vitebergae excudebat* | *Petrus Seitz. Anno* | 1. 5. 41. 29½ plagg. litt. A. α. β. B — Z, a — e (β ½ pl.. 4 foll. cont.) sign., 23 foll. non num., 206 foll. [B 4—e 7] num., ult. fol. album, 8° min. (fol. A 1^{b} Epigramma graec.; fol. A 2^{a}—8^{b} Eadem Melanthonis ad lectorem epistola, quam Ed. 11. exhibet: fol. α 1^{a} — β 4^{a} Index rerum notatu dignarum in hoc libello; fol. β 4^{b} vacat: fol. B 1^{a} — e 7^{b} Loci communes theologici, Clausulâ in fine additâ; fol. e 8 vacat) *) Haec Ed. cum proxime praecedente fere congruit, ab ea vero aeque ac Ed. subsequens in loco *De Lege* novis quibusdam subdivisionibus novisque titulis, ipsam tamen tractationem non variantibus differt.

13.

LOCI
COMMVNES THE-
OLOGICI RECENS
RECOGNITI A PHI-
LIPPO MELAN-
THONE.
VITEBERGAE.
M. D. XLI.

Hic titulus cinctus est figuris ligno incisis. — (In Locorum fine:) *Vitebergae excudebat* | *Petrus Seitz. Anno* 1. 5. 41. 29½ plagg. litt. A. α, β, B—Z, a—e (β½ pl. 4 foll. cont.) sign., 23 foll. non num., 206 foll. [B 4—e 7] num., ult. fol. album, 8° min. (fol. A 1^{b}—8^{b} Mel. nova praefatio ad pios et studiosos scholasticos, in cuius fine idem Epigramma graecum additum est, quod Editt. praecedentes in pagina tituli aversa exhibent. fol. α 1^{a} — β 4^{a} Index rerum notatu dignarum in hoc libello: fol. β 4^{b} vacat; fol. B 1^{a} — e 7^{b} Loci communes theologici, subiunctâ Clausulâ; fol. e 8 vacat) **).

14. *Loci Commvnes Theologici,* | *olim collecti & re-* | *cogniti à* | *Philippo Melanthone.* | *Sicut editi sunt Vitebergae,* | *Primum anno M. D. XXXV.* | *Et deinde M. D. XXXVI.* | *Item M. D. XXXVIII.* |

---

*) Hanc Ed. ex Biblioth. senat. Norimb. in manibus habeo.

**) Haec descriptio spectat ad exemplum, quod ex Biblioth. senat. Norimb. in manibus habeo; alterum vero, quod in meis libris est, ab illo differt eo, quod plagg. α, β Indicem continentes non inter plagg. A. et B insertae, sed post plag. e in fine libri assutae sunt. — Recensetur haec Ed. ad Balthasaro l. l. p. 22 sq.

Et tandem M. D. XLI. | *Nunc rursus typis excusi in vsum Ecclesiarum* | *D. N. I. CH.* | *Cum appendicula Testimonio-* | *rum de hoc libello, ad finem.* | (Ornamentum typogr.) | *Francofurti ad Moenum, Sumptibus Ioannes Berneri,* | *Anno M. DC. XX.* 27¾ plagg., quarum 3 priores):( ):(*, seqq. 24¾ litt. A—Z, Aa. Bb (Bb ¾ pl., 6 foll. cont.) signatae sunt, 24 foll. non num., 397 pagg. num., ult. pag. alba, 8º min. (pag. tituli aversa cont. Epigramma lat. inscriptum: Votvm Pro Eccelsia [sic pro: Ecclesia] Christiana, hoc peruersissimo senescentis mundi seculo, per Septentrionem, &c."; fol.):(2ª —):([alter.] 3ᵇ Mel. Praefatio ad Henricum VIII., Angliae Regem a. 1535. scripta; fol.):(4ª — *8ᵇ Alia Praefatio Philippi in hunc eundem librum suum, cum adhuc ederetur Witebergae a Petro Seitz, Anno1541., ad Pios et Studiosos Scholasticos, cui Epigramma illud graecum [Camerarii] in fine additum est: pag. 1 — 381. Loci communes theologici; p. 382 — 385. Appendicula testimoniorum; p. 386 — 397. De studio theol. recte instituendo consilium ab Hieron. Wellero Fribergae 13. Sept. 1561. scriptum; ult. pag. vacat)*).

Has Editt., quas omnes, duodecimâ exceptâ, Strobelius in l. *Versuch* etc. p. 60 — 121. recensuit, in manibus habeo praeter duas, scil. Ed. Hagan. a. 1535. dubiam atque Ed. Hal. Suev. 1540. Ut hae, quas secunda Locorum theol. aetas complectitur, uno obtutu conspiciantur, hunc earum catalogum addo:

I. Editt. Vitebergenses		II. Editt. ex illis recusae
Nr. 1. Ed. *Viteb.* 1535. 8. prior	ex hac recusae	Nr. 3. Ed. *Hagan.* 1535. 8.(?) — 4. Ed. *Hagan.* 1536. Febr. 8. — 5. Ed. *Argent.* 1536. Mart. 8. — 9. Ed. *Hal. Suev.* 1539. 8. — 10. Ed. *Hal. Suev.* 1540. 8.(?)
— 2. Ed. *Viteb.* 1535. 8. altera**)	ex hac recusa	— 6. Ed. *August. Vind.* 1536. Mart. 8.
— 7. Ed. *Viteb.* 1536. 8.	ex hac recusa	— 14. Ed. *Francof. ad M.* 1620. 8.
— 8. Ed. *Viteb.* 1538. 8.		
— 11. Ed. *Viteb.* 1541. 4.	ex hac recusa	Ed. *Basil.* 1541. Fol., quae in Tom. II. Operum Mel. continetur.
— 12. Ed. *Viteb.* 1541. 8. huius formae prior.		
— 13. Ed. *Viteb.* 1541. 8. altera.		

Hae Editt. omnes exhibent hocce Epigramma graecum:

*Οὐ θυσίαις ὁ θεὸς μᾶλλον δὴ τέρπεται***) ἄλλαις*
ἢ διδαχῆς μελέτῃ εἰλικρινοῦς τε λόγου
τοὺς δ' οὖν χριστὲ ἄναξ κραδίῃ δέχου ἵλεῳ ὕμνους
ἡμετέρας δ' ἁγίῳ πνεύματι ἄρδε φρένας.

cuius auctor sine dubio Ioach. Camerarius est; ab hoc enim Melanthon in Epist. 11. Mart. 1535. data (Corp. Ref. Vol. II. p. 860 sq.), ut duo graeca Epigrammata sibi componat, petit hisce verbis: „Recudo *Apologiam* et *locos,* et certe cupio simpliciter explicare praecipuos locos, sed ad rem tantum opus erat quadam communicatione *καὶ ξυνομιλίαις.* Rogo te, ut graecum Epigramma mihi componas praefigendum Apologiae, et, si libet, alterum locis." Hoc autem Epigramma in illis Editt. invenitur diversis locis: in Editt. 1. 2. 5 — 9. 11. 12. in tituli pagina aversa, in Ed. 4. in ipso titulo, in Editt. 13. 14. in fine praefationis ad pios et studiosos scholasticos exhibetur, idque sine inscriptione, exceptis duabus Editt., scil. Editt. 4. et 9., in quarum priore inscriptum est: *Ad Lectorem.,* in altera: *Ad Christum.* In interpretatione Graecarum sententiarum etc. Editioni 9. in fine annexa Epigramma in principio graece repetitur subiunctâ hacce interpretatione:

---

*) Haec Ed. ex Biblioth. regia Stuttgard. mihi ad manus est. — Recensetur a Balthasaro l. l. p. 24., qui recte dicit. obscura esse, quae in titulo legantur: ***sicut editi sunt Witebergae primum anno M. D. XXXV. et deinde M. D. XXXVI. Item M. D. XXXVIII. et tandem M. D. XLI.,*** quoniam has editiones in multis a se invicem differre constet. Quantum ex collatione perspexi, desiderantur hic mutationes editionis a. 1538. et additiones editionis a. 1541.; adsunt vero loca anni 1536.

) De huius Ed. atque prioris differentiis, quae multo maiores sunt, quam supra p. 233 sq. sunt descriptae, vide infra in Editionis a. 1535. loco ***De tribus personis divinitatis* notam 44. (etiam notas 53. 56. et al.).

***) *δὴ τέρπεται*] sic Editt. 1. 2. 4. 5. 6. 9.; Ed. 7. *τεραπεύεται*; Editt. 8. 11. 12. 13. 14. *θεραπεύεται.*

Non sacrificiis deus magis certe delectatur aliis,
Quam doctrinae studio syncerique sermonis.
Hos ergo Christe rex corde suscipe propitio hymnos
Ac nostras spiritu sancto irriga mentes. *)

Epistola autem a Melanthone hisce Locis praemissa non in omnibus huius aetatis editionibus eadem est. Primam editionem Henrico VIII., Angliae regi, dedicavit. **) A legatis enim Anglicis, qui verno tempore a. 1535. Witebergam venerant, est vel commoditate verborum persuasum Melanthoni, vel precando expressum, ut regi Britanniae quasi dicatum epistola praeposita librum ex suis unum peculiari compellatione mitteret. ***) His precibus indulgens regi hunc librum epistolà ad eum nuncupatoriâ instructum, in qua eius virtutes laudabat, sperans fore ut ad reformationem religionis et cessationem a suppliciis in dissentientes eo commoveretur, per Secretarium eius, Alexandrum Alesium, misit, ut ex epistola ad regem mense Augusto data (Corp. Ref. II. p. 920.) apparet. Rex Melanthoni non solum clementer respondit d. 1. Oct. 1535. (Corp. l. l. p. 947 sq.), sed etiam ducentorum aureorum munus ei misit. Responsum Melanthonis 1. Decembr. h. a. datum exstat in hoc Corp. l. l. p. 995 sqq. Utramque epistolam una cum illa nuncupatoria, quae huic libro praemissa est, Strobelius in l. *Versuch* etc. p. 61 — 73. 75 — 77. recudendas curavit. — Haec epistola nuncupatoria ad Henricum VIII. integra ex Ed. 1. repetita est in Editt. 2 — 10.; integra quoque recusa est in huius Corp. Vol. II. p. 921 sqq. In Editt. 11. 12. vero et in Opp. Melanth. Basil. T. II. p. 441 sqq. prior tantum eius pars, in qua de necessitate et utilitate methodi agitur, recusa est inscripta: *Ad lectorem*, posterior autem pars, quae versatur in laudando Henrico rege, resecta, quod rex se hac laude indignum esse, postea demonstraverat†). Inde factum est, ut Peucerus in Melanthonis epist. selectis p. 151 sqq. et in Epist. Mel. libro I. p. 340 sqq. priorem tantum epistolae partem, inscriptam: *Epistola de editione Locorum theol. et de necessitate et utilitate Methodi*. daret, posteriorem vero partem a verbis *Ut autem hic commentarius auspicatius exiret* incipientem, quasi singularem epistolam, ederet Pezelius in libro III. epist. Mel. p. 11 sqq. — In Ed. 13. etiam prior illius epistolae pars omissa, eiusque loco plane nova epistola *Ad pios et studiosos scholasticos* libro est praefixa. — Denique in Ed. 14. illa epistola ad Henricum VIII. integra et haec nova Editionis 13. deinceps exhibentur.

---

*) In Editionis 5. exemplo, quod in manibus habeo, illi Epigrammati gr. a vetere manu adscripta est haec versio lat.:

Non sacrificiis Deus plus delectatur aliis
Quam doctrinae cura sincerique verbi.
Hos igitur Christe rex corde suscipe propitio hymnos
Nostras autem sancto spiritu riga mentes.

In Editionis 7. autem exemplari meo subiuncta est haecce, quam etiam Strobelius in suo exemplo Editionis 1. legit (vide l. l. p. 60.):

Non sacrificiis aliis Deus magis delectatur,
Quam doctrinae meditatione sincerique verbi.
Hoc igitur Christe Rex corde suscipe propitio hymnos
Nostrasque sancto spiritu irriga mentes.

**) Hanc dedicationem a pluribus improbatam esse, intelligitur ex Melanthonis ad Camerarium epistola 24. Decb. 1535. data (Corp. Ref. II. p. 1027 sq.), ubi haec leguntur: „Miratus sum acumen illorum, qui suspicantur Lutherum offendi dedicatione Anglicana propter numerum Sacramentorum, ut vocant. Ego vero nondum animadverti Lutherum alieniore esse animo, nec ego quicquam immoderate feci aut scripsi, cur desiderari meum officium possit, nec velim sciens autor esse scandali. Totum illud genus suspicionum nascitur, ut ego quidem ratiocinor, apud indoctos et inimicos litteris nostris, haec apertius coram."

***) Camerarli vita Melanth. ed. Strobel. p. 156. Conf. Seckendorfii Hist. Lutheranismi Lib. III. p. 111, Ed. 2.

†) Melanthon ad Stigelium 17. Aug. 1540. (Corp. Ref. III. p. 1071.) scribit: „Meministi, mi Stigeli, illud Theocriti, Musas ac vates solere ὑμνεῖν ἀγαθῶν κλέα ἀνδρῶν. Desinamus igitur celebrare laudibus *Anglicum Neronem*. Nescio, an audieris de crudelitate, quam exercet in Reginam. De eo negotio si quid scires, facile posses existimare, quo animo nostri illos Panegyricos lecturi essent. Ego Praefationem in *Locos communes* mutabo, et Palinodiam laudum, etsi sunt ibi non admodum largae, addam." Conf. etiam eius epist. ad Vitum Theodorum 24. Aug. 1540. data (Corp. l. l. p. 1075 sq.). Ad hoc etiam spectant Stigelii versus, qui in eius poematum Tom. I. p. 255. leguntur:

Dum laudandus erat, Regem laudavimus Anglum.
Si tamen haec tantum littera laudis habet.
Sic illi volui Christi insinuare timorem.
Hei mihi, quam varium est regibus ingenium.
Si laudandus erit, rursum laudabimus Anglum,
Interea curae causa sit ista Deo.

Liber ipse epistolam nuncupatoriam subsequens, inscriptus: *Loci communes theologici*, in omnibus huius aetatis Editt. orditur a prooemio de necessitate et utilitate methodi, quod incipit a verbis: *Sicut in aliis artibus prodest*, et finitur verbis: *Sic iudicandum est de ceteris articulis, quos scriptura proponit.*

Huic prooemio annexus est hicce *Catalogus locorum:*

De Deo.
Quod sit unus Deus.
Quod sint tres personae divinitatis.
De creatione.
De causa peccati.
De hominis viribus ac libero arbitrio.
De peccato et de poenis peccati.
De lege.
De discrimine praeceptorum et consiliorum.
De promissionibus.
De Evangelio et beneficiis Christi.
De discrimine legis et Evangelii.
De iustificatione, de gratia, de donatione Spiritus sancti, et vitae aeternae.
De fide.
De bonis operibus, et meritis bonorum operum.
De discrimine peccati venialis et mortalis.
De praedestinatione.
De discrimine veteris et novi Testamenti.
De spiritu et litera.
De libertate Christiana.
De sacramentis, et de numero sacramentorum.
De Baptismo.
De Baptismo infantium.
De Coena Domini.
De sacrificio.
De Poenitentia.
De peccato in Spiritum sanctum.
De confessione peccatorum.
De satisfactione.
De potestate Ecclesiastica, seu de clavib.
De Ecclesia.
De traditionibus humanis.
De scandalo.
Quod Regnum Christi sit spirituale.
De resurrectione mortuorum.
De cruce toleranda, seu de adflictionibus.
De precatione.
De Magistratibus civilibus et dignitate rerum politicarum.

[Ad hos in fine accessit locus in hoc Catalogo omissus:
De politia ecclesiastica.]

His locis in Editt. 7—14. et in hoc Catalogo et in tractatione in fine additus est locus:
De Angelis.

Hunc Catalogum proxime sequitur ipsa horum locorum pertractatio, ex qua, aeque ac supra p. 73 sqq. fecimus, Strobelio duce, singula Melanthonis dicta nunc afferemus.

In his Editt. Melanthon tres priores locos, quos in primae aetatis Editt. plane omisit, praesertim Filii et Spiritus S. divinitatem copiosius tractavit inprimis ut Serveti errores *) refutaret. Causa de divinitate Filii firmissima est Melanthoni.**) Cur Christus λόγος nominetur, ita explicat: »In Colossensibus vocatur εἰκὼν τοῦ θεοῦ. Hinc sumi potest interpretatio, quare filius vocetur verbum. Pater intelligens sese gignit cogitationem quandam, quae est ipsius imago. Sicut et nostrae cogitationes sunt rerum imagines, sed nos non transfundimus essentiam in imagines illas. Pater autem Deus transfundit essentiam suam in illam imaginem. Haec cogitatio est imago et ἀπαύγασμα patris, et vocatur verbum. Ideo filium Iohannes nominat λόγον.***)

Harum Editt. mutatio maximi momenti est omissio duri dicti, *omnia necessario evenire*, quae ex inscriptione loci quinti: *De causa peccati et de contingentia* intelligitur. In huius loci tractatione scribit praeter alia haecce: »Constituta autem hac sententia, quod Deus non sit causa peccati, plane sequitur contin-

---

*) Michael Servetus scripsit hosce libros: 1. De trinitatis erroribus libr. VII. per Michaelem Serveto, alias Reues ab Arragonia Hispanum Anno 1531. 2. Dialogorum de trinitate libr. II.; de iustitia regni Christi. Capitula IV. Per Michaelem Serveto, alias Reues ab Arragonia Hispanum. Anno 1532. 3. Christianismi restitutio. 1553. 8., recusa Norimb. 1791. (vide Ioh. Chrph. Doderlein. *Christl. Religionsunterricht* P. VI. p. 211 sqq.; Henr. ab Allwoerden *Historia Michaelis Serveti.* Helmstadii 1727. 4.; Ioh. Lor. von Mosheim Anderweitiger Versuch einer vollständ. u. unparth. Ketzergeschichte. Helmst. 1748. 4.) — Conf. Melanthonis de Serveto iudicia in Epist. ad Camerarium 9. Febr. 1533. data (Corp. Ref. II. p. 630.) et in Epist. ad Brentium m. Iul. eiusd. anni scripta (Corp. l. l. p. 660 sq.).

**) Conf. eius epist. ad Camerar. 26. Iul. 1529. data (Corp. I. p. 1084.).

***) Conf. etiam eius enarratio capitis l. Evangelii Ioannis in huius Corp. Vol. XV. p. 9 sqq. — Illam sententiam postea Flacius eiusque sectatores haereticam iudicarunt, de qua controversia legantur haecce scripta: 1. Epistola a Wernero Pastore Barbiensi scripta ex mandato Flacii Illyrici et praescripta ab eo formula ad P. Melanchth. in qua quid sentiat Flacius περὶ λόγου, exponitur. Responsio Melanchth. ad istam epistolam. Anno 1558. 4. 2. Io. Wigandi de generatione filii Dei, an cogitando generetur? rationes pro et contra allatae et collectae, cum praef. Conr. Schlüsselburgii. Francof. ad. M. 1590. 8. 3. Iohan. Henr. Balthasaris Programma controversiam de quaestione per Philippi locos theol. resuscitata, an filius Dei cogitatione Patris sit genitus, ideoque verbum Dei dicatur? explicans, Gryphisw. 1744. 4.

gentiam concedendam esse. quia enim peccatum proprie a voluntate diaboli et hominis ortum est, nec Deo approbante aut cogente voluntates nostras factum est. Ideo nequaquam est necessario factum necessitate absoluta.« Et versus finem: »Nec invehenda sunt in Ecclesiam deliramenta de Stoico fato, aut περὶ τῆς ἀνάγκης. Nihil enim habent veri aut firmi, sed sunt merae praestigiae ac sophisticae coacervationes. Deinde non est obscurum, quantum haec opinio noceat pietati et moribus, si sic sentiant homines, ut Zenonis servulus dicebat: non debere se flecti, quia Stoico fato coactus esset peccare. Ab his opinionibus decet pios auribus atque animis abhorrere.« Ne quis ex induratione argumentum in contrarium adducat, haec addit: „Nec figurae illae verborum in scripturis offendunt: *Indurabo cor Pharaonis*, et similes. Certum est enim, Ebraica phrasi significare eas permissionem, non voluntatem efficacem, ut: *ne nos inducas in tentationem*, id est, ne sinas nos induci.

In subsequenti quoque loco *de humanis viribus s. de libero arbitrio* Melanthonem priorem doctrinam in Editt. primae aetatis propositam mutasse constat. In hoc enim disserit de tribus ad conversionem concurrentibus causis: »In hoc exemplo videmus coniungi has causas, Verbum, Spiritum sanctum, et voluntatem non sane otiosam, sed repugnantem infirmitati suae. — Praeterea si de tota vita piorum loquamur, etsi est ingens imbecillitas, tamen est aliqua libertas voluntatis, quum quidem iam adiuvetur a spiritu sancto, et agere aliquid potest in externis lapsibus cavendis.« Et sub huius loci finem dicit: »Non probo deliramenta Manichaeorum, qui prorsus nullam voluntati actionem tribuebant, ne quidem adiuvante Spiritu sancto, quasi nihil interesset inter statuam et voluntatem.«

In loco *de Evangelio* legitur definitio, de qua postea magna orta est controversia, hisce verbis: »Definit itaque Christus Evangelium Lucae ultimo plane ut artifex, quum iubet docere poenitentiam et remissionem peccatorum in nomine suo. Est igitur Evangelium praedicatio poenitentiae et promissio, quam ratio non tenet naturaliter, sed revelata divinitus.“

In loco *de gratia et iustificatione* iustificationem sic definit: »remissio peccatorum et reconciliatio seu acceptatio personae ad vitam aeternam. Nam Hebraeis iustificare est *forense verbum*, ut si dicam: Populus Romanus iustificavit Scipionem accusatum a tribunis, i. e. absolvit seu iustum pronuntiavit.« Deinde dicit: »Inest in vocabulo gratiae exclusiva particula, videlicet quod *gratis* donentur remissio peccatorum et reconciliatio. Haec particula exclusiva non excludit nostram poenitentiam et bona opera, sed tantum conditionem dignitatis excludit.«

Locum *de bonis operibus* copiose tractat, ut demonstret ea necessaria esse, quae sententia a pluribus tanquam papistica illo tempore est improbata. »Ut sciamus, inquit, virtutes et bonas actiones Deo valde placere, ornat eas Deus honorificis titulis. — — Quid quod bona opera etiam sacramenta sunt, hoc est, signa voluntatis Dei? — — Sciendum est etiam praemia proposita esse bonis operibus, seu bona opera mereri praemia corporalia et spiritualia.«

In loco *de Sacramentis* refutat tres errores, primum Scholasticorum, »qui finxerunt homines utentes Sacramentis N. T. ex opere operato iustos fieri: alterum eorum, qui dicunt, Sacramenta non esse signa voluntatis Dei erga nos, sed tantum notas nostrae professionis, quia oporteat extare notas, quibus discernamur a reliquis gentibus*): tertium Anabaptistarum, qui sacramenta esse allegorias tantum de bonis operibus dicunt. Deinceps suam sententiam proponit: »quod Sacramenta N. T. principaliter instituta sunt, ut sint signa voluntatis Dei erga nos, incurrentia in oculos, ut nos admoneant, ut credamus promissioni in Evangelio propositae. Ita coniungimus Sacramentum et promissionem. Sicut autem promissio fide accipienda est, ita in usu Sacramentorum fides accedere debet, quae statuat nobis ea vere contingere, quae in promissione proponuntur.«

Interrogationem, quot sint Sacramenta, sic dissolvit: »Nihil opus est rixari de Sacramentorum numero. Nam si Sacramenta vocamus non solum ceremonias in Evangelio institutas, sed etiam alias res aut opera, quibus additae sunt promissiones divinae, multa Sacramenta numerari poterunt, ut Oratio erit Sacramentum, — — afflictiones et eleemosynae — — Et quidem prodesset huiusmodi opera ornari titulo Sacramentorum, ut quasi in illustri loco posita pluris fierent, et hoc titulo homines admoniti scirent promissiones requirendas et magnifaciendas esse.« His adnumerat etiam Matrimonium et Ordinem. Secundum alteram Sacramentorum definitionem tria statuit: »Itaque si Sacramenta vocamus ceremonias seu ritus in Evangelio institutos et proprie pertinentes ad hanc praecipuam promissionem et Evangelii propriam, scilicet de remissione peccatorum, facile est diiudicare, quae sint Sacramenta, Baptismus, Coena Domini et Absolutio.«

---

*) Haec verba spectare ad Zwinglianos, elucet ex iis, quae in Mel. Commentarii in epist. ad Rom. Editione Witeberg. a. 1532. 8. fol. H 5 leguntur. In Locis l. l. hos *bellos homines* appellat.

In loco *de baptismo* haec, quae ab Anabaptistis contradicuntur: »Sacramenta sine fide non prosunt, infantes non intelligunt verbum, ergo etiam non credunt,« sic refellit: »Huic argumento primum opponendum est exemplum infantum circumcisorum, qui etiam non intelligebant verbum, et tamen valebat pactum, et placebant ipsi Deo propter pactum. Praeterea etiamsi non intelligunt verbum, tamen ex superiore propositione fateri necesse est, quod Deus sit in eis efficax. Nam quum certum sit salutem et regnum Dei ad infantes pertinere, certum est etiam Deum in eis efficacem esse iuxta illud: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu. Nec nostrum est scrutari, quomodo Deus in eis agat; illud nos tenere satis est, quod certum est salutem ad infantes pertinere, unde sequitur Deum in eis efficacem esse.«

Locum *de coena Domini* breviter tractans, rationemque, qua Christus pani et vino adsit, consilio non explicans,*) hanc proponit sententiam: „Christus testatur, ad nos pertinere beneficium suum, quum nobis impertit suum corpus, et nos sibi adiungit tanquam membra, qua non potest alia coniunctio cogitari propior. Testatur item se in nobis efficacem fore, quia ipse est vita, dat sanguinem, ut testetur se nos abluere. — — Itaque datis his rebus pane et vino in Coena Domini exhibentur nobis corpus et sanguis Christi. Et Christus vere adest Sacramento suo, et efficax est in nobis, sicut Hilarius inquit: Quae sumta et hausta faciunt, ut Christus sit in nobis, et nos in Christo.«

In loco denique *de regno Christi* Anabaptistarum chiliastica deliramenta sic refellit: »Est execrandus et damnandus error ille Iudaicus Anabaptistarum, qui fingunt Ecclesiam ante novissimam diem politiam quandam mundanam futuram esse, in qua regnent pii, et armis deleant omnes impios et occupent omnia imperia.“

De doctrinae mutationibus, quas auctor in hisce Locis secundae aetatis fecit, conf. Galle l. l. p. 297 sqq. — Quid Melanthon ipse de his Locis iudicet referatve, cognoscere licet ex eius Epistolis ad Camerarium d. 2. Sept. 1535., (Corp. Ref. II. p. 935 sq.) et d. 24. Decb. eiusd. anni (ibid. p. 1027 sq.), in qua haec scribit: »In *locis* meis etiam sicubi videor habere *δευτέρας Φροντίδας*, vides me hoc agere, ut rebus obscuris et intricatis aliquid addam lucis. Nam tu ne malles obsecro me augere *τὰς ἀκυρολογίας, ὥσπερ στωϊκόν τινα ἢ πλατωνίζοντα*; cum summas rerum videas me retinere. Neque tamen valde recuso, etiam si qua plaga mihi accipienda aliquando erit, habeo enim rationem mei consilii.«; praeterea ex Epist. ad eundem data Martio 1544. (Corp. V. p. 332.), item ex Epist. ad Vitum Theodorum d. 22. Iun. 1537. (Corp. III. p. 383 sq.), ex Epist. ad Brentium d. fere 15. Sept. 1538. (Corp. III. p. 586.) aliisque; etiam ex praefatione Opp. Basil. 1541. Tom. I. praefixa (Corp. IV. p. 715 sqq.), in qua (l. l. p. 718.) haec leguntur: »Collegi non solum magna sedulitate, sed etiam cura et fide rerum summas, quas inclusi his libellis, in quibus mihi non volo ignosci, si quid inest erroris. Usus autem sum dialectico quodam filo in explicandis dogmatibus, non eo tantum, quod haec forma expeditior est et facilius res comprehensae talibus metis intelliguntur, sed etiam, quia, quae proprie et perspicue dicuntur, moderatissime dicuntur. Sperabam autem fore, ut aliquando rerum optimarum perspicuitas et evidentia *καὶ ἐνέργεια* et moderatio aditum ad communem concordiam patefacerent. Durabiliora sunt et etiam certiora, quae proprie dicuntur, si modo vera sunt, quam ambigua et intricata. Prodesse igitur nostros libellos proprie scriptos piis iudico.«

Hae vero mutationes, inprimis de bonis operibus sententiae minime ab omnibus sunt comprobatae, id quod ex eius epistola ad Camerarium d. 30. Iun. 1536. (Corp. III. p. 193 sq.) intelligitur: »Nihil mihi obiicitur, nisi quod dicor plusculum laudare bona opera. Hoc eo fit, dum has controversias proprie et diserte explico, et ad methodum revoco, quaedam minus horride dico, quam ipsi, quae certe et vera et utilia sunt.« Quin a quibusdam, dum Melanthon a. 1536. in patriam et Tubingam profectus erat, litterae dissipatae sunt, eum ita discessisse Vittenberga, ut dissidentem a Luthero et reliquis, neque reversurum illuc. Alii quamvis rediret, coniunctionem firmam non fore augurabantur, quod nimis philosophica esset eius doctrina de actionibus virtutis et officiis. Haec ventilabantur ab imperitis bonarum artium, et quibusdam, qui in sola vehementia et

*) Eiusmodi explicationem consilio a Melanthone omissam esse, elucet ex eius Epist. ad Vitum Theodorum 23. April. 1538. data (Corp. Ref. III. p. 513 sqq.), ubi haecce leguntur: „Egoque ne longissime recederem a veteribus, posui in usu Sacramentalem praesentiam, et dixi, datis his rebus, Christum vere adesse, et efficacem esse. Id profecto satis est. Nec addidi inclusionem aut coniunctionem talem, qua affigeretur *τῷ ἄρτῳ τὸ σῶμα*, aut ferruminaretur, aut misceretur. Sacramenta pacta sunt, ut rebus sumtis adsit aliud. — — Quid requiris amplius? Et huc decurrendum est tandem, nisi defendas illud, quod nonnulli iam dicunt, separatim tradi corpus et sanguinem. Id quoque novum est, ac ne Papistis quidem placiturum. Error foecundus est, ut dicitur, multas quaestiones parit illa physica coniunctio: An separatim, an sint inclusae partes: quando adsint: an extra usum? Horum nihil legitur apud veteres. Nec ego, mi Vite, inveham has disputationes in Ecclesiam, eoque tam parce dixi in *Locis* de hoc negotio, ut a quaestionibus illis iuventutem abducerem.“

abhorrente ab humanitate ac moderatione genere tam docendi quam vivendi spem existimationis alicuius collocabant. *)

Inter omnes adversarios, quos auctor his novis Editt. suscepit, molestissimus fuit Conradus Cordatus Austriacus**), qui in hunc librum adeo exasperabatur, ut eum abiectum pedibus calcaret. ***) Harum rixarum ab isto excitatarum historiam satis longam h. l. omitto, eosque, qui de illis certiores fieri cupiunt, ad Strobelii *Versuch einer Litt. Gesch.* etc. p. 97—112. et huncce librum: *Die handschriftliche Geschichte Ratzeberger's über Luther und seine Zeit mit Anm. herausg. von Chr. Gotth. Neudecker* (Iena 1850. 8.) p. 80 sqq., atque Melanthonis epistolas annis 1536. et 1537. scriptas, quae in huius Corp. Vol. III. exstant, inter quas etiam plures et a Cordato et ad eum scriptae leguntur (vide p. 181. sq. 206 sqq. 341—354.), delego.

Post hunc magnas molestias Melanthoni paravit Iacobus Schenck, discipulus eius, inde ab an. 1536. Concionator aulicus Freibergae in Misnia, quam causam ille Brentio suo in epist. d. fere 16. Iul. 1537. (Corp. III. p. 390 sq.) breviter sic narrat: „Alius Sycophanta *Fribergensis* me gravissime accusavit apud Ducem Saxoniae Electorem, propterea quod interrogatus ab ipso in privatis literis, de usu coenae Domini integrae, respondi in privata Epistola, tanquam amico et auditori nostro minus vehementer, quam ipse voluit. Si tamen voluit. Nam ad me tantum eo scripsit, ut insidias mihi strueret.“ De eadem re scripsit Vito Theodoro 10. Aug., 18. Sept., 12. Oct. et 25. Nov. 1537. (Corp. III. p. 404 sq. 410 sq. 426 sq. 452 sq.). Ad eundem Schenckium spectat etiam Mel. Declamatio de ingratitudine cuculi (Corp. XI. p. 335 sqq.). Conf. etiam Crucigeri ad Vitum Theodorum epist. d. 4. Aug. 1537. (ibid. p. 396 sqq.) et Strobel. l. l. p. 112—114.

Tertius adversarius Melanthoni (atque Luthero) exstitit Iohannes Agricola Islebius, qui illius laude, quam bonis tribuerat operibus, ita irritabatur, ut diceret: ex Diabolo ortam esse hanc vocem: *Bona opera sunt necessaria* (vide Mel. Epist. ad Matthesium d. 18. Aug. 1559., in huius Corp. Vol. IX. p. 902.). In Epist. ad Brentium fere 16. Iul. 1537. data (Corp. III. p. 390 sq.) duobus illis prioribus adversariis memoratis, de hoc tertio scribit haecce: „Alius negat in Ecclesia docendum esse decalogum, colligit loca pura et impura de decalogo, ex *Lutheri* et meis scriptis, quem *Lutherus* hac concione reprehendit, quam tibi mitto. — Ego non dissimulo me conatum esse, ut quaedam mitigarem, et iudico opus fuisse. Nec ignoro, quantum ea res mihi pepererit odiorum, quae tamen mea moderatione tego.“ Conf. etiam eius epist. ad Camerarium d. 11. Oct. 1537. (Corp. III. p. 420.) et ad Vitum Theodorum d. 12. Oct. et 25. Nov. 1537. modo laudatae, atque ea, quae Camerarius in vita Mel. p. 167 sq. ed. Strobel. ad a. 1537. affert de calumniis malevolorum, quibus Melanthon vexabatur.

Haec de harum Editt. historia praemonuisse sufficiat. Priusquam vero hos Locos medios, *quales inde ab a. 1535 usque ad a. 1541. a Melanthone editi sunt*, proponamus, magni momenti est eos, *quales auctor a. 1533. praelegit*, †) quotquot supersunt, afferre, ex quibus lector cognoscat, quae illo temporis intervallo praelectioni editionique interiecto ab eo mutata sint. Illa quidem praelectio non exstat integra, sed tantum fragmenta in Codice chartaceo octon. Bibliothecae Regiae Berolinensis, signato: „Io. Bugenhagen Pommer. Manu script. theologica vol. 3. — Ms. theol. lat. Oct. 42.“ Hic enim continet fragmenta 1) *Locorum communium Phil. Mel. manu Pommerani script.*, 2) Commentarii in I. Cor. XI med. — XVI fin. ead. manu script. Illos a Maur. Roedigero ex hoc Codice descriptos et annotationibus instructos nunc Locis mediis a Melanthone editis praemittimus. Loci Scripturae S. uncis inclusi in Ms. non leguntur, sed ab editore additi sunt.

---

*) Vide eandem epist. ad Camerar. d. 30. Iun. 1536 et Camerarii vitam Mel. p. 159 sq. ed. Strobel. Nonnulli etiam opinabantur Melanthonem ad Papisticos esse defecturum, eumque ambire galerum purpuratorum pontificum, conf. eius epist. ad Camer. d. Martio 1544. (Corp. V. p. 332.).

**) Hic primum fuit Concionator Mariae Reginae Hungariae, tum exul factus a. 1528., suadente Luthero, Pastor Zwickaviensis in Misnia a. 1529., postea in locum Wicelii vocatus Pastor in oppido Niemeck.

***) Vide Mel. epistolam ad Brentium fere 16. Iul. 1537. datam (Corp. III. p. 390.).

†) Conf. Mel. Epistolae ad Brentium d. Iulio 1533. locus iam supra p. 231 sq. allatus: „*Praelego nunc iterum locos communes, ut novam editionem atque emendationem adornem.* — Ex hac praelectione a. 1533. habita fortasse ortus est error eorum, qui hos Locos iam hoc anno ab auctore editos esse opinati sunt (vide supra p. 231 sq.).

1, a.

LOCI COMMUNES PHIL.

MDXXXIII. altera post ascensionis.

Methodus. Sicut in aliis artibus necesse est informare methodos, eaque res magnam habet utilitatem, quia aliter neque initia neque exitus artium cerni possunt, ac intelligi quid in summa docere aut efficere velint, Ita prodest in doctrina Christiana methodum aliquam[1]) informari, hoc est, ordine colligere praecipuos locos, ut intelligi possit quid in summa profiteatur doctrina Christiana, quid ad eam pertineat, quid non pertineat. Haec enim videre Christianos necesse est, Quare etiam multi veterum collegerunt methodos. Quid enim est ipsum Symbolum, nisi talis quaedam methodus? Origenes Peri archon[1a]) copiosius voluit idem argumentum tractare, sed id scriptum non probat ecclesia nec extat integrum. Extant enarrationes in Symbolum, qualis est Cypriani, quae videntur etiam hoc consilio scriptae ut viam doctrinae Christianae complecterentur. Talis est etiam
1, b. libellus | de fide Christiana ad Petrum, apud Augustinum. Postea Damascenus apud Graecos et Longobardus apud latinos quasi summam Ecclesiasticae doctrinae complecti conati sunt. Et quidem Longobardus[2]) ita recitat dogmata ut nec muniat lectorem scripturae testimoniis, nec de summa scripturae disputet, nec ostendat quid vetustissimi autores senserint, sed velut ex vicino sumit, plaerumque dicta Augustini partim discerpta replicat, Commemorat etiam opiniones vulgares quorundam, qui dissentiunt ab Evangelio, deinde[3]) ipse convertit ad se omnium recentiorum studia, qui etiam non[4]) iuvant conscientias, neque disputant de summa scripturae, sed securi traditas a Longobardo sententias et summas retinent tanquam irrefragabiles, Postea addunt disputationes ex philosophia, nihil ad iuvandam conscientiam pertinentes, plaeraque etiam docent palam dissentientia ab Evangelio de remissione peccatorum et iustificatione et | de aliis vicinis locis. Sed meo iudicio 2, a.
necesse est in methodo veritatis dogmatibus munire conscientias scripturae testimoniis. ad haec etiam ostendere quid vetustissimi scriptores in ecclesia senserint. Haec nos quantum poterimus facere conabimur. Habet ipsa scriptura suam quandam methodum et quidem artificiosam. Series enim dogmatum Ordo script.
ab ipso ordine historiae aptissime sumi potest. Initio de creatione, de peccato hominis, de promissionibus loquitur, postea tradit legem, deinde docet Evangelium de Christo. Et Paulus omnino methodice disputat de praecipuo Evangelii loco de iustificatione, ubi explicat discrimen legis et Evangelii. Iohannes praecipue docet de natura Christi, Item de iustitia fidei. Ac profecto nulla methodus magis concinna informari potest quam haec ipsa scripturae series, si quis eam modo observet et attendat. Sed quia prodest fortasse quasi titulis et notas addere ipsis scripturae locis ad admonendos lectores nos statuemus metho- 2, b.
dum, In qua propemodum sequentes | hanc ipsam seriem scripturae praecipuos locos ostendemus, ut agnosci in scriptura citius possint, Postea ubi in scriptura fuerit agnita series horum locorum, nihil opus erit hac nostra epitome. Sunt autem fere loci, intra quos tota propemodum doctrina Christiana versatur, Loci.

De deo. Quod unus sit deus.
Quod tres sint personae divinitatis.
De creatione. De causa peccati.
De hominis viribus et de libero arb.
De lege. De peccato et poenis peccati.
De promissionibus. De Christo.
De Evangelio, De discrimine legis et Evangelii.
De discrimine veteris et novi test.
De spiritu et litera. De gratia.
De Iustificatione. De praedestinatione.
De poenitentia et remissione peccatorum.
De fide. De donatione spiritus sancti et vita aeterna.[5])

---

1) aliquam] *Ms.* aliquem.

1a) i. e. *περὶ ἀρχῶν*.

2) Haec in Editt. non leguntur.

3) *Post* deinde *Ms. exhibet* conciliat *sed expunctum.*

4) *Post* non *in Ms. apparet* amant *sed expunctum.*

5) vita aeterna] *Sic Ms. sed. Ed.* 1535.: vitae aeternae.

De bonis operibus. De meritis bonorum operum.

De libertate Christiana. De potestate clavium et ministerio verbi.

De Ecclesia. De Sacramentis.

De discrimine Evangelii et doctrinae rerum et iurium civilium.

De magistratibus, legibus, divisione rerum, contractibus et aliis rebus politicis.

De traditionibus Episcoporum in Ecclesia.[6])

De Scandalo.

3. a. Alii cum locos theologicos colligunt, plaerumque numerant tantum virtutum species, perinde ut fit in morali philosophia. Sed Christianos scire oportet non solum de virtutibus illis, sed multo magis de aliis
Certitudo. maioribus rebus loqui Christianam doctrinam, videlicet de deo et de voluntate dei per filium revelata, quemadmodum Iohannes [1, 18.] inquit. Unigenitus filius, qui est in sinu patris ipse enarravit nobis. Significat enim afferri novum genus doctrinae ignotum mundo et quidem de voluntate dei.

Est et hoc sciendum de fide ac notitia voluntatis Dei, quod non satis est opinionem aliquam in animo circumferre, sed contra habere certam et firmam sententiam de articulis fidei ex scripturis. Nam dubitatio parit impietatem ac desperationem. Iuxta illud [Rom. 14, 23.]. Omne quod non[6a]) est ex fide peccatum est, Item unusquisque de sua sententia certus sit. Et procul hic repudiandus est Academicorum et Scepticorum mos, qui vetant asserere quicquam, et iu-
3. b. bent dubitare de omnibus rebus seu suspendere assertiones. Nam Christiana doctrina maxime requirit, ut certam et firmam sententiam de deo et de voluntate dei, quantum scriptura patefacit, teneamus. Fides enim non est dubitatio, sed est firma et certa notitia et constanter assentiri verbo dei.

De Deo.

Deus in Christo. Nullum invenio exordium aptius huic loco, in quo de natura dei aliquid dicendum est, quam id quod Christus ait ad Philippum cupientem videre patrem. Philippe qui videt me videt et patrem meum. An non credis quod ego in patre sum et pater in[7]) me. Hanc gravissimam admonitionem teneamus, ut discamus deum quaerere in Christo, in hoc enim voluit patefieri, innotescere et apprehendi. Quoties igitur tumultuantur in mentibus nostris speculationes cum de natura dei tum de voluntate dei, reiiciamus nos in Christum, et sciamus hunc nobis propositum esse, et in ipso
quaeramus deum, iuxta illud. Nemo ve- 4. a.
nit ad patrem nisi per filium. Nam si patiemur nos abduci a Christo, ut intelligere vel naturam vel voluntatem dei sine Christo conemur, incidunt animi in horrendas tenebras, quia enim natura dei percipi non potest, Ideo deus semper proposuit aliquod simile, in quo cerni et apprehendi voluit. Sicut cum inquit in decalogo. Ego sum deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti, addidit certum opus, in quo cerneretur, quod opus discrimen ostenderet veri dei et idolorum. Praecipue autem vult patefieri in Christo, Ideo dicit Paulus. Cum mundus non nosset deum in sapientia etc. Hoc est. Mens humana speculationibus non assequitur naturam dei, neque certo potest statuere de misericordia dei erga nos, sed quando apprehenditur in Christo misericordia dei, tunc incipit cernere bonitatem et praesentiam dei et deum aliquo modo intelligere, idque fit non speculativis cogitationibus, ut loquar verbis usitatis sed practicis cogitationibus, hoc est, cum cor-
da perterrefacta agnitione peccati reiiciunt 4. b.
se in Christum, et in eo apprehendunt certo promissam misericordiam, tunc concipiunt consolationem et vitam, et agnoscunt sibi reddi vitam a deo, deum vero praesentem et misericordem esse. Haec est sapientia Christianorum. Haec methodus non progreditur a priore, hoc est, ab arcana natura dei ad cognitionem voluntatis dei, sed a cognitione Christi et misericordiae revelatae ad cognitionem dei. In hac cognitione exercere et confirmare animos longe melius est quam philosophari de arcana natura dei. Et tamen quaedam in scripturis tradita necesse est tenere, quae breviter recitabimus. Semper autem meminerit lector non esse resistendum in his speculabilibus, ac ne prodest quidem in eis commorari, Sed respiciamus ad Christum et ad illam practicam misericordiae, ad exercen-

6) Episcoporum in Ecclesia] *Ed.* 1535.: humanis.

6a) non] *Ms.* novum.

7) in *excidit in Ms.*

dam [8]) fiduciam misericordiae. Ibi magis et clarius innotescit nobis deus. Haec magis de causis existimavi necessaria esse de quibus initio lectorem admonerem. Nam illae
5, a. infinitae scholasticorum disputationes ' non explicant arcana, sed magis obruunt, non etiam consulunt conscientiis, fortassis etiam multas conscientias illae rixae evertunt. Sit igitur nobis satis quaedam harum disputationum, quae necessaria sunt recitare simpliciter, et certa scripturarum testimonia et veterum autorum sententias ostendere.

Quod unus sit deus.

Deus spiritualis substantia. Descriptiones dei passim extant in scripturis, quae collectae definitionem efficiunt. Testatur enim scriptura deum esse substantiam spiritualem, ut ibi: Deus est spiritus. Tribuit ei aeternitatem, infinitam potentiam, infinitam sapientiam, infinitam bonitatem, infinitam iustitiam, infinitam misericordiam. Porro substantia intelligatur hic, non quod sustineat accidentia, Nam in deo nihil est caducum. Sed substantia significat hic propriissime essentiam per se subsistentem, Sapientia, bonitas, iustitia, misericordia, non sunt accidentia in deo, sed sicut potentiam non divellimus a substantia, sic nec sapientiam nec bonitatem a
5, b. substantia separamus. Nam ' potentia est ipsa sapientia, bonitas, etc.

Unus Nunc quaeremus testimonia de unitate dei. Deut. VI. [vs. 4.] Audi Israel, dominus deus tuus dominus unus est. Esa. XLIIII. [vs. 6.] Haec dicit dominus rex Israel et redemptor eius dominus exercituum. Ego sum primus et novissimus et praeter me non est deus. Esa. XLV. [vss. 5 sqq.] Ego sum deus et non est ullus praeterea, praeter me non est deus. Ego sum deus et non est alius formans lucem et creans tenebras. Item Non est praeterea deus praeter me, deus iustus et salvans, non est praeter me, Convertimini ad me et salvi eritis omnes fines terrae, quia ego sum deus et non est alius. I. Cor. VIII. [vs. 4.] Scimus quod nihil est idolum in mundo, et quod nullus est alius deus nisi unus. Nam etsi sunt etc. Ephe. IIII. [vs. 6.] Unus deus etc. Hunc articulum, ut alios omittam, Manicheus oppugnavit, quia non videbatur ei consentaneum eundem esse autorem bonorum et malorum, ideo finxit duo principia pariter coaeterna, hoc est, duos deos, alterum bonum autorem bonorum, alterum malum ' autorem malorum. Adversus hanc 6, a.
impietatem tenere oportet sententias de unitate dei. Quid autem respondendum sit de origine mali, dicemus infra de creatione, Excogitarunt et Valentiniani prodigiosam multitudinem deorum.

De tribus personis.

Trinus. Dictum est unum esse deum et tamen scriptura tribus personis tribuit divinam essentiam. Cum igitur sit una tantum essentia divina, necesse est has personas communem et eandem essentiam habere, idque significat vox ὁμοούσιον. Vocant autem personam in hac disputatione, non quod alias in latina lingua aut in theatris significat certi habitus seu officii discrimen. ut cum dicitur alium aliam sustinere personam; Sed vocabulum personae usurpatur pro substantia individua intelligente, Nazianzenus scribit latinos pro hypostasi dixisse personam, quia non habuerint aliud commodius nomen. Sunt itaque tres personae pater, filius et spiritus sanctus. Filius vocatur a Ioanne verbum λόγος. In epistola ad Heb. [1, 3.] filius vocatur character substantiae patris. ' Et 6, b.
quod loquatur de natura divina filii hinc intelligitur. quia dicit per illum omnia condita esse, Hinc interpretemur etiam, quid intelligat Ioannes λόγος. Pater intelligens de se gignit cogitationem quandam et maginem [9]), sicut nostrae cogitationes sunt rerum imagines, sed nos non transfundimus nostram essentiam in nostras imagines. Pater autem deus transfundit essentiam suam in illam imaginem, Haec cogitatio vel imago vocatur verbum. Tertia persona vocatur spiritus sanctus. Hic non utuntur verbo nascendi sed procedendi, et scriptura testatur spiritum sanctum procedere a patre et filio. Nomen spiritus indicat aliquo modo, quomodo haec persona discernatur ab aliis. Spiritus enim significat agitationem seu vim agitantem et moventem et vivificantem. Filius assumpsit humanam naturam. Estque Christus una persona constans ex dua-

(Margin: λογος; Spiritus.)

8) *Ms.* exercendum.

9) et imaginem *Ms. in marg. habet contextis interserenda.*

bus naturis divina et humana, pater non assumpsit naturam humanam, neque spiritus sanctus assumpsit naturam humanam, sed est vis agitans per quam vivificat et movet deus, Et initio libri Mosis personae
7, a. descriptae sunt. Dixit deus. Hic fit mentio verbi, quod deus dixerit seu cogitando aliquid decreverit, et in ipsa cogitatione resplendet imago patris quae est filius. Deinde de spiritu sancto. Spiritus dei ferebatur super aquas, id quod Iudaei detorquent ad spiritum sive ventum corporalem, Quamvis autem sit locus obscurus, tamen quum dicit de divina quadam vi fovente et conservante aquas, ideo pii intelligunt de spiritu sancto.

Testimonia quod sint tres personae. Matth.
Tres. ult. [vs. 19.] Baptizantes eos etc. Ibi discernit Christus diserte patrem, filium et spiritum sanctum, testatur etiam parem esse potentiam et honorem. Nam baptizari in nomine patris est confiteri quod pater sit deus, quod salvet, quod eripiat ex morte et det vitam aeternam, et baptizati sic debemus confidere patri quod haec vere efficiat, et hac fiducia debemus eum invocare. Atque hoc est sentire patrem esse deum, patri tribuere divinam potentiam, quod salvet, quod sit invocandus etc. Quum autem adiungit Christus ad huius honoris societatem filium et spiritum sanctum, testatur potentiam parem esse, et filium et spiritum sanctum ὁμοουσίους 10) esse patri.
7, b. Et quia constat patrem et filium Christum personas esse distinctas, sequitur et nomine spiritus personam distinctam significari. Nam si spiritus tantum significaret patrem moventem, bis nominasset patrem, essetque ociosa tautologia. Et in hanc sententiam ratiocinatur ex hoc dicto Christi Basilius patrem, filium et spiritum sanctum ὁμοουσίους 11) esse.

Sed quia passim sparsae sunt in scriptura probationes, quarum aliae de filio tantum loquuntur aliae de spiritu sancto, colligenda erunt primum testimonia de filio. Est autem praecipua probatio Io. 1. quem quidem ferunt hac occasione coactum scripsisse suum Evangelium, quod Ebion et deinde Cherinthus sparsissent Iudaicam opinionem, quod Christus tantum esset homo, et detraxissent ei divinam naturam. Sed priusquam ad Ioannem accedo, ponam duas rationes sumptas ex scriptura, quae meo iudicio et docent et consolantur pios. Prima est, Necesse est fateri Christum es- Natura filius Christus.
se naturalem filium dei, quia scriptura discernit filios adoptionis a filio Christo, Iam cum haud dubie sit natura filius, necesse est in eo aliquid esse divinae naturae substantialiter. (Paulus dicit Corporaliter, alii realiter.) Porro quicquid est extra personam patris, quod tamen est aliquid divinae naturae, 8, a.
id necesse est personam esse. Secunda ratio. Tota scriptura magno consensu praecipit Invocatur.
Christum adorare, invocare, iubet in eum confidere, ergo tribuit ei potentiam infinitam et divinam, quod ubique adsit, corda iustificet, exaudiat, salvet, Necesse est igi- Kyrie Christum significat.
tur in Christo esse divinam naturam, Extant autem clara testimonia de invocando Christo, de fiducia in Christum. Matth. XI. [vs. 28.] Venite ad me omnes etc. Io. III. [vs. 36.] Qui credit in filium habet vitam aeternam. Esa. XI. [vs. 10.] In die illa radix Iesse etc. Ps. XLIIII. [vs. 12.] Quum ipse est dominus deus tuus et adorabis eum. Ps. LXXI. Et timebunt eum donec erunt sol et luna. Item deprecabuntur coram ipso semper. In his et similibus testimoniis clare dicitur de perpetuo regno Christi quod perpetuo sit invocandus, adorandus etc. Ergo non potest intelligi haec adoratio de externa significatione honoris quae praesenti veluti regi tenenti regnum corporale seu civile exhibetur. Sed referendae sunt hae sententiae ad regnum Christi regnantis in potentia dei, ut Ps. [109, 1.] ait. Sede a dextris meis. Et quia testantur Christum invocandum esse, manifeste tribuunt ei potentiam divinam.

Quare his rationibus sustentemus nos, quae simul docent potentiam Christi et monstrant beneficia Christi. Nunc ad Io-
annis sententiam accedemus. Ioannes pri- 8, b.
mum testatur λόγον aeternum esse. Si enim fuit initio omnium creaturarum non est creatura, sed est coaeternus patri. Addit. Et verbum erat apud deum. Hic discernit personas patrem deum et λόγον, cum ait fuisse apud deum, sed hoc discrimen clarius postea ostendemus. Deinde addit Et deus erat verbum. hic manifeste testatur λόγον esse deum. Et articulus graecus docet quomodo haec particula construi debeat. Nam λόγος poni debet loco subiecti, deus loco praedicati, ut λόγῳ tribuatur definitio describens quidnam sit, hoc modo. Et λόγος erat deus. Nam articulus ad sub-

10) *Ms.* ἱμοισιοις.
11) *Ms.* ὁμόυσιους.

iectum pertinet. Hoc testimonium clarissimum est. Nam haec tota narratio Ioannis proprie ad hoc instituta est ut dei naturam describat. quare etiam in aliis narrationibus quae non de natura loquuntur, sed de humanis officiis divinitus ordinatis interdum metaphora est in nomine Dei, ut Ego dixi dii estis. tamen in hac narratione Ioannis necesse est propriissime accipi vocabulum Dei, Itaque meminerimus hoc testimonium quod diserte pronunciat quae sit natura verbi scilicet quod λόγος sit natura deus.
9, a. Et vel haec una sententia | clarissime refutat Arrianos, qui cum concederent λόγον personam esse, tamen negabant natura deum esse. At postquam concedas λόγον personam esse, haec sententia, Et ὁ [12]) λόγος erat deus, postea convincit λόγον natura deum esse. Illud igitur praecipue nobis illustrandum est, quod λόγος sit persona, Nam haec est principalis controversia in hac causa. Multae sunt exortae haereses contra trinitatem, sed quaedam adeo monstrosae sunt ut Valentiniana et Manichea, ut nihil afferant quod in speciem ullo modo sit probabile, Itaque facile iudicari et refelli possent Sed Paulus Samosatenus callidissime contendit λόγον non esse personam, sed sicut in homine cogitatio hominis aut sermo non est persona, sed quaedam hominis qualitas aut motio transiens, ita contendit in deo λόγον non esse personam, sed tantum cogitationem patris quae sit ipse pater[13]), aut sermonem patris loquentis, qui quatenus est in patre est ipse pater, sicut dicimus mentem aut bonitatem patris esse ipsum patrem, At verbum quatenus est vox audita, non est substantia sed motus transiens.[14]) Postea Ioannem ad hanc |
9, b. interpretationem accommodat. Dicit initio fuisse verbum i. e. cogitationem seu propositum Dei constituentis quod velit se patefacere per conditionem creaturarum. Item quod velit se revelare per Christum, ut in eo innotescat et per eum salvet homines. Hanc cogitationem dicit fuisse ipsum Deum, et hac Dei cogitatione hoc proposito dicit omnia condita esse, secundum illud Dixit Deus Fiat lux etc. Item postea deus voce omnia gessit loquens ad patres Adam, Noe, Abraham, ad prophetas, addens subinde promissiones, donec tandem revelaret se deus in Christo, ubi verbum fit caro i. e. propositum illud de[15]) se revelando in illo Christo seu promissio de Christo iam perficitur, fit caro in qua deus se voluit revelare, Et ait Ioannem ita ordiri, ut ostendat Evangelium non esse humanum inventum, sed perpetuum dei propositum fuisse hunc filium in quo innotesceret et per quem salvaret homines exhibere mundo, Ideoque promissiones factas esse, et omnes revelationes factas esse, ut essent testimonia de isto futuro Christo, Haec est Samosateni Interpretatio, quam hoc tempore renovat et defendit Servetus ille Hispanus, editis libellis[16]), sed confusissime. | Est autem in spe- 10, a.
ciem concinna imaginatio, quia alludit ad humanum exemplum. Sicut hominis cogitatio non est persona, ita fingunt nihil opus esse aliquam dei cogitationem personam facere, Item Ioannes de tali verbo videtur loqui, quo Deus subinde aedit promissiones suas, Ideo transfert appellationem verbi ad vocale verbum auditum Abrahae et aliis. Porro sonus ille non est persona, Denique multa habet haec imaginatio quae blandiuntur humanis ingeniis, quare oportet firma testimonia quaerere quae ostendant λόγον personam esse, et vere significare tale quoddam verbum, in quo Dei imago relucens persona seu hypostasis est, quae persona loquitur cum patribus et prophetis. Facilius est refutare Arrhianos, Nam si quis concedit λόγον esse personam, id quod fatebantur Arrhiani, Ioannes postea clare testatur λόγον esse deum. Sed utrique tum Arrhiani tum Samosateni ita refutari possunt, collectis testimoniis de Christo. Cum enim probatum est in Christo divinam naturam esse, necesse erit illam naturam esse et personam et deum, Ioannes itaque testatur λόγον personam esse, cum ait postea de Christo, quod mundus | per ipsum 10, b.
factus sit, Necesse est igitur In Christo naturam divinam esse, alioqui non posset dici mundum per Christum esse factum, Quia certe mundus non est conditus per huma-

12) ὁ *in marg. adscriptum exhibet Ms.*

13) ipse pater] *Ita postea correcta monstrat Ms. quae primum exhibuit:* in ipso patre,

14) est vox . . . transiens] *Ita postea correcta leguntur quae primum scripta erant:* est patris est motus transiens.

15) de *om. Ms.*

16) *Serveti libelli sunt* De trinitatis erroribus libb. VII. 1531. Dialogorum de trinitate libb. II. 1532. Christianismi restitutio 1553. recusa Norimb. 1791. (conf. supra p. 245 sq. nota*)).

nam naturam Christi. Item Col. I. [vss. 16 sq.] Omnia per ipsum et ad ipsum creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso consistunt. Ergo In Christo re ipsa est et manet aliqua divina natura. Quare λόγος non significat propositum extra naturam Christi aut vocem transeuntem, sed naturam manentem in Christo, quae res condidit et conservat. Est igitur λόγος persona.

Servetus lectori fucum facit quasi probati scriptores vetustissimi senserint λόγον non esse personam, antequam induit humanam naturam. Et citat Ireneum et[17]) Tertullianum, sed utrique iniuriam facit.[17a]) Nam Tertullianus adversus Praxeam palam movet hanc quaestionem, an λόγος sit natura subsistens, seu ut nunc dicimus persona.[18]) Et respondet affirmans esse personam seu hypostasin, deque ea re multis verbis disputat, et sic ait. Quaecunque ergo substantia sermonis fuit, illam dico personam, et illi nomen filii vindico. Et cum
11, a. filium agnosco, secundum a patre | defendo. Ireneus etiam aperte affirmat λόγον esse personam, antequam assumpsit humanam naturam. Sic enim ait c. XX. li. III. Ostenso manifeste quod in principio λόγος existens apud deum, per quem omnia facta sunt, qui et semper aderat humano generi, hunc novissimis temporibus secundum praefinitum tempus a patre unitum suo plasmati passibilem hominem factum etc. Affirmat et Origenes περὶ ἀρχῶν diserte λόγον personam esse. Nemo putet inquit nos aliquid Insubstantivum[19]) dicere, cum eum dei sapientiam nominamus. Et postea. Si ergo semel recte receptum est unigenitum filium dei sapientiam eius esse, substantialiter subsistentem. Idem postea affirmat, cum disputat de incarnatione.

Sed redeo ad Ioannem, cum inquit Verbum caro factum est, testatur verbum et patrem non esse eandem personam. Pater enim non induit humanam naturam, sicut aperte testantur scripturae multis locis. Pater enim testatur de filio Hic est filius meus dilectus. Itaque duae sunt in Christo naturae λόγος et humana natura, sic unitae ut Christus una sit persona Utuntur recentiores verbo uniendi, veteres etiam interdum dicunt permixtas esse. Quod si recte intelligatur, significanter dicitur, et ad formam
| orationis non male quadrat. Ver- 11, b.
bum caro factum est. Origenes, etsi negat similitudinem huius coniunctionis propriam afferri posse, tamen comparat eam ferro ignito. Sicut ignis penetrat ferrum et undique ei miscetur, sic verbum assumens naturam humanam, lucet in ea tota, et natura humana velut accensa lumine quodam verbo unita est. Est itaque Christus natura filius dei, Hoc tenere valde prodest ut supra dixi, Idque si tenebimus, facile poterit et hoc defendi, quod in Christo sit divina natura seu quod λόγος sit persona. Ioannis XX. [vs. 28.] Thomas vocat Christum aperte deum inquiens, Dominus meus et deus meus Ro. IX. [vs. 5.] Qui est super omnia deus benedictus. Et ne quis cavilletur Deum accipi[20]) metaphorice, addantur testimonia quae tribuunt Christo ea quae propria sunt divinae naturae. scilicet vitam reddere. sanctificare, exaudire, salvare etc.[21]) Io. V. [vs. 21.] Sicut pater exuscitat mortuos et vivificat etc. Item. Quaecunque ille facit haec et[22]) filius similiter facit. Hic aperte testatur se cum patre pariter agere, creare etc.[22]) Io. X.
[vs. 28.] Ego vitam aeternam do eis. | Io. XIIII. 12, a.
[vs. 14.] Quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam. Hic aperte testatur et se exaudire et se facere ea quae petuntur,[23]) quorum utrumque sine dubitatione est proprium[24]) divinae naturae et immensae Item Ad eum veniemus etc. Ioannis XVI. [vs. 15.] Spiritus sanctus de meo accipiet. Vivificat autem Spiritus sanctus, quare cum de potentia Christi accipiat, necesse est Christum substantiam divinam esse. Io. XIIII.[25]) Sine me nihil potestis facere. Haec sententia testatur adesse Christum, movere et gubernare etc.[26]) quae sunt dei propria. Matth. XVIII. [vs. 20.] Ubicunque sunt duo aut tres etc.

---

17) et *correctum nigriori atramento exhibet Ms. pro* ad *quod primum scriptum erat.*

17a) iniuriam facit] Editt. 1535. facit iniuriam.

18) His verbis in marg. Msti adscripta sunt haecce: Illa vetus philosophia Platonis per stultos homines olim maxima mala ingessit in ecclesiam, non minus quam Aristotelis per Sophistas etc.

19) Insubstantivum] *Ms.*: Insubstativum, Ed. 1535.: *ἀνυπόςατον.*

20) Deum accipi] Editt. 1535.: accipi Deum.

21) etc.] Editt.: et similia.

22) et: etc.] *utrumque in* Editt. *deest*

23) petuntur] Editt.: petimus.

24) est proprium] Ms.: est proprium est.

25) Io. 14.] Editt. recte: Io. 15. [vs. 5.].

26) etc.] *in* Editt. *deest.*

Io. XX. Dat spiritum sanctum, Porro id quoque Dei proprium est. Io. X. [vs. 17.] Ego pono animam meam et iterum sumam eam, nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso, potestatem habeo, etc.[27] Io. VI. [vs. 55.] Ego resuscitabo eum in novissimo die, Et deinde. Si videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius. Item Io. VIII. [vs. 58.] Priusquam Abraham natus est ego sum, Hic testatur se extitisse antequam indueret naturam humanam. Col. II. [vs. 9.] In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. q. d. In aliis habitat Deus spiritualiter, hoc
12, b. est, efficit novos motus in eis. In Christo habitat corporaliter, hoc est, re ipsa seu substantialiter, seu ut nos loquimur, naturaliter, ita quod ipsa natura seu substantia Christi divina est.

Ex veteri testamento. Iere. XXXIII. [vs. 16.] Et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustificator noster. Hic tribuitur Christo et nomen Dei proprium et nomen iustificatoris. Ergo tribuitur ei gloria Dei, quae non competit nisi Deo. Mich. V. [vs. 2.] Egressus eius ab initio ante dies mundi. Hoc testimonium etsi subobscurum est, tamen significat ante conditum mundum fuisse filium Dei, Est igitur aeternus ac Deus. Esa. VII. [14.] Et vocabitur nomen eius Emanuel i. e. nobiscum Deus. Sed firmius est quod sequitur c. IX. [vs. 6.] Vocabitur nomen eius Admirabilis consiliarius, Deus fortis, pater futuri saeculi. Iudaei vocabulum El non tantum Deo tribui contendunt. Itaque illud accipiamus, quod sequitur pater[28] vitae perpetuae. Quod si est autor vitae perpetuae post hanc vitam, sicut ipse dicit Ego do vitam aeternam, necesse est eum esse de-
13, a. um. Esa. LII. [vs. 6.] propterea | sciet populus meus nomen meum in illa die, quia ego ipse qui loquebar ecce adsum.[29] Et LIII. Notitia eius iustificabit multos Si nosse Christum iustificat, necesse est eum Deum esse, Nam haec notitia significat non solum videre vel audire praesentem, sed significat fiduciam et invocationem, sicut alias ait Esaias. In eo gentes sperabunt. Ita scriptura saepius practice nos docet de divinitate Christi et officia eius nobis commendat, ut fidem in nobis excitet et de vero cultu nos doceat, quia in tali usu rectius agnoscimus Christum quam in ociosis speculationibus. Ps. XLIIII. [vs. 12.] Et concupiscet rex decorem tuum, quoniam etc. Hic regem ipsum Christum nominat Deum, Ps. LXXI. Et timebunt eum, donec sol etc. Item Et adorabunt eum omnes reges terrae. Hic tribuitur Christo divinitas, quia loquitur, non de officiis quae regibus praesentibus praestantur, sed de perpetuo unius personae regno et de invocatione, qua Christus perpetuo colitur etiam cum non conversatur nobiscum visibiliter. Et similia in scripturis occurrent quae studiosus lector facile agnoscet. Ps. CIX. [vs. 1.] Dixit
etc. Inde argumentatur | se non solum filium, 13, b.
sed etiam dominum Davidis. Verum totus ps. ibi comprehendendus est. Postea enim describit regnum Christi Sede etc. Cum autem pari potentia regnet cum patre, sequitur Christum Deum esse, cum potentia sit infinita. Ps. II. [vs. 7.] Ego hodie genui te. Hoc de solo Christo dicitur. Est igitur natura Dei filius. Quare aliquid Dei vere est in Christo.

Si obiicitur naturam divinam non pati, non mori. Christum autem passum et mortuum. Vulgaris solutio est, Cum duae sint naturae in Christo, quaedam propria unius naturae sunt, tamen non impediunt quo minus adsit altera natura. Propria autem sunt haec humanae naturae, pati, mori etc. Ideo et Petrus dixit, Christum passum etc. Recentiores doctores multa disputant, Christum simul fuisse beatum et in summo gaudio iuxta superiorem portionem rationis vel humanae mentis quae intuetur deum (ut aiunt.) et in summis doloribus secundum portionem inferiorem, propemodum ut Manichaei somniarunt, filium Dei in receptaculo passum esse. Has[30] disputationes re-
linquamus ipsarum | autoribus. Mihi ma- 14, a.
gis placet quod inquit Ireneus, Christum passum esse requiescente verbo, ut crucifigi ac mori posset, Certe hoc sentire oportet quod filius dei humiliatus sit, quod fuerit victima, redemptor etc. Scholastici dicunt communicatione idiomatum[31] dici, Deus est passus, Id non improbo, sed tamen quaeri potest, utrum satis explicet humiliationem Filii Dei. Sunt igitur praeter illam solutionem quam dixi de duabus naturis observandae etiam aliae solutiones de conditione et officiis, quaedam compe-

27) nemo tollit eam — habeo etc.] *haec in* Editt. *desunt.*

28) Ms. *post* pater *habet vocem* futurae *obliteratam.*

29) Esa. 52. — adsum.] *in* Editt. *desunt.*

30) Ms. *ante* Has *habet* At *obliteratum.*

31) Idiomatum] Ms. ideomatum.

tunt in humiliatum Christum, quale hoc est. Iesus autem coepit taedere et pavere. Item Pater salvifica me ex hac hora. Quaedam discernunt officia. ut Pater maior me est. quia ibi loquitur de suo officio quod missus esset a patre tanquam praedicator et tanquam victima. Missus autem a mittente autoritatem accipit, et Christum necesse fuit allegare autoritatem patris. cum Iudaei arguerent eum contra autoritatem Dei docere. Nam in illa concione non disputat de naturis, sed de officio suo. Haec satis sit admonuisse de solutionibus seu interpretatione dis-
14, b. similium sententiarum. | Postquam illud constituerimus quod rei caput est, Christum natura deum et hominem esse, postea piis et cordatis non difficile erit iudicare quae dicta ad quam naturam et ad quem statum Christi pertineant et quo referantur, Reverenter autem de tantis rebus pronunciandum est. Hoc solum agendum, ut caput rei teneamus, certo Christum natura deum esse. Dixi autem supra habenda esse in conspectu haec duo praecipua argumenta. Primum quod scriptura testetur Christum natura dei filium esse. Item quod iubet invocare Christum. Item confidere in Christum. Haec duo argumenta clarissime testantur Christum natura deum esse.

De spiritu sancto.

Nomen spiritus in genere significat agitationem aut naturam seu vim agitantem. Varie autem in scriptura usurpatur, alias significat ventum, alias vitam, saepe motus aut impetus hominum creatos, cum bonos tum malos. Hic significat naturam spiritu-
15, a. alem. Deus est spiritus. | Estque hoc loco nomen commune patri et aliis personis, Quare delectus adhibendus est in testimoniis colligendis, ac prudenter iudicandum ubi proprie loquatur scriptura de spiritu sancto quem praedicat Evangelium dari per Christum, nt vivificet ac sanctificet, et[32]) quem ecclesia agnoscit personam esse divinam vivificantem et sanctificantem, Idque probandum est spiritum sanctum personam esse. Nam multi extiterunt in ecclesia vafri homines qui contenderent spiritum sanctum non esse personam, sed significare tantum agitationem creatam in hominibus, aut certe significare proprie ipsum patrem potentem seu agitantem sine alia persona.

Sed Christus discernit personas cum ait. Baptizantes in nomine etc. Si enim spiritus sanctus esset ipse pater, ociose repeteret patrem, Item Baptizari in nomine patris et filii et spiritus sancti, est fateri quod pater et filius et spiritus sanctus salvet etc. Itaque cum par honor tribuatur patri filio et spiritui sancto, sequitur et spiritum sanctum hic intelligi deum et non agitationem creatam, sed personam salvantem sicut et pater et filius salvat.

Io. I. [vs. 32.] Vidi spiritum descendentem quasi columbam. Item In pentecoste spiritus
sanctus peculiariter apparet, Igitur | est perso- 15, b.
na distincta a patre. Io. XIIII. [vs. 16.] Et ego rogabo patrem et alium paracletum etc. Cum ait. Pater dabit paracletum discernit eum a persona patris, et cum ait alium discernit a persona patris et filii. Sic et postea. Quem mittet pater in nomine meo etc. Si spiritus sanctus significaret agitationem creatam, esset ipsa doctrina, Nunc cum ait, docebit, testatur esse personam docentis. Significant et reliquae appellationes personam, ut Paracletus, i. e. advocatus. Item quae audiet loquetur. Haec certe competunt personae. Io. XV. [vs. 26.] Cum venerit paracletus quem ego mittam vobis a patre spiritum veritatis qui a patre procedit. Haec sententia testatur spiritum sanctum et a patre et a filio procedere, ideo est distincta persona.

Collegi testimonia de tribus personis, Sicut autem scriptura plaerumque filii divinitatem ita describit, ut iubeat eum invocari etc. Sic etiam spiritus sancti divinitatem vult nos cognoscere in ipsa consolatione ac vivificatione, Ideo sic profitemur, Credo in spiritum sanctum i. e. credo spiritui sancto, qui Evangelio testimonium in ecclesia perhibet, credo spiritum sanctum efficacem
esse per | verbum, docentem et vivificantem 16, a.
credentes. Sic et Paulus inquit. Ipse spiritus dat testimonium spiritui nostro, in quo clamamus Abba pater. Id est spiritus sanctus erigit et consolatur nos, et efficit ut agnoscamus misericordiam et praesentiam dei. Haec officia et Christi et spiritus sancti considerare prodest, quae et consolationem nobis afferunt, et in ipso usu monstrant divinitatem.

Sunt etiam admonendi imperiti, ne plures personas faciant quam tres. Nam Valentiniani postquam viderunt patrem et filium et spiritum sanctum discerni, postea fecerunt innumeros deos, collectis innumeris

---

32) et *correctum est in Ms. e* per.

vocabulis quae deo tribuuntur, quorum singulis tribuerunt propriam substantiam sive divinitatem. Sicut Hesiodus facit Chaos, noctem, herebum etc. Ita isti distraxerunt haec aeternitatem, mentem, verum, bonum, potentiam, sapientiam, iustitiam et alia multa. Aut enim voluerunt significare Valentiniani non[33]) differre patrem filium et spiritum sanctum personis, sed tantum nominibus, ut Iudaico more retinerent unam personam, Aut voluerunt innumerabiles deos fingere. Sciendum autem est potentiam et appellationes virtutum ut iustitiae, fortitudinis, misericordiae, omnibus personis pari-
16, b. ter convenire | nec res esse distinctas a natura ipsa. Potentia dei est ipsa dei natura. Iustitia dei est ipsa dei natura sicut potentia, Misericordia dei est ipsa dei natura sicut potentia. Tantum igitur tres personae praedicantur pater, filius et spiritus sanctus. Siquidem officiis clare discerni possunt. Oportet enim Christum mediatorem et redemptorem discernere a patre, et oportet hunc eundem Christum esse natura filium dei. Oportet et hoc scire quod Christus spiritu sancto consoletur, gubernet, ac vivificet credentes, Et in his officiis agnosci et apprehendi trinitas debet. Ita firmam quandam notitiam concipiemus et utilem ad invocationem et ad exercendam fidem. Aliae ociosae speculationes, neque firmam notitiam pariunt, neque iuvant fidem aut invocationem, Cum disputant magis quid inter sese agant personae quam quid nobiscum agant, Nos autem apprehendamus eas quemadmodum scriptura eas nobis proponit. Proponit autem scriptura nobis officia. In haec intueri nos iubet.

De Creatione.

17, a. Tota rerum universitas, angeli et omnes corporales naturae, condita est a deo ex nihilo, Id vocant creationem, Et est descripta creatio cum in Genesi tum saepe alias. Ps. XXXII. [vs. 6.] Verbo domini caeli etc. Et deinde. Ipse dixit et facta etc. Ubi significat res ex nihilo conditas esse per verbum dei. Quia enim deo iubente res extiterunt seu ortae sunt, ergo non sunt ortae ex aliqua praecedente materia, Ideo et Ioannes[34]) inquit Omnia per ipsum facta sunt. Ergo necesse est res ex nihilo conditas esse. Illud autem in hoc articulo monere necesse est, quod creatio sic intelligi debeat, quod Deus non discesserit a suo opificio, sicut faber discedit a domo facta aut fabricata nave, sed Deus perpetuo sustentat et conservat res, et impertit eis motum et vitam. Hic intellectus creationis necessarius est et proprius piorum. Itaque in articulo de creatione semper intelligatur perpetua conservatio et sustentatio quaedam.[35]) Credo in deum patrem omnipotentem creatorem caeli et terrae. Hic intellige non solum conditionem, sed perpetuam gubernationem et conservationem. Quotannis foecundat terram, procreat fruges ex terra, perpetuo suppeditat animantibus vitam et motum, Et haec rerum conservatio vocatur actio Dei generalis. |

De hoc articulo valde prodest habere testimonia ad fidem exercendam in invoca- 17, b.
tione. Actis XVII. [vs. 28.] In ipso vivimus, movemur et sumus. Heb. I. [vs. 3.] Ferens omnia verbo potentiae suae. Col. I. [vs. 17.] Omnia in eo consistunt. I. Tim. V. Vocat deum vivificantem omnia. Item Speramus in deo vivo qui est salvator omnium hominum maxime fidelium. Item In deo vivente qui praebet omnia nobis abunde ad fruendum, Matth. X. Duo passeres asse etc. Vestri autem capilli etc. Ps. CIII. Omnia a te expectant etc. Dante te illis etc. Avertente autem etc. Emitte spiritum etc. Ps. XCIX. [vs. 3.] Scitote quod dominus ipse est deus, ipse fecit nos et non ipsi nos, nos autem populus eius etc. Non[36]) nascimur, non vivimus casu aut tantum nostris viribus, sed deo vivificante et conservante etc. Ps. XXXII. [vs. 13. 15.] De caelo respexit dominus, vidit omnes filios hominum, Qui finxit[37]) sigillatim etc. Ps. CXLVI. [vs. 8.] Qui operit caelum nubibus etc. Ps. XXXV. [vs. 7.] Homines et iumenta etc. Filii autem hominum etc.[38]) Postremo docet hoc ipsum oratio dominica, in qua iubemur petere a deo panem quotidianum. Confitemur igitur deum suppeditare victum, res non sustentari, naturam non esse foecundam nisi adiuvante deo.

33) *Ms. add.* magis *sed expunctum.*

34) Ioannes] Ms. Ioannis.

35) quaedam] Editt. 1535.: rerum.

36) Non] Editt. 1535.: id est Non

37) Qui finxit] Editt. 1535.: fingit

38) Filii autem hominum etc.] *in* Editt. 1535. *desunt.*

Et idem confitentur omnes sententiae. quae
18, a. docent nos | a deo ali ac defendi. ut lacta ad dominum curam tuam et ipse te enutriet. Et haec praesentia dei in rebus seu conservatio rerum non cernitur ratione, sed fide cerni debet. Atque ita nos scriptura docet. non solum de conditione rerum. sed de perpetua conservatione. Neque intelligitur recte creatio nisi etiam credamus perpetuo res sustentari et conservari, suppeditari motum et vitam rebus a deo. Et haec fides est verus intellectus creationis, quae prodest etiam in invocatione. Quomodo enim potest animus humanus[39]) petere a deo victum, vitam, vires, defensionem, nisi statuat deum praesentem adesse, gubernare, alere et consecrare naturam etc.? [40])

De causa mali et contingentia.[41])

Duae[42]) hic magnae et difficiles quaestiones oriuntur. Altera de contingentia, altera de causa peccati, Prius autem dicemus de causa peccati, propterea quod cum constabit causam peccati non esse Deum, postea facile erit ratiocinari quandam esse contingentiam, seu quod non omnia necessario fiant necessitate absoluta. Atque haec vetus in Ecclesia quaestio est de causa peccati. Quae quidem eo fit difficilior, quia nos supra diximus Deum non solum condidisse omnia sed etiam conservare, et
18, b. suppeditare vitam et motum rebus | Si enim natura non potest agere nisi Deus eam assiduo agitet, sequi videtur, deum autorem esse peccati. Haec non possunt satis perspicue explicari, quia sicut ipsam creationem humana ratio per sese intelligere non potest, ita qualis sit haec agitatio et gubernatio rerum non potest satis perspicere, Haec enim sunt pariter arcana et extra conspectum nostrum posita. Et tamen haec duo tenenda sunt propter testimonium scripturae, Primum Fide statuere debemus Deum adesse rebus easque conservare, et quidem fide per verbum Dei cernitur haec praesentia Dei in rebus, Deinde [43]) illud docet scriptura, peccati causam non esse Deum sed voluntatem Diaboli, Item hominis. Genesis enim inquit. Et vidit Deus omnia quae fecerat et erant valde bona. Item Ps. inquit. Non deus volens impietatem tu es. Et Christus inquit Diabolum patrem esse mendacii et ex propriis loqui mendacium. Transfert igitur causam in diabolum cum vocat patrem mendacii, Et cum ait Ex propriis loquitur, discernit propriam diaboli actionem a beneficio Dei conservantis naturam. Atque haec testimonia sunt huius causae propria. Citantur huc et alia, quae etsi eludi possunt, tamen si quis prudenter consideret inveniet
ea | quadrare etiam ad hanc causam. Ut 19, a.
quod Paulus [Rom, 5, 12.] inquit, Per hominem peccatum introiit in mundum. Item [1. Tim. 2, 4.]. Deus vult omnes homines salvos fieri. Item [Rom. 2, 11.] Apud Deum non est acceptio personarum. Itaque etsi Deus conservat naturam et suppeditat ei vitam et vires, tamen voluntas diaboli aut hominis deficiens in agendo, et resistens in obiecto prohibito a Deo, est causa peccati. Haec sententia est tuta, vera et sacris libris consentanea, Et ut maxime homines acuti plura hic quaerere velint, tamen id meo iudicio nihil habet utilitatis[44]) Et cum multa colligant absurda et inexplicabilia, valde perturbant imperitas mentes et imbecilles.

Caeterum hic etiam quaeritur, an peccatum sit res positiva,[45]) videlicet an sit ipsa actio vel naturae qualitas, an vero proprie significet defectum in natura vel in actione aliqua. De hac quaestione vulgo ita respondent, Peccatum proprie significare defectum in natura aut in actione, Ita facilius putant declarari posse, quod Deus non sit auctor peccati, cum peccatum non significet rem positivam sed defectum. Et huius defectus causa est voluntas ipsa deficiens ac non resistens in obiecto in quo debebat resistere, sed delabens in aliud deficiendo|
Haec etiamsi non satis explicant hanc 19, b.
quaestionem, tamen alicubi prodest novisse. Significat itaque peccatum proprie defectum esse. Sed hic defectus semper est aut in natura, perpetuus quidam morbus. sicut concupiscentia, incredulitas etc. Aut

39) animus humanus] Editt. 1535. humanus animus.

40) Huius loci *de creatione* finis, qui in Editt. fere duo folia explet. in Ms. deest, sine ullo lacunae indicio.

41) et contingentia] Editt.: et de contingentia.

42) Quae h. l. in Ms. leguntur, ab Editt. valde differunt.

43) H. l. Ms. et Editt. consentiunt.

44) In Editt. 1535 dictum huic simile in huius loci principio invenitur.

45) Haec in Editt. non leguntur.

est in actione aliqua, sicut diffidere, odisse, irasci Deo etc. Et id vocant naturale peccatum, scilicet vel ipsam naturae qualitatem vel actionem ipsam. [46])

Nunc redeo ad priorem quaestionem de contingentia Ideo autem quaerunt quomodo possit esse contingentia, quia cum Deus non solum provideat omnia sed etiam conservet res ac determinet contingentia, videntur necessario omnia fieri, quia notitia Dei non potest falli. Item nihil potest fieri contra decretum Dei. Sed hic maxime prodest considerare causam peccati, Postquam enim constitutum est Deum non esse autorem peccati [47]) sed voluntatem diaboli et hominis, facile est iudicare quod non omnia fiant necessario necessitate absoluta. quia enim peccatum proprie a voluntate diaboli et hominis ortum est, sicut inquit Christus. Ideo neque Deo approbante neque cogente voluntates nostras factum est. Quare non est necessario factum necessitate absoluta. Et quidem voluntas nostra ante peccatum libera [48]) fuit. Est autem libertas voluntatis causa contingentiae actionum. Loquimur enim nunc de contingentia nostrarum actionum. Haec ratio de causa peccati satis illustris est, et opponenda est aliis rationi-
20, a. bus | quae omnino tollunt contingentiam, et interdum in curiosis ingeniis [49]) magnos tumultus excitant. Deinde concedendum est et hoc, quod scriptura tribuit aliquem delectum ac libertatem homini adhuc post peccatum in his quae subiecta sunt rationi humanae ad efficiendam iustitiam carnis, hoc est civilem. Vult enim lege coerceri homines, vocat aliquam sapientiam et iustitiam carnis. [50]) Sicut igitur Deus universam naturam condidit, ita condidit etiam hoc naturae donum seu modum agendi videlicet libertatem. Est autem libertas, ut dictum est, causa contingentiae. Ergo illa quae libere et contingenter fiunt, ipse etiam ita praevidet ac determinat qualia sunt. Resistamus itaque et in hac ratione, libertatem esse donum dei et opus dei in natura. unde sequitur et contingentiam esse. Et ut maxime Deus determinat contingentiam, tamen ut sciamus ita determinare ut non tollat libertatem. cum haec sit modus quidam agendi ab ipso conditus et donatus naturae. Haec simpliciter tenere de hoc negotio satis est. Nam sicut creatio intelligi non potest ab ulla creatura, ita neque haec satis perspici possunt, quomodo maneat libertas, deo tamen determinante contingentia. Haec omnia pertinent ad intellectum creationis. Et qui haec subtilius disputant multa colligunt absurda et inexplicabilia, quae magis perturbant imbecilles mentes quam docent.

Non est inutilis distinctio de necessitate consequentis seu absoluta et necessitate consequentiae. quia scriptura saepe facit mentionem necessitatis, ubi natura | contin- 20, b.
gentia ait esse necessaria. ut Oportet haec fieri sed non statim finis etc. Est itaque absoluta necessitas, qualis haec est. Necesse est deum esse, esse veracem etc. Necessitatis consequentiae est, ut Oportet vinci Pompeium. Oportet everti Ierosolymam. Haec non sunt sua natura necessaria, sed fiunt necessaria, vel quia deus ita determinat, aut quia sequuntur propter praecedentes causas, ut Oportet haereses esse, Id enim sequitur propter praecedentes causas. Quia enim diabolus odit Christum, et impios potest incitare contra Evangelium, et impii per sese ardent odio Evangelii, Ideo oportet haereses esse, in quibus lacerant et corrumpunt Evangelium impii. Haec cum sint natura contingentia, tamen fiunt necessaria, sed necessitate consequentiae.[51])

De viribus humanis seu de lib. arbitrio.

Necesse est de viribus humanis aliquid praefari, ut ea quae postea de peccato Item de lege, de beneficio Christi dicenda erunt, facilius intelligi possint. Cum enim quaeritur de lib. arbitrio, quaeritur qualis sit natura hominis, an in hac corrupta natura possit esse vera et perfecta obedientia erga legem dei sine peccato, Hoc est an in natura hominis sit vera notitia dei sine dubitatione, verus timor, vera fiducia, vera dilectio dei, denique summa obedien-

---

46) His in margine adscripta sunt: Ne nos inducas etc. Indurat Pharaonem, verba sunt promissionis more hebraeo etc.

47) Haec iterum iis, quae in Editt. leguntur, similia sunt.

48) Ms. ante *libera* habet *fere* obliteratum, cuius loco in marg. *vè (vere?)* adscriptum est.

49) interdum in curiosis ingeniis] Editt. 1535.: in cur. ingeniis saepe.

50) Haec in Editt. desunt.

51) Quae his, in Editt. 1535., proxime sequuntur usque ad huius loci finem, in Ms. non leguntur.

tia sine peccato. Evangelium revocat nos
21, a. ad cognoscendum vitium naturae nostrae, vel ad cognoscendam corruptionem naturae nostrae. Atque ideo concionatur de Christo, offerri nobis iustitiam seu pronunciari nos iustos certo non propter nostram mundiciem aut qualitates nostras sed per misericordiam propter Christum, quia haec corrupta natura non potest praestare obedientiam ad quam eramus conditi et quam requirit Deus. Ideo cum de lib. arbitrio quaeritur, non sunt infartiendae disputationes de necessitate, nec ideo tollendum est lib. arbitrium quia videantur omnia necessario fieri eo quod deus determinet omnia contingentia. Hic quaerendum est qualis sit hominis natura, et quaeritur non de omnibus contingentibus sed de uno tantum genere, scilicet de hominis obedientia erga legem dei, non quaeritur quomodo deus omnia contingentia in universa natura indifferentia bona, mala determinet. Cinglius ita tantum tollebat lib. arbitrium, quia omnia fiant deo decernente et praedestinante. Sed haec ratio nihil ad hunc locum pertinebat. Hic necesse est dicere de peccato et naturae nostrae qualitate, ut e regione beneficium Christi agnosci possit. Paulus cum damnat vires hominis revocat nos ad cognitionem peccati, ait nos sub peccato esse, ait nos non posse lege iustificari. Haec ostendunt nobis infirmitatem nostram, non movent quaestiones utrum omnia bona et mala et indifferentia fiant necessario etc. Dialectici prudenter admonent tenendum esse statum negocii, ac videndum quid ad causam pertineat proprie, quid sit extra causam, Id vel maxime hic providendum est, ne res bonae et utiles obruantur rixis nihil ad in-
21, b. stitutum pertinentibus. | Quod certe fieri solet quum peregrini loci admiscentur. Ideo reiectis peregrinis disputationibus breviter de hominis viribus, quantum hic locus requirit dicemus. Non enim hic nobis opus est omnes partitiones ex philosophia recitare. Praecipuae vires sunt duces. Vis cognoscendi et vis appetendi. Vis cognoscendi comprehendit sensus et intellectum, vis appetendi appetitum sensuum et appetitum superiorem, Intellectus vis cognoscendi superior est, quae intelligit et diiudicat recta. Appetitiones aut prosequuntur aut fugiunt res oblatas. Sed voluntas potest nobis externum et simulatum opus imperare, etiam contra suam et sensuum appetitionem. Itaque lib. arbitrium complectitur voluntatem et iudicium intellectus. Sumamus igitur Ciceronis partitionem, quae est aptissima huic negotio. Praecipuas vires hominis duplices facit Cicero. λόγον καὶ ὁρμήν. Ὁρμὴ significat omnes appetitiones sensuum et superiores. λόγος significat iudicium et voluntatem obtemperantem recto iudicio et recta imperantem, sive assentiantur appetitiones sive repugnent. Ita apud latinos etiam ratio complectitur iudicium et voluntatem recta imperantem. Scriptura cum nominat cor, mentem etc. complectitur iudicium et ipsas appetitiones veras non aliquod simulatum externum opus.

Hic igitur quaeritur de libero arbitrio, quatenus voluntas sit libera, quid possit efficere suis viribus naturalibus sine spiritu sancto. |

Respondeo primum. Non potest iudicari 22, a.
de hac quaestione nisi magnitudo peccati in natura consideretur. Et econtra. Intelligamus lege dei non tantum requiri externa civilia facta, sed etiam perpetuam totius naturae nostrae obedientiam. Itaque si natura humana integra esset et sine peccato haberet certam et claram de deo notitiam, non dubitaret de voluntate dei, haberet verum timorem ac fiduciam firmam et perpetuam, diligeret deum vere, denique praestaret obedientiam integram legi. hoc est. In natura essent motus naturales omnes consentientes cum lege dei, sicut in piis angelis. Nunc autem quia natura humana corrupta est peccato originis, de quo postea dicendum erit. Non potest praestare illam integram obedientiam, hoc est natura ipsa oppressa corruptione et morbo originis repugnat legi, non habet nunc firmam de deo notitiam, sed est plena dubitatione, Neque vere timet deum, neque vere confidit nos placere deo, non diligit deum, Imo in tentatione odit, cum sentit nos puniri a deo Et hanc imbecillem naturam morti et aliis infinitis et horribilibus calamitatibus subiici. Praeterea plena est natura multorum aliorum affectuum qui cum lege dei pugnant. Multa vestigia, multae mirificae imagines dei in naturam impressae sunt, in quibus agnosci deus voluit, ut suo loco dicemus. Has obruit naturae corruptio ut nullam firmam notitiam de deo mentes naturaliter concipiant. Praeterea revelavit [52]) deus verbum suum, dedit legem et promis-

---

52) revelavit (?)] Ms. habet: reuela^t

siones, Neque tamen intelligit natura hominis legem, neque vere obtemperare potest.
22, b. neque promissionibus sine dubitatione assentitur. Quare s naturae corruptio consideretur, facile videbis quod homo non potest praestare integram obedientiam dei. Et qui affirmant voluntatem humanam ita liberam esse ut possit legem dei facere, ideo ita delirant quia non vident quanta vis sit peccati, et quanta sit corruptio in natura humana. Ad haec somniant legi dei satisfieri per opera externa. quod est falsissimum.

Primum igitur sic tollit doctrina Evangelii lib. arbitrium, quod docet in homine horribilem corruptionem esse quae naturaliter repugnat legi dei, et hanc corruptionem non potest humana voluntas per sese tollere ex natura, sicut neque mortem, quae est propriissimus effectus istius corruptionis per sese potest ex natura tollere. Non potest per sese efficere ut natura praestet integram obedientiam legi dei.

Quum igitur quaeritur de lib. arbitrio, sciamus praecipue quaeri, non de externis factis hominis, sed de ipsa natura et de interioribus motibus erga deum. Voluntas non potest sine spiritu sancto abiicere dubitationem de deo, vere timere deum, veram fiduciam misericordiae dei concipere, veram obedientiam in morte et aliis afflictionibus praestare, et habere similes motus interiores iuxta legem dei. Nam legem dei facere non est tantum externa civilia facta praestare, sed habere notitiam dei firmam, vere timere deum, vere credere etc. Sunt au-
23, a. tem ubique obvia testimonia in scripturis quae hoc docent quod iam dictum est, naturam esse subiectam peccato nec posse per sese liberari a sua corruptione, nec posse legem dei facere, nec posse sine spiritu sancto concipere motus spirituales, timorem dei et veram fiduciam. Ro. 8. [vs. 7.] Sensus carnis inimicitia etc. Hic vides palam negari [53]) carnem posse obedire legi dei. Nam etsi externa opera legis facere potes, tamen haerent in animis ignoratio dei, dubitatio, contemptus, diffidentia, et similes morbi. Et in his sententiis sciendum est, quod caro significet totam hominis naturam, sensum et rationem sine spiritu sancto. Id facillime ostendi potest ex ipso Paulo. quia spiritum vocat haud dubie non partem rationis, sed spiritum sanctum divinitus donatum iis qui credunt. Cum autem spiritus aliud quiddam sit quam nostra natura, carnem intelligi necesse est totam naturam hominis sensum et rationem. Et idem Io. 3. [vs. 6.] significatur. Quod natum est ex carne caro est. Sentit igitur omnes vires nobiscum nascentes carnem esse. II. Cor. 3. [vs. 6.] Litera occidit, spiritus vivificat. Ergo voluntas humana non potest sine spiritu sancto vivificari. Vocat enim ibi clare spiritum spiritum Christi, quo inquit nos transformari, ut deum agnoscere et ei credere possimus. literam vocat omnem doctrinam, notitiam, bonam intentionem atque bona opera facta conatu rationis. qua putat ratio se legi dei satisfacere nec videt interim quales morbi haereant in animis. Et quia affingit ratio hominem propter haec opera iustum esse, hanc persuasionem de lege, vocat Paulus ibi velamen, quo Mosi facies tecta fuit, videlicet has opiniones
quod legi dei satisfaciant externa civilia 23, b.
opera et bonae intentiones. Item quod propter istam impletionem legis iusti simus. Nam hae opiniones tenent captivas mentes donec liberentur per Evangelium, quod revelat peccatum et ostendit misericordiam et aliam quandam iustitiam praeter legis iustitiam. Io. 3. [vs. 3.:] Nisi quis renatus etc. Requirit et hic locus, ut renascamur spiritu sancto

Quare natura hominis sine spiritu sancto non placet Deo, non habet iustitiam aut vitam aeternam etc. I. Cor. 2. Animalis homo etc. Significat enim psichicos [54]) hominem viventem vita naturali, hoc est sensu et ratione naturali sine spiritu sancto. Sic enim Paulus discernit eo loco animalem a spirituali. Ro. 8. [vs. 14.:] Qui ducuntur spiritu dei etc. Item [vs. 9.:] Si quis spiritum Christi non habet is non est Christi. Ex his sententiis et similibus planum fit voluntatem hominis sine spiritu sancto non posse spiritualia opera efficere scilicet verum timorem dei, veram fiduciam dei, veram dilectionem etc. Secundo. manet tamen aliqua voluntatis humanae libertas in natura hominis. potest enim humana voluntas aliquo modo sine spiritu sancto i. e. sine illa renovatione facere externa opera legis. Sicut enim in natura manent iudicium et delectus aliarum rerum quae

53) negari] sic in Ms. mutata sunt *nega'e Paulū* prius scripta.

54) i. e. *ψυχικός*.

sunt sensui subiectae seu rationi. ita manent iudicium et delectus operum externorum civilium. Et haec est libertas voluntatis de qua philosophi loquuntur. quam aliquo modo et sacrae literae homini tri-
24, a. buunt. quia Paulus inquit Lex est iniustis posita. Cum enim scriptura approbat et requirit civilem disciplinam qua magistratus coercet iniustos. certe sentit aliquam esse libertatem efficiendae illius disciplinae in iniustis. Item Scriptura vocat quandam iustitiam carnis, ergo est quaedam iustitia carnis. quam caro i. e. homo suis propriis viribus efficit. Sed haec ipsa libertas efficiendae civilis iustitiae, reliqua in natura hominis, saepe vincitur cum imbecillitate naturae quae malorum affectuum plena est, quibus saepius obtemperant homines quam recto iudicio. Sicut ille ait Trahit sua quemque voluptas, tum etiam saepe impeditur libertas a diabolo, qui impellit captivam naturam ad alia flagitia etiam externa, sicut videmus maximos viros, qui tamen operam dederunt ut cum virtute viverent, habere turpissimos lapsus. Quorsum opus est sic discernere quid natura hominis possit quid non possit? Maxime opus est, Primum enim oportet scire quod homines non possint satisfacere legi dei. Nisi enim id teneamus, non poterit intelligi hoc quod Evangelium praecipue praedicat. homines propter Christum iustos pronunciari, non propter nostram impletionem legis. Secundo, Oportet scire quod hanc veterem et corruptam naturam aboleri oporteat, et novam et spiritualem naturam condi, quae praestet veram obedientiam deo. Oportet item scire quare opus sit spiritu sancto, quare deus polliceatur spiritum sanctum, ut cognita nostra imbecillitate et tyrannide
24, b. diaboli, sciamus contra in Evangelio | deum nobis liberationem et auxilium polliceri, quod cum petimus et confidimus nos iuvari exercetur fides in nobis et crescit notitia dei. Econtra qui tantum lib. arbitrii viribus nituntur nec quaerunt auxilium dei, hi nulla habent exercitia fidei nec perveniunt ad notitiam dei nec sunt adversus diabolum muniti. Tertio. Ettamen scire oportet quod honesta disciplina, hoc est civilia bona opera a nobis effici possint, et quod deus hanc disciplinam requirat, etsi propter eam non simus iusti coram deo. Paulus ornavit [55]) eam egregio praeconio cum ait. Lex est paedagogus In Christum. Quodsi disciplina est paedagoga, et quidem In Christum, nequaquam negligenda erit. Valet enim paedagogia ut assuefacti bonis moribus, audiamus et discamus Evangelium. postea spiritus sanctus efficax est per Evangelium.

Postquam exposui quid possint humanae vires quid non possint, admonendus est lector quid vulgo sentiant scholastici doctores, et quid probandum aut improbandum sit. Non litigamus praecipue de libertate voluntatis humanae. Nos enim propemodum tantundem tribuimus humanae voluntati quantum tribuunt philosophi. Sed alia res hic agitur, Praecipue litigamus de lege dei, de peccato et de iustificatione. Scholastici doctores putant legi dei satisfieri per civiles | mores. Hic errant de peccato et de 25, a.
lege Dei. Deinde addunt amplius, homines pronunciari iustos coram deo propter illos bonos mores seu propter illam legis impletionem de qua loquuntur. Ita obruunt doctrinam Evangelii de fide et de fiducia misericordiae etc. At scriptura, contra docet, non satisfieri legi dei per civiles mores, seu per illam disciplinam quam ratio praestare potest. Haerent enim interim in natura hominis vitia interiora, ignoratio dei, dubitatio, diffidentia, concupiscentia, quae sunt ut vocat Paulus, inimicitia adversus Deum. Proinde reprehendendi sunt scholastici non tam de libero arb. quam de aliis impiis dogmatibus quae affinxerunt, cum putarent illam disciplinam, quam potest praestare liberum arb. legi dei satisfacere, et propter eam homines pronunciari iustos. Transformabimus igitur quaestionem liberi arb. in quaestionem de peccato et de lege, et recensebimus ordine quid improbemus.

Falsum est quod putant Scholastici hominem legi dei satisfacere posse et quidem sine spiritu sancto. Errant quod non [56]) vident in natura hominis haerere peccatum, et ut Paulus vocat, inimicitiam adversus Deum. Ideoque errant etiam quod putant legi dei satisfieri tantum per civiles mores. Errant quod putant homines pronunciari iustos coram deo propter illos bonos mores | alias de congruo alias de 25, b.
condigno. Errant quod putant huiusmodi opera mereri remissionem peccatorum. Errant quod putant hominem posse sine spiritu sancto diligere deum super omnia et concipere veram fiduciam dei, et si-

55) ornavit (?)] Ms. habet: orna^t (conf. supra nota 52).

56) Ms. post *non* habet vocem *fide* obliteratam.

miles motus spirituales. Ita potest intelligi quid praecipue reprehendamus, et cur de libero arb. litigemus. Rationes autem huius nostrae censurae seu iudicii infra in illis ipsis locis addemus, in quibus hae controversiae repetendae erunt de peccato et de lege. Hic tamen meminerit lector unam rationem, quae synechon totius negotii. Paulus ubique contendit homines non posse iustificari lege. hoc est non pronunciari iustos propter legis impletionem. quia non possumus legi satisfacere. Haec Pauli disputatio munit nostram sententiam de libero arb. Tota enim controversia de lib. arb. transferenda est ad hunc usum ut agnoscamus peccatum in natura pugnans cum lege dei, et discamus intelligere doctrinam de gratia et de fide. Sed Scholastici doctores tantum humano more et civiliter iudicarunt de lege quasi lex Dei nihil requireret aliud quam quod humanae et politicae leges requirunt. Itaque hoc ipsum synechon videtur
26, a. | eis absurdissimum esse, sentire vel docere quod homines per sese non possint obedire legi dei, videtur desipere legislator qui mandat impossibilia. Stulte enim condit legem cui nemo possit parere. Hac humana cogitatione praecipue moti sunt, ut docuerint legi dei satisfieri posse ab hominibus libero arb. Item legem dei tantum de civilibus moribus praecipere, non requirere perfectam naturae obedientiam, non accusari peccatum in natura, dubitationem, diffidentiam, concupiscentiam. Neque quicquam affertur probabilius in speciem contra nostram sententiam de lib. arb. quam quod ridiculum videatur dicere quod Deus praeceperit impossibilia. Allegant etiam Hieronymi dictum. Si quis dixerit deum Impossibilia praecepisse anathema sit. Proinde breviter respondebimus ad hanc rationem. Ac principio manifestiss. est lege dei impossibilia praecipi, Idque affirmat Paulus in omnibus illis locis In quibus contendit omnes esse sub peccato. ut inquit [Rom. 3, 23.] Omnes peccaverunt et carent gloria dei. Item [Galat. 2, 16.] ubi negat hominem posse iustificari ex lege sine operibus legis. Ro. 8. [vs. 3.:] Quod erat Impossibile legi quia per carnem infirmata erat etc. Ro. 7. docet lege augeri peccatum etc. non tolli peccatum, non enim loquitur de externa disciplina. Item legi tribuit quod occidat |
26, b. quia scilicet iudicat conscientiam et perterrefacit etc. Relinquitur igitur quaestio quare lex lata sit, siquidem fieri non potest.

Reliqua huius paginae pars et tria folia proxime sequentia alba sunt. Integra igitur expositio, qua ad extremam quaestionem respondeatur, in Ms. deest.

(De loco Deut. [30, 11.]) 30, a.

Citant et locum ex Deut. Mandatum quod praecipio tibi non est supra te neque procul positum. Hic contendunt tribui homini facultatem faciendae legis. Breviter autem responderi potest homini moroso. Lex est possibilis credenti in Christum. Quod quomodo debeat intelligi supra dixi. Cum apprehendimus misericordiam iam pronunciamur iusti perinde ac si legi satisfaceremus, cum tamen obedientia nostra quae tunc inchoatur procul absit a perfectione legis. Et quidem Moses in hac ipsa sententia, etsi de lege concionatur, tamen interim de fide docet, ac praecipue fidem in hac ipsa sententia requirit. Revocat enim populum ad praesens [57]) verbum, et prohibet deum quaerere cogitationibus humanis extra verbum, sed iubet apprehendere Deum in hoc verbo, et iuxta hoc verbum credere quod sit Deus, quod receperit hunc populum per misericordiam, Ideoque exaudiat et salvet, Item approbet huius populi bona opera. Haec certe est sententia in hoc loco Prope est verbum etc. Haec dixi responderi posse homini moroso, Nam ut maxime detorqueatur hic locus ad vires humanas tamen non erit excludendus Christus, Sicut supra dixi, in omnibus sententiis de lege addi debere hanc interpretationem. legem possibilem esse credenti in Christum. | Sed his qui 30, b.
germanam Mosis sententiam requirunt accuratius respondendum erit. Ac primum Ridiculum est ex his verbis ratiocinari, quod non sit lex supra vires nostras, cum experientia palam reclamet, quae testatur humana pectora plena esse dubitationis et viciosorum affectuum. Item Paulus manifeste affirmat contrarium Ro. 7 et 8. Deinde videamus hoc ipsum quod hic requirit Moses quam sit supra vires hominis. Prohibet enim dubitationem de Deo. praecipit de fide, ut in verbo quaeratur Deus, verbo dei constanter assentiamur, ne evagemur a verbo et somniemus aliud esse Deum, aliud velle deum, alios cultus placere Deo, quam quemadmodum verbum docet. Quis non agnoscit hic suas dubitationes? quoties dubitamus utrum deo curae simus, utrum ex-

57) praesens (?)] Ms. habet: p̄us

audiat nos. utrum ignoscat. utrum verae sint minae ac promissiones Dei, sit ne certa nobis voluntas Dei. qui cultus. quae opera placeant Deo. sit ne immortalis futura haec imbecilla natura etc.? quale certamen est in animis etiam sanctorum de tantis rebus procul extra conspectum rationis et supra nostras vires positis? Et has dubitationes
31, a. prohibet Moses, cum ait. Ne dicas | Quis ascendit in [58]) caelum? i. e. ne cogites dei voluntatem nunc [59]) incertam [60]) esse postquam verbum revelatum est Et ne dicas. quis transfretavit? ne cogites haec immensa et arcana nunc incerta esse promulgato verbo, immo inquit Habes verbum in ore tuo, huic assentiaris, scias deum esse, deum velle exaudire et salvare hunc populum quem recepit per misericordiam, scias eum approbare hos cultus et opera propter misericordiam. non fingas de deo alias opiniones extra verbum, non fingas alios cultus. Hic consulamus experientiam et animos nostros, an talis fides existere in hominis natura sine auxilio dei possit. Ideo non potest citari hic locus quasi valde praedicet humanas vires. Quid igitur ait Moses? de notitia loquitur Nam hebraice legitur. Mandatum hoc non est absconditum coram te i. e. ecce tu iam tenes verbum, in hoc verbo resiste etc. Sed ad quem usum de notitia loquitur? Dixi supra usum praecipuum et spiritualem legis esse nosse legem, hoc est, agnoscere peccatum et imbecillitatem nostram quam lex arguit. Deinde, quia de fide concionatur, admonet nos non tantum legis sed etiam promissio-
31, b. num. Prope est verbum etc. i. e. tenes verbum in quo testatur Deus quod te per misericordiam receperit in populum, credas igitur quod ei propter misericordiam placeas, credas etiam quod hos cultus et opera per misericordiam approbat. Ita tunc prodest notitia legis non solum ad arguenda peccata sed etiam ad faciendam legem cum haec fides accedit, qua fit ut illa inchoata obedientia placeat. Quomodo autem Paulus hunc locum accommodet ad Evangelium hic nihil opus est disputare, Quamquam id quidem iudicari facile potest, generale dictum Mosis de fide et verbo transfert ad Evangelium ut diserte ostendat hoc verbum de mediatore tenendum esse. Sed de hoc Pauli loco nihil opus est hic dicere.

58) Ms. post *in* habet vocem *locū* obliteratam.
59) nunc] Ms. n̄c
60) incertam] Ms. incert*um*.

De peccato.

Christus complexus est summam doctrinae Evangelii [61]) et quasi methodum informavit [62]) cum iubet praedicare poenitentiam et remissionem peccatorum. Hi sunt praecipui loci universae doctrinae Christi, ad hos tanquam ad caput referri debent reliquae partes. Porrò praedicatio poenitentiae accusat et damnat peccatum, sicut In Ioanne [16, 8.] dicitur Spiritus sanctus arguet etc. Necesse est igitur in doctrina ecclesiastica
diligenter explicare | quid vocet scriptura 32, a.
peccatum. Et Paulus ob eam causam propemodum totam ep. ad Ro. consumit in collatione horum trium locorum, peccati, legis, gratiae. Ideo et nos hunc locum suscepimus explicandum, praesertim cum aliter iudicet scriptura de peccato quam humana ratio seu philosophia seu leges politicae. Itaque singulari prudentia in hoc loco opus est. Nam et theologi multi hic lapsi sunt. qui peccatum intellexerunt tantum civiliter de factis. Hic error peperit alios postea errores. Non enim potest intelligi magnitudo beneficii Christi nisi cognitis nostris malis. Principio igitur de vocabulo moneri imperitos necesse est.

Peccatum non significat in sacris litteris tantum, ut grammatice sonat latinis, factum aliquod. sed significat et perpetuum vitium, hoc est corruptionem naturae pugnantem cum lege dei et facta pugnantia cum lege dei, Idque de vocabulo ob hanc causam admoneo, quod quidam adducti grammatica superstitione sustulerunt vitium originis, eo quod peccatum significet latino more non perpetuum morbum sed factum aliquod. Nec vident hebraica voce significari proprie quiddam damnatum, seu ut ita dicam reum, propemodum quod latini scelus dicunt. Sit igitur in genere peccatum vitium perpetuum
aut | factum pugnans cum lege dei. Divi- 32, b.
ditur autem peccatum in peccatum originis et actuale. His enim appellationibus docendi causa utendum est.

De peccato originis: —

De peccato originis ideo multae dissensiones [63]) extiterunt, quia humana ratio non

61) Haec et seqq. cum Editt. consentiunt.
62) informavit] Ms. informa[t] (conf. notae 52. 55.).
63) dissensiones] Ms. dissen*t*iones.

videt immundiciem naturalem, hoc est, non videt haec esse damnata quae haerent in natura hominis, scilicet ignorationem dei, vacare metu dei, diffidere deo etc. Et cum has maximas pestes [64]) non cernat, somniat lege dei tantum iustitiam civilem requiri, nec peccata esse ulla alia praeter civilia delicta, deinde huc detorquent imperiti quaedam dicta, videlicet naturam bonam esse, Item peccatum non esse peccatum nisi sit voluntarium. Haec si in loco dicantur vera sunt. Deus enim naturam condidit bonam et integram, sed postea per peccatum Adae accessit corruptio, qua fit ne naturales vires obtemperent legi Dei, Item peccatum non esset peccatum nisi esset voluntarium, de civilibus delictis recte dictum est, sed non debet detorqueri ad peccatum originis, etsi Augustinus quadam subtili interpretatione etiam ad peccatum originis accommodat, dicit voluntarium esse, non quia sit in potestate no-
33, a. stra sumere aut | abiicere, sed quia non inviti tales simus. Verum nihil opus est hac subtili interpretatione Satis est tenere quod de civilibus peccatis dictum sit. Tale est etiam id.[65]) Non laudamur neque [65]) vituperamur propter ea quae natura adsunt, et sic de aliis. [66]) Ac feci mentionem horum dictorum, quia a theologis intempestive in hac disputatione citantur.

Scholastici doctores de peccato originis multa pugnantia dicunt, sed tamen in summa hoc sentiunt, peccatum originis esse reatum, hoc est Imputationem, qua posteri Adae propter ipsius delictum rei ac damnati sint, Deinde addunt esse quandam imbecillitatem in natura, hanc vocant fomitem et negant esse peccatum, hoc est rem [67]) dignam damnatione per sese [67]). sed faciunt poenam peccati et rem mediam. Caeterum docent naturam hominis posse obedire legi dei et sine peccato esse. Haec est summa sententiae Scholasticorum. quae parit alios multos errores. Obruit enim et legem et Evangelium Nam cum fingunt non esse peccata dubitationem, diffidentiam et similes impetus malos [68]) qui nobiscum nascuntur, obscurant legem, deinde quia fingunt lege dei tantum requiri civilia opera, item homines iustos esse propriis operibus, abolent Evangelium de misericordia, Item abolent doctrinam de fide. Iubent enim dubitare, et docent dubitationem non esse peccatum | Cum
igitur falsa persuasio de peccato originis 33, b.
tantam ruinam traxerit, necesse est eam reprehendere, ut recte intelligi lex et illustrari doctrina de misericordia possit.

Nos igitur contra sic sentimus. peccatum originis non tantum esse imputationem seu reatum sed etiam naturae hominis corruptionem, qua fit ne possimus vere obedire legi dei et sine peccato esse. Quamquam enim ratio et voluntas in externis rebus facere possit externa et civilia opera, tamen interim haerent in natura hominis ignoratio dei, dubitatio, diffidentia, odium dei et alii morbi pugnantes cum lege dei. Voco autem corruptionem non actum aliquem sed perpetuum morbum, atque illud ipsum quod alii vocant nunc defectus nunc concupiscentiam seu [69]) inordinationem appetitus quae nunc in natura reliqua est. Defectus enim sunt ignoratio dei, vacare metu, fiducia, amore Dei. Neque vero fingendum est hos defectus nihil nocere naturae quae reliqua est. Nam isti ipsi defectus sunt horribiles pestes ac vitia. Succedunt enim flagitiosissimi impetus scilicet diffidentia et odium Dei, Inordinata concu-
piscentia | quae timet, amat carnalia etc. [70]) 34, a.
Sed haec omnia fient illustriora ex antithesi. Anselmus recte definit peccatum originis cum ait, esse carentiam iustitiae originalis. Hic iustitia intelligatur non tantum imputatio seu approbatio sed etiam in ipsa natura hominis integritas virium animae et corporis, certa notitia dei et obedientia, perfectus timor, fiducia, amor dei. Amissa hac integritate vires animae et corporis ita corruptae sunt ne vere possint obedire legi dei, postquam amisit natura firmam de deo notitiam necesse fuit succedere ignorationem, dubitationem, contemptum aut odium iudicii dei. Cumque sit sine deo, timet, amat carnalia, et habet multiplices impetus pugnantes cum lege dei. Sic interpretatur Anselmus ipse definitionem, ut ostendat se et defectus et concupiscentiam complecti. Et Bonaventura prudenter inquit nihil interesse inter has figuras, dicere quod peccatum

64) pestes] Ms. testes.

65) id . . . neque] Editt. 1535.: illud . . . nec

66) et sic de aliis.] haec in Editt. 1535. desunt.

67) Ms. post *rem* addit cum Editt. 1535.: *sua natura*, expuncta tamen; sed Editt. 1535. omittunt: *per sese*.

68) impetus malos] Editt. 1535.: viciosos impetus.

69) seu] Editt. 1535. nunc.

70) etc.] in Editt. 1535. deest.

originis sit concupiscentia. et dicere quod sit defectus. Et addit. altero alterum significari et comprehendi. Ideo recentiores sine causa rixantur peccatum originis esse defectum non concupiscentiam, utrumque enim complectitur. Et hic sciendum est
34, b. utrumque esse materiale peccati et [71]) concupiscentiam et defectus, Siquidem formale peccati vere ac proprie est reatus et imputatio.

Unde sit peccatum originis.

Postquam Adam lapsus est amisit integritatem naturalem cum sentiret iram et iudicium dei ac subiiceretur regno peccati et mortis, ac [72]) spoliatus prioribus ornamentis procreavit deinde tales qualis iam erat ipsius natura, Ita posteri [73]) propagatione contrahunt vitium originis, hoc est et [74]) rei sunt et habent vitiosam naturam.

De poenis.

Scholastici concupiscentiam faciunt poenam peccati non peccatum, Non concupiscentiam dicimus et poenam lapsus Adae et peccatum in nascentibus, est et mors poena sed praecipua poena est tyrannis diaboli cui subiecta est natura hominis propter peccatum, Et de hac poena loquitur Genesis cum inquit [3,15.]. Tu insidiaberis calcaneo eius. Saevit itaque diabolus in naturam hominis, exercet eam terroribus et omni genere calamitatum, atque interficit etiam, ad haec, impellit eam ad omnis generis flagitia, ad blasphemias, ad impias opiniones, ad hypocrisin, ad caedes et [75]) odia
35, a. etc. idque | res ostendit etiam in praestantibus viris qui cum virtute vivere conati, tamen naturae imbecillitate et potentia diaboli victi inciderunt in varia turpitudinis genera.

Testimonia quod sit peccatum originis et quid sit. Ps. L. [vs. 7.] Ecce in iniquitatibus etc. Deplorat enim non matris peccatum sed suum, Ego ita conceptus sum ut cum formarer statim in mea massa seu in me ipso extiterit peccatum. Testatur igitur propheta peccatum esse in hominibus, quod nascentes secum afferunt. Ephe. 2. [vs. 3.] Eramus natura filii irae sicut et caeteri. Hebraica phrasis est Filii irae pro reis seu damnatis. Et dicit [76]) pariter Iudaeos et gentes esse filios irae natura, Ergo non tantum contrahitur damnatio actualibus peccatis, sed etiam morbo naturae. Porrò in eodem loco describitur magnitudo huius mali, ubi dicit diabolum efficacem esse in incredulis. Hinc intelligi potest quae sit praecipua poena peccati originis, quam nusquam attingunt Scholastici in suis disputationibus, et quidem de hac poena scilicet [77]) quod homines sint [78]) subiecti regno et tyrannidi diaboli Praecipue admonendi erant homines, ut cognita magnitudine mali intelligeremus beneficio Christi opus esse. |

Ro. V. [vs. 15.] Unius delicto etc. Ergo 35, b.
alii sunt rei propter Adae lapsum. Et addit Mors pervasit in omnes quia omnes peccaverunt i. e. rei sunt seu peccatum habent. hebraica phrasi. [79]) Quod si tantum actualia delicta essent peccatum, unusquisque tantum reus esset sui facti. Nunc cum clare dicat nos reos esse propter Adae delictum testatur aliud quoddam in natura, peccatum esse praeter actualia delicta. Et ne hic peccatum intelligatur tantum reatus, pondera horum verborum observanda sunt. peccatum regnavit, mors regnavit etc. [80]) significat enim homines oppressos esse ira dei, non habere firmam dei notitiam, odisse et fugere iudicium dei, mori perterrefactos iudicio dei, sicut inquit [81]). [1. Cor. 15, 56.] Aculeus [82]) mortis peccatum est.

Io. 3. [vs. 3.] Nisi quis renatus etc. Si opus est regeneratione, ergo vetus natura et [83]) rea est et immunda. Genesis VIII. [vs. 21.] Cogitatio humani cordis mala est pueritia. Significat enim non solum consuetudine delicta contrahi, sed in natura

---

71) Ms. ante *et* habet voces *si quid* expunctas.

72) Hoc *ac* in Ms. voci *postea* expunctae superscriptum est.

73) posteri] sic bene Ms.; sed Editt. 1535.: postea.

74) et] in Editt. 1535. omiss.

75) et] Editt. 1535. ad

76) dicit] Editt. addunt: Paulus

77) scilicet] Ms.: s.; Editt.: videlicet.

78) sint] sic Editt.; Ms. h. l. habet scriptionis compendium, quod alias *sunt* significat.

79) peccaverunt — phrasi.] Editt.: peccaverunt. Hebraica phrasis est, Peccaverunt pro rei sunt, seu peccatum habent.

80) etc.] Editt.: & similia

81) Editt. addunt: Paulus

82) Vocem *Aculeus* in Ms. proxime sequuntur verba *peccati mors est* expuncta.

83) et] in Editt. deest.

peccatum esse quod statim erumpit ab initio. Huc pertinet Hiere. sententia [17, 9.]. Pravum est[84]) cor hominis etc. Sed plurimum valent in hac causa Pauli sententiae Ro. VII.
36, a. et VIII. quae | testantur concupiscentiam peccatum esse, Constat enim eum ibi non tantum actualia delicta accusare sed peccatum haerens in membris de quo dicit Invenio aliam legem etc. Item. Carne servio legi peccati. Item. Sensus carnis mors est et inimicitia adversus deum nec potest legi dei obedire. Haec loca utrumque docent, et nasci homines cum peccato quia certe concupiscentia nobiscum nascitur, et testantur peccatum originis non tantum esse reatum sed etiam morbum in ipsa natura haerentem, Nec refert utrum hunc morbum appelles defectum an concupiscentiam. Revera enim nihil interest si defectum prudenter intelligas, Nihil dici gravius potest quam tales defectus in natura esse, ignorationem dei, vacare metu, fiducia, amore dei, nulli morbi graviores nominari possunt.

Haec de peccato originis vera et perspicua sunt et consentanea scripturis et ecclesiasticis patribus. Sed sicut olim Pelagiani Intempestive philosophantes sustulerunt peccatum originis, et postea Scholastici etiamsi in speciem retinent tamen revera tollunt cum negant concupiscentiam peccatum esse, et fingunt hominem posse legi dei satisfacere, Ita sunt et his temporibus multi leviter docti qui suaviter derident quae diximus de pec-
36, b. cato originis. Quia enim | ratio non cernit hanc infirmitatem esse rem damnatam, et philosophia nihil iudicat esse vitiosum quod non est in potestate nostra, Ideo colligunt absurda quae videntur haerere in nostra sententia eaque valde exagitant, et hanc totam ecclesiae sententiam iudicant esse merum deliramentum, Adversus hos leves spiritus diligenter muniendi sunt animi scripturae testimoniis quae citavimus, ne ea nobis excutiant istorum calumniosae interpretationes, qui transformant sententias de rebus spiritualibus et arcanis dictas in philosophiam et civiles opiniones.

Restat ut vulgare dictum interpretemur, quod solent ad extenuandum peccatum originis citare, Dicitur enim peccatum originis in baptismo remitti. Hoc dicto somniant post baptismum nullam rem vitiosam aut damnatione dignam reliquam esse, Ideo nec docent de fide sed fingunt hominem iustum esse propria mundicia. Verum nos dictum hoc sic intelligamus[85]). In baptismo remitti reatum et tamen manere ipsum morbum. hoc est manet morbus sed non imputatur credenti. Praeterea cum datur spiritus sanctus concipimus novos et pios motus, quibus aliqua ex parte corrigi morbus incipit, atque ita | per omnem vitam luctandum 37, a.
est cum hoc morbo dupliciter. Primum fide statuendum est quod non imputetur, deinde fide etiam concipienda est notitia dei et fiducia misericordiae et consolatio. Hoc cum fit, aliquo modo corrigitur morbus et inchoatur vita aeterna. Voco autem morbum ut supra dixi concupiscentiam et defectus. Constat enim post baptismum et[86]) in sanctis adultis manere utrumque. Nam et sancti aegre obtemperant[87]), dubitant, diffidunt deo, stomachantur concedi impiis successus et victoriam in persecutione etc. Haec testantur adhuc in natura haerere et concupiscentiam et defectus. Et necesse est scire haec esse peccata i. e.[88]) res vere dignas damnatione quod ad ipsius morbi naturam attinet, sed tamen ita non imputari, si fide misericordiam apprehendamus. Nisi enim hoc peccatum agnoscamus, Neque beneficium Christi intelligi neque exerceri fides potest.[89]) Quod autem in sanctis tale peccatum reliquum sit, clarissime testantur loca VII. et VIII. c. ad Ro. supra citata. Augustinus ad eundem modum docet de remissione peccati originis in baptismo. peccatum inquit remittitur non ut non sit sed ut non imputetur.

De peccatis actualibus.

Peccatum actuale significat fructus vitiosae naturae. hoc est Affectus, cogitata, dicta, facta contra legem dei. Simul autem complecti debes[90]) | personam et opus. 37, b.
Ita[91]) facile intelliges omnia opera impii

84) est] Ms.: et

85) intelligamus] Editt.: intelligimus.

86) et] Editt.: etiam

87) obtemperant] Editt. addunt: in cruce,

88) i. e.] Editt.: hoc est

89) potest] Ms.: pt̄., Editt.: poterit

90) debes] Editt.: debemus

91) Quae inde ab hoc verbo usque ad initium folii 38, b. „propter metum poenae aut propter gloriam." in Ms. leguntur, ab Editt. differunt, in quibus auctor haec et mitigavit, et brevius dixit.

esse peccata. Quia enim persona sine timore et fiducia dei operatur, ideo fructus omnes sunt impii et damnati. Nec recte docent Scholastici honesta ac civilia opera impii non esse peccata et mereri remissionem peccatorum, idque immutabiliter i. e. certo. Etsi negant conscientiam certo statuere posse quando opera habeat suffectura isti merito. Paulus contra docet. Omne quod non est ex fide peccatum est i. e. res damnata aeterna morte. Fides autem significat fiduciam misericordiae. quae statuit certo nos placere deo propter Christum, etiam si opera sint [92]) indigna. Huc pertinet sententia in Ioanne [15, 4]. Sicut palmes non potest fructum ferre per sese nisi manserit in vite, Ita nec vos etc. Item Sensus carnis mors est. Quia enim personae sunt sine timore dei et fiducia. Ideo etiam opera alioqui honestissima non sunt obedientia erga deum. Fiunt enim cum dubitatione etiamsi sapientissime disputant de deo Xenophon, Plato, Cicero, Pomponius Atticus, tamen dubitant utrum placeant deo. Et certe in summis afflictionibus iudicant se negligi et deseri a deo praesertim cum agnoscunt aliquam suam culpam, cum sentiunt se urgeri Iudicio dei. Etsi enim habeant notitiam legis de deo quam docet lex
38, a. naturalis, tamen notitiam Evangelii non habent, quod deus gratis remittat peccatum, quod certa sit remissio peccatorum, quod gratis deo placeant. Ita etsi Themistocles, Solon, Fabius, Scipio res maximas atque utilissimas universo hominum generi gerunt tamen polluit omnes has actiones dubitatio de voluntate dei. Et si interrogarentur utrum aliquid incommodi ac vitii in istis pulcherrimis cogitationibus atque actionibus esset, certe agnoscerent plurimum in eis vitii esse, Sicut testatur Simonidis dictum ad Hieronem regem. Quo diutius cogito eo minus assequor. Item Cato agnoscebat suam dubitationem cum in bello diceret magnam esse obscuritatem divinae voluntatis. quod deus ante in malis causis faverit Pompeio nunc in bona deserat. Sunt igitur vitiosa impiorum honesta opera, Et quia personae damnatae sunt, et quia ipsa opera polluuntur interioribus malis affectibus scilicet dubitatione de dei voluntate, et similibus vitiis interioribus. Constat enim externum opus iudicandum esse ex interiore actione. Et certe opus quantumvis honestum non est obedientia erga deum, si fiat cum dubitatione etc. Ac dixi honesta opera vitiosa esse propter dubitationem de voluntate dei. loquor enim de summis viris et honestissi- 38, b.
mis actionibus, de inquisitione dei et de constitutione rerum publicarum. quae sunt duo pulcherrima et optima genera actionum. Magis aperte vitiosa sunt quae constat suscipi propter metum poenae aut propter gloriam. [93])

Sed hic obiici potest. Si honesta opera sunt peccata, quorsum igitur prodest ea facere? Item cur praecipit ea deus cum non approbet peccatum? Iuxta illud Non deus volens impietatem tu es. Responsio. Nobis facilis est responsio. Adde enim fidem ad hanc disciplinam tunc placebit deo, etiamsi re vera est imperfecta obedientia, sicut supra dixi. Quia persona placet. Et haec obedientia habet in his qui vere credunt praemia corporalia et spiritualia in hac vita et post hanc vitam. Sed [94]) de impiis quaeritur, hoc respondeo. Nos non esse Stoicos, qui disputabant omnia peccata paria esse, sed plus peccat Nero quam Pomponius Atticus. Etsi dei iudicium est quantus gradus sit interioris vitii. quod certe non debet extenuari Et tamen requirit deus externa honesta opera quae vocantur legis opera. Requirit autem et propter tranquillitatem hominum inter se et propter disciplinam, hoc est, ut institui ac doceri homines de Evangelio possint. Sicut ait Paulus [Galat. 3, 24.]. Lex est paedagogus. Et hanc Paedagogiam ornat deus egregiis praemiis corporalibus, et econtra Violationem legis externam punit gravibus poenis corporalibus et aeternis. Quare 39, a.
prodest hanc paedagogiam amplificare, et diligenter docere homines ut statuant divinitus et praemia pro recte factis et poenas pro delictis propositas esse. Idque docet scriptura in ipso decalogo de praemiis. Honora patrem et matrem ut etc. De poena periurii dicit In 2. praecepto. Non habebit deus insontem etc. Item de poenis docet quoties de magistratu loquitur. Hunc enim constituit deus, ut disciplinam retineat inter homines et per eum puniat [95]) flagitia. Punit etiam sine eorum opera aliis calamitatibus, sicut maledictiones in lege testantur,

92) Ms. post *sint* habet vocem *infirma* expunctam.

93) Huc usque inde a fol. 37, b. Ms. ab Editt. differt (vide notam 91.); sequentia cum Editt. consentiunt.

94) Sed] Editt. addunt: si (*male omissum in Ms.*)

95) per eum puniat] Editt.: per eos punit

Testantur idem et lex naturae et experientia. Nam haec ipsa opinio est quaedam lex naturae, scilicet sentire quod deus pro benefactis praemia reddat, pro malefactis poenas. Ideo mansit hoc iudicium apud omnes gentes, et hinc extiterunt illae gravissimae sententiae apud Hesiodum et alios de poenis delictorum. Deinde constat hoc quoque illas ipsas heroicas virtutes in summis ingeniis vere esse peculiaria dona et opera dei. qualis fuit in Xenophonte inquisitio dei, in Themistocle, Fabio, Scipione magnitudo animi atque consilium in defendenda patria, in Lelio, Attico moderatio et fides, Cum autem sint verissime opera dei, sicut ipsi oculi nostri, certe non sunt res malae. Quare haec iustitia carnis habet etiam suam laudem. Et docendi sunt homines quod deus eam requirat ac praemiis ornet. Quod autem obiicitur hanc iustitiam peccatum esse,
39, b. deus autem non requirit peccata. Respondeo. Deus requirit opus ipsum, Deinde quod istud opus sit peccatum, id fit per accidens scilicet propter vitiosam personam, ut magnitudo animi in Achille est egregia virtus per sese et vere opus dei, sed fit vitiosa, quia persona est vitiosa, quae dubitat utrum deus respiciat homines etc.[96]) est sine timore et sine fiducia dei. Ideo opus ipsum non est obedientia erga deum. Ille autem est iustus finis operum vere bonorum ut sint obedientia erga deum. Deus igitur rem quidem bonam requirit, sed natura vitiosa illud ipsum quod deus requirit contaminat.

Reliqua est una[97]) distinctio peccati mortalis ac venialis. Sed de hac distinctione infra dicemus. Non enim potest intelligi quid sit veniale nisi prius de fide dixerimus. Nam sine fide conscientia non potest consistere in iudicio dei. Ideo fiunt mortalia omnia quae conscientiam accusant, sicut Paulus inquit [Rom. 4, 15.]. Lex iram efficit. Item [1. Cor. 15, 56.] Aculeus mortis etc. Nec possunt opponi iudicio dei quamlibet honesta opera. quia non possumus sine mediatore Christo accedere ad deum. Ideo inquit Paulus [Rom. 8, 6.]. Sensus carnis mors est i. e. etiamsi habet homo sine fide aliquam de deo notitiam, etiamsi habet egregias virtutes, tamen in iudicio dei non vivificant. Quare etsi deus requirit hanc paedagogiam seu iustitiam carnis, etsi corporalibus praemiis eam ornat, tamen ista 40, a.
sunt falsa quae affirmant nostri adversarii, quod talia opera mereantur remissionem peccatorum sive de congruo sive de condigno. Et quidem docent huiusmodi opera mereri remissionem peccatorum sine fiducia Christi. Ita somniant placari iram dei sine Christo. Sed reclamat Paulus, qui docet gratis remitti peccata fide propter Christum, ut clare testatur Ephe. 2. [vs. 8.] Gratis salvati etc. Haec in praesentia satis sit monuisse. Infra enim copiosius de remissione peccatorum dicendum erit.

In hoc loco de peccato necesse est admonere lectorem de affectibus. Duplices sunt in natura hominis affectus. Quidam simpliciter pugnant cum lege dei, ut appetere alterius res aut coniugem, invidere aliis dei beneficia, appetere gloriam indebitam, et efferre sese supra alios etc.[98]) diffidere deo, stomachari adversus iudicium dei, odisse deum, etc. Tales[99]) affectus sunt proprie fructus peccati originis, et sunt simpliciter mali ac vitiosi, et eiiciendi ex natura hominis, nec erant futuri in integra et incorrupta natura, Alii sunt affectus qui non pugnant cum lege dei ut amare liberos, coniugem, bene meritos, irasci vitiis, Natura enim incorrupta non erat futura sine omnibus appetitionibus, Nam appetitiones ex natura tollere est tollere motum et vitam, Ideo etsi hi affectus etiam contaminantur vitio originis, 40. b.
tamen sciendum est eos per sese non esse malos et vitiosos, sed in natura retinendos esse, et efficiendum ut fiant puriores Vocantur autem a graecis στοργαὶ φυσικαί. Hoc discrimen observandum est ne decipiamur ab hypocritis[100]) omnes affectus quanquam per sese non vitiosos damnant[1]).

De lege dei.[2])

Lex dei est doctrina praecipiens quales nos esse, quae facere, quae omittere oportet, et requirens perfectam obedientiam erga deum, ac damnans eos qui non praestant

96) etc.] in Editt. deest.

97) una] in Editt. omiss.

98) etc.] in Editt. deest.

99) deum, etc. Tales] Editt.: Deum, et tales

100) hypocritis] Editt. addunt: qui sine discrimine (*errore oculorum in Ms. om.?*)

1) quanquam — — damnant] Editt.: tanquam per se vitiosos et malos damnant.

2) dei] Editt.: divina.

hanc perfectam obedientiam. Sicut ait lex. Maledictus qui non permanserit etc. Hic primum monere necesse est quid intersit inter leges humanas et legem dei. Leges humanae tantum requirunt aut prohibent externa facta, Philosophia addit etiam ut assuefaciamus nos ad comprimendos malos affectus, etiamsi affectus ipsi non flectuntur [3]) legibus magistratus. [4]) Neque vero accusat naturalem immundiciem, nec iudicat illa summa vitia pugnantia cum prima tabula, dubitationem de deo, diffidentiam et similes morbos in natura hominis haerentes. At lex dei non tantum requirit aut prohibet externa facta, non tantum requirit illam diligentiam de qua philosophi praecipiunt coercendorum affectuum, sed requirit natu-
41, a. ram ita consentientem| legi dei, sicut nunc concupiscentia repugnat legi dei. Et praecipue requirit notitiam dei firmam, verum timorem, firmam fiduciam dei, perfectam dilectionem etc. accusat vitiosos affectus et ipsam naturae immundiciem seu concupiscentiam parientem vitiosos affectus. Hoc sentit Paulus cum inquit, Lex est spiritualis, hoc est, spiritualia requirens, veram dei notitiam, verum timorem, veram fiduciam, perfectam dilectionem, sicut ait lex. Diliges ex toto etc. Hoc discrimen legis dei et legum humanarum seu philosophiae cum non considerarent Scholastici doctores pepererunt multos errores. Primum finxerunt lege dei non damnari naturalem imbecillitatem videlicet concupiscentiam. Secundo legi dei satisfieri per opera nostra exteriora, Item per conatum interiorem voluntatis etiamsi repugnet concupiscentia. Tertio. Et quidem fingunt legi dei posse satisfieri sine spiritu sancto. Quarto, non esse peccata dubitationem, diffidentiam de voluntate dei et similes morbos. Quinto, quia legi putant satisfacere homines, fingunt eos iustos pronunciari propter propria opera et quidem sine fide i. e. sine fiducia misericordiae. Breviter nihil discernunt inter eam iustitiam quam lex dei requirit et quam docent leges politicae de [5]) philosophia. Sexto, Hinc extiterunt etiam somnia de perfectione, de consiliis, de operibus supererogationis. Quia
enim somniabant se| legi satisfacere, addi- 41, b.
derunt postea quomodo fieri plus etiam possit quam lex postulat. Sed de consiliis et perfectione dicam postea.

Reliqua pars huius paginae Ms. et subsequens integra, fol. 42, a., albae sunt. Altera huius folii pagina, fol. 42, b., et quinque folia seqq., fol. 43—47. (quae sine dubio errore bibliopegi hoc loco interposita sunt) continent haecce duo fragmenta loci de baptismo *et loci* de coena domini, *quorum prius a media voce orditur sic:*

nas [6]) promissiones sentiamus, cum vide- 42, b.
mus promissionem dei velut scriptam esse in nostris corporibus, immersione ista in aquam, aut sumptione coenae domini etc.

De baptismo Infantum. [7])

Paulus iubet explorari spiritus, et Christus regulam tradit. Ex fructibus eorum cognoscetis eos, Porro certissima indicia phanaticae mentis sunt impia dogmata. Quare diiudicandi sunt qui damnant baptismum parvulorum notis suis [8]). Habent autem multas impias opiniones non solum de baptismo sed etiam de caeteris articulis Christianae doctrinae. Damnant plaeraque politica, iudicia [9]), iuramentum, rerum divisiones [10]) etc. Unde satis apparet eos non intelligere spiritualem iustitiam, sed imaginari Christianismum esse tantum quendam externum monachatum. Imo anabaptistae nuper nati, etiam turpiter docent coniugem debere decedere a coniuge abhorrente a secta Anabaptistica. [11]) Tales notae diligenter sunt considerandae ut spiritus probentur. Cum igitur habeant Anabaptistae palam impias opiniones damnandi et fugiendi sunt. Deinde in hac ipsa causa de baptismo parvulorum multos habent errores, Negant peccatum

---

3) flectuntur] Ms. exhibere videtur: plectuntur (*ex aurium errore ortum?*)

4) Philosophia addit — legibus magistratus.] Editt. 1535.: Philosophia requirit amplius quiddam videlicet, diligentiam non solum in externis membris continendis, sed etiam in affectibus flectendis ad certam moderationem et aequalitatem, seu suavitatem, idque proprie vocatur ἠθικόν.

5) de] Editt.: vel

6) nas] integra vox sine dubio est: divinas.

7) Infantum] Editt.: infantium.

8) Quare — — suis.] Editt.: Quare in iudicandis his qui damnant baptismum parvulorum consideremus etiam quales habeant notas,

9) iudicia] Editt.: ut, iudicia

10) divisiones] Editt.: divisionem

11) Editt. addunt: Et alicubi iam per seditionem pepulerunt legitimos magistratus. Item fingunt tale Christi regnum in terris ante novissimum diem futurum esse, in quo dominaturi sint sancti deletis omnibus impiis. Haec Iudaica deliramenta et seditiosa et impia sunt.

originis. Haec nota iterum significat eos tantum prophano more iudicare de peccato et iustitia, Nullum intelligunt esse peccatum nisi actuale. Cum igitur constet anabaptistas agi phanatico spiritu, non moveat nos eorum autoritas, ut discedamus a communi
43, a. consensu | veteris ecclesiae de baptizandis infantibus. Nam vetustissimi scriptores ecclesiastici probant baptismum infantum. Origenes enim in VI. c. ad Ro. sic scribit. Itaque et ecclesia ab apostolis traditionem accepit etiam parvulis dare baptismum. Sciebant enim illi quibus secreta divinorum mysteriorum commissa sunt, quod essent in omnibus genuinae sordes peccati quae per aquam et spiritum ablui deberent. Haec sunt Origenis verba, in quibus utrumque testatur et baptizari infantes et consequi eos per baptismum remissionem peccati originalis, hoc est, reconciliari eos deo. Cyprianus scribit in concilio damnatam esse opinionem cuiusdam qui infantes non volebat ante octavum diem baptizari [12]). Sensit [13]) enim Synodus infantes baptizandos esse, nec observari oportere praescriptum tempus octavi diei. Augustinus de bap. contra Donatistas li. 4. ait. De baptismo parvulorum quod universa tenet ecclesia, nec conciliis institutum sed semper retentum est, non nisi apostolica autoritate traditum rectissime credimus. Item Veraciter coniicere possumus quid valeat in parvulis baptismi sacramentum ex circumcisione carnis quam prior populus accepit. Haec et similia loca testantur veterem ecclesiam approbare baptismum infantum. quae ideo observanda sunt, quia nonnulli impostores ut fucum faciant illiteratis allegant patres quasi improbent baptismum infantum. Afficiunt patres insigni iniuria. Deinde et hoc observandum est Non est tutum dogma aliquod recipere cuius prorsus non [14]) extat testimonium in veteri
43, b. ecclesia. | Sed addamus etiam rationes quae testantur infantes baptizandos esse. Mea ratio haec est. Certum est regnum dei et promissionem Evangelii ad pueros pertinere. Non est autem extra ecclesiam salus ubi nec verbum nec sacramentum est. Ergo pueri sunt inserendi ecclesiae et adhibendum est signum quod testatur ad eos pertinere promissionem. Maior est certa quod ad pueros pertineat regnum Christi et promissio Evangelii. Quia Christus inquit. Talium est regnum caelorum. Item Non est voluntas coram patre vestro qui in caelis est ut pereat unus de pusillis istis. Nam haec loca non possunt eludi hac cavillatione quod Christus hic nihil promittat pueris sed tantum velit nos imitari eorum simplicitatem, Haec cavillatio prorsus inanis est. Constat enim in illis locis vere de aetate parvulis dici. Et Christus inquit Angeli eorum etc. quare testatur eos deo placere et custodiri per angelos. Et quid potest dici clarius. Non est voluntas dei ut pereat unus de pusillis istis. Haec sententia clarum testimonium ecclesiae proponit de salute puerorum et gratissima nobis esse debet, et diligenter inculcanda est primae aetati, ut quam diutissime retineat hanc promissionem. Probat [15]) maiorem etiam lex de circumcisione, ubi dicit Ero deus eorum. Testatur enim deus se illis favere quos iubet circumcidi. Iubet autem et infantes circumcidi. Sed existimo vix quemquam esse qui maiorem ausit in dubium vocare, et tamen maiore constituta reliqua defendi facile possunt. Accedamus igitur ad minorem. Minor est. Quod non sit salus extra ecclesiam ubi neque verbum neque Sacramenta sunt. In hac sententia facile possunt adversarii refutari,
quia nobis certum | est in ecclesia salutem 44, a.
esse. Ipsi vero non possunt ostendere salutem extra ecclesiam esse. Quod vero non sit extra ecclesiam salus constat, quia ecclesia est regnum Christi. In quo Christus est efficax per verbum et per Sacramenta sicut Ephe. V. [vs. 25.] Christus dilexit ecclesiam et seipsum pro ea tradidit ut eam etc. Non describit ecclesiam sine signis et sine verbo. Ideo et alio loco dicit. Unum corpus et unus spiritus, unus Dominus, una fides, unum baptisma. Haec omnia testantur hos qui ad ecclesiam pertinent signo etiam aliquo externo ecclesiae insertos esse. Testatur idem locus in Genesi de circumcisione. Masculus cuius etc. Hic clare pronunciat eum qui signum non habet reiici a deo. Fuit autem et circumcisio signum ecclesiae dei, sicut nunc baptismus. Et in summa, de minore certum est pueros in ecclesia salvos fieri, sicut testantur exempla circumcisionis, et illa verba Christi. Talium est regnum caelorum.

---

12) baptizari] Editt.: baptizare.

13) Sensit] sic Ms. (*ex aurium errore ortum ?*); Editt.: Censuit.

14) non] haec vox in Ms. postea demum est interserta; Editt. habent: nullum.

15) Probat] Editt.: Confirmat

Econtra Nemo potest ostendere pueros extra ecclesiam salvos fieri. [16]) Quare minorem satis firmam esse sentiamus. Sequitur igitur conclusio. Pueros baptizandos esse. ut accepto signo membra fiant ecclesiae, et deus promissionem suam eis impertiat. Hoc argumentum existimo bonis et moderatis satisfacere.

Huc pertinet etiam quod Christus ita pronunciat remitti peccata si remittat ecclesia. Iuxta illud. Quorum remiseritis etc. Ergo et infantibus ita constabit remitti peccatum cum ecclesia remittit. Sed obiiciunt adversarii primum de fide. Infantes non intelligunt verbum, non credunt igitur, Deinde contendunt nihil prodesse eis Sacramentum. quia Sacramenta sine fide non prosunt. Huic argumento primum opponendum est exemplum infantum circumcisorum.
44, b. rum. qui etiam non intellegibant verbum, ettamen valebat pactum et placebant ipsi deo propter pactum. Praeterea etiamsi non intelligant verbum, tamen ex superiore propositione fateri necesse est quod deus sit in eis efficax Nam cum certum sit salutem et regnum dei ad infantes pertinere, certum est etiam deum in eis efficacem esse, Iuxta illud. Nisi quis renatus etc. Nec nostrum est scrutari quomodo deus in eis agat. Illud nos tenere satis est, quod certum est salutem ad infantes pertinere, unde sequitur deum in eis efficacem esse. Obiiciunt et aliud argumentum. Ecclesia nihil debet instituere tanquam necessarium ad salutem sine expresso mandato dei. De infantibus baptizandis non extat mandatum, ergo non sunt baptizandi. Ad totum argumentum respondeo primum, Universalis consensus ecclesiae omnium temporum est testimonio [17]) quod haec ordinatio sit Apostolica. Deinde respondeo ad minorem. Neganda est minor. Nam mandatum est universale, Baptizate omnes gentes, Ergo et pueros complectitur. Et huius interpretationis habet ecclesia optimas et gravissimas rationes. Primum enim scit ecclesia promissionem Evangelii etiam ad pueros pertinere. Ergo recte iudicat signum Evangelii etiam ad pueros pertinere. Item. Scit salutem ad pueros qui sunt in ecclesia pertinere, ut supra dictum [18]). Ergo iudicat pueros inserendos esse ecclesiae. Item Ecclesia scit se habere mandatum remittendi peccata, et scit deum ita remittere peccata si remittat ecclesia, quare et pueris impertit remissionem peccatorum. Ad haec habet ecclesia exemplum circumcisionis. Si infantibus tunc opus fuit signo ut insererentur ecclesiae, ergo | nunc quoque 45, a.
signo opus est. Nam utrumque signum significat promissionem gratiae ut testatur Paulus. Hae rationes sumptae sunt ex scripturis. quare ecclesia non instituit baptismum puerorum humana autoritate, sed usurpat propter autoritatem scripturarum. Si haec responsio non satisfacit adversariis, interrogemus et ipsos vicissim, qua autoritate ipsi improbent universalem consensum ecclesiae, et utrum sentiant pueros extra ecclesiam salvos fieri. Nos habemus generale mandatum ecclesiae, habemus deinde gravissima argumenta ex scripturis sumpta, quod illud generale mandatum etiam ad pueros pertineat. Nam Evangelium certe ad pueros pertinet. Haec piis et moderatis satisfaciunt, praesertim cum adversarii contra non possint afferre scripturam quae improbet baptismum infantum, sed tantum afferant infirmissimas opiniones natas apud ipsos sine autoritate scripturae et ecclesiae. Addamus et 3um argumentum Anabaptistarum, etsi levius est quam ut recitare opus sit. Baptismus est pactum quo promittimus mortificationem carnis. Infantes nondum hoc intelligunt aut praestant, ergo non sunt baptizandi. In hoc argumento valde tumultuantur Anabaptistae, Sed maior ex errore nascitur. Putant enim Sacramenta tantum signa esse nostrorum operum aut morum. Nec intelligunt ea principaliter signa esse voluntatis dei et promissionis erga nos. Est igitur neganda maior. Baptismus enim principaliter est pactum gratiae seu promissionis divinae erga nos, qua nobis remittit peccata. Habent autem opus infantes remissione peccati originis, de quo supra satis dictum est. Et in ipsa ceremonia dicitur. Ego baptizo etc. hoc est, quod [19]) | sis filius dei, quod sis recon- 45, b.
ciliatus illi deo qui est pater et filius et spiritus sanctus. Non dicitur Ego baptizo me quod mores mei sint tales etc.

---

16) sicut testantur exempla — salvos fieri] haec in Editt. omissa sunt (nonne ob homoeoteleuton primum typographi errore, postea et a Melanthone praetermissa?)

17) testimonio] Editt.: testimonium

18) ut supra dictum.] haec in Editt. sunt omissa.

19) quod] Editt.: testor quod (illud *testor* in Ms. tantum errore scribentis omissum esse videtur).

De coena Domini.[20])

Variae sunt appellationes huius Sacramenti, sed Paulus vocat coenam domini. Postea appellarunt Synaxin. propterea quod communis coena esset congregationis in ecclesia. Appellarunt et eucharistiam propter finem quia ea coena[21]) instituta est ut ibi[22]) agnoscamus beneficium Christi et accipiamus, et agamus gratias pro donata remissione peccatorum propter mortem Christi.[23]) Extiterunt autem de hac ceremonia horribiles quaestiones multae, inde ortae quod vetus ecclesiae consuetudo in hac ceremonia tractanda antiquata est. Prima quaestio est[24]) de interpretatione verborum. Hoc est corpus meum, an sit metaphora, hoc est Quaeritur de praesentia an et quomodo corpus Christi adsit. Deinde sunt aliae quaestiones de Missa, an sit quaedam oblatio quae peculiariter ad sacerdotes pertineat, An vero sacerdotes habeant quoddam tantum ministerium porrigendi sibi et aliis. An opus sacerdotis differat ab opere laici, ita ut sit sacrificium quod necesse sit in ecclesia existere. An necesse sit sacrificium istud applicari[25]) pro aliis ad remissionem peccatorum. An illa applicatio valeat ex opere operato ut vocant. an valeat pro vivis et mortuis ad remissionem peccatorum. Hae sunt quaestiones praecipuae de quibus iudicium facile esset si non esset
46, a. abolita veteris ecclesiae consuetudo. | Recensui autem has quaestiones, quia plaerique in hoc negotio tumultuantur cum nesciant quam variae et obscurae sint controversiae. Porrò nos de Missa et sacrificio paulo post dicturi sumus. Nunc de sacramento, quod ad omnes in ecclesia pertinet.[26]) Primum autem de genere. Supra dictum est sacramentum esse ceremoniam additam promissioni in qua deus aliquid nobis exhibet. Sic et haec coena est sacramentum, debet enim intelligi ceremonia addita summae totius Evangelii, quam et complectitur in ipsis verbis. Hic est calix novum testamentum, id est testimonium novae promissionis. Summa Evangelii seu promissionis in his verbis est Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur. Item[27]) Qui pro multis effundetur[28]) in remissionem peccatorum. Principalis igitur finis huius ceremoniae est, ut testetur nobis exhiberi res in Evangelio promissas, scilicet remissionem peccatorum et iustificationem propter Christum. Principaliter enim illud intueri debemus, sacramentum esse signum gratiae, hanc coenam esse signum novi testamenti. Quid est autem novum testamentum. Certe promissio est remissionis peccatorum et reconciliationis propter Christum. Deinde sic prodest haec ceremonia, cum fidem addimus, scilicet qua credimus promissa ista nobis contingere, et hoc spectaculum oculis atque animo obiicitur, ut nos ad credendum admoneat et fides in | nobis exuscitetur. 46, b.
Christus enim testatur ad nos pertinere beneficium suum, cum nobis impertit corpus suum, et nos sibi adiungit tanquam membra, qua non potest alia coniunctio cogitari propior. Testatur item se in nobis efficacem fore, quia ipse est vita, Dat sanguinem ut testetur se nos abluere. Haec cum in illa sanctissima coena geri videmus, fides accedere debet. Ita prosunt ceremoniae, et consolabuntur et vivificabunt conscientias. Atque hic usus privatus est et pariter ad sacerdotes et ad laicos pertinet sicut pariter utrisque opus est remissione peccatorum et consolatione, sed sacerdotes ministri sunt aliis exhibentes sacramenta. Ex his apparet coenam domini Sacramentum esse, quia est signum additum promissioni Evangelii. Apparet item quis sit principalis finis et quod non prosit ex opere operato, sed quod in usu fides accedere debeat. Addamus etiam de praeparatione et qui digni[29]) sumant. Ecclesia olim arcebat a communione obnoxios manifestis criminibus. quia hoc sacramento uti debent qui agunt poenitentiam. quia hic proponitur testimonium remissionis peccatorum, quo admoniti erigere fidem debent ii qui habent perterrefactas conscientias. Id est digne samere cum utuntur ii qui agunt poenitentiam, et-

20) Haec inscriptio in Ms. deest.

21) ea coena] Editt.: haec ceremonia

22) Haec et quae sequuntur, ab Editt. differunt.

23) H. l. in Editt. fere tres paginae sunt additae, ex quibus tamen plura in Ms. infra ordine diverso leguntur.

24) est] haec vox in Ms. postea demum addita est.

25) Ms. ante *applicari* habet verbum *sacrificari* expunctum.

26) pertinet] hoc primum exhibuit Ms., deinde expunctum et *attinet* additum, tum vero et hoc deletum et prius illud denuo adscriptum.

27) Item] Editt. addunt verba in Ms. male omissa: hic est sanguis

28) effundetur] Editt.: effunditur

29) digni] Editt.: digne

tamen utuntur non freti propria dignitate,
47, a. sed credentes remitti peccata gratis propter Christum non propter hoc opus sumptionis etc. Sed haec sumptio signum quoddam est et testimonium illius beneficii. Haec de principali fine necesse est monere. quia alii intelligunt hanc ceremoniam tantum opus quoddam esse in quo nos praestamus aliquid deo. nec [30]) referunt ad promissionem, nec docent quomodo ad fidem exercendam prosit, quomodo prosit ad consolandas conscientias. Est igitur ille principalis finis tenendus de consolatione conscientiarum. Postea debent accedere etiam caeteri fines, gratiarum actio, qua consecuti remissionem peccatorum pro tanta misericordia agimus gratias. Est et finis adhortatio ad bene operandum ne polluamus corpora iam coniuncta corpori Christi et abluta sanguine Christi. Item finis, ad charitatem admonendo. cum omnes efficiamur membra unius corporis Christi, debemus inter nos devincti esse mutua dilectione.

Reliqua tertia huius paginae pars et altera huius folii pagina, fol. 47, b. atque sequens folium integrum, fol. 48., alba sunt. Subsequens plagula Ms. exhibet haecce:

49, a.

De Evangelio.

Initio constituendum [31]) differentiam esse inter [32]) Id quod commode fit per definitionem. Lex enim ut supra dictum est, est doctrina requirens a nobis perfectam obedientiam erga deum, Non est remissio peccatorum, non pronunciat iustos i. e. acceptos deo etc. nisi eos qui legi satisfaciunt. Econtra Evangelium est promissio quaedam in qua deus propter Christum certa beneficia pollicetur. Sed hic dicendum est quare hac promissione opus fuerit, quae afferat beneficia, quid intersit inter hanc promissionem et legis promissionem Habet enim et lex promissionem. Sciendum igitur est initio duplices esse promissiones in scripturis divinis. Quaedam sunt additae legi et habent conditionem legis. hoc est, exhibentur propter impletionem legis, Tales sunt promissiones legis. Lex docet deum bonum et misericordem esse sed iis qui sunt sine peccato. Idem docet et humana ratio Habet ratio notitiam quandam legis. Hic se ipse quisque consulat, deprehendet enim naturaliter ita se iudicare de deo, quod sit misericors, sed tantum dignis, hoc est iis qui sunt sine peccato, Nec potest statuere quod ipse cum sit indignus et immundus deo placeat. Ita lex et legis promissiones cum sint conditionales relinquunt conscientias in dubitatione.

Altera huius folii pagina, fol. 49, b., in Ms. alba est. Subsequens pagina, fol. 50, a. sic orditur:

Nec vero hic intelligenda est remissio 50, a.
peccatorum sine magno certamine in nobis, sed in veris pavoribus sentit conscientia iram dei et mortem aeternam, sicut Paulus inquit [1. Cor. 15, 56.]. Aculeus mortis peccatum est, virtus peccati lex est. Ideo econtra cum fide erigimur et remissionem peccatorum apprehendimus, simul concipimus consolationem quae est nova quaedam vita ac liberatio a morte aeterna. Quare antea dixi cum remissione peccatorum comprehendi iustificationem et donationem vitae aeternae. Adversarii nostri ideo non vident opus esse fide, quia imaginantur remissionem peccatorum fieri sine aliquo certamine conscientiae, Ideo fingunt illa ociosa somnia de dubitatione, de merito contritionis. Porrò ipsa contritio vere esset mors aeterna, nisi fide erigeremur. Praeterea remissio peccatorum intelligenda est non tantum de factis praeteritis sed de continua reconciliatione personae, quae cum sit immunda, continua condonatione opus habet, ut Ps. [31, 1.] inquit. Beati quorum etc. Ideo Paulus interpretatur iustificationem imputationem iustitiae et continuam remissionem peccatorum. Nunc igitur recitabo testimonia quae simul de remissione peccatorum et iustificatione loquuntur, in quibus ut dixi Iustificatio significat imputationem iustitiae seu acceptationem. Prodest autem has sententias in conspectu habere, ut in tanta infirmitate nostra semper in eas intueamur et fidem erigamus in omni vita, 50, b.
in omnibus periculis et omni invocatione. Hunc cultum, hoc opus praecipue requirit deus. Hic cultus afficit Christum vero honore, cūm utimur Christo mediatore ac pontifice. Non enim utuntur Christo mediatore quí hanc fidem non intelligunt et aut versantur in dubitatione aut somniant deo placere se propter propriam legis impletionem. Sed repeto [33]) testimonia.

30) nec] Ms. addit: *iudicant aut.* sed haec expuncta sunt.

31) Haec et quae sequuntur, ab Editt. differunt.

32) Post *inter* haud dubie exciderunt: *legem et Evangelium,*

33) repeto] sic Ms. (*ex aurium errore?*); Editt.: recito.

Ro. 3. [vs. 23.] Omnes peccaverunt et carent gloria dei. Iustificantur autem gratis ipsius gratia per etc. Haec sententia cum inquit Iustificantur, simul et remissionem et iustificationem comprehendit. Requirit autem fidem i. e. fiduciam qua Christus apprehenditur propiciator. Improbat igitur dubitationem. Addit et exclusivam, Gratis, ipsius gratia i. e. misericordia, Ut intelligamus nos placere non propter dignitatem nostrorum operum sed propter Christum, et ut hoc sit clarius praefatur de nostra immundicie, quod omnes simus rei, et careamus gloria dei i. e. ea gloria hoc est iustitia quam deus approbat.

Deinde in 4to c. colligit Paulus ipse argumenta suae sententiae, ex quibus nos unum atque alterum etiam hic recensebimus. Credidit Abraham etc. Hic diserte affirmat scriptura Abraham pronunciari iustum quia credidit, hoc est, quia statuit se habere |
51, a. deum propicium, non propter propriam dignitatem sed propter ipsius promissam misericordiam. Et hanc interpretationem de exclusiva ipse Paulus affert et addit cum ait Non operanti sed credenti etc. Ita fidem i. e. fiduciam misericordiae Paulus opponit dignitati operum. Quare etiam cum non addit particulam exclusivam, tamen ratio pugnantium postulat, cum fidem nominat ut intelligamus excludi dignitatem nostram, et tribui tantum misericordiae iustificationem. Valet igitur argumentum, Abraham fide iustificatus est i. e. fiducia misericordiae, Igitur non est iustificatus propter propriam dignitatem.

Ultimum argumentum in illo c. sumptum est ex ipsis fontibus negotii. videlicet ex causa promissionis, et exclusivam praecipue confirmat hoc modo. Si promissio iustificationis penderet ex conditione legis fieret incerta. Sed oportet hanc promissionem conscientiis nostris esse certam, Igitur necesse est gratis promitti iustificationem ac fide accipi non propter nostram dignitatem. Maiorem probat Paulus. quia lex iram efficit. Id est, cum nemo legi satisfaciat lex accusat omnes. Quare necesse esset dubitare conscientias de iustificatione si propter legis impletionem oporteret pronunciari iustos. Hoc argumentum praecipuum est in hac causa. Non enim potest teneri certitudo conscientiae si addenda est conditio
51, b. legis hoc modo. | quod pronunciemur iusti cum satisfecerimus legi, cum satis operum habuerimus. Hic unusquisque suam conscientiam inspiciat, certe comperiet conscientiam in perpetua dubitatione futuram esse si ita iudicandum sit. Et quamquam ociosi hypocritae non vident se a lege accusari, tamen in veris terroribus non poterunt statuere quod satis operum habeant. Ut igitur conscientia habeat certam et firmam consolationem necesse est hanc sententiam tenere de gratuita reconciliatione, quod certo peccata remittantur, quod certo simus iusti et filii dei, non propter dignitatem nostram sed tantum propter Christum, cum hac fiducia misericordiam apprehendimus. Meminerimus igitur hoc argumentum Pauli summam et caput Evangelii esse, Ideo ex fide gratis ut sit firma promissio etc.

Lex subintravit ut abundaret peccatum Item lege fit peccatum excellentius peccatum Item ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Sed omnia testimonia quae ex Paulo citamus nonnulli hac cavillatione eludunt, Interpretantur Paulum ceremoniis detrahere iustificationem non moralibus virtutibus, atque ita somniant homines iustos pronunciari propter fidem si legi
morali | satisfecerint. Quamquam autem 52, a.
alibi clarius ostenditur Paulum universae legi detrahere iustificationem, tamen facile potest imaginatio adversariorum refelli, si quis consideret neminem legi morali satisfacere. Paulus enim non ideo detrahit legi iustificationem quia ipsa lex mala sit, sed quia legi nemo satisfacit. Secundo Paulus inculcat particulam, gratis, tollit igitur non ceremonias tantum sed etiam caeteras legis partes. 3o Paulus concionatur de fiducia misericordiae, fiducia autem misericordiae opponitur et ceremoniis et moralibus operibus. Non enim potest dici fiducia nostra dignitate. 4to Palam est loqui Paulum de lege accusante et terrente conscientiam. Maxime autem terret conscientias lex moralis. Ideoque Paulus sumit exemplum de lege morali. 5to Argumentum Pauli Ro. 4. quod supra recitavimus contendit conscientias oportere certas esse de remissione peccatorum etc. Non potest autem teneri certitudo si sentiendum est quod propter impletionem moralium consequamur remissionem peccatorum, quia nemo satisfacit moralibus sive legi. Teneamus igitur Paulum non tantum ceremonias sed etiam moralia intelligere in huiusmodi locis. Impossibile erat legi iustificare quia per carnem infirmabatur. Item Ex operibus legis non etc.|
Gal. 2. [vs. 17.] Si quaerentes iustificari 52, b.
In Christo inventi sumus et etc. Hoc loco

Paulus gravissime reprehendit eos qui assumunt conditionem legis. Si inquit Christus non sufficit ad iustificationem sed tantum propter legem iustificat, non erit autor iustitiae sed magis accusabit nos, quia tamen legi non satisfacimus. Nam esse ministrum peccati est esse accusatorem et condemnatorem. Haec ratio satis ostendit quantum ad Christi honorem pertineat defendi eius iustitiam. Postea addit Si per legem est iustitia Christus frustra mortuus est. Gal. 3. [vs. 18.] Si ex lege est hereditas non est ex promissione Id est. Si esset quae posset vivificare, vere ex lege esset hereditas. Haec necesse est de tota lege intelligere. Si enim lex moralis vivificaret i. e. liberaret a morte aeterna, nihil opus esset Evangelio. At lex moralis non solum non liberat a morte aeterna sed multo magis accusat conscientias. Ideo additur eodem loco, Conclusit omnes etc. Omnes dicit esse reos, ergo non sunt iusti propter moralia, sed habent opus misericordia. Hi loci et similes de lege clare probant exclusivam.

Ephe. 2. [vs. 8.] Gratis estis salvati per fidem et hoc non etc. Multis verbis eandem
53, a. | sententiam inculcat. Gratis inquit. Item donum est. Item ne quis glorietur. Quare fiducia non debet inniti nostra dignitate. Nam gloriari est fiduciam niti propria dignitate. Ps. CXLII. [vs. 2.] Non intres etc. Ergo sola misericordia iustificamur et pronunciamur iusti non propter dignitatem nostram. Ps. CXXIX. [vs. 3.] Si iniquitates observaveris etc. Agnoscit peccatum, et tuendum se dicit sola misericordia. Sustinuit anima mea in verbo eius etc. Eadem sententia est in Ps. XLI. Quare tristis es anima etc. Ps. 31. [vs. 5.] Dixi confitebor etc. Dan. IX. [vs. 18.] Non in iustificationibus nostris etc. Haec exempla clarissime testantur fiduciam debere niti sola promissa misericordia In Christo non nostra dignitate. Et valent ad consolandas pias mentes.

Iam huc accersendae sunt reliquae sententiae Pauli et Ioannis quae de fide concionantur. Etsi enim non ubique expresse addunt exclusivam, tamen cum de fiducia misericordiae loquantur, re ipsa excludunt fiduciam nostrae dignitatis. Iustificati fide pacem habemus. Haec sententia dubitationem prohibet, requirit enim fidem. Item clare dicit nos fide pronunciari iustos. Et ut sciamus fide significari non ociosam notitiam sed motum agentem aliquid in certamine conscientiae et iustificationis addit Pacem habemus. Id est fiducia haec reddit corda tranquilla, erigit et consolatur perterrefactas mentes etc. |

Ergo fides et iustificat et vivificat. Item 53, b.
Corde creditur etc. Qui credit non confundetur. Et apud Ioannem Omnis qui credit in ipsum non peccat etc. Etsi autem adversarii contaminant haec loca cum assumunt conditionem operum, tamen hic sine ulla controversia coguntur fateri fidem non esse quandam ociosam notitiam sed fiduciam agentem aliquid in remissione peccatorum et iustificatione. Coguntur et hoc fateri neminem legi satisfacere Quare necesse est opera longe infra fidem collocari. Constat igitur impudentissime docere eos, qui cum dicant homines propter fidem et opera iustificari non discernunt fidem et opera, non ostendunt quid fides agat in remissione peccatorum, quid sit sentiendum de operibus cum legi non satisfacimus. Haec si patefacerent res ipsa deduceret eos ad hanc sententiam quam nos defendimus, quae tota eò spectat id agi ut fiducia sit certa.

De bonis operibus seu impletione legis:[34]) —

Cum fide ut dictum est iustificamur necessario sequi debet obedientia erga legem. Sicut Christus inquit. Si vis in vitam ingredi
etc. | Item Evangelium praedicat poeniten- 54, a.
tiam, requirit igitur obedientiam erga legem. Et iustificamur ut nova et spirituali vita degamus. Illa autem vita nova et spiritualis est quaedam obedientia erga deum. Iuxta illud Dabo legem meam in cordibus eorum. Secundo: Cum bona opera requiruntur seu obedientia erga legem, non solum requiruntur externa et civilia opera sed etiam novi et spirituales motus, timor dei, fiducia, invocatio, dilectio, et similes motus, quos adversarii nostri nec docere nec intelligere possunt. Non enim possunt existere nisi prius teneatur doctrina de fide, quae dubitationem eximit animis, Nam mens iudicans se deo displicere, non potest deum invocare. Iuxta illud. Quomodo invocabunt si non credunt? Nam qui iudicat se reiectum esse a deo non iudicat se exaudiri. Falso igitur iactitant adversarii se bonorum operum doctores esse, cum praecipua opera et sancto-

34) Haec paene omnino ab Editt. differunt.

rum propria docere non possint, tantum
philosophantur de externis et civilibus ope-
ribus. Tertio. Etsi iam diximus bona opera
necessaria esse, Item cuius generis bona
opera necessaria sint, tamen nondum abso-
luta est haec causa, Atque hic adversarii
non satisfaciunt conscientiis, et in doctrina
bonorum operum omittunt locum maxime
necessarium, Quaerunt enim conscientiae,
Si obedientia legis est necessaria, cum nemo
legi satisfaciat, quomodo placet deo haec
imperfecta obedientia? Item quomodo eri-
mus salvi, cum obedientia procul absit a
perfectione legis, cum sentiamus in nobis
54. b. adhuc haerere peccatum? Hae quaestiones
explicandae sunt conscientiis, et ostenden-
dum quomodo inchoata et imperfecta obe-
dientia deo placeat, ne conscientiae inci-
dant in dubitationem ac desperationem, neve
tribuant gloriam Christi humanis operibus.
Cum igitur hunc locum explicari necesse
sit, primum sciendum est, etiam in sanctis
obedientiam imperfectam et tantum inchoa-
tam esse, nec satisfacere eos legi quod ad
ipsam obedientiam attinet. Id clare testatur
Paulus cum inquit [Rom. 7, 23.]. Video aliam
legem in membris meis etc. Item [Galat. 5,
17.] Caro concupiscit adversus etc. Item
1 Ioh. 1. [vs. 8.] Si dixerimus quod pecca-
tum etc. Item Ps. CXXIX. [vs. 3.] Si ini-
quitates etc. Hae et similes sententiae te-
stantur in sanctis adhuc haerere peccatum,
Id quod certe confitentur cum orant. Di-
mitte nobis etc. Et palam hoc fatentur et
docent ecclesiastici scriptores. Quamquam
quid opus est foris testes quaerere, cum
experientia ipsa nobis imbecillitatem nostram
ostendit. quoties dubitant animi utrum deo
curae simus, utrum deus velit nobis igno-
scere, nos exaudire, quoties indignamur
pios exerceri omni calamitatum genere, Et
econtra impios florere, et omnibus vi-
tae commodis foelicissime frui, tenere re-
gna, opes, gloriam, Item quis satis timet aut
diligit deum? Quis satisfacit suae voca-
tioni? quem non incendunt interdum odia
et aliae cupiditates? Constat igitur in san-
55. a. ctis reliquum esse peccatum. videlicet con-
cupiscentiam, quae non est ociosa sed per-
petuo parit affectus vitiosos omnis generis.
Nec vero est extenuandum hoc peccatum,
sed sentiendum est rem sua natura vitiosam
et dignam esse morte, sicut apparebit quum
deus rediget immundiciem naturae et per-
terrefaciet conscientias conspectu istorum
vitiorum quae haerent in natura, videlicet
diffidentiae, contemptus dei et similium pe-
stium, sicut Paulus inquit, Lege peccatum
fit excellentius peccatum. Item apud Pe-
trum [I. ep. 1, 24.] ex Esaia [40, 6.]. Omnis
caro foenum etc. Delirant igitur adversa-
rii nostri qui fingunt hominem sine peccato
esse ac legi dei satisfacere immo posse
etiam addere alia quaedam opera perfectiora
lege, et quod ridiculum est, fingunt quae-
dam externa opera non praecepta a deo
perfectiora esse hac summa lege Diliges do-
minum etc. Hi errores, cum manifeste pu-
gnent cum Evangelio, omnino repudiandi sunt.

Secundo discerni debent persona et
opus. Nam etiamsi Saul habet multa prae-
clara opera, tamen cum videat in se haerere
peccata. non potest statuere quod persona
placeat deo, nec ullum quamlibet egregium
καθόρθωμα[35]) potest erigere conscientiam
adversus ullum peccatum quamvis videatur
exiguum. Oportet autem hanc dubitationem
nobis eximi, Ideo quamquam legi non satis-
facimus et adhuc in nobis peccatum haeret
tamen statuere debemus personam placere
deo gratis propter Christum. Postea placet
et sequens obedientia quia persona propter
aliud scilicet propter Christum placet. Nam
haec sequens obedientia etiam non | place- 55, b.
ret nisi persona prius liberata esset dubita-
tione. Non enim vult coli deus cum dubi-
tatione. Iuxta illud Omne quod non est ex
fide peccatum est. Cum igitur necesse sit
personam ante opera liberari dubitatione,
fides ut sit certa non pendere dignitate, non
nititur qualitate aut dignitate sequentium
operum. Nam conscientiae fierent incertis-
simae et fides prorsus everteretur si sen-
tiendum esset nos deo placere propter di-
gnitatem sequentium operum seu impletae
legis. lex enim semper accusat nos. Haec
facile intelligunt dociles et piae conscientiae.
Quis enim non dubitaret intuens in hanc
perpetuam infirmitatem nostram, si sentiret
nos tunc demum deo placituros cum satis
puri erimus, cum satis bonorum operum ad
eum afferemus. Quare non tollitur sequens
obedientia immo maxime requiritur, sed tan-
tum de dignitate sequentis obedientiae hoc
constituitur, quod persona non placeat pro-
pter legem vel propter dignitatem operum, sed
necesse sit ante opera statuere quod per-
sona gratis placeat propter Christum Idque
propter duas causas, scilicet ut persona li-

35) καθόρθωμα] Ms. καθορθομα.

beretur dubitatione, item ut Christo tribuatur debitus honor scilicet quod propter ipsum iusti i. e. accepti simus. Item ut deo tribuatur laus misericordiae cum conscientia in agone exuit omnem copiam dignitatis, et discamus misericordiam illam non esse incertam, ut in iudiciis hominum sed ratam et certam propter promissionem. Addamus igitur testimonia ex quibus tota res fiet magis perspicua. Ro. 6. [vs. 14.] Non estis
56, a. sub lege sed sub gratia. hoc est, etsi legi non satisfacitis tamen estis iusti, quia deus approbat vos non propter legem sed per gratiam, hoc est, per misericordiam in Christo promissam. Haec autem misericordia fide apprehenditur. Gal. 3. [vs. 13.] Christus nos [36]) redemit a maledictione legis factus pro nobis maledictum, i. e. lex condemnat omnes, sed ideo iam placemus non quia legi satisfacimus sed quia per Christum redempti sumus. Sumus igitur iusti propter Christum non propter legem. Ro. X. [vs. 4.] Finis legis Christus est ad iustitiam omni credenti. Id est. Hoc quod lex requirit, videlicet ut iusti pronunciemur id consequimur per Christum cum ipsi confidimus, ut sequens sententia clare testatur. Corde creditur ad iustitiam etc. Ro. 8. [vs. 1.] Nulla nunc condemnatio etc. Non dicit eos non habere peccatum sed dicit non imputari eis quia placeant propter Christum si tamen credant In Christum. sicut postea dicit. Lex spiritus vitae In Christo liberavit me a etc. Id est fiducia qua vivificamur agnitione Christi, liberat a morte et adfert vitam aeternam.

Extrema pars tertia huius paginae Ms. atque duae subsequentes paginae, fol. 56, b. et fol. 57, a. albae sunt. Deinde sequuntur haecce:

57. b.

Quae opera sint facienda.

Praeterea de operibus sciendum est, id quod ait Christus Frustra colunt etc. quare nulla opera suscipienda sunt sine mandato dei, quemadmodum et Paulus praecipit Omnis scriptura divinitus inspirata etc. Facile igitur iudicari potest quae opera necessaria sint. Possunt autem aptissime in decalogum collocari etc. Recenseamus igitur opera. Primum ac praecipuum opus est ipsa fides, qua deo vere et ex corde tribuimus laudem et virtutis et misericordiae. Fides enim statuit deum veracem esse ac servantem promissiones [37]). Et quia promissiones pollicentur misericordiam propter Christum, fides vere statuit deum bonum et misericordem esse. Haec fides est praecipuus cultus et opus primi praecepti, et quia talis fides existit in poenitentia necesse est coniunctam esse cum timore. Est enim timor filialis qui cum fide coniunctus est. hoc est, ubi fiducia Christi erigit et consolatur nos in terroribus. Econtra timor servilis est qui est sine fide, ubi videlicet perpetua dubitatio affert ad extremum desperationem etc. Nec vero leve opus est haec fiducia misericordiae de qua loquitur Christus. Dubitatio enim naturalis reclamat ei et debilitat eam, immo natura hominum ita est oppressa caecitate ut non intelligat hanc dubitationem peccatum esse, aut hanc fidem de qua loquimur necessariam esse. Eiusmodi vita est perpetua ignoratio Christi sive dei et perpetua impietas, sicut Paulus docet Omne quod non est ex etc. Discamus igitur deum praecipue hunc cultum requirere videlicet hanc fiduciam misericordiae, et haec fiducia parit dilectionem dei, Agnoscit enim deum iam non irasci sed propicium esse, quare 58. a.
pacem et gaudium in corde parit, statuit nos deo curae esse, nos exaudiri ac defendi etc. Denique est ipsa nova vita et inchoatio vitae aeternae etc. sicut ait Christus Haec est vita aeterna etc. Item Iustus ex fide vivet. Item Fide et iustificamur et vivificamur. hoc est, liberati a terroribus peccati et mortis concipimus vitam aeternam. Bona mens utrumque existimare potest ingens quoddam gaudium existere, si statuere possit deum sibi, sibi inquam vere velle propicium esse, se curae esse deo ac defendi a deo, quid optare humanus animus magis possit quam ut de hac voluntate dei certior fiat? Atqui ut haec statuamus non solum extant promissiones in scripturis sed severissime praecipitur.

Pertinet ad primum praeceptum etiam obedientia in omnibus afflictionibus. Parit autem et hanc patientiam fides quae scit afflictiones non esse signum irae etc. sed exercitia fidei, Item scit deo nos curae esse in ipsis afflictionibus, scit non esse abiiciendam doctrinam Evangelii propter afflictionem etc.

36) nos] Ms.: vos.

37) promissiones] Ms. exhibere videtur: promissionis.

Recensui opera primi praecepti fidem, timorem, dilectionem dei, obedientiam in omnibus afflictionibus. Deinde parit fides et secundi praecepti opera, videlicet invocationem, gratiarum actionem, confessionem, praedicationem. Iuxta illud Credidi propter quod locutus sum. Qui non statuit se deo curae esse, aut statuit se ab eo reiectum esse, is nihil expectat a deo, non vere invocat etc. Ideo neque haec opera secundi praecepti sine fide fieri possunt. Est autem praeceptum ut constat de orationibus, ut assidue oremus. Fides igitur exercenda est in invocatione, in omnibus periculis et
58, b. negociis. | Opera 3i praecepti sunt observationes ceremoniarum. Constat autem ceremonias institutas esse propter ministerium Evangelii, item ut sint signum exercendae fidei. Haec recitavi ut intelligatur fidem praecipuum opus esse, et gignere alia spiritualia opera. Caeterum de secunda tabula dictum est supra [38]) de lege.

Quod autem solet dici. Fide impleri legem, Id dupliciter intelligendum est, Primum imputative. quia cum credimus in Christum imputatur nobis iustitia ac si implessemus legem. Et hic est praecipuus intellectus huius sententiae. Deinde potest etiam effective intelligi quia nisi fide prius sit exempta dubitatio non potest lex fieri. Lex enim non docet nos gratis deo placere sed requirit conditionem perfectae obedientiae, sed postquam ex Evangelio didicimus nos gratis deo placere propter Christum, tunc fides existere potest et fit inchoatio quaedam [39]) primi praecepti, et parit dilectionem dei et invocationem.

De dignitate bonorum operum vel de merito.

Nunc igitur de dignitate bonorum operum dicamus. supra enim diximus de [40]). Etsi remissio peccatorum iustificatio personae et promissio vitae aeternae donatio est nec pendet ex conditione dignitatis nostrae, ut deo laus misericordiae debita tribuatur et Christi beneficium agnoscatur et retineatur certitudo, tamen opera in reconciliatis iam habent aliquam dignitatem et sunt meritoria. Ac necesse est hanc dignitatem et intelligere et ornare ad gloriam dei. Dignitas est quod placent deo, non quidem | propter propriam per- 59, a.
fectionem sed quia persona est in Christo Oportet enim praecedere reconciliationem ut prius efficiamur filii et consequamur ius aliquod ut ita dicam, cur postea placeant opera. Ornat igitur scriptura afflictiones et opera sanctorum honorificentissimis dictis, vocat sacrificià. Nec vero potest maior honos tribui operibus quam honos sacrificii. Vocat fidem sacrificium. [Ps. 4, 6.] Sacrificate sacrificium iustitiae et sperate in dominum etc. Hic enim vocat spem seu fidem iustum sacrificium. De afflictionibus inquit Ps. [51, 19. al. 50, 18.] Sacrificium deo etc. Item [Ps. 116, 14. 15.:] Vota mea reddam domino, preciosa mors etc. Item de invocatione Ps. [49, 15.] Invoca me in die tribulationis etc. Item Heb. XIII. [vs. 15.] Per ipsum offeramus etc. Item de officiis erga proximum Ibidem [vs. 16.] Tales hostiae bene placent deo. Item Petrus vocat nos sanctum sacerdotium, et ait nos constitutos esse ad offerendas spirituales hostias. Et hic operibus promittit ingentia praemia corporalia et spiritualia hic et in futuro, sicut dixit egregie Paulus Pietas habet promissiones etc.

De promissionibus.

Alia est promissio gratiae i. e. Evangelii. Aliae pollicentur bona temporalia quas vocamus legales. Cum autem legi non satisfaciamus nec bona opera placeant deo nisi in reconciliatis, facile intelligi potest legales promissiones irritas esse nisi prius fide reconciliati ac iusti simus. Postquam igitur reconciliati pronunciantur iusti perinde ac si legi satisfecissent, placent eorum
opera deo et merentur promissa | praemia, 59, b.
non quia legi satisfaciunt, sed quia persona placet propter Christum etc. Ideo Petrus diserte ait, offerte spirituales hostias acceptas deo per Iesum Christum, Id enim addit ut sciamus opera non esse accepta propter propriam dignitatem. Valent igitur promissiones legales. hoc est operibus additae, sed ita si prius teneamus promissiones beneficium Christi sive promissionem Evangelicam. Loquor autem de promissionibus generalibus quae ad omnes homines

---

38) At ibi Ms. exiguum loci de lege Dei, fragmentum tantum exhibet!

39) inchoatio quaedam] Ms. primum exhibuit *opus* sed expunctum.

40) Spatium in Ms. hic vacuum relictum nonne verbis *necessitate operum* recte repletur?

pertinent seu quae sunt additae moralibus legibus ubicunque extant in scripturis. Nam promissio terrae Palestinae addita legi Moisi nihil ad nos pertinet. sed tantum ad Israelitas pertinebat sicut politica illius legis tantum ad illos pertinebat. Nos de generalibus promissionibus loquimur quales sunt. Primum quaerite regnum etc. Date et dabitur vobis. Qui dederit potum uni ex minimis etc. Mar. X. [vs. 18.] Nemo est qui reliquerit domum etc. Et Paulus allegat promissionem 4ti praecepti Ephe. VI. [vss. 2 sq.] eoque exemplo significat moralium praeceptorum promissiones pertinere ad omnes. 1. Re. 2 [i. e. 2. Sam. 2, 30.:] Glorificantes me glorificabo etc. Esa. LVIII. [vs. 7.:] Frange esurienti etc. Zach. 1. [vs. 3.:] Convertimini ad me et ego convertar ad vos. Prior enim sententia de poenitentia, posterior de praemiis loquitur. Sicut et Paulus loquitur. Si nos ipsi iudicaremus
60. a. etc. | Ad hunc modum generales comminationes et promissiones observemus in tota scriptura quae praeceptis moralibus additae sunt. quales sunt et comminationes de bellis et sterilitate. Dabo caelum aeneum etc. Colligamus et exempla piorum. Abrahae, Ioseph. Et ad Abraham dictum est Benedicam benedicentibus tibi etc. In Exo. [1, 20 sq.] scribitur deum locupletasse obstetrices eo quod non interfecerint infantes Hebraeorum. Mulier aucta est farina et oleo in difficultate annonae quia exceperat Eliam. [41]) Haec exempla testantur deo curae futuros eos qui tegunt pios adversus tyrannos. Huiusmodi conciones et exempla sciamus et ad nos pertinere Sed interim meminerimus, id quod ipsa exempla ostendunt, etiam affligi ecclesiam, ut fiat similis imaginis Christi, quia regnum Christi non est regnum huius mundi, Ettamen oportet in hoc mundo existere ecclesiam. Ideo etiam in hac vita sancti defenduntur et iuvantur. Et vult nos deus exerceri his communibus tentationibus et experiri vim fidei. Sicut et Christus hortatur nos Ne sitis soliciti de crastino etc. Et in oratione dominica iubet petere panem quotidianum. Et Paulus et Hiere. iubent orare pro pace et republica. Ac facile iudicari potest ideo frigidiores nos esse ad bene operandum quia somniamus opera et exercitia nostra indigna esse praemiis, aut certe frustra suscipere pericula et | labores, tanta est perversitas humani animi ut nec Evangelio nec legalibus 60. b.
promissionibus credat. Si certo statueremus deum nobis precantibus et pro nostris benefactis pacem et alia bona redditurum esse, multo studiosius recte faceremus. Haec satis sit monuisse de promissionibus legalibus, quomodo eis utendum sit et ut exerceatur fides in hoc genere promissionum in ipsis operibus et afflictionibus Sed hic duo loci addendi sunt. Prior est quomodo intelligi debeat id quod dicunt [42]) Omnia bona opera ex fide fieri debere, Sicut Paulus inquit Omne quod non est ex fide etc. Vulgo sic exponunt. Nihil debet fieri contra conscientiam, idque tantum de lege interpretantur. Nullum opus debet fieri contra legem vel sine lege. Etsi autem nullum opus suscipi debet contra legem aut sine lege dei, tamen ad opus bonum non lege tantum sed etiam cognitione Christi opus est, et fides significat proprie non legis notitiam aut tantum historiae notitiam sed fiduciam misericordiae propter Christum promissae, Ideo de hac fiducia intelligatur, videlicet ne dubitet conscientia utrum opus deo placeat, sed ita operetur ut semper certo statuat se habere propicium propter Christum.

Sed dicat aliquis, Cuiusmodi hoc paradoxum est? quomodo possumus statuere quod singula opera deo placeant? cum sint immunda Immo tota hominis natura reclamat huic paradoxo, timet et iudicat opera in-|
digna esse ac displicere. Ad hoc respon- 61, a.
deo. Facilius intelligi res poterit si fides ad personam, lex ad opus referatur. Opus ita placet si habeat mandatum dei, et praeterea persona statuat se placere deo propter Christum, et propterea placere opus non quia legi satisfaciat, sed quia per Christum pontificem offertur deo etc.

Caeterum quod iudicium rationis de dubitatione allegatur sciendum est Evangelium hoc ipsum proprie ac diserte agere ut hanc dubitationem tollat, Ideo enim concionatur de fide, quae ex diametro pugnat cum illa dubitatione. Neque enim aliud est apprehendere remissionem peccatorum, nisi hoc ipsum statuere quod certo placeamus deo propter Christum per misericordiam, Ac perpetuo luctari mens in omni vita, in omnibus negotiis, in omni in-

41) Conf. 1. Reg. 17. 14—16.

42) dicunt] Ms. primum exhibuit: *dicimus* sed expunctum.

vocatione, in omnibus afflictionibus, in omnibus operibus cum illa naturali dubitatione debet, seque erigere et confirmare contra dubitationem, ut ait Christus. Quicquid petieritis credentes accipietis. Repudiandus est igitur perniciosissimus error adversariorum, qui iubent dubitare et citant ex Salomone [Eccl. 9, 12.] Nescit homo etc. Verum haec sententia Salomonis nihil prorsus loquitur de iudicio dei aut de remissione peccatorum sed est politica sententia deplorans hominum ingratitudinem, qualis est illa apud poetam. Omnia sunt ingrata, nihil fecisse benigne est etc. aut, Nusquam tuta fides etc. Queritur enim Salomo tantam esse mundi malitiam ut non habeat rationem bene meritorum. Bene meritos saepe affligit, Improbos vero amat et evehit,
61, b. **sicut videmus In | omnibus rebus publicis pessimam gratiam relatam esse viris praeclare meritis, ut apud Hebraeos David eiectus est ex regno, prophetae interfecti sunt. Athenis Miltiades [43]), Themistocles, Cimon,[43a]) Romae Camillus et alii multi indignissime tractati sunt. Haec est Salomonis sententia. quae tantum de hominum iudiciis loquitur videlicet nescire homines quae sint ergo [44]) futurae hominum voluntates. Falluntur autem Scholastici doctores. quia ideo dubitandum esse putant, quod qualitates nostras non possimus inspicere nec scire possimus operum dignitatem. Verum ut supra saepe dictum est, non est intuenda in hoc agone propria qualitas aut dignitas operum sed respiciendum ad promissionem et misericordiam extra nos, et statuendum quod placeamus per misericordiam propter Christum et quidem gratis, hoc est non propter nostram qualitatem vel dignitatem, Ita poterit retineri certitudo, ettamen cum nos sic erigimus, illa ipsa consolatio affert spiritum sanctum et novos motus et novas qualitates. Tunc ut Paulus ait spiritus sanctus dat testimonium spiritui nostro etc. Ad hunc modum iudicandum est de actione spiritus sancti, quod non praecurrat spiritus sanctus verbum seu apprehensionem verbi sed comitetur eam, sicut scriptura [Rom. 10, 17.] inquit. Fides ex auditu est Item ad Gal. Ut detur promissio spiritus ex fide. ; Non enim debemus de voluntate dei aliunde quam ex verbo dei iudicare. Haec admonitio plurimum habet momenti in gubernandis et consolandis conscientiis. |**

A l t e r l o c u s restat, quid de promissionibus iudicandum sit ubi operibus additur promissio remissionis peccatorum, quales sunt. Remittite et remittetur vobis. Facilis est responsio. Nemo adeo amens est qui optare ausit ex dignitate nostrae condonationis pendere remissionem peccatorum coram deo. Quum enim statuendum esset nos habere remissionem peccatorum si tunc demum contingeret cum animi nostri liberi essent ab omnibus offensionibus. Etsi autem quaedam varietas est horum dictorum de operibus. Quaedam enim aperta loquuntur de remissione poenae, Concedimus autem nostris precibus et benefactis praesentes poenas mitigari, Tales sunt sententiae In Ecclesiastico [3, 33.?] Eleemosyna est propiciatio pro peccato, i. e. meretur mitigationem poenarum praesentium. Tamen unam generalem interpretationem his sententiis omnibus addemus. Certe lex sine Christo non prodest, Necesse est igitur prius apprehendere remissionem peccatorum fiducia Christi, et haec fiducia non potest niti operis nostri dignitate sed tantum nititur Christo Quare igitur opus additur? quia poenitentia est necessaria ut saepe iam dixi. Quid potest dici simplicius ac minus intricatum, Remissio peccatorum tribuitur fidei ut sit certa et Christo suus honor tribuatur. ettamen additur poenitentiam esse necessariam, ettamen non pendet remissio ex dignitate poenitentiae. Nec dicit Christus nobis remitti propter nostram condonationem sed requirit nostram obedientiam. semper autem addendum est legi Evangelium de Christo. 62, a.

Alterius paginae huius folii, fol. 62, b., dimidia pars superior nihil continet nisi verba in principio paginae scripta:

Deest lectio.

Inferior eius dimidia pars continet haecce:

| Initio monendus est lector nos una quadam perpetua interpretatione in omnibus dictis uti, ne solutionum varietas causam faciat suspectam. Nam in bonis et veris causis si quis teneat fontes facile est diluere opposita, sed in malis et falsis causis adhibenda sunt σοφὰ φάρμακα. **Dicimus legem necessariam esse, sed non placere sine Christo, obedientiam erga legem necessariam esse etc. quia nemo legi satisfacit.** 62, b. med

43) Miltiades] Ms.: Milthiades.
43a) Cimon] Ms.: Simon.
44) ergo] Ms. exhibere videtur: erga.

Placet igitur tantum in reconciliatis, Iuxta illud Christus est finis legis. Item Omne quod non est ex fide etc. Item Iustificati ex fide pacem habemus. Haec solutio sumpta est ex ipsis fontibus huius causae. Itaque nihil perplexum aut intricatum docemus. Dicimus bona opera necessaria esse, sed semper oportere praecedere reconciliationem. Reconciliatio autem personae fit fide non propter dignitatem nostram.
63. a. Item non placent | opera nisi prius persona liberetur dubitatione. quare necesse est prius fide iustificari. Sed venio ad argumenta.[45])

Si vis in vitam ingredi etc. ergo vita aeterna datur propter legem vel propter nostram observationem, mandatorum. Facilis et plana responsio est ad antecedens. Cum nemo legi satisfaciat perirent omnes si non possent homines salvi fieri nisi lege impleta. Haec absurditas sequitur ex hoc dicto. Si quis *τὸ ῥητὸν*[46]) acerbe sine ulla interpretatione retinere conetur. Necesse est igitur addere interpretationem, videlicet Obedientia erga legem est necessaria, sed legi addendum est Evangelium de Christo qui est summa legis. Cum legi nemo satisfaciat, semper haereat in nobis peccatum, prius oportet nos fide reconciliari per Christum, Postea placet illa inchoata et imperfecta obedientia. Recte igitur dictum est Si vis in vitam etc. scilicet cum hac Epiikia, addita fide, qua prius iustificemur Quum obedientia nostra non satisfacit legi. Interim igitur iusti sumus non propter illam nostram obedientiam sed propter Christum Et fiducia misericordiae Christi imputative est impletio legis ac iustitiae. Iusti autem sunt filii dei et cohaeredes Christi.

Reddet unicuique iuxta opera sua. Ro. II. [vs. 6.]. Ergo opera iustificant et salvant. Meo iudicio simplicissime ita responderi potest, hanc figuram sermonis a lege sumptam esse, quae sic solet loqui, quasi iustitia sit nostra. Atque ita iustis praemia proponit. Sed interim ex Evangelio scire oportet quod legi non satisfaciamus, et quod per misericordiam iusti pronunciemur, Haec est simplicissima interpretatio. Nam habenda est ratio phrasis. Si quis enim et hic acerbe volet urgere *τὸ ῥητὸν*[46a]) reddet unicuique iuxta sua opera, sequitur similis ab-
surditas ut supra | Cum enim nemo legi 63, b.
satisfaciat necesse esset omnes perire. Addenda igitur est commoda interpretatio ex Evangelio quod docet quomodo pronunciemur iusti. Itaque alii sic respondent. Opera placent propter fidem. Id recte quidem dicitur sed tamen monendi sunt studiosi ut hoc dictum prudenter[47]) intelligant. Nam obiici potest, In hac solutione coniungi fidem et opera tanquam duas partiales causas iustificationis. Opera placent propter fidem. Videtur ergo sentiendum, quod homo sit iustus partim propter fidem partim propter opera. Sed sciant studiosi, quoties ita dicitur, opera placere propter fidem, hoc ipsum requiri ut sentiamus personam gratis placere. Opera placent propter fidem i. e. quia persona fide reconciliata et iusta est, ea fides non nititur nostra dignitate sed tantum misericordia. Nam etiamsi David habet bona opera tamen cum in persona semper haereat peccatum non potest illa opera iudicio dei opponere, sed debet quaerere iustificationem per misericordiam. In summa sententia est Reddet etc. id est iustis reddet praemia, impiis poenas. more legis dictum est, sed addere oportet ex Evangelio et quomodo simus iusti et quomodo placeant opera.

Aliud.

Paulus inquit. Si omnem fidem habeam etc. igitur non sola fide sumus iusti. Respondeo. Antithesis[48]) non hoc dicit, nos dilectione iustos esse, sed tantum dicit dilectionem necessariam esse, quod nos quoque affirmamus Nam poenitentia et obedientia erga legem necessaria est, etsi alia sit causa iustificationis quam dignitas poenitentiae aut dilectionis nostrae. Et quare sit alia causa saepe iam diximus, scilicet quia haeret in nobis peccatum, ideo oportet personam aliunde iustam esse. Item
ut retineri possit certitudo. Ettamen | de- 64, a.
bet accedere dilectio et aliae virtutes. Ideo Paulus requirit dilectionem. Sciendum est autem ex aliis locis quomodo placeant deo opera et virtutes scilicet non quia legi satisfaciunt sed quia persona prius fide reconciliata est. Quod nisi addamus, si

45) Haec rursus ex parte cum Editt. 1535. consentiunt.

46) *ῥητὸν*] Ms. *ῥιτον*.

46a) *ῥητὸν*] Ms. iterum: *ῥιτον*

47) prudenter] Ms. prdr̄.

48) Antithesis] Ms. *ἀπθ*.

quis acerbe locum urserit, sequitur absurditas ut supra Fidem nihil profuturam esse sine perfecta dilectione Ita nemo salvus fieret. Caeterum haec nota sunt, quod dignitas nostra non potest opponi terroribus peccati et mortis. Ideo facile iudicari potest quod non habeamus remissionem peccatorum propter nostram dilectionem. Item ne quidem existere dilectio dei potest nisi conscientia prius fide pacata sit, Et ea fides tantum nititur misericordia et non dignitate nostrae dilectionis. Ideo non iustificamur propter nostram dilectionem etsi dilectio fidem comitari debet. Nos igitur simpliciter[49]) et plane retinemus in Paulo *τὸ ῥητὸν*[50]), Adversarii non retinent *τὸ ῥητὸν*,[50]) et | affingunt interpretationem pugnantem cum aliis locis Pauli et falsas opiniones gignentem. Quare non afferunt contra nos Paulum sed interpretationes ab ipsis confictas quibus non est necesse assentiri. Deinde ut maxime contendant dilectione iustificari homines, tamen necesse erit eis addere correctionem, quomodo iustificet dilectio cum procul absit a perfectione,[51]) etiamsi legi non satisfiat. Haec si explicabunt, res ipsa coget eos quaerere iustitiam fidei.

Aliud.

Dilectio est maxima, ergo propter eam
64, b. sumus iusti, | Neganda est consequentia,
quia haec inversio vera est. Dilectio est maxima virtus. igitur omnium minime iustificat, quia longissime absumus a perfectione summae legis ac summae virtutis. Nam haec ipsa causa est cur Evangelium doceat nos propter aliud extra nos videlicet propter misericordiam pronunciari iustos, quia non possumus legi satisfacere Et cum Evangelium doceat nos propter aliud extra nos pronunciari iustos, non est ratiocinandum de iustificatione ex magnitudine virtutum. Imo in ipsa iustificatione experimur nos minime posse iustificari propter excellentiam nostrarum virtutum. Illud tantum quaeritur[52]) qua virtute accipi misericordia debeat. Postea vero, quia fide iusti sumus, placet deo obedientia et recte fit virtutum quaedam collatio. Sunt enim virtutum gradus cum ipsae inter sese comparantur, Nec negandum est virtutem esse summam legis dilectionem.

Aliud. Dilectio est impletio legis ergo propter dilectionem iusti sumus. Neganda est consequentia. Non enim idem sunt iustificatio et impletio legis Quia ideo docetur iustitia fidei quia lege non sumus iusti. Valeret autem argumentum si lege essemus iusti. Alibi scriptum est Christus est summa legis ad iustitiam omni credenti. Id est qui credit in Christum implevit legem
etc. Interest igitur inter haec dicta | Fides 65, a.
est impletio legis et dilectio est impletio legis. Fides enim est impletio legis imputative, hoc est propter Christum reputamur iusti proinde ac si legem implessemus. Dilectio vero est impletio legis formaliter[53]) i. e. ipsum opus legis est dilectio, idque de iustitia legis et de specie recte dicitur, Ut si quis dicat Impletio musices est canere. Sed quia nos neque perfecte diligimus neque legi satisfacimus ideo proponitur aliud quo iustificemur. Et Paulus in hoc dicto. Dilectio est plenitudo legis hoc ipsum agit ut ostendat quid sit lex, non hoc agit homines iustos esse propria legis impletione sed concionatur de operibus et obedientia erga legem quae sequi fidem debet. Quomodo autem placeat haec obedientia aliunde est discendum. Nam si quis acerbe urgeat impletionem legis esse iustificationem iterum sequitur absurditas ut supra, cum nemo legi satisfaciat neminem salvum fore.

Aliud.

Non auditores, sed factores legis iusti pronunciantur, ergo operibus iustificamur. Respondeo. Antithesis simpliciter loquitur de iustitia legis. Ibi enim accusat Paulus Iudaeos et ratiocinatur eos lege non iustificari quia legi non satisfaciunt. Et verum est iuxta legem Iustus est qui legi satisfacit. Non est iustus qui non satisfacit legi. Sed Evangelium proponit nobis aliam quandam iustitiam qua pronunciamur iusti
per misericordiam etiamsi legi non | satis- 65, b.
facimus. Deinde docet quomodo tamen placeat obedientia erga legem quasi legi sit satisfactum. Atque ita accommodari

49) simpliciter] Ms.: sim^r.

50) *ῥητὸν*] Ms. utroque loco habet: *ριτον*.

51) perfectione,] Ms. exhibet: *perfectione.* additis verbis: ***Si talia vident***, sed expunctis.

52) quaeritur] Ms.: queritur

53) Hanc vocem *formaliter* Ms. exhibet in margine contextis inserendam.

dictum illud ad nostram causam totam. Factores legis iustificantur. videlicet si postquam fide iusti sunt reputantur legi satisfacere. Tales factores legis pronunciantur iusti.

Aliud.

Sententia Iacobi videtur corrigere exclusivam Pauli. Quanquam ille locus valde videtur laedere causam nostram, tamen consideratis fontibus facilis est responsio. Fontes autem sunt ut supra dictum est, quod dubitatio de remissione peccatorum impia sit, quod conscientiae coniiciuntur in dubitationem si sentiant remissionem peccatorum pendere ex conditione dignitatis nostrae. Nec opera nostra possunt opponi terroribus peccati et mortis. Item promissio remissionis peccatorum est gratuita ut multae scripturae testantnr. Ideo necesse est Iacobum ita intelligere, ne fidem in Christum evertat, ne coniiciat conscientias in dubitationem, id fieret si sic interpretaremur. Tunc habebis remissionem peccatorum cum habueris opera digna tanto beneficio. Fides inanis est nisi legi satisfeceris. Hae interpretationes quid habeant incommodi non est obscurum. Abolent enim totum Evangelium et reddunt conscientias incer-
66, a. tas de remissione peccatorum ' Sed Iaco-
bus ipse satis significat se non hoc velle quod idem efficiunt adversarii, tantum enim laudat opera sequentia fidem, et quidem requirit vivam fidem. quare non debet detorqueri ad evertendam fidem. Sed simpliciter hoc dicit, non solum iustitia fidei requiritur sed etiam iustitia operum, Hoc verissimum est. Nam bona opera sunt necessaria, et in his qui credunt sunt iustitiae quaedam. Sed interim videndum ne fidei natura corrumpatur. Nam interim fides debet tantum niti misericordia, debet statuere quod propter Christum habeamus remissionem peccatorum, quod placeant opera non quia legi satisfaciant sed quia personae placent propter Christum. Si ita fidei natura conservatur, recte postea dicis. Homo iustificatur fide et operibus. hoc est pronunciatur iustus seu habet iustitiam utramque quam debet habere fidei et operum. Sed haec posterior iustitia operum non iudicatur esse iustitia nisi quia persona iam aliunde est iusta, videlicet fiducia misericordiae etc. Ita requiruntur opera et tantum detrahitur eis causa reconciliationis, quae tribuitur gratiae hoc est misericordiae ut et ipsa reconciliatio certa sit et certum sit opera placere. Sicut et Paulus tribuit reconciliationem gratiae. Eph. 2. [vs. 5.] Per gratiam salvi facti estis etc. Haec interpretatio nihil habet incommodi et illustrat beneficium Christi, non abolet gratuitam promissionem, non evertit fidem, non parit dubitationem, ettamen interim ornat bona opera, Quia non solum ea requirit verum indicat etiam quomodo placeant |
Si quis autem non patitur sibi satisfieri 66, b.
hac nostra interpretatione, is sciat absurdissimam fore sententiam si sic intelligatur. non contingere remissionem peccatorum nisi propter nostra opera digna tanto beneficio. Hanc opinionem si quis tenet mordicus, hic non intelligit quid sit remissio peccatorum, et quomodo conscientia debeat a dubitatione liberari, Nec firmam consolationem ullam conscientiae reperient, pugnat item cum multis scripturis quae docent gratis remitti peccata, ut apud Danielem [9, 18.] Non in iustificationibus nostris etc. Item Non operanti sed credenti etc. Item [Ephes. 2, 8.] gratis salvati estis etc. Postremo si Evangelium non remittit peccata nisi propter nostra benefacta et dignitatem, nihil differt a lege, nihilo magis salvat quam lex. Lex iram efficit. Haec si quis consideravit facile poterit de isto dicto Iacobi iudicare.

Aliud.

Vita aeterna appellatur merces,[54]) igitur debetur pro operibus, et non datur gratis. Item opera digna sunt isto munere. Priusquam ad hoc argumentum respondeo, primum admonendus est lector, ut suam ipse conscientiam in hoc argumento consideret et consulat. Nunquam enim ulla perita conscientia affirmat sua benefacta digna esse vita aeterna aut deberi sibi propter dignitatem operum vitam aeternam. Quare imprudenter faciunt qui hoc argumentum obiiciunt cum reclamet in omnibus iu-
dicium conscientiae.[55]) Quod autem con- 67, a
scientia reclamet testatur David [Ps. 142,

---

54) Conf. Editt. 1535. fol. i 3b med. sqq.

55) In fine huius pag. margo Ms. atramento nigriori sed ab eadem manu haec exhibet adscripta: *Christus dicit. Cum feceritis omnia quae praecepta etc.* (Eadem statim ab initio seq. pag. in contextis leguntur!)

2.] Non intres in iudicium etc. Et Christus Cum feceritis omnia etc. Secundo necesse est tamen spem vitae aeternae certam esse, sicut necesse est fidem qua credimus nobis remitti peccata certam esse. Iuxta illud Spes non confundit, Item qui credit in eum non confundetur. Iam quid faciat conscientia morituri cum statuere debet se habere deum propicium et habiturum esse vitam aeternam. Num[56]) colliget benefacta sua? Num[56]) mentietur dignitatem suam? At in illo certamine maxime apparet naturae nostrae imbecillitas atque immunditia. Ideo ut fiducia ac spes sit certa, transferenda est ad promissionem gratuitam Christi non ad nostram dignitatem. Sicut inquit Paulus. Donum dei est non ex vobis ne quis glorietur. Item gratis salvati estis. Ex his omnibus constat nostra benefacta non esse digna vita aeterna, In[57]) benefacta intueri[58]) tristem conscientiam et propter haec sperare vitam aeternam non est proponere firmam consolationem animo luctanti cum desperatione. Cur igitur appellatur merces?

Extrema pars tertia huius paginae Ms. et sequens integra, fol. 67, b., albae sunt. Deinde sequuntur haecce:

68, a. Aliud.

Paulus faciens bona opera salvatur, non faciens non salvatur, posito etiam per impossibile quod credat, quia Christus dicit Si vis ingredi etc. Item Paulus Si habeam omnem fidem etc. Igitur nostra benefacta saltem erunt aliqua ex parte causa iustificationis. Respondeo ad antitheses.[59]) Concedo illam obedientiam necessariam esse, sed tamen non iustificat personam, ut in ipso agone experimur, etiamsi habeant multa bona opera, tamen ea omnia non potest opponere uni alicui peccato, ut statuat sibi pro illis benefactis deberi veniam pro uno aliquo errato. Deinde. Illa ipsa obedientia per sese est imperfecta ut constat, et plurimum habet vitii. Valet autem propterea quia persona est accepta. Ideo necesse est et aliud quiddam esse propter quod sumus accepti, et id non pendere ex dignitate sequentis obedientiae. Et tamen debet haec obedientia praestari ut debitum necessarium. Et cum praestatur excusat pro sua parte in reconciliatis non tamen iustificat personam.

Extrema huius paginae Ms. pars tertia vacat.

Ostendemus[60]) acumen, ludamus figuris 68, b.
in aliis causis potius. In ecclesia et in tanta causa veritatem bona conscientia eruamus et explicemus. Ideo primum de exclusiva praefari oportet, ut intelligi possit hanc controversiam non esse inanem logomachiam sed de maximis rebus certamen esse. Adversarii non ita moderate docent de fide et operibus ut praescribitur in argumento, sed docent hominem iustum esse propter propriam dignitatem, hoc est propter impletionem legis, et somniant hominem legi satisfacere posse, hominem posse esse sine peccato, immo addunt etiam postea hominem perfectius quiddam lege facere. De fiducia misericordiae nulla apud eos mentio fit, et tantum intelligunt fidem notitiam historiae seu legis, immo iubent dubitare, et docent dubitationem non esse peccatum. Cum autem hi errores et legem et Evangelium simul aboleant, nequaquam ferendi aut dissimulandi sunt in ecclesia. Ideo opponimus illis erroribus has antitheses. Nemo satisfacit legi, Nemo est iustus propter impletionem legis. Nemo est sine peccato, sed homines pronunciantur iusti fiducia misericordiae propter Christum. Nec vero negari potest fide apud Paulum significari fiduciam misericordiae agentem aliquid in iustificatione perpetuo. Et quamquam docemus obedientiam legis necessariam esse, tamen addimus exclusivam, fiducia solius misericordiae, ne fides evertatur, Non enim potest existere fiducia in iudicio dei si assuenda est conditio dignitatis no-
strae hoc modo. Tunc crede cum legi sa- 69, a.
tisfeceris aut satis operum habueris. Nam haec exclusiva necessaria est in iudicio dei, de quo dicit David. Non iustificabitur in etc. Haec dixi, ut[61]) lector anxius cogitet quos errores praecipue oppugnemus. Si quis autem ista nobis concesserit, quae sunt verissima et maxime necessaria ecclesiae,

56) Num] Ms. habet: *Nū* (= Num? vel Nunc?); utroque loco primum exhibuit *nunc*, sed statim correctum.

57) Ms. ante *In* habet *ac s* expunctum.

58) intueri] Ms.: *interi*. Nonne ceterum *iubere* excidit?

59) antitheses] Ms.: ans

60) Ostendemus] Nonne *Ostentemus* scribendum est?

61) Ms. post *ut* exhibet: *altius* sed expunctum.

videlicet sentiendum esse neminem legi satisfacere, neminem sine peccato esse Item non esse probandam dubitationem. Item remissionem peccatorum contingere fiducia misericordiae Christi, non aboleri peccatum si nostra dignitas opponatur iudicio dei. Item Fiduciam misericordiae Christi in omni vita in iustificatione necessariam esse, et hanc fiduciam non niti nostra dignitate sed tantum Christo. Haec si quis largiatur, is prope accedet ad nostram sententiam. sed ut supra dixi diversissima ab his et docent et defendunt adversarii. Nunc venio ad illam moderationem de qua loquitur argumentum Aut enim moderatio illa assuit [62]) conditionem dignitatis nostrae et facit fidem incertam, tunc reiicienda est. Et quidem semper hoc ita accipitur ut fides evertatur, cum dicitur. Partim fide, partim operibus homines iustificari. Aut moderatio illa non facit fidem incertam, tunc redit res ad nostram sententiam, quae etiam docet obedientiam esse necessariam. Et tamen ut certa sit fides, aliud quiddam proponit propter quod certo placeamus Quia ne haec quidem obedientia propter se placet immo ne placet quidem nisi prius fide reconciliati simus. Ita non tollimus obedientiam sed tantum detrahimus ei fiduciam iustificationis ut retineatur certitudo. | Deinde cum requiramus obedien-
69, b. tiam ac poenitentiam. nihil est incommodi fiduciam iustificationis in solum Christum transferre. Iuxta illud. Qui gloriatur in domino glorietur. Item Non in iustificationibus nostris etc.

Huius paginae pars illa verba proxime sequens usque ad eius dimidium vacat. Altera eiusdem dimidia pars exhibet haecce:

Varie [63]) explicatur vetus partitio peccati mortalis et venialis. Nos breviter ita dicimus Primum de morbo illo naturae hoc est de peccato originis, quod reliquum est etiam in iis qui fide remissionem peccatorum apprehendunt et iusti pronunciantur. Hunc morbum natura sua peccatum mortale esse sed condonari [64]) iis qui fide apprehendunt remissionem peccatorum. Ro. 8. [vs. 1.] Nulla nunc damnatio etc. Deinde ille morbus non est ociosus sed gignit cupiditates et affectus vitiosos etiam in sanctis, Sicut Paulus fatetur in sanctis existere tales affectus Caro concupiscit etc. Item Si spiritu actiones carnis mor: — [65]) | Sicut 70, a.
autem non est extenuandus ipse morbus, ita nec hi affectus levia vitia duci debent sed etiam sunt sua natura peccata mortalia. Non enim levia peccata sunt dubitare an deus respiciat, an exaudiat, in afflictione stomachari adversus deum, diffidere deo, confidere praesentibus rebus, item incendi iniusto amore, odio etc. Huiusmodi affectus quia condonantur sanctis fiunt peccata venialia, hoc est condonata. Sancti enim non probant tales affectus et repugnant eis, et fides in repugnantibus adhuc existit, ideo interim tamen pronunciantur iusti. Nec affero huc Stoicam distinctionem de primis motibus et de assensu, Tanta est enim imbecillitas humanae naturae ut opprimatur assensus priusquam satis intelligi motus possit. Illud necesse est scire quod iusti repugnare illis motibus debent. Haec omnia docet Paulus in illo loco. Nunc nulla damnatio etc. Sed est aliud quoddam genus actionum quae sunt eiusmodi ut qui eas admittunt excidant gratia dei, hoc est, desinant reputari iusti et damnentur nisi iterum convertantur. Hae actiones peccata vocantur mortalia, Quamquam autem gradum exactissime constituere huius generis difficile est, et videndum est ne aut pavidi ad desperationem adigantur, aut tutiores reddantur securi, tamen certe aliquis gradus legis tenendus est. Sumamus igitur eum gradum quem Paulus constituit dicens. Dilectio ex puro corde etc. | requirit enim 70, b.
bonam conscientiam, et quidem regi conscientia debet verbo dei. Itaque in hoc genere actionum peccatum mortale est probare aut facere aliquid contra conscientiam. hoc est, impiis opinionibus, incredulitati, [66]) vitiosis affectibus non repugnare. Item externa flagitia committere contra mandata dei, loquimur enim nunc de actionibus, quibus admissis homo desinit pronunciari iustus. Non loquimur iam de morbo naturali nec de peccatis ignorantiae quae coniungo cum morbo naturali. De his actionibus loquitur Paulus cum inquit [Rom. 8, 13.:] Si secundum carnem vivetis etc. Item 1. Cor. 6. [vs. 9.:] Ne erretis etc. Item Ephe. V. [vs. 5.:] Hoc scitote quod omnis scortator etc.

Hic trium linearum spatium vacat, ut videtur, eam ob causam, quod is, cuius chi-

62) Ms. ante *assuit* habet *adimit* expunctum.
63) In Editt. his quae h. l. in Ms. leguntur, alia praemissa sunt, quae plus quam dimidiam paginam explent, cum inscriptione: De discrimine peccati mortalis ac venialis.
64) condonari] Ms.: condonare.
65) mor: —] sic Ms. pro: mortificabitis etc.
66) incredulitati] Ms.: incredulitate.

rographum Bugenhagio describenti ob oculos versabatur, verba dictantis Melanthonis non satis cito excipere calamo potuit. Haec lacuna ex Editt. 1535. *fol. k* 2b *med. est explenda, ubi loci Ephes.* 5, 5. 6. *verbis integre allatis proxime adiuncta sunt verba loci Galat.* 5, 19—21. *integra, ex quibus in Ms. tantum pars extrema vs.* 20. *et integer vs.* 21. *in seqq. lineis afferuntur sic:*

De habitu dicitur. | Sectae, ira, invidentia, comessationes, ebrietas etc. de quibus praedico quod qui talia agunt regnum dei non possidebunt. Item Evangelium praedicat et requirit poenitentiam, pugnat autem cum poenitentia facere contra conscientiam, nec fides potest existere in eo qui agit contra conscientiam. Fides enim est fiducia quod placeamus deo. Hanc fiduciam excuti necesse est cum mens approbat aut facit aliquid quod scit deo displicere, sicut et Paulus ait. Qui dubitans comedit condemnatus est quia non ex fide, quidquid autem non est ex fide
71, a. peccatum est i. e. cum conscientia | sentit se displicere deo iam abiecit fidem, quare et peccatum est quod conscientia ita iudicat deo displicere. Tenendus igitur est hic gradus in actionibus, Peccatum mortale esse facere contra conscientiam hoc est, approbare aliquid aut facere aliquod opus quod conscientia iudicat displicere deo. Ideo Paulus requirit ut supra dictum est dilectionem ex conscientia bona. Et Timo. praecipit ut militet bonam militiam habens fidem et bonam conscientiam. Et II. Cor. I. [vs. 12.] ait Haec est gloriatio nostra testimonium conscientiae nostrae. Et Gal. [6, 4.] Unusquisque probet opus suum ita in seipso gloriationem habebit i. e. bonam conscientiam. Hanc gloriam iustos habere necesse est, ut videlicet agentes poenitentiam non perseverent in iis quae iudicant se fecisse contra voluntatem dei, sicut scriptum est Nolo mortem peccatoris etc. Item. Si dixero impio Morte morieris et egerit poenitentiam etc. Quare necesse est iustos habere hanc gloriam bonae conscientiae, et tamen interim scire eos oportet hanc ipsam obedientiam quam praestant non esse perfectam sed multum habere vitii. Ideoque sentiendum esse quod iusti hoc est accepti sint propter Christum, sicut et Pau. requirit bonam conscientiam et tamen aliò transfert iustificationem Nihil inquit [1. Cor. 4, 4.] mihi conscius sum etc. Ita et Ioannes [1. ep. 3, 19.] ait. In hoc cognoscimus quod ex veritate sumus et coram eo pacabimus corda nostra Hic requirit bonam conscientiam, Vere diligemus cum ita diligemus ut
nos conscientia nostra coram deo non | re- 71, b.
prehendat. Deinde addit de iustificatione. Sed etsi condemnet nos cor nostrum, maior est deus corde nostro i. e. hoc quod tu facis bona conscientia non satis est coram deo, sunt interim peccata omissionis, non satisfacimus legi etc. si hoc sentimus, tamen inquit retinenda est fiducia misericordiae dei quae nos pronunciavit iustos, ac maior est quam nostra infirmitas Ideo rursus addit. Si non reprehendit nos cor nostrum habemus fiduciam ad deum. Haec plurimum refert habere bene cognita et meditata, ut servemus hoc quod Pau. inquit. Ne spiritum sanctum dei quo signati sumus ad diem redemptionis contristemus. hoc est, ne beneficium Christi abiiciamus et pereamus. Praeterea ad hoc genus peccati mortalis pertinent etiam peccata omissionis et ignorantiae affectatae. Nam haec ipsa affectatio est contra conscientiam, ut si quis nolit cognoscere Evangelium aut nolit intelligere officium suum aut alioqui negligenter faciat, Ideo Pau. dicit. Vae mihi si non Evangelizem. Talia et nunc sunt multorum peccata qui negligunt audire et cognoscere Evangelium, cum sciant mandatum Dei esse. Hunc audite. Talis erat et Iudaeorum ignorantia qui Christum persequebantur, de qua Christus loquitur. Si caeci essetis etc. Sic et peccata mortalia Peccatum scilicet per se.
sunt gentium idololatriae. Sed dixi principio de peccatis illorum qui prorsus | sunt 72, a.
sine notitia Christi. In talibus enim et ipse morbus naturae et omnes vitiosi fructus sunt peccata mortalia.

De praedestinatione.

Neque ex ratione, neque ex lege, sed ex Evangelio iudicandum est de praedestinatione. Deinde non alia causa praedestinationis quam iustificationis quaerenda est, si [67]) quis haec constituerit initio facile se ex multis quaestionibus explicabit, Nam si tantum ex Evangelio iudicandum est, si praedestinatio cum iustificatione conferenda est, una et simplex via erit. Sicut cum de iustificatione quaerimus ordimur a verbo, ita cum de praedestinatione quaerimus ordiendum est a verbo seu Evangelio. Porrò et singulorum tentationes de electione, et scriptorum eadem de re disputatio-

67) Ms. ante *si* exhibet *Et* expunctum.

nes partim a ratione oriuntur, sin verbo dei, partim a lege. Ideo imaginantur homines causam electionis esse nostram dignitatem seu merita. Sic enim iudicat ratio et lex. Et in hanc sententiam ferè delabuntur scholastici doctores recentiores omnes, quia tantum docent iustitiam legis. Sed nos meminerimus ad Evangelium respiciendum esse. Duo autem sunt consideranda in promissione Evangelii, videlicet quod et gratis promittit iustitiam, et quod promissio est universalis. Nam haec duo exercent humanos animos. Disputamus aliàs de dignitate, nos ideo non esse electos quia simus indigni. aliàs disputamus de particularitate, etiamsi digni essemus tamen deum suos quosdam elegisse, quibus fuerit aequior. Ideoque negamus nobis sperandam esse salutem, quia fortasse non simus in eo numero etc. Utraque imagina-
72. b. tio | impia est, et magnopere prodest adversus eas diligenter munire pias mentes. Ideo neque dignitatem nostram respicere debemus, neque ex universali promissione particularem efficere. Sed singuli nos in illam universalem includamus. Cum igitur de electione angimur aut disputamus, non ordiamur a nostris supputationibus vel a lege sed a promissione Evangelii. Si quis extra Evangelium causam quaerit electionis, is non potest non errare. Ideo non sinamus nos ab Evangelio avelli, ac caeteras supputationes procul reiiciamus. Cum igitur promissio sit gratuita, recte statuimus misericordiam esse causam electionis, deinde cum promissio sit universalis, si quis ex universali particularem velit efficere is reddet simpliciter incertam promissionem et tollet fidem. Iam cum statuendum sit promissionem vere universalem esse quod ad voluntatem dei attinet, sicut a posteriore in iustificatione dicimus aliquam in accipiente causam esse, videlicet non dignitatem, sed quia promissionem apprehendit, cum qua spiritus sanctus est efficax, quemadmodum Pau. inquit [Rom. 10, 17.]. Fides ex auditu est. Ita et de electione a posteriore iudicemus, videlicet haud dubie electos esse eos qui misericordiam apprehendunt, nec abiiciunt eam fiduciam ad extremum. Haec omnia ex hoc fonte oriuntur, quod de voluntate dei non est iudicandum extra verbum et sine verbo. Quod certe faciunt illi qui quaerunt causam electionis, aut tollunt causam electionis, et interim non deducunt conscientias ad promissionem Evangelii etc. Nec moror [*vid. Editt. 1535. fol. k 5b med.*] . . . .

Hic exit plagula, nec in reliquis ulla Locorum comm. fragmenta reperiuntur.

Ab his fragmentis *Locorum communium a Melanthone a 1533. praelectorum* progredimur ad eos, *quos auctor ipse annis* 1535—1541. *iterum iterumque edidit* sic inscriptos:

Loci communes theologici recens collecti et recogniti a Philippo Melanthone.

Horum quatuordecim editiones supra enumeravimus, scil. hasce:

1. Ed. *Viteberg.* 1535. 8°. 2. Ed. *Viteberg.* altera a. 1535. 8°, 3. Ed. *Hagan.* 1535. 8° dubiam, 4. Ed. *Hagan.* 1536. 8°. 5. Ed. *Argent.* 1536. 8°. 6. Ed. *August. Vind.* 1536. 8°. 7. Ed. *Viteberg.* 1536. 8°, 8. Ed. *Viteberg.* 1538. 8°. 9. Ed. *Hal. Suer.* 1539. 8°, 10. Ed. *Hal. Suer.* 1540. 8°, 11. Ed. *Viteberg.* 1541. 4°. recusam in Melanthonis Opp. *Basileens.* 1541. Fol.. 12. Ed. *Viteberg.* 1541. 8°, 13. Ed. *Viteberg.* 1541. 8°. nova praefatione instructam. 14. Ed. *Francof. ad M.* 1620. 8°. Has omnes, duabus Editt. 3. et 10. exceptis, in manibus teneo et numeris 1—14. h. l. et supra iis adscriptis, et Melanth. Opera. Basileensia 1541. litt. *Opp.* signabo. Plurimas earum, scil. Editt. 1. 2. 5 — 9. 11. 12. et Mel. Opp. Basil. iam Maurit. Roedigerus diligentissime inter se contulit, earumque varietatem in exemplo suo Editionis 7., quod nunc ipse habeo, adscripsit.

Hos Locos secundae aetatis h. l. *ex Editione Vitebergensi a.* 1535. *priore*, huius aetatis principe, ita recudendos curo, ut ea, quae in sequentibus eiusdem Editt. *mutatis verbis* leguntur, tantum *in margine inferiore adscribam*, ea vero quae, in his Editt. ab auctore *addita* sunt, *litteris minoribus in ipsis contextis adiungam,*

Editiones, in quibus haec additamenta inveniuntur, in margine indicans Item Scripturae sacrae locos ab auctore in his Editt. allatos accuratius in ipsis contextis designabo versuum (aut capitum versuumque) numeris intra uncinos additis.

LOCI COMMUNES THEOLOGICI RECENS COLLECTI ET RECOGNITI A PHILIPPO MELANTHONE.

SERENISSIMO PRINCIPI D. HENRICO OCTAVO, ANGLIAE ET FRANCIAE REGI, HIBERNIAE DOMINO, WALLIAE ET CORNUBIAE PRINCIPI. S. D. [1])

Cum in docendo magnopere prosit, tenere summas rerum ordine et ratione distributas, et in methodum contractas, collegi et ego praecipuos locos doctrinae Christianae, eosque quos arbitrabar maxime ad pietatem alendam conducere, et in vita et in exercitiis piorum usum habere, denique qui extare in Ecclesiis et in concionibus[2]) inculcari maxime debent. Ac non solum curiosas et inutiles quaestiones praecidi ac fugi, sed etiam in reliquis locis, quos explicandos esse putavi, optima fide ac simplicitate sine Sophistica, res ipsas, quantum potui, exposui. Nam et ipse abhorreo, ut qui maxime a praestigiis illis disputationum, quae cum multa colligunt inextricabilia, perplexa, paradoxa, absurda, prodigiosa, tantum perturbant conscientias, non docent.

Etsi autem hoc unum fuit meum consilium, ut de rebus necessariis colligerem doctrinam catholicae Ecclesiae Christi, videlicet, quae traditur in Apostolicis literis et receptis scriptoribus Ecclesiasticis, tamen hic praefandum duxi, me libenter Ecclesiae catholicae, hoc est, piis, doctis, et peritis omnibus permittere iudicium de omnibus lucubrationibus meis. Quemadmodum enim Paulus praecipit, ut unusquisque norit modum fidei sibi datum a Deo, ita, cum mea mihi imbecillitas non plane sit ignota, neque antea sine autoribus de ullo dogmate pronuntiavi, neque Ecclesiae iudicium unquam aspernabor.

Nec vero novum est exemplum, methodos doctrinae Christianae informare. Nam et apud graecos Damascenus. et apud nostros Longobardus huiusmodi[3]) scripta reliquerunt, quibus gratiam et celebritatem summam hoc unum peperit, quod methodi magno studio expetuntur. Itaque videmus eos vel primae classis scriptoribus annumeratos esse. Extiterunt et ante hos huius generis libelli, Enarrationes Cypriani et aliorum in symbolum. Et nonnulli non inconcinne Augustini sententias [4]) collegerunt de singulis articulis, in libello, cui titulus est, de fide ad Petrum. Extat et vetus scriptum Origenis *περὶ ἀρχῶν*, cui hunc titulum fecit, propterea quod praecipuos locos Christianae doctrinae, ibi serie quadam disponit et explicare conatur. Ad haec Paulus quasi methodum quandam informat in Romanis, accuratissime disputans de caussa peccati, de usu legis, et de beneficio Christi, quod sit proprium Christi beneficium, quomodo consequamur remissionem peccatorum et reconciliationem. Sunt initio et symbola hoc consilio condita, ut extaret brevis quaedam summa doctrinae Christianae, in qua locos ad pietatem necessarios tanquam simul in una tabula propositos conspicere et complecti homines possent. Nam haec una est ratio utiliter docendi. Quare non sum autor novi exempli in Ecclesia, sed illud valde [5]) angit animum meum. Quo magis opus est methodo, quo avidius omnes studiosi omnibus aetatibus has *εἰςαγωγὰς* et expetiverunt et exceperunt, eo maiore consilio et religione scribi debebant. Quid enim difficilius est, quam explicare dilucide gravissimas religionis controversias, quid periculosius, quam in tanta iudiciorum varietate rectissima deligere? Quid proclivius, Quid tam homini proprium, quam labi et hallucinari, et non raro specie recti decipi? Quid quod saepe etiam recte

---

1) Pro hac inscriptione Editt. 11. 12. et Opp. Bas. habent: PHILIPPUS MELANTHON LECTORI. S. D. (D. in Opp. Bas. *om.*) — Ed. 13. nova praefatione est instructa, quam infra post hanc afferemus.

2) concionibus] Editt. 1. 2. contionibus.

3) huiusmodi] Ed. 12. huiuscemodi

4) sententias] Ed. 12. scientias

5) valde] Ed. 5. valdo.

sentientes, tamen in explicando quasi sui obliviscuntur, nec satis commode dicunt quod volunt. Saepe cedunt oneri, nec possunt, quod sentiunt, exponere. Inde cum postea imperiti opiniones parum commodas hauriunt, plurimum oritur scandalorum in Ecclesia. Haec sciunt me non frustra queri, qui cum iudicio veteres scriptores legunt, quorum vix ullus est in quo non interdum vel perspicuitas vel diligentia desideretur. Quam multi occurrunt loci, de quibus cum ipsis autoribus, si liceret, colloqui cuperemus, et coram diserte sciscitari, quid senserint, quos habuerint autores. Praesertim aut in hoc scripti genere in methodis, quam multa non obscure taxantur. Quoties iugulatur Origenes in libro *περὶ ἀρχῶν*. Longobardo ne quidem ipsius alumni pepercerunt. Et quaedam iure reprehenduntur. Itaque cum tantum et difficultatis et periculi sit, componere methodum, saepe mihi venit in mentem, id non unius hominis opus esse debere, sed synodi, in qua doctissimi et optimi viri, re communiter deliberata, de omnibus iis articulis, de quibus saepe oriuntur controversiae, et quaedam in ipsis veteribus dissimilitudo est, diligenter iudicarent, et integram doctrinam religionis ederent. Quod Plato inquit, Principes rerum publicarum praecipue hoc efficere debere, ut cives et beati sint et inter se amici, ad hunc optimum Ecclesiae statum nulla res afferret plus momenti, quam si talis aliqua pia ac simplex extaret forma doctrinae, gravi autoritate scripta. Haec enim et ambigentes animos sanare, et concordiam ac tranquillitatem Ecclesiae restituere, et in posterum munire posset. Huius summi inter homines beneficii autores non solum Episcopos, sed etiam summos Principes esse decet, ut et gloriam Dei ornent et omnium gentium saluti consulant, praesertim cum sine ope ipsorum res tanta perfici nequeat. Nec vero dubito, quin ut quisque Princeps prudentissimus atque optimus est, ita vehementissime afficiatur Ecclesiae cladibus. neque enim sunt aut obscurae, aut ita leves, ut sine summa acerbitate doloris considerari possint. Veteres quidam morbi haerent in Ecclesia non dissimulandi. Constat enim quosdam insignes articulos doctrinae Christianae diu iacuisse obrutos densissima caligine. Ex qua postquam evolvi coeperunt opera quorundam doctorum et bonorum virorum, statim suscepta est passim inusitata saevicia et indigna lenitate Ecclesiastica. Neque tantum trucidantur boni et docti viri, confirmantur abusus, sed omnino extinguuntur studia doctrinae Christianae. Hinc orta dissensio, cum alia infinita parit incommoda, tum hoc praecipuum, quod locum praebet, ut fit, alicubi indoctis, seditiosis et fanaticis hominibus, qui et nefarias *θεομαχίας* spargunt in Ecclesia, et de rebus civilibus falsas serunt opiniones, et perniciosas religioni ac civili hominum societati, planeque transformant religionem in quandam horribilem barbariem. His tantis malis profecto decet[6]) bonos et sapientes Principes idonea remedia quaerere. Quid quod etiam posteris praestare Ecclesiam debent? quae quidem, nisi ratio ineatur, ut pia et certa doctrinae forma ad posteros propagetur, infinitis modis dilacerabitur. Extat apud Xenophontem[7]) brevis quaedam ac plena gravitatis atque animi Laconici concio Archidami, qui collapsam ac pene deploratam Spartam virtute sua restituit. Hic ante id praelium, quo maxime iterum erexit patriam, cum instructa acie, iam signa canere iuberet, his verbis adhortatur exercitum[8]). *Ἄνδρες πολῖται, νῦν ἀγαθοὶ γενόμενοι ἀναβλέψωμεν ὀρθοῖς ὄμμασιν· ἀποδῶμεν τοῖς ἐπιγιγνομένοις τὴν πατρίδα.* O generosam vocem, et dignam Rege Spartano, et Agesilai filio, qua testatur magnos et fortes viros debere maximas dimicationes suscipere, ut posteris salvam rempublicam tanquam certam sedem relinquant. Quanto magis decet sic affectos esse Christianos et Principes et doctores, ut cupiant posteris relinquere Ecclesiam recte constitutam ac tranquillam. Nec vero ullius rei cura potior et antiquior esse magnis viris debet, praesertim iis qui sedent ad gubernacula, qui utinam in tantis Ecclesiae calamitatibus aliquando sibi hanc honestissimam vocem subiiciant, *ἀναβλέψωμεν ὀρθοῖς ὄμμασιν, ἀποδῶμεν τοῖς ἐπιγιγνομένοις τὴν ἐκκλησίαν.* Id vero non potest effici, nisi rite explicata doctrina. Nam violenta consilia nec sanant ambigentes animos, nec prosunt ad constituendam durabilem tranquillitatem. Et quanquam cohercenda est petulantia, et severis exemplis puniendi sunt, qui serunt aut amant impia dogmata, aut seditiones excitant, tamen videndum est, ne pariter sine discrimine exerceatur saevitia in bonos et malos.

Sed ut redeam unde digressus sum, Equidem maxime opto, ut de aliqua integra methodo synodus aliquando deliberet. sed cum hoc tempore viderem in tanta varietate disputationum atque opinionum, imperitis quasi regiones monstrandas esse doctrinae Christianae, eosque praemuniendos esse contra perniciosas atque impias opiniones, coegi hos locos in compendium, bono studio, et quantum potui dedi operam, ut ordinem et viam ad docendum accommodatam adhiberem, meque in ipsa methodi septa diligenter inclusi, quod ut faciam, etsi etiam ingenii infirmitas me cogit, tamen habeo aliquam consilii mei rationem. Quanquam enim sunt nonnulli excellentibus ingeniis praediti, qui, velut Phidias tribuit statuis non solum aptam harmoniam

---

6) decet] Editt. 8. 11. male: docet.

7) Xenoph. Hellen. VII, 1, 20. ed. Thieme.

8) exercitum] Ed. 11. errore typothetae: exercitium.

membrorum, sed etiam dignitatem et amplitudinem, ita et ipsi ad methodum adiungunt splendorem et lumen orationis, ad illustrandam rerum magnitudinem, tamen haec foelicitas perpaucorum est. Ego meo me pede metior, ac satis agnosco me [9]), divinam illam Phidiae formam atque ideam effingere non posse, ac facile patior me inter *κοροπλάθους* et minutorum operum figulos numerari, quare maiore [10]) cura ac studio illa artis vestigia consector. Scio multos alios magis delectari liberis [11]) declamationibus, et has angustias methodi fugere. Sed plerique dum sibi indulgent, saepe a scopo deerrant, et dum multa extra caussam, magna voce sonant, manuque tota, nihil certi lectorem docent. Illam vero licentiam Academico more disputandi, maxime odi, quam sibi sumunt nonnulli, qui et recte tradita ab aliis calumniose depravant ac evertunt, et sine lege, sine delectu, sine autoritate veteri, quidquid libet, dicunt. Quod de Tantalo inquit Euripides [12]), *ἀκόλαστον ἔσχε γλῶσσαν, αἰσχίστην νόσον*, profecto in theologo turpissimus est morbus, linguae petulantia. Meminisse nos decet, quo in theatro versemur, iudicem habemus Christum, spectatores Angelos, auditores infirmos, quorum animi facile sauciantur. Ideo et religionem ac fidem, quam debemus rebus sacris, praestare studui, et ne res alioqui intricatas magis etiam involverem, adhibui proprietatem in explicando, quantam potui. Eamque ob caussam usitatis in Ecclesia verbis usus sum, et interdum a scholis verba quaedam mutuatus sum, quae sunt condonanda temporibus. Caeterum dedi operam, ut sermo esset perspicuus. Non admiscui peregrinas disputationes. Etsi enim ita statuo, eos qui non sunt instructi liberali eruditione, non satis idoneos esse ad exponendam religionis doctrinam, et in plerisque locis quaedam ex aliis literis assumenda sunt, interdum conferendae quaedam sententiae religionis cum Philosophia, tamen ut in aliis rebus, ita hic quoque modus gratissimus est. Adiuvemur ab aliis artibus in his ipsis rebus illustrandis, in instituenda oeconomia, seu, ut ita dicam, in ipsa aedificii forma delineanda. Nam indocti ne possunt quidem res intricatas apte distribuere, sed saepe miscent non cohaerentia, aut divellunt coniuncta, nec semper vident, quid sit in controversia, ubi confligendum sit. Ad haec plerique loci collatione Philosophiae fiunt illustriores. Neque tamen confundenda sunt artium genera, non obruenda est doctrina Christiana alienis disputationibus. Ego etiam, ne prolixior essem, parcius, quam licuit, delibavi quaedam ex aliis literis. Paulus [1. Tim. 3, 2.] vult eos, qui tradunt doctrinam religionis, esse *διδακτικούς*, quod profecto nemo praestare potest rudis aliarum literarum. Itaque etsi sunt aliae praestantiores virtutes, pietas, usus vitae, experientia certaminum spiritualium, prudentia, tamen impudentes sunt hi quoque, qui cum se interpretes doctrinae Christianae esse profiteantur, non dant operam, ut adiungant liberalem eruditionem, quae non solum ornamento est Ecclesiae Christianae, sed aliquid ipsi doctrinae lucis addit. Ac plane dignos odio esse censeo Anabaptistas, et si qui similes sunt, qui ineruditam quandam et barbaricam theologiam in Ecclesiam invehere conantur, et contendunt nullis literis opus esse, quare omnia confuse sine arte dicunt, nullam adhibent antiquitatis notitiam, nullam collationem ex aliis disciplinis. Atque hi suum habent theatrum. Vulgus enim quia natura odit artes, gaudet earum dignitatem elevari. Verum haec persuasio non solum officit studiis literarum et civili vitae, quam tuentur caeterae artes, sed etiam nocet religioni. Nam eruditio non solum hoc nomine prodest, quod acuit iudicia, quod docendi formam monstrat, sed conducit etiam moribus. Nam ut quisque eruditissimus est, ita diligentissime magnitudinem rerum animo metitur, quod curam et sollicitudinem recte docendi auget. Contra inscitia negligentiam in bonis alit, confirmat in malis audaciam, qua nulla maior est Ecclesiae pestis. Multo enim confidentius vociferantur et pronuntiant mali, ubi autoritatem sibi arrogare sine doctrina possunt. Quare omni contentione censeo incitandos esse ad iustam dicendi rationem, et ad vera studia cum religionis, tum aliarum optimarum artium, omnes qui utiliter servire Ecclesiae cupiunt. Invitantur autem ingenia exemplis, iuxta illud Hesiodium: [13]) *ζηλοῖ δέ τε γείτονα γείτων*. Itaque etsi mea scripta non sunt perpolita, tamen ut nihil aliud praestem, certe methodus [14]) monere lectores potest, ad res tantas exponendas aliis etiam literis atque artibus opus esse. [15])

Ut autem hic commentarius auspicatius exiret in publicum, tuo nomini Inclyte Rex dedicandum esse censui, praecipue ob hanc caussam, quod cum nonnulli partim indocti, partim iniqui etiam apud exteras nationes summorum regum animos pariter adversus omnes, qui non probant omnia monacho-

9) me.] Ed. 5. ,me

10) maiore] Editt. 7. 8. 11. 12. 14. et Opp.: maiori

11) liberis] Ed. 11. et Opp. male: libris

12) Eurip. Orest. 10. ed. Barnes.

13) Hesiodium] Opp. Hesiodicum — Haec verba leguntur in Hesiodi Opp. et Dier. vs. 23. ed. Goettling.

14) methodus] Opp.: methodos

15) Editt. 11. 12. et Opp. addunt: Vale. Et sequentia: „Ut autem — — — Anno M.D.XXXV.“ quae Henrici VIII. laudes continent, omnia omittunt. Cur haec epistolae pars in his Editt. anni 1541. omissa sit, in Prolegg. p. 243. diximus; conf. etiam Lutheri epist. ed. de Wette T. V. p. 214. 217.

rum somnia, miris artificiis incendant, plurimum mea referre putavi, ut tibi regum omnium doctissimo exhiberem hoc scriptum, ut Maiestas tua potius ex hoc scripto, quam ex aliorum calumniis, iudicium de me et toto hoc doctrinae genere, in quo versor, faceret. Accipimus te cum in sacris literis praeclare doctum esse, tum in reliqua philosophia, ac praecipue in illa pulcherrima parte, videlicet in consideratione motuum et effectuum coelestium, qua et propter dignitatem rerum, et propter maximas utilitates in rebus gerendis, summos ac sapientissimos Reges omnibus aetatibus maxime delectatos esse legimus, acerrimo studio, et summa cum prudentia versari. Accedunt ad tantam praestantissimarum artium doctrinam, et ceterae virtutes dignae magno principe, Iustitia in imperio, pacis tuendae cura, magnitudo animi, pietas, studium iuvandae et ornandae religionis Christianae, clementia ac bonitas eximia. quae cum in aliis negotiis cernitur, tum etiam in hac re lucet, quod in tuo regno nulla saevitia in homines bonos, moderatos, et studiosos purioris doctrinae Ecclesiasticae exerceri dicitur, cum in aliis terris principum iracundia sine modo exarserit, de quorum consilio nihil hoc loco disputabo. Tantum illud dicam, quod mihi videtur, Neque decet Ecclesiam iniusta crudelitas, neque profutura est ad restituendam tranquillitatem. Itaque moderatio tua digna bono ac sapiente Principe, haud dubie Deo grata est. Ut enim vi quoque coherceri fanaticos et impios homines Deus praecipit, ita nullum crudelius est parricidium, quam simul pios, ac membra Christi trucidare, lacerare veram Ecclesiam, et delere res bonas atque utiles Ecclesiae. Neque enim negari potest a bonis et doctis viris multa ad pietatem utilia, iterum patefacta esse. Propheta Esaias, cum vaticinatur pios Reges, Ecclesiae Nutricios, ut vocant, fore, postulat ut Reges tegant pios adversus iniustam saevitiam, ut rectam doctrinam propagari curent. Qui tituli, quae trophaea magis optanda sunt magnis et sapientibus regibus, quam ut coelesti voce tribuatur eis haec suavissima appellatio, ut praedicentur Ecclesiae Christi Nutricii. Magna sunt et plena dignitatis praeconia, dici Africanum, Macedonicum, et hoc genus alia. Sed multo gloriosius est dici patriae patrem. Vera autem nobis et perpetua est patria, Christi Ecclesia. Huius verae patriae patrem, et ut prophetae verbo utar, nutricium esse, haec vero est ingens gloria, praecipue expetenda Regibus. Haec officia Reges Deo conciliant, haec officia sunt hostiae Deo gratissimae. Non sunt autem Ecclesiae nutricii, qui quamvis crudelitati suae praetexunt Ecclesiae nomen, tamen vera Ecclesiae membra, hoc est, homines pios et doctos iniustissime interficiunt, et doctrinam, in qua veri cultus Dei monstrantur, delent. Itaque non solum moderatio tua, et clementia ipsa laudanda est, sed iudicium potius ac sapientia, quod Maiestas T. ita tuetur Ecclesiae tranquillitatem, ut tamen faveat studiis pietatis, et intelligat quosdam abusus emendatione opus habere. Cum igitur et doctrina excellere Maiestatem T., scirem, et intelligerem, te singulari moderatione et clementia, quae maxime decet eruditionem, in his dissensionibus uti, potissimum Maiestati tuae duxi mittendum esse hoc scriptum, quod etsi totum permitto iudicio Maiestatis tuae, tamen, ut spero, ostendet iniuste contra nos accendi regum iracundiam. Non dubito quin Maiestas T. simul et gloriae Christi, et paci Ecclesiae optime consultum cupiat, ac de remediis huius dissidii saepe multumque deliberet, quam ad rem sane prodest non tantum illorum videre scripta, qui caussam nostram iniustissimis calumniis deformant, quod non solum impudentes quidam, et infimi subsellii homines faciunt, sed etiam nonnulli alii, qui in hoc theatrum prodeunt sumpta singulari gravitatis et sapientiae persona, quos decuit autoritatem suam, non ad bonorum perniciem, et ad inflammandam crudelitatem imperitorum, sed potius ad ornandam Christi gloriam, ad morbos Ecclesiae recte curandos, ad flectendos ad Christianam lenitatem principum animos, conferre. Turpissimum est enim magnis viris simulatione gravitatis Sycophanticam exercere, quod faciunt, qui, astute dissimulant receptos abusus, et arte depravant ea, quae nostri pie atque utiliter monuerunt. Ego ex animo veneror Ecclesiam Christi catholicam, eiusque sententiam omni studio amplector. Nec velim unquam a iudiciis bonorum et doctorum in Ecclesia dissentire. Proinde hunc meum commentarium exhibeo Maiestati T. non ut patronum mihi, si quid erro, sed ut in gravissimis controversiis censorem quaeram, cuius iudicium propter doctrinam rectum, propter [16]) fastigium Regiae Maiestatis, liberum et aequum fore statuebam. Oro itaque Maiestatem T., ut hoc nomine non gravatim scriptum meum accipiat, in quo, ut spero, videbit me et res ad pietatem utiles complexum esse, et pacis concordiaeque Ecclesiasticae cupidissimum esse. Christus Maiestatem T. servet incolumem ac florentem, et gubernet ad Christi [17]) gloriam ornandam, et ad salutem Ecclesiae. Anno M.D.XXXV. [18])

---

16) propter] Ed. 8. et propter
17) Christi] Ed. 5. sui
18) M.D.XXXV.] Ed. 9. etc.

Hanc epistolam nuncupatoriam integram Editt. 1—10. exhibent; Editt. 11. 12. et Mel. Opp. Bas. tantum priorem eius partem habent inscriptam: „Philippus Melanthon Lectori S. D.“ (vide p. 338. notam 15.): Editionem 13. vero auctor hacce nova praefatione instruxit, quae in Ed. 14. una cum illa integra epistola est repetita:

PIIS ET STUDIOSIS SCHOLASTICIS. S. D.

Ut exulat in mundo Ecclesia, ita vagantur libelli nostri sine Patrono, Sed ut spero non sine Lectoribus. Cum enim hae Methodi, et rerum summae ordine distributae plurimum prosint discentibus, hunc laborem nostrum initio Scholasticis ingeniosis, et doctrinae Christianae studio flagrantibus, nec inutilem nec ingratum fuisse animadverti. Nec vero alia causa ulla me ad hanc commentationem impulit, nisi quaedam probabilis, et, ut mihi videtur, iusta officii ratio. Cum enim viderem res magnas et necessarias divinitus patefactas esse in nostris Ecclesiis per viros pios et doctos, duxi materias illas in variis scriptis sparsas colligendas esse, et quodam ordine explicandas, ut facilius percipi a iuvenibus possent. Hanc operam, et hoc velut pensum debere me in hoc Scholastico munere, quod gero, Ecclesiae iudicabam, propterea quod Scholas praecipue Ecclesiae Christi servire convenit.

Ut autem semper sensi, rem unam omnium difficillimam et maximam esse, doctrinae Christianae summam dextre et perspicue exponere, Ita optavi, non tantum consilio unius edi talem aliquam Methodum, sed in synodo aliqua, aut alio foeliciore congressu doctorum et piorum, rebus diligenter deliberatis, publica autoritate proponi tale scriptum.

Res ostendit optimam Methodum esse, Libros ipsos Propheticos et Apostolicos. Hi concionantur ordine de Dei natura, de rerum conditione, de hominis natura et Lapsu, de causa peccati ac mortis, de Lege dei, de promissione gratiae, de Filio Dei, qui pro nobis victima factus est, de gratuita remissione peccatorum, de Donatione Spiritus Sancti, et restitutione vitae aeternae, de Fide accipiente reconciliationem, de poenitentia, et fructibus, De Ecclesia, et eius notis, et gubernatione, de discrimine rerum Spiritualium et politicarum. Et Paulus eruditissime discernit Legem, et promissionem gratiae propriam Evangelii, Iustitiam fidei et operum, Vetus et novum Testamentum. Historiae vero omnium locorum exempla proponunt. Extat igitur Methodus in Propheticis et Apostolicis scriptis, et quidem aptissima oeconomia, et mira arte distributa.

Sed quoniam pleraeque res pontificum traditionibus, et novo genere doctrinae Monachorum obrutae fuerunt, revocanda sunt Ecclesiae studia ad fontes, detergendus squalor sacris Libris, et quasi regiones monstrandae sunt, ut imperiti admoniti facilius agnoscant coelestem illam doctrinam in Propheticis et Apostolicis scriptis propositam. Nam et vocem Deus in Ecclesia sonare voluit, quae iter monstraret ad scripta coelestia, et ad illam unicam doctrinam, supra iudicia humana positam, quam filius Dei e sinu aeterni patris haustam edidit.

Etsi autem video has quasi conciunculas breviores esse, quam magnitudo rerum postulat, tamen haec series rerum, et ratio explicandi propria multum adiuvat discentes, qui cum haec Elementa in animum incluserint, facilius postea legent et iudicabunt locupletiora aliorum piorum et splendidiora scripta. Nos etiam quaedam, si vitae spatium prorogabitur, illustrare ipsi, et augere decrevimus.

Ut autem sciat pius Lector, quid profitear et quid in summa sentiam, hoc quoque praefandum est. Tueor ac sequor, ut omnes pios decet, consensum Catholicae Ecclesiae Christi, nec ab eo unquam discessurus sum, nec ullam unquam fanaticam opinionem damnatam certis testimoniis Ecclesiae comprobabo. Et cum Paulus iubeat nos, Ecclesiae iudicia audire et magnifacere, cum ait, ceteri diiudicent, ne ego quidem recuso subire censuram piorum et doctorum, cum in aliis locis, si libere eis iudicare liceat, tum vero maxime in nostris Ecclesiis, quas vere sentio esse Dei Ecclesiam. Nec profecto ullas victorias, aut ullos triumphos gloriosiores duco, quam veris Ecclesiae iudiciis cedere. Sentio autem Ecclesiae Catholicae consensam esse, doctrinam in Propheticis et Apostolicis scriptis traditam, cui probata testimonia suffragantur temporum Apostolicorum et proximorum, et quorundam eruditiorum scriptorum, si dextre intelligantur.

Quod vero adversarii nostri vociferantur, nos dissentire ab Ecclesia, quia non probamus hanc turbam recentium, qui Labyrinthos quaestionum addiderunt Longobardo, in quibus partim inepte miscuerunt Philosophiam, et Evangelium, partim superstitiones et *εἰδωλομανίας* acceptas a vulgo, sine ulla autoritate veterum stabilierunt, non moveor his calumniis. Nam Ecclesia coetus est obtemperans huic immutabili edicto aeterni patris, quod ille non in saxeas aut aeneas tabulas incidit, sed clara voce de coelo promulgavit, et Spiritu Sancto in corda Apostolorum inscripsit, cum diceret de Christo, Hic est Filius meus dilectus, HUNC AUDITE. Hic doctor sit criticus ac censor omnium scriptorum, praesertim cum praedictum sit, magnas tenebras secuturas esse, et de piis etiam dicat Paulus, quosdam extruere stipulas supra fundamentum.

Ut initio Diabolus Evam a voce divina abduxit, et mentem eius tanquam fascinatam bella imaginatione perpulit, ut excusso Dei timore, excussa Fide

rueret contra mandatum. ita postea semper insidiatus est Ecclesiae. odio Dei pertraxit fere totum genus humanum ad *εἰδωλομανίας*. Nec desiit grassari. postquam Christus et Apostoli rursus accenderant lucem Evangelii. Statim secuta sunt deliria multiplicia fanaticorum hominum. Quare nimium sibi blandiuntur. qui posteriora tempora omnibus erroribus liberant.

Res ipsa loquitur in Thomae et similium rixis doctrinam de iustitia fidei non solum omissam. sed etiam prorsus obrutam esse. Quod apud illos discrimen perspicuum extat, praeceptorum et promissionum. Legis et Evangelii, promissionum Legalium et promissionis Gratuitae? Qualis carnificina est doctrina adversariorum de poenitentia? rituum vestigia tenent. nec norunt originem. Olim erant quaedam homicidarum et aliorum pollutorum signa, ut Orestis, Oedipi. Ex hac disciplina veteri et civili mos ortus est satisfactionum, de quo non intellecto quam futiles opiniones finxerunt Monachi? Iidem quanti aestimarunt monasticas ceremonias hominum errore excogitatas. Vinculum coelibatus perniciosissimum adeo non placuit Apostolis. ut Paulus doctrinam Daemoniorum vocarit. Iam quis nescit novas res in Ecclesia esse, quas vetustas execrata fuisset, adplicationes coenae Domini pro aliis, Theatricas pompas et adorationes panis, Invocationes divorum. Cum igitur constet hos prodigiosos errores fuisse ignotos veteri Ecclesiae, non opponant nobis autoritatem verae Ecclesiae, quae nec probat, nec agnoscit has labes.

Verum quid haec disputo, praetexunt Ecclesiae nomen erroribus. Num id allegare etiam possunt ad excusandam immanem saevitiam? Quod hic habent veteris Ecclesiae exemplum? Fac Gregorium probasse Legem de coelibatu, Num censes hunc etiam has recentes Leges sanguine scriptas probaturum fuisse? quae iubent interfici pium, doctum, et innocentem Sacerdotem, si nolit coniugem pio consilio ductam abiicere. Atque haec cum cogito, non tam irascor Tyrannis ipsis, qui sunt autores horum parricidiorum, quam doctis et alioqui moderatis, qui etsi hanc asperitatem non probant, tamen suo silentio confirmant, et se contagio parricidiorum polluunt. Hos, si opitulari innocentiae sua voce non vellent, decebat tamen fugere aulas Tyrannicas. Haec eo commemoravi, ut constet nos non comminisci novas opiniones, sed veteris ac purioris Ecclesiae consensum sequi, id quod alias saepe ostendimus.

Non possum autem hoc loco non deplorare perpetuum Ecclesiae fatum, ut ita dicam. Diaboli fraudibus, et ingeniorum humanorum levitate, inconstantia, ambitione, petulantia, *φιλονεικίᾳ* [19]) semper accidit, ut cum res bonae patefactae sunt, statim sequantur corruptelae. Ut in fabulis dicunt, interfectis a Iove gigantibus terram ex eorum sanguine alios gigantes genuisse, Ita ex veterum Sophistarum reliquiis novum nunc genus exoritur, videlicet astuti quidam. qui servientes potentum adfectibus novis praestigiis excusant veteres ritus, affingunt molliores et plausibiliores interpretationes, sed ita ut nervos superstitionum retineant.

Has Sirenes non minus metuo, quam priorem illam Monachorum Sophisticam. Nam hae sunt instructae literis, habent sudia potentum et sapientum, in quorum animis multum valent hae speciosae rationes et *πιθανολογία*. Et cum non adsentimur eis, dicimur morosi, fatui, dimicare de nostris somniis, non habere rationem publicae tranquillitatis. Non facile est, aut refutare illas strophas, aut contemnere convicia, Sed cum vigilantia ac eruditione, tum vero etiam quadam magnitudine animi opus est in hoc certamine. Quare nunc quidem hanc Lucubrationem piis scholasticis inscripsi, ut eos admoneam, ut haec Ecclesiae pericula prospicientes, se diligentius ad sincerae doctrinae conservationem praeparent.

Optandum quidem est, ut Deus excitet aliquos bonos Principes, qui Ecclesiis hospitium praebeant. qui vere colant Deum, et Evangelii lucem extingui nolint. Sed omnibus aetatibus tales rari fuerunt. Ac saepe cohorresco toto corpore, de Imperiis cogitans, cum in illo summo loco, in quo lucere maxime notitia Dei, Sapientia, Iustitia, et ceterae virtutes debebant, (Ideo enim gubernator imago Dei dicitur) maxime grassari video hostem Dei Diabolum. Cum igitur pauci fuerint boni Principes, et inter bonos plerique infirmi, *καὶ εὐμετάβολοι*, res ostendit Ecclesiam inde usque ab initio magis privatorum diligentia propagatam, et auctam esse, quam Regum ac Principum consiliis et virtute. Abraham, Isaac, Iacob, vagabantur ut errones, et coelestem doctrinam cum familiis suis, tum vero etiam vicinis populis impertiebant. Interim Regna duo utrinque mediocriter floruerunt Chaldaicum et Aegyptium, quae hos Dei praecones nihil adiuvabant. Tandem Aegyptio Regi a Ioseph tradita est coelestis doctrina. Hic Regem patronum aliquantisper pius coetus nactus est. Sed paulo post succedentes Tyranni annis amplius octoginta atrocissimam crudelitatem iu hospites illos exercuerunt. Ita postea etsi aliqui pii Reges velut stellae fulserunt in Iuda, tamen saepe prophetae rexerunt Ecclesiam in Israel ac Iuda, cum essent privati, ac regibus pontificibusque invisi. Cum Ioannes Baptista nasceretur, pontifices ac Reges erant athei, Quos tunc habebat Ecclesia gubernatores? tres mulierculas, Annam, Elisabet, ac Mariam, et oppressos Tyrannide cives pauculos, Simeonem, Zachariam et Io-

---

19) *φιλονεικίᾳ*] sic recte Ed. 14.: Ed. 13. *φιλονεικεία*.

seph. Deinde Romani Imperatores usque ad Constantinum toties delere funditus Ecclesiam conati sunt. Durat illa tamen, ac ut Poetae verbis utar, per damna, per caedes, ab ipso ducit opes animumque ferro. Et quidem certo consilio detrahit ei Deus Regum praesidia plerumque, ut discat ab ipso pendere, Fide coeleste auxilium expectare, agnoscere praesentiam Dei in hoc coetu, non humanis consiliis niti.

Universam igitur Ecclesiam Scholastici intueantur, quam cum ab hoc nostro ordine privatis studiis maxime propagatam esse animadvertent, cogitent quantum nobis munus Deus commendarit, ad quae certamina vocet. Ad haec praeparemus nos, Nec frangamur animis, etiamsi potentum odiis urgemur, sed statuamus Deum gubernaturum esse exitus, et servaturum suos praecones, suas Scholas, et conciones. Haec praecipue curat et tuetur Deus, etsi tanta est caligo humanae mentis, ut cum intuemur certas motuum coelestium Leges, gratissimas diei ac noctis, aestatis et hyemis vices, haec quidem curae esse Deo adsentiamur, Cum vero referimus oculos ad confusionem rerum humanarum, ac regnare Tyrannos, Ecclesiam vero opprimi videmus, admiremur hanc ordinis perturbationem, ac de providentia dubitemus. Sed erigenda mens est. Cum filium aeternus Pater maxime amet, et propter ipsum elegerit Ecclesiam, ac propter Ecclesiam cetera omnia condiderit, certo statuamus amari et curari a Deo hunc coetum, qui Evangelium circumfert, ubicunque vagatur, Ac prior haec Dei cura est, quam regere motus syderum, aut temporum vices, aut Imperia tueri. Haec omnia propter Ecclesiam sustentat.

Et quia species alia in oculos incurrit, ac negligi videmur, toties adfirmat, iurans etiam, se vere nos complecti ac defendere. Ingens est enim acervus dulcissimarum promissionum, quibus testatur Deus sibi nos curae esse. Has ideo proposuit, ut de ipsius voluntate iudicaremus non ex hac eventuum humanorum varietate, sed potius ex ipsius dictis, quae certos exitus monstrant. Erat Eliae hospitium pulso ex toto regno Israel apud mulierculam ethnicam, quae tamen magnitudine animi magnis regibus antecelluit. Nam Prophetae vitam non suae tantum, sed etiam filii vitae anteposuit. Ac Propheta ita servatus est, ut in his ipsis periculis doctrina vicinis gentibus illuxerit. Cum igitur et promissionibus et exemplis ostenderit Deus, sibi curae esse studiosos Evangelii, hanc scholasticam militiam non deseramus, sed maneamus in statione, in quam divinitus collocati sumus, recte tradita retineamus et eventus Deo commendemus, qui flectet etiam aliquorum Principum ac populorum voluntates ad amplectendam et iuvandam veram doctrinam.

Cum autem duae virtutes maxime salutares sint Ecclesiae, amor Veritatis, et cura retinendae concordiae inter eos, qui verae doctrinae societate coniuncti sunt, has diligenter colamus. Scholastici assuefaciant se ad proprietatem sermonis in explicatione dogmatum, vitent ambigua et flexiloqua, quae serunt certamina, et pariunt errores. Et cum utile est universae vitae studium perspicuitatis in dicendo, tum vero significatio est ingenuae et iustae naturae, ut testatur dictum vetus in Tragoedia Euripidis,[20] *ἐσθλὸν τὸ σαφές.* Ludant servi in Comoediis et Sycophantae ambigue dictis, certent inanibus verborum cavillationibus. Haec aliena sunt non solum ab Ecclesiae gravitate, sed etiam ab omnibus ingeniis a natura bene institutis. Ego certe, quantum potui, dedi operam, ut proprie et recte loquerer in explicandis dogmatibus, retineo etiam phrases in Ecclesia veterum consensu comprobatas, ac ne quidem cum recentibus Longobardi interpretibus de verbis litigo, ubi de rebus convenit. Sed interdum rerum discrepantia cogit nos potius imitari linguam Apostolorum, quam consuetudinem Thomae aut Scoti, quorum sermo in multis rixis minus intelligi potest, quam numeri Platonici.

Saepe etiam iam comperi, homines astutos insidias struere veritati, offundentes oculis atque animis hominum ambigue dicta, tanquam praestigias. Itaque hi Cothurni odio digni sunt, et a piis vitandi et explodendi, Dicamus in Ecclesia scapham, scapham, et ficum. ficum, ut est in proverbio, nec Labyrinthos proponi Ecclesiae sinamus, qui bonas mentes perturbent, et in malis confirment errores.

Altera virtus, videlicet cura tuendi consensus piorum, quam necessaria sit, significant tot conciones coelestes, quae hortantur doctores et auditores ad studium concordiae, ad quam retinendam quadam Philosophia opus est, hoc est, aequitate animi quae interdum dissimulet offensiones bonorum, et candore in iudicando, ne recte dicta aut facta calumniose depraventur. Ego si quid dixi, quod videtur vel absurdum, vel periculosum, admonitus libenter mutabo, Tantum rogo, ut in iudicando adhibeatur candor, quo me usum esse etiam in censura multarum veterum opinionum constat. Et spero multos videre, hunc fuisse meorum consiliorum scopum, Primum, ut quam possem propriissime traderem adolescentibus summam doctrinae Ecclesiarum nostrarum, Deinde ut nostrum consensum tuerer. Ad haec duo praecipue existimo nobis in scholis quasi manum dirigendam esse. Invitare etiam sanabiles volui, ut amplecterentur doctrinam salutarem, sed miscere dogmata, aut stabilire adversariorum errores nunquam volui.

---

20) Eurip. Iphig. Aul. 560. ed. Barnes.

Multarum rerum nativa sunt dissidia, Sed multo est maius dissidium verae Ecclesiae, cum blasphemis et parricidis pollutis sanguine piorum. Nunquam enim Diabolus exuet odium filii Dei. Moveor etiam vaticiniis Prophetarum, qui significant postremo tempore pontifices Evangelio acerrime adversaturos esse. Quare cum non sperarem eos sanari posse, nostrum inter nos consensum tuendum nobis esse sensi, fui hortator, ut nostram Spartam, hoc est, nostras Ecclesias et Scholas maiore studio ornaremus. Idque ut faciamus hortator semper ero. Inter nos Psalmum [132.] uno concentu et uno pectore sonemus: Ecce quam bonum habitare fratres in unum, Quam grata Deo, quam utilis ac dulcis res est concordia Ecclesiae, Sicut Ungentum quod destillat a vertice in barbam Aaron, ac totam fimbriam vestis. Ludit Psalmus poetica similitudine, Flagrantior est concordia, quam balsamum, quo pontifex ungebatur. Sed huius Balsami mentionem facit, ut quae sit concordiae causa significet. Ut idem Balsamum in os pontificis, ac vestem totam destillat, Ita eadem coelestis doctrina pontificem et totum coetum doctorum imbuat, ac regat. Addit et rore gratiorem esse concordiam, qui depluit in Sion. Contineat doctrina eadem gubernatores omnes in tota Republica. Hoc consensu piorum, inquit, delectatur Deus, haec foedera verae [21]) doctrinae probat et tegit. Toto pectore vota facio, ut ubique terrarum recte colatur Deus, ut gloriam filii Dei omnes agnoscant, ut omnes liberentur ab aeterno supplicio. Sed interea cum iis, qui delere Evangelium conantur, qui inflammant Regum iracundiam adversus nos, quae nobis possunt esse σπονδαί, cum Paulus iubeat eos execrari tanquam ἀναθέματα. Expetenda est concordia, sed ita ne Evangelii lux extinguatur, deinde primum membra Christi non hostes complectamur. Nec profecto exiguus est labor, domesticam concordiam tueri, praesertim hoc tempore, quod suo quodam fato tumultuosius est. Et consentaneum est quietiora esse ingenia, cum Respublicae sunt tranquillae.

Hanc commemorationem in hac praefatione non intempestivam esse iudicavi, prodest enim scholasticos admoneri, quantum onus sustineant divinitus impositum, ad quos fines haec militia scholastica dirigenda sit, quae pericula cavenda. Harum rerum maximarum cogitatio in bonis et discendi et regendorum morum curam exuscitat. Nam qui se divinitus vocari ad haec omnium asperrima certamina vere sentiet, is praemetiens periculorum magnitudinem diligentius se praeparabit, discet coelestem doctrinam, evolvet omnem antiquitatem, conferet suas cogitationes cum piis, doctis, et peritis, fontes quaeret harum gravissimarum controversiarum, quae in Ecclesia agitantur. Opto autem ut labores mei cum universae Ecclesiae, tum maxime Scholasticis, qui praecipua pars sunt Ecclesiae, prosint, cum quo ordine cum non solum voluntate sed etiam natura coniunctus sim, hanc lucubrationem potissimum ipsis dedicandam et commendandam esse duxi, et vicissim eos adhortor, ut mutuam praestent benevolentiam ac illud Theocriti meminerint τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, μύρμακι δὲ μύρμηξ. [22])

21) verae] sic Ed. 14.; Ed. 13 vere.

22) Theocr. Idyll. IX. 31. — Huic versui Theocr. in Editt. 13. 14. subiunctum est illud Camerarii Epigramma supra in Prolegg. p. 241 sq. allatum.

LOCI COMMUNES THEOLOGICI. [1])

Sicut in aliis artibus prodest tenere praecipuos locos methodo et serie quadam dispositos, quibus cognitis initia, progressiones, exitus artium prospici possunt, ita conducit et in doctrina Christiana methodum aliquam informare. Constat enim hanc unam esse iustam perfecte docendi viam, omnium doctorum et prudentum litteris celebratam. Porro quidam in colligendis Theologicis locis, tantum quosdam ex Philosophia morali accersunt. Enumerant virtutes, ut Iustitiam, Temperantiam, Beneficentiam et similes. Sed Christiani scire debent, etsi hi Philosophici loci ad partem aliquam legis Dei recte referuntur, tamen ingens discrimen inter doctrinam Christianam et Philosophiam esse, et requirendas hic esse alias res multo maiores, ignotas Philosophiae, ut mox apparebit in catalogo locorum. Ac si quis propius considerabit ipsam seriem sacrorum librorum, animadvertet aptam esse eorum oeconomiam. Primus initio concionatur de rerum primordiis, docet mundum a Deo conditum esse, describit hominis naturam et dignitatem, monstrat initium, causam, et poenas peccati. Describit et initium Evangelii, quomodo initio promissum sit semen, quod liberaret nos a tyrannide diaboli, hoc est, a peccato et morte. Haec iam initia sunt Ecclesiae. Postea in historiis sequuntur multae conciones de lege et Evangelio, videlicet de iudicio Dei, de poenis impiorum, de praemiis piorum, de vita aeterna. Qualis est illa prima concio ad Cain [Genes. 4, 7.], Si bene feceris, recipies, sin autem male, peccatum tuum etsi quiescet, revelabitur tamen, sed peccatum sit sub te, et tu domineris ipsi.

1) Ed. 11. addit: PHILIP. MELANTH.. it. Opp. Bas.: PHILIPPI Melanchtonis.

Coniunxit[2]) mandata, praemia, poenas. Testatur Deum iudicem futurum, significat et differri iudicium, impios aliquamdiu florere, iustos male affligi, sed restare aliquod iudicium. Tecte igitur vaticinatur[3]) de postremo iudicio, de aeterna vita. Docet item in natura haerere peccatum, sed Deum tamen hanc inchoatam obedientiam, qua credimus Deum nobis ignoscere, et resistimus peccato, approbare. Vides integram Evangelii sententiam, nam ex superiori capite addenda est promissio de semine, propter quod Deus testatus est se iterum in gratiam recipere homines, et condonare peccatum. Haec promissio paulatim clarius revelatur ac proponitur. Renovatur et lex in Exodo. Historiae deinde continent exempla legis et Evangelii, irae et misericordiae, quod Deus vere puniat peccata, et ignoscat his, qui resipiscunt, bene faciat iustis. Ad eundem modum Prophetarum conciones consumuntur omnes in duobos locis, in lege et illustranda promissione Christi. Arguunt peccata, et rursus proponunt consolationem, docent de beneficiis Christi. Haec eadem postea in Evangelio clarius revelantur, et sparguntur in omnes gentes. Hac serie animadversa, facile iudicari potest, non sine ordine res necessarias ad pietatem in scripturis tradi. Postremo Paulus plane artifex est, et methodum adhibet in disputando, monstrat discrimen legis et Evangelii etc. Haec exempla imitabimur, et locos praecipuos doctrinae Christianae recensebimus, ac propemodum sequemur ordinem in Symbolis fidei traditum. Sciendum est autem, quod de his, quae sacrae literae iubent nos sentire, et de articulis fidei, non satis est habere ambiguas opiniones, sed oportet habere certam et firmam sententiam. Nam dubitatio parit impietatem et desperationem, iuxta illud [Rom. 14, 23.], Omne quod non est ex fide, peccatum est. Et Rom. 14. [4]) Unusquisque de sua fide certus sit. Et fides non est dubitatio, sed ἔλεγχος, id est, certa assensio de rebus non apparentibus. Quare hinc procul repudiandus est mos Academicorum et Scepticorum, qui vetant quidquam affirmare et iubent dubitare de omnibus rebus, seu certe ἐπέχειν, hoc est, suspendere assensiones. Prorsus tollit religionem, si quis iubet de voluntate Dei, quatenus in scripturis revelata est, hoc est, de comminationibus et promissionibus dubitare. Sic iudicandum est de ceteris articulis, quos scriptura proponit.

CATALOGUS LOCORUM.

De Deo.
Quod sit unus Deus.
Quod sint tres personae divinitatis.
De creatione.
De causa peccati.
De hominis viribus ac libero arbitrio.
De peccato et de poenis peccati.
De lege.
De discrimine praeceptorum et consiliorum.
De promissionibus.
De Evangelio et beneficiis Christi.
De discrimine legis et Evangelii.
De iustificatione, de gratia, et donatione Spiritus sancti, et vitae aeternae.
De fide.
De bonis operibus, et meritis bonorum operum.
De discrimine peccati venialis et mortalis.
De praedestinatione.
De discrimine veteris et novi Testamenti.
De spiritu et litera.
De libertate Christiana.
De sacramentis, et de numero sacramentorum.
De Baptismo.
De Baptismo infantium.[5])
De Coena Domini.
De sacrificio.
De Poenitentia.
De peccato in Spiritum sanctum.
De confessione peccatorum.
De satisfactione.
De potestate Ecclesiastica, seu de clavibus.
De Ecclesia.
De traditionibus humanis.[6])
De scandalo.
Quod Regnum Christi sit spirituale.
De resurrectione mortuorum.
De cruce toleranda, seu de adflictionibus.
De precatione.
De Magistratibus civilibus et dignitate rerum politicarum.[7])
De Angelis.[8])

2) Coniunxit] Ed. 12. typoth. errore: Coniuxit

3) Tecte igitur vaticinatur] Editt. 11—13. et Opp.: Tradidit (Editt. 12. 13. Tradit) igitur certum vaticinium

4) Et Rom. 14.] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: Item,

5) infantium] Editt. 11—13. et Opp.: infantum.

6) Post hunc locum in catalogo omnium Editt. omissus est locus: De mortificatione, qui illum in ipsa tractatione subsequitur.

7) Post hunc locum in catalogo omnium Editt. omissus est locus: De politia Ecclesiastica, qui illum in ipsa tractatione sequitur.

8) De Angelis] hunc locum et in hoc catalogo et in ipsa tractatione praecedentibus addunt Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

DE DEO.

Aptissimum huic loco exordium praebet admonitio Christi, in qua, cum Philippus interrogans de quaestione omnium maxima et gravissima, hoc est, de natura Dei, diceret [Ioh. 14. 8.], Domine, ostende nobis patrem, Christus revocat eum ab inquisitione arcanae naturae, et monet quomodo quaerendus et agnoscendus sit Deus. Ait enim [Ioh. 14, 9 sq.], Qui videt me, videt et patrem. An non credis, quod ego in patre sum, et pater in me est? Magnos tumultus in animis hominum cient speculationes de Deo, cum sine verbo Dei et signis a Deo propositis disputant de natura et voluntate Dei. Etsi enim sunt vestigia quaedam divinitatis impressa rerum naturae, tamen tanta est infirmitas humanarum mentium, ut non satis afficiantur illis vestigiis, cumque vident bonis male esse, et malis bene esse, dubitant, an Deus curet res humanas, an vero omnia casu eveniant. Praeterea illa voluntas Dei, cuius cognitio ad salutem necessaria est, nullo modo potest ratione deprehendi, videlicet, quod Deus velit remittere peccata. Haec enim sententia, haec voluntas tantum divina voce revelata est in promissionibus et Evangelio.

Itaque ut mentes humanae possent aliquo modo Deum apprehendere, et voluntatem cernere, Deus semper proposuit aliquod verbum et aliquod signum, ad quae referrent se mentes humanae, et per verbum ac signum apprehenderent Deum. Ita in primo praecepto [Exod. 20, 2.], Ego sum Deus, qui eduxi te de terra Aegypti, novum et memorabile factum proponit, ut sciant, quem Deum invocare et colere debeant, videlicet, hunc qui Israelitas eduxit ex Aegypto et hoc verbum eis tradidit. Ac facta quidem omnia et signa omnia, testimonia ac typi erant venturi Christi. Nobis igitur iam hic ipse Christus natus, passus, crucifixus, mortuus, resuscitatus, proponitur. In hunc Christum et verbum eius intueri fide debemus, quoties animi incipiunt dubitare ac disputare, quae sit vel natura Dei, vel voluntas. Nam si mentes hominum abduci se ab hoc scopo sinent, et conabuntur sine verbo Dei, cogitationibus humanis metiri et comprehendere divinam naturam, incident in horrendas tenebras. Deinde de voluntate Dei res loquitur ipsa, non posse homines sine Evangelio, tantum iudicio rationis cognoscere misericordiam Dei, hoc est, statuere, quod Deus velit ignoscere. Itaque hunc aditum nobis ad agnitionem[9]) Dei proponit Evangelium, de quo loquitur Paulus, cum ait [1. Cor. 1, 21.], Cum mundus Deum in sapientia non agnosceret per sapientiam, placuit Deo per stultam praedicationem salvos facere credentes. Iubet enim non scrutari naturam, sed agnoscere voluntatem in Christo propositam, qua agnita, tum vero et praesentia Dei, bonitas ac efficacia in nobis cernitur. Atque haec notitia non debet esse otiosa speculatio, sed cum perterrefactae mentes agnoscunt peccata, ac eriguntur iterum voce Evangelii, et reiiciunt se in Christum, et misericordiam apprehendunt, ibi, cum consolationem concipiunt, cernitur Dei praesentia ac bonitas. Haec methodus non progreditur a priore, hoc est, ab arcana Dei natura, ad cognitionem voluntatis, sed a cognitione Christi et misericordiae revelatae in Evangelio ad cognitionem praesentiae Dei. Hanc notitiam exercere et confirmare in omni vita, in omnibus periculis, in omnibus negotiis, et excitare animum ad timorem, fidem, invocationem multo rectius et melius est, quam otiosas speculationes agitare, et rixari de scholasticis argutiis, quae tamen non explicant arcanam naturam Dei. Et quia pleraeque sunt inextricabiles, haud dubie multorum conscientias everterunt, non erudierunt. Quare modum esse harum disputationum magnopere prodest.

Et tamen ut veri cultus Dei retineantur, necesse est tenere sententias divinitus revelatas de unitate divinae essentiae, de Omnipotentia, de Christi naturis, de Spiritu sancto. Ac de his quidem non instituam longas disputationes, sed recitabo Ecclesiae Christianae sententiam. Et ut conscientiae piorum habeant in promptu testimonia, colligam locos aptos ex Propheticis et Apostolicis scripturis, qui simul et confirment fidem, et admoneant nos de illa practica notitia. Semper enim meminerit pius lector non esse resistendum in otiosis speculationibus, ac ne prodest quidem in eis commorari. Sed statim referenda mens est ad Christum, et ad cognitionem misericordiae, ut exerceamus fidem et invocationem. Ibi clarius innotescet Deus, quemadmodum iubet Christus, ut se intueamur, cum patrem quaerimus. Ait enim [Ioh. 14, 9.], Qui videt me, videt patrem. Item [Ioh. 14, 6.], Nemo venit ad patrem, nisi per me. Et Matth. 11. [vs. 27.:] Nemo novit filium nisi Pater, neque Patrem quisquam novit nisi filius, et cui voluerit filius revelare.

QUOD UNUS SIT DEUS.

Descriptiones Dei passim extant in scripturis, quae collectae definitionem efficiunt. Testatur enim scriptura, Deum esse substantiam spiritualem. Sic Christus inquit [Ioh. 4, 24.], Deus est spiritus. Tribuit ei aeternitatem, infinitam potentiam, infinitam sapientiam, infinitam bonitatem, infinitam iustitiam, infinitam misericordiam. Porro substantia intelligatur hic non quia sustentat accidentia, nam in Deo nihil est caducum. Substantia significat hic

9) agnitionem] Opp.: cognitionem.

propriissime *οὐσίαν* per se subsistentem. Sapientia, bonitas, misericordia, iustitia non sunt accidentia in Deo. Sed sicut potentiam non divellimus a substantia, sic nec sapientiam nec bonitatem a substantia separamus. Nam potentia reipsa est sapientia, bonitas, et similes vires, ut ita dicam.

TESTIMONIA DE UNITATE DEI. [10])

Nunc quaeremus testimonia de unitate Dei. Deut. 6. [vs. 4.:] Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Dominus tuus est.

Esaias 44. [vs. 6.:] Haec dicit [11]) Dominus Rex Israel et redemptor eius, Dominus exercituum. Ego sum primus et novissimus, et praeter me non est Deus.

Esaias 45. [vss. 5 — 7.:] Ego sum Deus, et non est ullus praeterea, praeter me non est Deus. Ego Deus et non est alius, formans lucem et creans tenebras. Item [ibid. vss. 18—20.:], non est alius Deus praeter me, Deus iustus et salvans non est praeter me. Convertimini ad me et salvi eritis omnes fines terrae, quia ego sum Deus et non est alius.

1. Corinth. 8. [vss. 4—6.:] Scimus quod nihil est idolum in mundo, et quod nullus est alius Deus nisi unus. Nam etsi sunt qui dicuntur Dii, sive in coelo sive in terra, sicuti sunt Dii multi, et domini multi; nobis tamen unus est Deus Pater, ex quo omnia et nos in illo, et unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia et nos per eum.

Ephes. [4. vs. 6.:] Unus Deus et Pater omnium, qui super omnes et per omnia.

Hunc articulum, ut alios omittam, Manicheus oppugnavit. Quia non videbatur ei consentaneum, eundem esse autorem et conditorem bonorum et malorum. Ideo finxit duo principia pariter coaeterna, hoc est, duos Deos, alterum bonum, autorem bonorum, alterum malum, autorem malorum. Adversus hanc impietatem tenere oportet sententias de unitate Dei. Quid autem respondendum sit de origine mali, dicemus infra de creatione. Excogitaverunt et Valentiniani prodigiosam multitudinem deorum, quae facile potest refutari.

DE TRIBUS PERSONIS DIVINITATIS.

Scriptura docet unum esse Deum, et tamen tribus personis tribuit divinam essentiam. Statuendum est igitur, Unam tantum divinam essentiam esse, et has personas eandem essentiam habere, et ut verbo synodi utar, *ὁμοουσίους* [12]) esse. Vocant autem Ecclesiastici Patres personam in hac disputatione, non quod alias in Latina lingua aut in theatris significat certi habitus, seu officii distinctionem, ut cum dicimus, Roscium sustinere alias personam Aiacis, alias personam Ulyssis, alias personam regis, alias servi. Sed vocabulum personae in his Ecclesiasticis disputationibus usurpatur pro substantia individua, intelligente non communicabili. [13])

Nazianzenus [14]) scribit latinos dixisse personam pro Hypostasi, cum non haberent aliud nomen commodius, etsi graeci etiam postea *πρόςωπα* maluerunt dicere quam Hypostases. Sunt itaque tres personae divinitatis, immensae, coaeternae, *ὁμοούσιοι*, Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Filius vocatur a Iohanne verbum, *λόγος*. In Epistola ad Hebraeos [1, 3.] filius vocatur character substantiae patris. Et quod loquatur de natura divina filii, hinc intelligi potest, quia dicit per filium omnia condita esse. In Colossensibus [1, 15.] vocatur *εἰκὼν τοῦ θεοῦ*, imago Dei patris. Hinc sumi potest interpretatio, quare filius vocetur verbum. Pater intelligens sese gignit cogitationem quandam, quae est ipsius imago. Sicut et nostrae cogitationes sunt rerum imagines. Sed nos non transfundimus essentiam in imagines illas. Pater autem Deus transfundit essentiam suam in illam imaginem [15]). Haec cogitatio est imago et *ἀπαύγασμα* patris, et vocatur verbum. Ideo filium Iohannes nominat *λόγον*.

> Sunt qui aliquanto minus subtiliter *λόγον* dici existimant, quia sit persona loquens cum patribus; sicut in scriptura constat filium dei collocutum esse cum Iacob, Moyse, Daniele. [16])

Tertia persona vocatur Spiritus Sanctus. Hic in Iohanne dicitur procedere a patre et filio, non nasci. Et hae appellationes, quae discrimina personarum indicant, diserte observandae et retinendae sunt. Nomen Spiritus indicat, nonnihil quo modo haec persona discernatur ab aliis. Nam vocabulum spiritus alias significat agitationem seu vim agitantem.

DE DISCRIMINE PERSONARUM. [17])

Cum autem paulo post in testimoniis saepe fiat mentio Christi, hic addendum duxi de discri-

---

10) Hanc inscriptionem addunt Ed. 11. et Opp.

11) dicit] Ed. 11. et Opp.: dixit.

12) *ὁμοουσίους*] Editt. 1. 2. *ὁμουσίους*.

13) non communicabili.] haec in Editt. 11—13. et Opp. addita sunt.

14) Nazianzenus] sic Ed. 14.; ceterae Editt: Nazanzenus.

15) transfundit — imaginem.] Editt. 7. 8. 11 — 14. et Opp.: communicat Essentiam suam illi imagini.

16) Sunt — Daniele.] haec addunt Editt. 11—13. et Opp.

17) Haec inscriptio additur in Ed. 11. et Opp.

mine personarum. Filius destinato tempore assumpsit humanam naturam ex virgine Maria. Estque Christus filius ille, una persona, constans ex duabus naturis divina et humana. Pater non assumpsit humanam naturam, nec Spiritus sanctus assumpsit humanam naturam, sed est agitator, quo fovet divinitas, et vivificat, sicut describitur in ipso initio a Moyse. Libet enim hunc locum eo addere, quia pii et docti semper eum huc accommodarunt, ut aliquo modo describerent personas, et earum discrimina indicarent.

Dixit Deus. Hic fit mentio verbi, quod Deus ante creaturas dixerit, seu decreverit aliquid cogitando. Et in ea cogitatione resplendet imago Patris, quae est Filius. Deinde de Spiritu sancto. Spiritus Dei ferebatur super aquas. Id Iudaei detorquent ad ventum corporalem. Quanquam autem locus est subobscurus, tamen tecte significat se loqui [18] de divina quadam [19] vi fovente et conservante aquas, praesertim cum nominatim addat: Spiritus Dei. Ideoque homines pii intelligunt hunc locum de Spiritu sancto. Et hinc sumpserunt has descriptiones, quod Pater per Verbum creet res, et quod Divinitas foveat, agitet, vivificet Spiritu sancto.

TESTIMONIA.

Matthaei ultimo [28, 19.]: Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Hic nominatim tres personas recenset, et tribuit eis parem potentiam et honorem. Certum est enim baptismum esse quoddam de Deo testimonium, in quo Deus significat se nobis ignoscere, et nos recipere in gratiam. Ac vicissim nos confitemur, quod hic sit Deus, quem baptismus praedicat esse Deum: hunc invocandum esse, et ab hoc expectandam esse salutem. Cum igitur dicitur, In nomine Patris, confitemur, quod Pater ille [20] sit Deus, qui iam nobis ignoverit, qui nos receperit in gratiam, qui sit invocandus, qui sit omnipotens, qui possit et velit nobis dare vitam aeternam. Ac baptizati confidere debemus, haec praestare Patrem, et hac fiducia eum invocare.

Haec est sententia verborum baptismi. Cum igitur verba illa profiteantur Patrem esse Deum, esse omnipotentem, esse invocandum, et Christus ad huius honoris societatem addat Filium et Spiritum sanctum, testatur potentiam parem esse. Cumque par sit potentia, significat eos *ὁμοουσίους* esse.

Deinde constat Patrem et filium Christum personas distinctas esse. Quare et nomine Spiritus sancti, persona distincta significatur. Nam si Spiritus significaret tantum ipsum Patrem agitantem, aut moventem res, bis nominasset Patrem, essetque otiosa *ταυτολογία*. Et in hanc sententiam Basilius prudenter et graviter ratiocinatur ex hoc dicto Christi, Patrem et Filium et Spiritum sanctum *ὁμοουσίους* esse. *δεῖ γὰρ ἡμᾶς βαπτίζεσθαι μὲν, ὡς παρελάβομεν, πιστεύειν δὲ ὡς βαπτιζόμεθα, δοξάζειν δὲ, ὡς πεπιστεύκαμεν, πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα.*

Sed quia passim sparsae sunt in scriptura probationes, quarum aliae de filio tantum loquuntur, aliae de Spiritu sancto; colligenda erunt primo testimonia de filio. Est autem praecipua probatio in primo capite Iohannis. Quem quidem ferunt [21] hac occasione coactum scripsisse suum Evangelium, quod Ebion et deinde Cerinthus sparsissent Iudaicam opinionem, et detraxissent Christo divinam naturam, ac finxissent eum tantum habere naturam humanam. Sed priusquam ad Iohannem accedo, ponam duas rationes sumptas ex [22] Scriptura, quae meo iudicio utiliter et docent et consolantur pios.

Prima est. Necesse est fateri, Christum esse naturalem [23] filium Dei, quia scriptura discernit filios adoptionis a filio Christo. Iohannes enim vocat Christum, unigenitum filium, Iohan. 1. [vs. 14.:] Gloriam tanquam unigeniti. Porro cum haud dubie sit natura filius, necesse est in eo aliquid esse divinae naturae [24] substantialiter. Quicquid autem est extra personam Patris, quod tamen est aliquid divinae naturae, id necesse est personam esse.

Secunda ratio: Tota scriptura magno consensu praecipit Christum adorare, invocare, iubet in eum confidere; ergo tribuit ei potentiam infinitam et divinam, quod ubique adsit, corda inspiciat, exaudiat, quod iustificet, quod salvet. Necesse est igitur in Christo esse divinam naturam. Extant autem clara testimonia de invocando Christo, de fiducia in Christum. Matth. 11. [vs. 28.:] Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Iohan. 3. [vs. 36.:] Qui credit in filium, habet vitam aeternam. Esai. 11 [vs. 10.:] In die illa radix Iesse stabit in signum populis, gentes ipsum deprecabuntur. Psalm. 45. [44, 12.:] Et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Deus tuus, et adorabunt eum. Psalm. 72. Et timebunt eum, donec erunt sol et luna. Item: Deprecabuntur coram ipso semper.

---

18) tamen ... loqui] Edd. 11–13 et Opp.: tamen apparet eum loqui

19) quadam] Ed. 11. [illegible]

20) ille] Opp. male: illae.

21) ferunt] Edd. [illegible] typoth. errore: serunt

22) ex] Ed. 11. male: et

23) naturalem] Edd. 11–13. et Opp.: natura

24) aliquid esse divinae naturae] Edd. 8. 11–13. et Opp.: aliquam esse divinam naturam

In his et similibus testimoniis clare dicitur de perpetuo regno Christi, quod perpetuo sit invocandus, perpetuo sit adorandus. Ergo non potest intelligi haec odoratio de externa significatione honoris, quae praesenti, velut regi, tenenti regnum corporale vel civile exhibetur. Sed referendae sunt hae sententiae ad Regnum Christi regnantis in potentia Dei. Sicut Psalm. 110. [vs. 1.] dicit: Sede a dextris meis. Et qui testatur Christum invocandum esse, manifeste tribuit et potentiam divinam. Quare his rationibus sustentemus nos, quae simul et docent, qualis honos Christo competat, et nos consolantur, et monstrant beneficia Christi. Invocatio tribuit Christo omnipotentiam. Ideo haec ratio tenenda est in conspectu, et constanter opponenda calumniis, quae detrahunt Christo divinam naturam.

Nunc ad Iohannis sententiam accedamus. Iohannes testatur primum λόγον aeternum esse, cum ait [1, 1.:] In principio erat verbum Si enim fuit [24a]) initio λόγος ante conditionem omnium creaturarum, ergo λόγος non est creatura, sed est coaeternus Patri. Addidit: Et λόγος erat apud Deum. hic discernit personas Patrem Deum et λόγον, cum ait λόγον fuisse apud Deum; sed hoc discrimen postea clarius ostendemus. Deinde addit: Et Deus erat verbum. Hic manifeste testatur λόγον esse Deum. Et articulus graecus docet, quomodo haec particula construi debeat. Nam λόγος poni debet loco subiecti, Deus loco praedicati, ut λόγῳ tribuatur definitio describens quidnam sit, hoc modo: Et λόγος erat Deus. Nam articulus ad subiectum pertinet.

Hoc testimonium clarissimum est. Nam haec tota narratio Iohannis proprie ad hoc instituta est, ut Dei naturam describat. Quare etsi in aliis narrationibus, quae non de natura loquuntur, sed de humanis officiis divinitus ordinatis, interdum metaphora est in nomine Dei, ut: Ego dixi Dii estis; tamen in hac narratione Iohannis necesse est propriissime accipi vocabulum Dei. Itaque meminerimus hoc testimonium, quod diserte pronuntiat, quae sit natura verbi, scilicet, quod λόγος sit natura Deus. Et vel haec una sententia clarissime refutat Arianos, qui cum concederent [25]) λόγον esse personam, tamen negabant, natura Deum esse. At postquam concedas λόγον personam esse, haec sententia, Et λόγος erat Deus, postea fateri cogit, quod λόγος sit natura Deus. Illud igitur praecipue nobis illustrandum est, quod λόγος sit persona. Nam haec est principalis controversia in hac causa.

Multae sunt exortae haereses contra Trinitatem. Sed quaedam adeo monstrosae sunt, ut Valentiniana et delirium Manichaeorum, ut nihil afferant, quod in speciem ullo modo sit probabile. Itaque facile iudicari et revelli [26]) possunt. Sed Paulus Samosatensis callidissime et vaferrime contendit λόγον non esse personam. Sed sicut in homine cogitatio hominis aut sermo non est persona, sed quaedam hominis qualitas aut motus transiens: ita contendit in Deo λόγον non esse personam, sed tantum cogitationem Patris, quae sit ipse Pater. Sicut dicimus mentem aut bonitatem Patris esse ipsum Patrem. Aut si sermo vocalis intelligatur, disputavit absurde pro voce ac motu aeris, aut cogitatione aliis revelata, intelligi substantiam ac personam. Postea Iohannem ad hanc interpretationem accommodat. Dicit initio fuisse verbum, hoc est, cogitationem seu propositum Dei constituentis, quod velit se patefacere per conditionem creaturarum; item quod velit se revelare in Christo, ut in eo innotescat, et per eum salvet homines. Hanc cogitationem dicit fuisse ipsum Deum. Et hac Dei cogitatione, hoc proposito dicit omnia condita esse. Sicut in Genesi [1, 3.] scriptum est: Dixit Deus, fiat lux etc. Item postea voce omnia Deus gessit, loquens ad patres Adam, Noe, Abraham, ad Prophetas edens subinde promissiones, donec tandem revelavit se Deus in Christo. Ibi verbum fit caro, id est, propositum illud de se revelando in illo Christo, seu promissio de Christo iam perficitur, fit caro, in qua se Deus voluit revelare. Et ait Iohannem ita ordiri, ut ostendat, Evangelium non esse humanum inventum, sed perpetuum Dei propositum fuisse, hunc filium, in quo innotesceret et per quem salvaret homines, exhibere mundo; ideoque promissiones factas esse, et omnes revelationes factas esse, ut essent testimonia de isto futuro Christo.

Haec est Samosateni interpretatio, quae quia alludit ad humanum exemplum, impiis propter concinnitatem blanditur. Hoc diligentius colligenda sunt firma testimonia, et pio studio muniendae sunt mentes contra hanc cavillationem.

TESTIMONIA quae testantur in Christo esse divinam naturam. [27])

Recitemus igitur testimonia, quae ostendunt λόγον personam esse, et vere significare tale quoddam verbum, in quo Dei imago, persona, seu hypostasis est, quae persona loquitur cum Patribus et Prophetis. Facilius est refutare Arianos. Nam si quis concedat λόγον esse personam, id quod fatebantur Ariani, Iohannes postea clare testatur λόγον esse Deum. Sed utrique, tum Ariani tum Samosateni, ita refutari pos-

24a) fuit] Opp. male: non fuit.

25) concederent] Ed. 11. et Opp. errore typogr.: conderent.

26) revelli] Opp.: refelli.

27) Hanc inscriptionem addunt Ed. 11. et Opp.

sunt collectis testimoniis de Christo. Cum enim probatum est in Christo divinam naturam esse, necesse erit illam naturam et personam, et natura Deum esse. Scriptura testatur λόγον personam esse, quia aliquoties dicit per filium omnia condita esse. Necesse est igitur in Christo aliquam divinam naturam esse, per quam omnia sint condita. Constat enim mundum non esse per humanam naturam Christi conditum. Iohannis 1. [vs. 10.] In mundo erat, et mundus per ipsum factus est. Coloss. 1. [vs. 16.] Omnia per ipsum et in ipso condita sunt, et ipse est ante omnia, omnia[28]) consistunt per ipsum. Ebraeos 1. [vs. 2.] Per filium, quem posuit haeredem omnium, per quem et secula fecit, qui est fulgor claritatis et effigies substantiae eius, ferens omnia verbo potentiae suae. Hae sententiae clare testantur in Christo et esse et manere quandam divinam naturam, per quam omnia condita sint.[29]). Quare λόγος non significat propositum, seu cogitationem extra substantiam Christi, nec significat vocem transeuntem, sed naturam manentem in Christo, quae res condidit et conservat. Est igitur λόγος persona. Haec testimonia nihil habent ambigui; tametsi non ignoro, quomodo astuti quidam eludant ea; sed illi cum affingunt suas interpretationes, calumniantur et corrumpunt simplices et planas scripturae Apostolicae sententias. Debet autem haec causa iudicari, non ex humanis opinionibus, sed ex divinis testimoniis. Addam huc dictum Iohannis in Epistola [I. 1, 1. 2.] Quod erat ab initio, quod audivimus, quod vidimus, quod manus nostrae contrectarunt,[30]) Verbum vitae, id annuntiavimus. Testatur hic quoque in ipso Christo esse et manere verbum illud, quod initio fuit.

Servetus lectori fucum facit, quasi probati scriptores vetustissimi senserint λόγον non esse personam, antequam induit humanam naturam. Et citat Irenaeum ac Tertullianum; sed utrique facit iniuriam. Nam Tertullianus adversus Praxeam palam movet hanc quaestionem: An λόγος sit natura subsistens, seu, ut nunc dicimus, persona? Et respondet affirmans esse personam seu ὑπόστασιν. Deque ea re multis verbis disputat, et sic ait: Quaecunque ergo substantia sermonis fuit, illam dico personam, et illi nomen filii vindico;[31]) et cum filium agnosco, secundum a Patre defendo etc.

Irenaeus etiam aperte affirmat λόγον fuisse personam, antequam assumpsit humanam naturam. Sic enim ait cap. 20. lib. 3. Ostenso manifeste, quod in principio λόγος existens apud Deum, per quem omnia facta sunt, qui et semper aderat humano generi, hunc novissimis temporibus, secundum praefinitum tempus a Patre, unitum suo plasmati, passibilem hominem factum misit.

Affirmat et Origenes περὶ ἀρχῶν[32]) diserte λόγον personam esse. Nemo putet, inquit, nos aliquid ἀνυπόστατον dicere, cum Dei sapientiam nominamus. Et postea: Si ergo semel recte receptum est, unigenitum filium Dei sapientiam eius esse substantialiter subsistentem. Idem postea affirmat, cum disputat de incarnatione.

Sed redeo ad Iohannem. Cum inquit [1, 14]: Verbo Caro factum est; Primum testatur Patrem et Verbum non esse eandem personam. Pater enim non induit humanam naturam. Sicut aperte testantur scripturae multis locis. Pater enim ait de filio [Matth. 3, 17.]: Hic est Filius meus dilectus. Deinde quia verbum fit caro, de persona loquitur, non de cogitatione vel voce transeunte. Certe enim cogitatio, quae Pater est ipse, aut vox transiens non fit caro. Sunt igitur in Christo duae naturae, λόγος et humana natura, sic unitae, ut Christus sit una persona. Utuntur recentiores verbo uniendi. Veteres etiam interdum dicunt permixtas esse. Quod si recte intelligatur, significanter dicitur, et ad formam huius orationis non male quadrat: Verbum caro factum est. Origenes etsi similitudinem huius coniunctionis propriam afferri posse negat, tamen comparat eam ferro ignito. Sicut ignis penetrat ferrum et undique ei miscetur, sic Verbum assumens humanam naturam, lucet[33]) in ea tota. Et natura humana velut accensa lumine quodam verbo unita est. Est itaque Christus natura filius Dei. Porro cum tenebimus Christum natura filium Dei esse, facile poterit et hoc defendi, quod in Christo sit quaedam divina natura, et quod λόγος sit persona.

Iohannis 20. [vs. 28.] Thomas vocat Christum aperte Deum inquiens: Dominus meus et Deus meus.

Roma. 9. [vs. 5.:] Qui est super omnia Deus benedictus. Et ne quis cavilletur, accipi Deum metaphorice, addantur testimonia, quae tribuunt Christo ea, quae sunt propria naturae divinae, scilicet, Vitam reddere, sanctificare, exaudire, salvare et similia.

TESTIMONIA quae tribuunt Christo ea, quae sunt propria divinae naturae.[34])

Iohannis 5. [vs. 21.:] Sicut Pater exuscitat mortuos et vivificat, sic et filius quos vult vivificat.

28) ante omnia, omnia] Ed. 11. et Opp.: ante omnia, et omnia
29) sint] Opp.: sunt
30) contrectarunt] Opp.: contractarunt
31) vindico] Opp.: vendico
32) ἀρχῶν] Opp. male: ἀρχον
33) lucet] Ed. 12. typoth. errore: licet
34) Hanc inscriptionem addunt Ed. 11. et Opp.

Item [ibid. vs. 19.:] Quaecunque ille facit, haec filius similiter facit. Hic aperte testatur se cum Patre pariter agere, creare.

Iohannis 10. [vs. 28.:] Ego do vitam aeternam.

Iohannis 14. [vs. 14.:] Quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam. Hic aperte testatur et se exaudire et se facere ea, quae petimus; quorum utrumque sine ulla dubitatione proprium est divinae et immensae naturae.

Item [ibid. vs. 23.:] Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.

Iohannis 16. [vs. 15.:] Spiritus sanctus de meo accipiet. Vivificat[35]) autem Spiritus sanctus. Quare cum de potentia Christi accipiat, necesse est Christi potentiam divinam esse.

Iohannis 15. [vs. 5.:] Sine me nihil potestis facere. Haec sententia testatur adesse Christum, movere et gubernare, quae sunt Dei propria.

Matth. 18. [vs. 20.:] Ubicunque sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Item Iohannis 20. [vs. 22.:] Dat spiritum sanctum. Porro id quoque[36]) Dei proprium est.

Iohannis 10. [vs. 17.:] Ego pono animam meam, et iterum sumam eam.

Iohannis 6. [vs. 44.:] Ego suscitabo eum in novissimo die.

Et deinde 6.[37]) [vs. 63.:] Si videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius.

Item 8. [vs. 58.:] Priusquam Abraham natus est, ego sum. Hic testatur se extitisse,[38]) antequam indueret naturam humanam.

Iohannis 17. [vs. 5.:] Glorifica me Pater apud te, ea gloria, quam habui ante mundum apud te.

Coloss. 2. [vs. 9.:] In ipso inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter. Q. d.[38a]) In aliis habitat Deus spiritualiter, hoc est, efficit novos motus in eis. In Christo habitat corporaliter, hoc est, re ipsa, seu substantialiter, seu, ut nos loquimur, naturaliter; ita quod ipsa natura seu substantia Christi divina est.

Ex veteri Testamento.

Hiere. 33. [vs. 16.:] Et hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dominus iustificator noster. Hic tribuit Christo et nomen Dei proprium, et nomen iustificatoris, ergo tribuit ei gloriam Dei, quae non competit nisi Deo.

Mich.[39]) 5. [vs. 2.:] Egressus eius ab initio ante dies mundi. Hoc testimonium etiamsi est obscurum, tamen significat, ante conditum mundum fuisse filium Dei; est igitur aeternus ac Deus.

Esai. 7. [vs. 14.:] Vocabitur nomen eius Emanuel, id est, Nobiscum Deus. Sed firmius est, quod sequitur.

Cap. 9. [vs. 6.:] Vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi. Iudaei vocabulum El, non tantum Deo tribui contendunt. Igitur illud urgeamus quod sequitur: Pater vitae perpetuae. Quod si est autor vitae perpetuae post hanc vitam; sicut et ipse inquit: Ego do vitam aeternam; necesse est eum Deum esse.

Esai. 53. [vs. 11.:] Notitia eius iustificabit multos. Si nosse Christum iustificat, necesse est eum Deum esse. Nam haec notitia significat non solum videre vel audire praesentem, sed significat fiduciam et invocationem. Sicut alias ait Esai. [14, 32.:] In eo sperabunt gentes. Ita scriptura saepius nos practice docet de divinitate Christi; et officia eius nobis commendat, ut fidem in nobis excitet et de vero cultu nos doceat. Quia in tali usu rectius agnoscimus Christum, quam in otiosis speculationibus.

Psalm. 45. [44, 12.:] Et concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Deus tuus.[40]) Hic regem ipsum Christum nominat Deum.

Palm 72. [71, 5.:] Et timebunt eum, donec erunt[41]) sol et luna.

Item [71, 11.:] Et adorabunt eum omnes reges terrae. Hic tribuitur Christo divinitas, quia loquitur non de officiis, quae regibus praesentibus praestantur, sed de perpetuo unius personae regno et de invocatione, quia Christus perpetuo colitur, tametsi non versatur nobiscum visibiliter. Et similia loca multa in scripturis occurrent, quae studiosus lector facile agnoscet.

Psalm. 109.[42]) [vs. 1.:] Dixit Dominus domino meo, sede a dextris meis. Inde argumentatur Christus [Matth. 22, 44 sq.], se non tantum esse filium Davidis, sed Dominum. Verum totus Psalmus ibi comprehendendus est. Postea describit regnum Christi: Sede a dextris meis. Cum autem pari potestate regnet cum patre, sequitur Christum Deum esse, cum potentia sit infinita.

Psalm. 2.[43]) [vs. 7.:] Ego hodie genui te. Hoc de solo Christo dicitur. Est igitur natura Dei filius. Quare aliquid Dei[44]) vere est in Christo.

35) Vivificat] Ed. 12. Vivificet

36) quoque] Opp.: quodque

37) 6. hunc numerum addunt Ed. 11. et Opp.

38) extitisse] Editt. 11—13. et Opp.: fuisse

38a) i. e. Quod designat.

39) Mich.] Opp. typoth. errore: Matth.

40) tuus] omittunt Ed. 11. et Opp.

41) erunt] hoc omittunt Editt. 1. 2. 4—6. 9.

42) 109.] sic Editt. 1. 2. 4—6. 9.; Editt. 7. 8. 11—14. Opp.: 110.

43) 2.] sic Editt. 2. 5—8. 11—14. et Opp.; Editt. 1. 4. 9

44) aliquid Dei] sic Editt. 1. 4. 5. 9. (et Ms. a. 1533. su tum); Editt. 2. 6—8. 11—14. et Opp.: divina n

Quod si obiicitur, naturam divinam non pati, non mori, Christum autem mortuum esse: vulgaris solutio est et necessaria: Cum duae naturae sint in Christo, quaedam propria uni naturae sunt, quae tamen non impediunt, quo minus adsit altera natura. Propria autem sunt haec humanae naturae, pati, mori et similia. Ideo et Petrus dixit, Christum passum esse carne. Hinc extitit regula de communicatione idiomatum, usitata in scholis, qua sane opus est. Est autem figura sermonis, qua proprietas alteri naturae conveniens tribuitur toti personae in concreto, ut Deus est homo, Christus est mortuus. Irenaeus sic inquit, Christum passum esse requiescente verbo, ut crucifigi ac mori posset. Id mihi aptissime dici videtur, et significanter describit humiliationem filii Dei, de qua Paulus loquitur ad Philippenses, ubi ai[t 2, 7.:] Exinanivit seipsum, hoc est, non est usus sua potentia, suis donis, sua gloria, non exeruit suas vires in passione. Ita[q]ue alicubi mihi usum videtur habere et haec responsio. Quod quaedam [45]) dicta loquuntur proprie de humiliato Christo, ut [Matth. 26, 37.]: Coepit taedere et pavere. Item [Matth. 27, 46.] Deus, quare dereliquisti me? Tenendae sunt enim hae sententiae, quod filius Dei sit redemptor, sit humiliatus.

Est et illa responsio magnopere necessaria, quod quaedam dicta discernant officia, ut [Ioh. 14, 28.:] Pater maior me est. Hic non de natura, sed de officio suo concionatur Christus. Iudaei accusabant Christum, quod doceret contra autoritatem Dei. Hic necesse fuit Christo allegare autoritatem Patris. Ideo testatur se missum esse a Patre, se accepisse autoritatem a Patre: sicut missus accipit a mittente autoritatem. In hanc sententiam inquit: Pater maior me est, id est, ego sum missus a Patre, accepi autoritatem a Patre. Ita loquitur non de natura, sed de officio. Haec satis sit de interpretatione dissimilium sententiarum monuisse. Volens enim omitto hic multas scholasticas disputationes. Reverenter enim de illa arcana et admiranda filii Dei humiliatione sentiendum et loquendum est, quae quidem ex prophanis disputationibus nec intelligi nec iudicari potest. Sed et afflictiones et potentiam Christi ita agnoscemus, cum et ipsius aerumnarum socii erimus, et fiducia ipsius rursus erigemur, et consolationem concipiemus. Admonui autem supra, in conspectu habenda esse haec duo argumenta: quod scriptura discernat Christum a filiis adoptatis et doceat Christum natura filium Dei esse; item, quod, cum scriptura praecipit invocari Christum, confidere ei, tribuat ipsi omnipotentiam. Haec duo argumenta et perspicue testantur in Christo naturam divinam esse, et prosunt ad invocationem, et vera fidei exercitia, quae veros honores Christi et veros cultus continent.

[46]) Cum cogitamus filium dei etiam patribus notum fuisse, et cum aliquibus collocutum esse, non solum doctrina de duabus naturis Christi fit illustrior, sed etiam officia melius conspiciuntur. Adest patribus, defendit eos contra furorem diaboli. Ideo cum Iohannes inquit [1, 3.], Omnia per ipsum facta sunt, intelligi debet hoc dictum non solum de creatione, sed de omnibus admirandis patrum factis, de Noe servato in diluvio, de defenso Abraham. Iacob de ipso Filio Dei loquitur inquiens Gen. 48. [vs. 16.:] Angelus, qui liberavit me de omnibus malis, benedicat pueris. Haec pertinent ad Filium Dei, qui liberat a peccato et a morte. Haec liberatio non est beneficium Angelorum. Et Paulus inquit [1. Cor. 10, 4.] Una Christum adfuisse populo in deserto, bibebant de spirituali eos comitante petra. Et Daniel videt venientem specie hominis dominum, et cum eo colloquitur.

Haec testimonia nobis proponamus, non solum, ut admoneant nos de duabus naturis, sed etiam ut meminerimus adesse Ecclesiae Filium Dei liberatorem et defensorem adversus diabolum. Nos non possumus in tanta infirmitate depellere diabolum; sed dux noster adest nobis Filius Dei, qui patribus, Adae, Nohae [47]), Abrahae, Isaac, Iacob, Ioseph, Moysi, Davidi, et reliquis piis aderat. Hunc ducem invocemus, ut nos defendat, servet et liberet ab omnibus malis, sicut inquit Iacob.

De Spiritu Sancto.

Nomen Spiritus in genere significat agitationem, aut naturam seu vim agitantem. Varie autem in scriptura usurpatur. Alias significat ventos, alias vitam; saepe motus aut impetus hominum creatos tum bonos tum malos. Hic significat spiritualem naturam, [48]) Deus est spiritus. Estque hoc loco nomen commune Patri et aliis personis. Quare delectus adhibendus est in testimoniis colligendis, ac prudenter iudicandum, ubi proprie loquatur Scriptura de Spiritu sancto, quem praedicat Evangelium dari per Christum, ut vivificet ac sanctificet; et quem Ecclesia agnoscit personam esse divinam vivificantem et sanctificantem. Idque [49]) probandum

---

(Haec varietas et proxime praecedens multaeque sequentes [illegible] p. 35 sq. de differentia Editionum 1. et 2. commemoravimus, sunt addendae, quibus accedit quaedam scriptionis atque interpunctionis varietas, quae in multis locis invenitur. ex. c. in subseqq. fol. D 1ª lin. 18. Ed. 1. exhibet: co*m*unicatione. Ed. 2. co*mm*unicatione; ibid. lin. 12. Ed. 1. *e*ſ*t*, Ed 2. es*t*; ead. lin. Ed. 1. *u*ulgaris, Ed. 2. *V*ulgaris; ibid. lin. 14. Ed. 1. impediunt quo minus. Ed. 2. impediunt, quo minus; fol. D 1ᵇ lin. 8. Ed. 1. taedere, Ed. 2. toedere; ibid. lin. 9. Ed. 1. filius, Ed. 2. Filius; ibid. lin. 20. Ed. 1. inquit. Pater, Ed. 2. inquit, Pater; etc.).

45) Quod quaedam] in Ed. 11. exciderunt: Quod quae

46) *Seqq.* Cum cogitamus — — inquit Iacob. *addunt* Editt. 11—13 et Opp.

47) Nohae] Opp.: Noë

48) naturam,] Editt. 8. 11—13. et Opp.: essentiam.

49) Idque] Editt. 11—13 et Opp.: Ideoque

est, Spiritum sanctum personam esse. Nam multi extiterunt in Ecclesia vafri homines, qui contenderunt Spiritum sanctum non esse personam, sed significare tantum agitationem creatam in hominibus, aut certe significare proprie ipsum Patrem potentem, seu agitantem sine alia persona. Sed Christus discernit personas, cum ait [Matth. 28, 19.]: Baptizantes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Si enim Spiritus sanctus esset ipse Pater, otiose repeteret Patrem. Item, Baptizari in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, est fateri, quod Pater et Filius et Spiritus sanctus salvent, exaudiant etc. Itaque cum par honos tribuatur Patri, Filio et Spiritui sancto, sequitur et Spiritum sanctum hic intelligi Deum, et non agitationem creatam, sed personam salvantem, sicut et Pater et Filius salvant.

Lucae tertio discernuntur personae satis perspicue. Pater inquit [vs. 22.]: Hic est Filius meus dilectus. Est igitur alia persona Patris, alia Filii. Descendit autem Spiritus sanctus in specie columbae. Iam si Spiritus sanctus esset agitatio in animis creata, non appareret [50]) peculiari specie corporali. Aut si esset ipse Pater, non discerneret Spiritum sanctum. Inquit autem: Super quem videris Spiritum sanctum etc. Et constat Filium dici Patris, non autem sancti Spiritus. Imo Christus ait: De meo accipiet. Item a Patre discernitur: Rogabo Patrem et alium paracletum dabit vobis. Et is in Pentecoste apparet peculiari specie linguarum. Meo iudicio magna vis est huius argumenti. Certe enim fateri pios necesse est, quod in illa ipsa columbae aut linguarum specie vere fuerit Spiritus sanctus, et quod haec neque Patris neque Filii persona fuerit. Est igitur tertia persona Spiritus sanctus procedens ex [51]) Patre et Filio.

Ioh. 14. [vs. 16.:] Rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis. Et paulo post [vs. 26.:] Paracletus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Si Spiritus sanctus significaret creatam agitationem, esset ipsa doctrina. Hic autem Christus vocat eum doctorem. Docebit, inquit. Vocat et παράκλητον. Item inquit: Quae audiet, loquetur. Haec proprie competunt personae. Et quod ait, Alium paracletum, discernit Spiritum sanctum a Patre. Quare Spiritus sanctus non significat ipsum Patrem agitantem et moventem, ut Samosatenus contendit, sed aliam personam.

1. Corinth. 12. [vs. 11.:] Omnia haec efficit unus et idem Spiritus. Hic discernit Spiritum sanctum autorem ab effectibus, videlicet, a donis creatis et motibus spiritualibus.

50) appareret] Ed. 12. apparet

51) ex] Editt. 11—13. et Opp.: a

Placet mihi et hoc testimonium, Actorum 2. [vs. 17.:] Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Quod enim inquit, Effundam, testatur eum spiritum, qui sanctificat, exuscitat pios, non esse ipsam personam Patris. Et tamen quod ait, De meo spiritu, significat illum spiritum, qui est efficax in piis, divinam naturam esse.

1. Iohannis 5. [vs. 7.:] Tres sunt, qui testimonium perhibent in coelo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt.

Quod autem Spiritus sanctus et a Patre et a Filio procedat, docet hic locus Iohannis 15. [vs. 26.:] Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, qui a Patre procedit. Confirmat eum et a se mitti, et a Patre procedere. Discernitur igitur a Patre et Filio.

Quod Spiritus sanctus extiterit [1. epist. 1, 11.] antequam carnem induit Filius Dei, perspicue testatur Petrus, cum inquit de Prophetis: Spiritus Christi in eis praedicens Christum passurum esse. Hic diserte vocatur Christi Spiritus, qui fuit in Prophetis. Eodem igitur Spiritu sancto et Patres et Apostoli et pii deinceps sanctificati sunt.

Sicut autem scriptura docet nos de Filii divinitate, non tantum speculative, sed practice, hoc est, iubet, ut Christum invocemus, ut confidamus Christo; sic enim vere tribuetur ei honos divinitatis: ita vult nos Spiritus sancti divinitatem in ipsa consolatione et vivificatione cognoscere. Iubet, ut petamus eum nobis dari, ut per eum sanctificemur, erigamur, vivificemur. Et sic inquit Christus: Dabit Spiritum sanctum petentibus eum. Sic igitur Spiritum sanctum vero honore afficiemus, cum dari eum nobis, ut παράκλητον, doctorem, gubernatorem et sanctificatorem orabimus. Ita vere agnoscemus eum, cum hoc modo expetemus, et nos verbo, per quod est efficax Spiritus sanctus, erigemus et consolabimur. Sic docet nos sententia symboli: Credo in Spiritum sanctum, hoc est, credo Spiritui sancto, qui in Ecclesia testimonium perhibet Evangelio, Credo eum efficacem esse per verbum, docentem et vivificantem credentes. Hoc spiritu doceri et gubernari nos oro. Sic et Paulus ait: Spiritus dat testimonium spiritui nostro, in quo clamamus Abba Pater; id est: Spiritus sanctus erigit et consolatur nos et efficit, ut agnoscamus misericordiam et praesentiam Dei. Haec officia Spiritus sancti prodest considerare, quae et consolationem nobis afferunt et in ipso usu divinitatem monstrant.

Collegi testimonia de Filio et de Spiritu sancto. Et quanquam plura sunt et illustriora de Filio, tamen et haec satis perspicua sunt de Spiritu sancto. Est autem piae mentis pondera et vim testimoniorum considerare, non solum numerum. Meminerimus dicta scripturae divina esse oracula, quare eis

assentiamur, non depravemus cavillationibus. Illud etiam monendi sunt imperiti, ne plures personas divinitatis, quam tres, numerent. Nam Valentiniani, postquam viderunt Patrem, Filium et Spiritum sanctum discerni, postea finxerunt ingentem multitudinem deorum, collectis innumeris vocabulis, quae Deo tribuuntur. Sicut Hesiodus fecit Chaos, noctem, Erebum, et similes: ita Valentinus distraxit haec, aeternitatem, mentem, verum, bonum, potentiam, sapientiam, iustitiam, et alia multa. Aut igitur sensit Valentinus nominibus tantum differre Patrem, Filium et Spiritum sanctum, non personis, ut Iudaico more retineret unam personam; aut sibi quoque finxit innumerabiles personas. Haec deliramenta execrari omnes debent. Et sciant pii, appellationes potentiae ac virtutum, ut iustitiae, misericordiae, omnibus personis pariter communes esse, nec distinctas res esse ab ipsa substantia divinitatis. Potentia Dei est ipsa substantia Dei. Sic de iustitia, misericordia et similibus viribus sentiendum est. Tantum igitur tres personas divinitatis praedicat Ecclesia, Patrem, Filium et Spiritum sanctum. Et hos officiis proponit nobis discernendos. Magis officia nos intueri vult, quam disputare de natura. Cum baptismum nostrum consideramus, cum in symbolo recensemus Patrem, Filium et Spiritum sanctum, meminerimus nobis proponi Filium redemptorem et mediatorem, per quem ad Patrem accedimus. Meminerimus et proponi Spiritum sanctum, quo sanctificentur et gubernentur pii. Proponamus nobis et scripturas, quae iubent invocari filium ac docent eum natura filium esse; item, quae iubent expeti et adorari Spiritum sanctum tanquam doctorem et gubernatorem. In hac invocatione, in his exercitiis fidei melius agnoscemus Trinitatem, quam in otiosis speculationibus, quae disputant, quid personae inter se agant, non quid nobiscum agant.

DE CREATIONE.

Deus condidit omnes Angelos et omnes corporales naturas ex nihilo: id vocant creationem. Et est descripta creatio, cum in Genesi, tum saepe alias. Psal. 32. [vs. 6.:] Verbo Domini coeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum. Et deinde [vs. 9.:]: Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt. Ubi significat, res ex nihilo conditas esse per verbum Dei. Quia enim Deo iubente res extiterunt seu ortae sunt, ergo non sunt ortae ex aliqua praecedente materia. Ideo et Iohannes inquit [1, 3.], Omnia per ipsum facta sunt. Ergo necesse est, ex nihilo conditas res esse. Illud autem in hoc articulo monere necesse est, quod creatio sic intelligi debeat, quod Deus non discesserit a suo opificio, sicut faber discedit a domo facta aut fabricata nave. Sed Deus perpetuo sustentat et conservat naturas rerum. Hic intellectus creationis est necessarius et proprius piorum. Itaque in articulo de creatione semper intelligatur perpetua conservatio et sustentatio rerum. Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae. Hic intellige non solum conditionem, sed perpetuam gubernationem et conservationem. Quotannis foecundat terram, procreat fruges ex terra, perpetuo suppeditat animantibus vitam et motum. Et haec rerum conservatio vocatur actio Dei generalis.

TESTIMONIA
de articulo creationis.[52])

De hoc articulo valde prodest habere testimonia ad fidem exercendam in invocatione. Actorum 17. [vs. 28.:] In ipso vivimus, movemur et sumus. Ebraeos 1. [vs. 3.:] Ferens omnia verbo potentiae suae. Coloss. 1. [vs. 17.:] Omnia in eo consistunt. 1. Tim. 6.[53]) [vs. 13.] Vocat Deum vivificantem omnia. Item [4, 10.]: Speramus in Deo vivo, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium. Item: In Deo vivente, qui praebet nobis abunde omnia ad fruendum. Matth. 10. [vs. 29.:] Duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro. Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Psalm. 103. [vss. 27—30.:] Omnia a te expectant, ut des eis escam in tempore suo; dante te illis, colligent; aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate; avertente te faciem turbabuntur; auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur. Emitte spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terrae. Psalm. 99. [vs. 3.] Scitote quod Dominus ipse est Deus; ipse fecit nos et non ipsi nos. Nos autem populus eius et oves pascuae eius; id est, non nascimur, non vivimus casu aut tantum nostris viribus, sed Deo vivificante et conservante. Psalm. 32. [vss. 13. 15.] De coelo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum, fingit sigillatim corda eorum, intelligit omnia opera eorum. Psalm. 146. [vss. 8. sq.:] Qui operit coelum nubibus, et parat terrae pluviam. Qui producit in montibus foenum et herbam servituti hominum. Qui dat iumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum. Psalm. 35. [vs. 7.:] Homines et iumenta salvabis, Domine.

Postremo docet hoc ipsum oratio Dominica, in qua iubemur petere a Deo panem quotidianum. Confitemur igitur Deum suppeditare victum, res non sustentari, naturam non esse foecundam, nisi adiu-

52) Hanc inscriptionem addunt Ed. 11. et Opp.
53) 6.] sic scripsi; Editt. 1. 4. 5. 9. exhibent: 4.; Editt. 2. 6—8. 11—14. et Opp.: 5.

vante Deo. Et idem confitentur omnes sententiae, quae docent nos a Deo ali ac defendi. Ut: Iacta ad Dominum curam tuam, et ipse te enutriet. Et haec praesentia Dei in rebus seu conservatio rerum non cernitur ratione, sed fide cerni debet. Atque ita nos sriptura docet, non solum de conditione rerum, sed de perpetua conservatione. Neque intelligitur recte creatio, nisi etiam credamus perpetuo res sustentari et conservari, suppeditari motum et vitam rebus a Deo. Et haec fides est verus intellectus creationis, quae prodest etiam in invocatione. Quomodo enim potest humanus animus petere a Deo victum, vitam, vires, defensionem etc. nisi statuat Deum praesentem adesse, gubernare, alere et conservare naturam?

Posteaquam autem mens confirmata est vera et recta sententia de Deo, de creatione, ex ipso verbo Dei; tunc et utile et iucundum est, etiam quaerere vestigia Dei in natura, et rationes colligere, quae testantur esse Deum. Certe enim ideo natura tota rerum condita est, ut Deum monstret. Multae manifestae[54]) demonstrationes colligi possunt, quae testantur mundum non extitisse casu, non ferri casu, sed regi omnia mente aliqua immensa et aeterna. Ideo et Paulus ad Roma. [1, 20.] inquit: divinitatem in natura conspici. Et in Actis [17, 27.] multo significantius inquit, adeo prope adesse Deum, paene ut manibus contrectari possit. Voluit haud dubie Paulus insigni verbo uti, ut excitaret nos ad hanc Philosophiam. Addit enim indicia divinitatis ideo proposita esse, ut Dei praesentiam discamus in natura considerare. Tota igitur rerum universitas existimetur esse Sacramentum quoddam, videlicet, quia sit testimonium, quod sit Deus, quod sit sapiens, bonus, iustus. Leges motuum coelestium tam multiplices et tam certae, consensus superiorum et inferiorum corporum, vices temporum, singularum rerum naturae ad certos fines atque usus destinatae, conservatio certarum specierum, nonne satis clare clamitant hanc rerum naturam non existere casu, sed certo consilio conditam esse et conservari? Sed expressissimum vestigium Dei est mens hominis, et notitiae menti impressae, honesti, iusti, et conscientiae terrores. Necesse est enim aliam mentem esse, a qua hominum mentes et illae notitiae ortae sunt. Et cum humana mens teneat discrimina iustitiae et iniustitiae, necesse est et in illa aeterna mente sapientiam et iustitiam esse. Sunt igitur humanae mentes imagines quaedam divinitatis, aut, ut ita dicam, specula, in quibus contemplari divinitatem debemus. Indicat praesentiam Dei et politica societas generis humani. Palam videmus imperia non posse, nisi divina ope, constitui ac retineri. Videmus homicidas et tyrannos divinitus ad poenam rapi. Adhuc lucet in ipsis mentibus notitia legis de Deo, quod sit Deus, quod sit iustus. Haec notitia esset clarissima, si natura hominis non haberet morbum originis. Is non quidem lucem illam divinam in animis nostris prorsus extinxit, manet enim aliqua notitia legis naturae, sed tamen caliginem quandam[55]) offudit animis morbus originis. Nunc piis danda est opera, primum ut verbo Dei iterum accendant illam notitiam, deinde etiam reddant illustriorem, adhibitis signis, quae sunt impressa naturae. Ingens barbaries est, nolle tantum in natura lumen aspicere. Ad haec cum Deus ipse invitet nos ad hanc Philosophiam, profecto non est negligenda; praesertim cum plurimum conducat ad disciplinam et prosit moribus. Exuscitat enim et confirmat in animis religionem et honestas opiniones de praesentia ac iustitia Dei. Fiunt autem illustriora haec indicia, et propius[56]) aspiciuntur, cum adhibetur vera physicorum doctrina. Et plura offerent se vestigia divinitatis his, qui studiose inquirunt et considerant naturam, et prudenter philosophantur. Epicuraei facti sunt *ἄθεοι*, quia corruperunt Physicen. At alios qui recte philosophati sunt, natura ipsa deduxit ad hanc lucem, ut et agnoverint esse Deum, et hanc naturam regi et conservari divinitus contenderint. Extant honestissimae disputationes in hanc sententiam apud Xenophontem, qui cum multa argumenta collegit, tandem inquit, ex his liquide constare, quod non extiterint res casu, sed quod mundus sit opificium *σοφοῦ τινος δημιουργοῦ καὶ φιλοζώου*[57]). Dulcissima profecto descriptio est, quod Deum vocat conditorem *φιλόζωον*[58]). Vidit enim ad usum hominum omnia condita esse, ideoque Deo curae esse homines. Iam quorsum attinebat Deum tam anxie elaborare in homine iuvando, tuendo, ornando, si tantum ad hoc exiguum spatium vitae corporalis conditi essemus, Xenophonti lucet in natura rerum, Dei erga nos *φιλανθρωπία*. Quare et nos Christiani naturam aspiciamus, et ibi Dei praesentiam et benignitatem erga nos contueamur. Hoc studium valde prodest ad disciplinam, et confirmat in animis bonas et pias opiniones. Sed tamen haec Philosophia regenda est verbo Dei. Deinde magna pietas est, creaturis sic uti, ut per eas glorificemus Deum, et monstremus in his bonitatem eius ac praesentiam, et agamus ei gratias. Haec obiter dixi, ut indicarem, quatenus mihi placeat haec Philosophia de considerandis vestigiis divinitatis in natura, et ad eam studiosos adhortarer.

---

54) manifestae] Ed. 1. manifeste.

55) quandam] *omittunt Editt.* 8. 11—13. et Opp.

56) indicia et propius] sic Editt. 1. 4. 5. 9.: Editt. 2. 6—8. 11 —14 et Opp.: iudicia. et proprius.

57) Xenophont. Memor. Socr. I. 4, 7.

58) *φιλόζωον*] Ed. 11. male: *φιλόξωον*

DE CAUSA PECCATI ET DE CONTINGENTIA.

Exercuit Ecclesiam aliquoties et magnas tragoedias excitavit utraque disputatio, de causa peccati et de contingentia. Et de utraque re multa colligunt homines acuti inextricabilia et absurda. Quae quoniam habent aliquid periculi, monendi sunt iuvenes, ut omissis illis infinitis disputationibus, potius quaerant simplicem ac piam sententiam, utilem religioni et moribus, in qua resistant, nec sinant se ab ea illis disputationum praestigiis abduci.

Est autem haec pia et vera sententia, utraque manu ac verius toto pectore tenenda: quod Deus non sit causa peccati. et quod Deus non velit peccatum. Sed causae peccati sunt voluntas Diaboli et voluntas hominis. Nam Genesis primo [vs. 31.] dicitur: Vidit Deus omnia quae fecerat, et erant valde bona. Et Psalmo 5. [59] [vs. 5.:] Non Deus volens impietatem tu es. Et Christus inquit [Ioh. 8, 44.] diabolum patrem esse mendacii, et ex propriis loqui mendacium. Transfert igitur causam in Diabolum, cum vocat patrem mendacii. Et cum ait: Ex propriis loquitur, discernit vitium a natura, quam condidit et conservat Deus. Neque enim haec inter se pugnant: Naturam a Deo ortam esse et conservari: et tamen voluntatem Diaboli et hominis causam esse peccati: quia voluntas abuti libertate sua potuit, seque a Deo avertere. Addi possunt et alia testimonia: Ut Roma. 5. [vs. 12.:] Per hominem intravit peccatum in mundum. Et in Epistola Iohannis [I. 2, 16.]: Concupiscentia carnis etc. non est ex Patre, sed ex mundo est.

Nec figurae illae verborum in scripturis offendunt: Indurabo cor Pharaonis, et similes. Certum est enim, Ebraica phrasi significare eas permissionem, non voluntatem efficacem: ut: Ne nos inducas in tentationem, id est, ne sinas nos induci.

Probandum est et hoc, quod docent peccatum diserte significare, non naturam a Deo creatam, sed corruptionem aut defectum; ut peccatum originis est defectus donorum et iustae obedientiae in natura hominis. Nunc autem conservat Deus talem hominis naturam, qualis modo est, etsi aliunde orta est corruptio. Peccata actualia sunt inordinati motus, cum videlicet voluntas deficiens avertit se a iusto obiecto. Ac motus ipse seu actio vocatur materiale peccati; sed defectus seu inordinatio formale. Sed haec est vitii ratio. Peccatum proprie significat reatum illius corruptionis et defectus.

Constituta autem hac sententia, quod Deus non sit causa peccati, plane sequitur contingentiam concedendam esse. Quia enim peccatum proprie a voluntate Diaboli et hominis ortum est, nec Deo approbante aut cogente voluntates nostras factum est; ideo nequaquam est necessario factum, necessitate absoluta. Et quidem voluntate nostra ante peccatum vere libera fuit. Est autem libertas voluntatis causa contingentiae nostrarum actionum. Loquimur enim hic de contingentia nostrarum actionum. Haec ratio sumpta a causa peccati satis illustris est, et opponenda est aliis rationibus, quae omnino tollunt contingentiam, quae in curiosis ingeniis saepe magnos tumultus excitant.

Deinde concedendum et hoc est, quod scriptura tribuat homini, nunc etiam post peccatum, libertatem aliquam deligendi ea, quae sunt subiecta rationi, ad civilem iustitiam efficiendam, ut postea dicemus. Sicut igitur Deus universam naturam condidit, ita condidit etiam hoc naturae donum seu modum agendi, videlicet, libertatem. Est autem libertas, ut dictum est, fons contingentiae in actionibus humanis. Ergo contingentia praevidet Deus ac determinat ita, ut non tollat modum agendi inditum naturae, sed determinat actiones, sicut fiunt. Permittit, ut voluntas Saulis sic agat, et non impellit, ut agat secus; et decernit, ubi Saulem repressurus sit.

Sicut autem creatio ipsa non potest intelligi et iudicari ab ulla creatura, ita neque haec perspici possunt, quomodo maneat libertas, cum et Deus impertiat naturae vitam et vires, et determinet contingentia. Haec omnia pertinent ad intellectum creationis, nec possunt satis explicari. Et qui subtilius haec disputant, multa prodigiosa colligunt, quae tantum perturbant imbecilles animos. Quare nos ad illam rationem, quam dixi, respiciamus, quae plana et manifesta est. Ideo defendenda est contingentia, ne Deum faciamus autorem seu causam peccati. Et libertas donum Dei est, seu ordinatio Dei in voluntate. Quare etiamsi praevidet Deus et determinat contingentia, tamen ita determinat, ne modum agendi voluntatis seu ordinationem suam tollat.

Ceterum illa distinctio necessaria est: Necessitas alia est consequentis seu absoluta qualis est haec: Necesse est Deum esse, Deum esse bonum, iustum etc. Alia est consequentiae, ut: Oportet everti Hierosolymam. Haec non sunt natura sua necessaria, sed fiunt immutabilia, postquam decreta sunt; ut: Mortui reviviscent; vel quia sequuntur propter praecedentes causas; ut: Oportet haereses esse. Quia enim Diabolus odit Deum, et incitat impios contra Evangelium, qui obsequuntur, ideo oportet haereses esse. Haec sunt natura contingentia; neque enim haec consequentia libertatem voluntatis tollit.

Nec invehenda sunt in Ecclesiam deliramenta de Stoico fato aut περὶ τῆς ἀνάγκης. Nihil enim ha-

[59] Psalmo 5.] sic Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: Editt. 1. 2. 4—6. 9. in Psalmo.

bent veri aut firmi, sed sunt merae praestigiae ac Sophisticae coacervationes. Deinde non est obscurum, quantum haec opinio noceat pietati et moribus, si sic sentiant homines, ut Zenonis servulus dicebat, non debere se plecti, quia Stoico fato coactus esset peccare. Ab his opinionibus decet pios auribus atque animis abhorrere. [60])

DE HUMANIS VIRIBUS SEU DE LIBERO ARBITRIO.

Valla et plerique alii non recte detrahunt voluntati hominis libertatem ideo, quia fiant omnia decernente Deo; atque ita in universum tollunt contingentiam. Sed aliena est disputatio de contingentia ab hoc loco de viribus humanis. Hic enim in Ecclesia quaeritur, qualis sit natura hominis; an perfectam obedientiam legi Dei praestare possit? Non quaeritur de arcano Dei consilio gubernantis omnia; non quaeritur de praedestinatione; non agitur de omnibus contingentibus. Ideo prudens lector disputationes de contingentia, item de praedestinatione hic seponat et procul ab hoc loco seiungat. Nos ipsos intueamur, et meminerimus nos de nostra infirmitate iam loqui. Non est opus *ἀεροβατεῖν* et caelestia scrutari de modo gubernationis divinae, aut de praedestinatione. Ac providendum est, ne obruantur res bonae et utiles, rixis nihil ad rem pertinentibus, quod fieri solet, cum peregrini loci admiscentur. Ideo dicam breviter hic: quomodo scriptura nos de infirmitate humanae naturae doceat. Haec enim agnoscenda est, ut discamus, quare nobis opus sit beneficio Christi.

De viribus hominis sumantur ex Philosophia partitiones, quae non sunt ignotae. In homine sunt Ratio, seu mens, quae iudicat; Voluntas, quae vel obtemperat vel repugnat iudicio, et imperat inferioribus viribus. Inferiores vires sunt sensus, appetitiones sensuum seu affectus. Vocant autem liberum arbitrium voluntatem coniunctam cum ratione. Scriptura cum nominat cor, mentem et similia, complectitur iudicium et ipsas appetitiones veras, non simulatum aut externum opus.

Sed ut rixas de appellatione omittamus, de re dicendum est. Illud quaeritur: quomodo voluntas sit libera, hoc est, quomodo possit obedire legi Dei? neque vero iudicari de hac quaestione potest, nisi magnitudo peccati, quod nobiscum nascitur, seu naturalis infirmitas considerentur; item, nisi sciamus lege [61]) Dei requiri non tantum externa civilia facta, sed perpetuam et perfectam totius naturae obedientiam. Nam si natura hominis non esset corrupta peccato, haberet certiorem et clariorem de Deo notitiam, non dubitaret de voluntate Dei, haberet verum timorem, veram fiduciam; denique praestaret obedientiam integram legi, hoc est, in natura hominis essent motus omnes consentientes cum lege Dei, sicut in piis Angelis. Nunc autem natura hominis oppressa morbo originis, plena est dubitationis, caliginis, errorum, neque vere timet Deum, nec vere confidit, denique plena est vitiosorum affectuum. De hac infirmitate hic quaeritur: quantum praestare humana voluntas possit.

Primum igitur respondeo: Cum in natura hominis reliquum sit iudicium et delectus quidam rerum, quae sunt subiectae rationi aut sensui; reliquus est etiam delectus externorum operum civilium. Quare voluntas humana potest suis viribus sine renovatione aliquo modo externa legis opera facere. Haec est libertas voluntatis, quam Philosophi recte tribuunt homini. Nam hanc etiam sacrae literae aliquo modo concedunt hominibus. Quia scriptura docet esse quandam iustitiam carnis, quaedam opera legis, in his qui non sunt renati; ergo concedit haec opera effici posse humanis viribus sine renovatione. Imo hanc disciplinam externam severe requirit, cum inquit [1. Tim. 1, 9.]: Lex est iniustis posita; item [Gal. 3, 24.]: Lex est paedagogus. Et quantas utilitates habeat haec paedagogia, paulo post dicemus. Nunc illud tantum addam: hanc ipsam libertatem efficiendae civilis iustitiae saepe vinci naturali imbecillitate, saepe impediri a Diabolo. Nam cum natura sit plena malorum affectuum, saepe obtemperant homines pravis cupiditatibus, non recto iudicio. Sicut inquit apud Poetam [62]) Medea: Video meliora proboque, deteriora sequor. Praeterea Diabolus captivam naturam impellit ad varia flagitia etiam externa, sicut videmus summos viros, qui tamen conati sunt honeste vivere, lapsus turpissimos habere. Sed tamen inter has difficultates, utcunque reliqua est aliqua libertas efficiendae iustitiae civilis.

Secundo: Evangelium docet in natura horribilem corruptionem esse, quae repugnat legi Dei, hoc est, facit, ne praestare integram obedientiam possimus. Et hanc corruptionem non potest humana voluntas per sese ex natura tollere, sicut neque

---

60) *ἀνέγκης*. Nihil enim — — abhorrere.] Editt. 11 — 13. et Opp.: *ἀνάγκης*, quia sunt inextricabilia et interdum nocent pietati et moribus. Scriptura docet, ut nos ipsos peccantes accusemus, ut inquit Daniel: Tibi, Domine, iustitia, nobis autem confusio faciei. Non vult causam scelerum in deum aut fatum transferri, ut ille in Tragoedia dicit: Fati ista culpa est, nemo fit fato nocens. Seu ut Zenonis servulus dicebat, se non debere plecti, quia fato Stoico coactus esset peccare. Ab his opinionibus decet pios abhorrere auribus atque animis.

61) lege] Ed. 11. legi

62) Ovid. Met. VII, 19.

mortem, quae est propriissimus effectus istius corruptionis, per sese potest ex natura tollere. Est autem in natura humana caecitas tanta, ut hanc ipsam corruptionem non satis perspicere possimus. Ideo non videmus, quanta sit infirmitas humanarum virium; quam si vere cerneremus, tum demum intelligeremus, homines non posse legi Dei satisfacere

Sciendum est igitur de libero arbitrio: non posse homines legi Dei satisfacere. Nam Lex divina requirit non tantum externa facta, sed interiorem mundiciem, timorem, fiduciam, dilectionem Dei summam, denique perfectam obedientiam, et prohibet omnes vitiosos affectus. Constat autem homines hanc perfectam obedientiam in hac corrupta natura non praestare. De hac corruptione praecipue loquimur, non de externis factis, cum extenuamus libertatem voluntatis. Multum enim refert, non extenuari neque dissimulari hanc corruptionem, ut intelligamus, homines non satisfacere legi, ut sciamus, nobis opus esse misericordia etc.

Deinde et hoc addendum est: Voluntas humana non potest sine Spiritu sancto efficere spirituales affectus, quos Deus requirit, scilicet verum timorem Dei, veram fiduciam misericordiae Dei, obedientiam ac tolerantiam afflictionum, dilectionem Dei, et similes motus.

TESTIMONIA

de humanis viribus, seu de libero arbitrio.[63])

Testimonia satis multa sunt, quae testantur naturam esse corruptam, nec posse legi Dei satisfacere. Praeterea neque posse sine Spiritu sancto motus spirituales concipere, quos Deus requirit.[64])

Roma. 8. [vs. 14.:] Qui ducuntur spiritu Dei, hi sunt filii Dei. Item [vs. 9.]: Si quis spiritum Christi non habet, is non est Christi. Hae duae sententiae satis perspicuae sunt, et plane testantur, opus esse Spiritu sancto, ut obedire possimus. Constat autem nomine Spiritus sancti significari non rationem humanam, sed spiritum Dei efficacem in animis nostris.

1. Corinth. 2. [vs. 14.:] Animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei. Significat enim *ψυχικὸς* homo viventem vita naturali, hoc est, sensu et ratione naturali sine Spiritu sancto. Sic enim eo loco discernit Paulus animalem a spirituali. Quanquam enim homini naturaliter impressa est notitia de Deo, tamen haec adeo obscurata est, ut non satis assentiatur ei animus, sed dubitet: an Deus curet nos, an puniat, an velit ignoscere, exaudire. Et haec dubitatio efficit, ne vere timeant animi Deum etc.

Iohannis 3. [vs. 3.:] Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest intrare in Regnum Dei. Iohann. 6. [vs. 44.:] Nemo potest venire ad me, nisi quem Pater traxerit; et erunt omnes docti a Deo. Item [Ioh. 13, 5.]: Sine me nihil potestis facere. Haec testimonia satis plane docent, voluntatem humanam sine Spiritu sancto non obedire Deo, hoc est, non habere spirituales motus, veram notitiam Dei, verum timorem, veram fiduciam. Loquimur enim hic praecipue de animi motibus, non de externis factis. Neque vero opus est longa disputatione; consulat unusquisque animum suum, et secum deliberet et quaerat: an non mirificae dubitationes de Deo exerceant animum, an non conflictetur mira diffidentia, an vere timeat, amet Deum, an non indignetur hanc imbecillem naturam tantis calamitatibus ac morte opprimi, et praeterea terrores aeternarum poenarum proponi? Quid in ipsis afflictionibus, quomodo sunt affecti animi, ubi videntur deserti a Deo? An non dubitant tunc: utrum Deo curae sint humana, utrum exaudiat hominum preces? Hi magni motus animorum considerandi sunt, cum de libero arbitrio disputatur.

Neque haec eo dicuntur, ut laqueos iniiciamus conscientiis, aut deterreamus homines a studio obediendi aut credendi, aut ne conentur. Imo cum a verbo ordiri debeamus, certe non repugnandum est verbo Dei, sed annitendum, ut obtemperemus, et intuenda promissio Evangelii, quae est universalis. Porro in veris certaminibus haec clarius iudicari possunt, quam in otiosis disputationibus. Nam in vero agone, ubi angimur de remissione peccatorum, erigere nos debemus, et intueri in promissionem. Quanquam autem luctatur voluntas cum infirmitate, tamen quia non abiicit verbum, sed sustentat se verbo, consequitur consolationem. Et Spiritus sanctus ibi efficax est per verbum. Sicut inquit Paulus [Rom. 8, 26.]: Spiritus adiuvat infirmitatem nostram. In hac lucta hortandus est animus, ut omni conatu retineat verbum. Non est dehortandus, ne conetur, sed docendus quod promissio sit universalis, et quod debeat credere. In hoc exemplo videmus coniungi has causas, Verbum, Spiritum sanctum, et voluntatem, non sane otiosam, sed repugnantem infirmitati suae.

Has causas hoc modo Ecclesiastici scriptores coniungere solent. Basilius inquit: *μόνον θέλησον, καὶ ὁ θεὸς προαπαντᾷ.* Deus antevertit nos, vocat, movet, adiuvat, sed nos viderimus, ne repugnemus. Constat enim peccatum oriri a nobis, non a voluntate Dei. Chrysostomus inquit: *ὁ δὲ ἕλκων τὸν βουλόμενον ἕλκει.* Id apte dicitur auspicanti a verbo, ne adversetur, ne repugnet verbo. Et nos quidem sic

63) Hanc inscriptionem addunt Ed. 11. et Opp.

64) requirit.] Editt. 8. 11–13. et Opp.: approbat.

iudicare oportet. Non enim indulgere debemus diffidentiae aut desidiae naturali.

Praeterea si de tota vita [65]) piorum loquamur, etsi est ingens imbecillitas, tamen est aliqua libertas voluntatis, cum quidem iam adiuvetur a Spiritu sancto, et agere aliquid potest in externis lapsibus cavendis. Ideo et Spiritus sancti auxilium amplificari debet, et simul acui diligentia nostra. Sicut Paulus iubet cavere, ne frustra gratiam acceperimus. Et Christus, cum inquit [Luc. 11, 13.], Dabit Spiritum sanctum petentibus, promittit non otiosis, non aspernantibus, non repugnantibus. Et auget Deus dona in his, qui recte utuntur; ut docet similitudo de negotiantibus.

Postremo de disciplina. Dixi supra voluntatem posse suis viribus aliquo modo efficere civilia officia. Et hanc disciplinam requirit Deus etiam in his, qui nondum sunt sanctificati. Nec nulla est eius utilitas. Nam externa delicta poenis corporalibus et aeternis puniuntur. Ad haec Paulus inquit [Gal. 3, 24.], Legem esse Paedagogum in Christum. Prodest enim haec paedagogia, ut doceantur homines et audiant verbum Dei. Et quia Deus est efficax per verbum, ideo per haec exercitia multi vocantur ad veram pietatem.

Haec sententia de libero arbitrio nihil habet absurdi, et est germana, cum aliorum scriptorum Ecclesiasticorum ac synodorum, tum vero etiam Augustini. Nec adigit ad desperationem bonas mentes, nec deterret eas, quo minus conentur. Imo et amplificat Spiritus sancti auxilium, et acuit curam ac diligentiam nostrae voluntatis, Non probo deliramenta Manichaeorum, qui prorsus nullam voluntati actionem tribuebant, ne quidem adiuvante Spiritu sancto; quasi nihil interesset inter statuam [66]) et voluntatem.

Atque hinc facile possunt conciliari sententiae de libertate. Ecclesiasticus inquit [15, 24.]: Deus reliquit hominem in manu consilii sui etc. Dico voluntatem in piis actionibus et conatibus non esse otiosam, sed tamen adiuvandam esse a Spiritu sancto: ita fit verius libera.

Addam, ut haec fiant illustriora, duo Hieronymi dicta. Anathema sit, si quis dixerit Deum impossibilia praecepisse. Hoc dicto valde abutuntur imperiti quidam. Necesse est igitur dicto Hieronymi commodam interpretationem addere. Hanc sumemus ex altero dicto eiusdem autoris: Qui dixerit, nos posse mandata Dei implere sine gratia Dei, anathema sit. Hic gratia intelligatur, non solum quod adiuvemur a Spiritu sancto, sed etiam ipsa gratuita imputatio iustitiae seu acceptatio, quod videlicet iusti reputemur propter Christum, et deinde placeat inchoata obedientia, etiamsi legi non satisfacit. Sic intelligatur Lex possibilis esse per gratiam. Haec interpretatio necessaria est, ut intelligamus utrumque, et quod obedientia piorum procul absit a perfectione legis, et tamen placeat, videlicet quia personae propter Christum placent. Sed haec suo loco [67]) copiosius exponam.

DE PECCATO.

Christus complexus est summam doctrinae Evangelii et quasi methodum informavit, cum iubet praedicare poenitentiam et remissionem peccatorum. Hi sunt praecipui loci universae doctrinae Christi; ad hos tanquam ad caput referri debent reliquae partes. Porro praedicatio poenitentiae accusat et damnat peccatum; sicut in Iohanne [16, 8.] scriptum est: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato etc. Necesse est igitur in doctrina ecclesiastica diligenter explicari, quid vocet scriptura peccatum; et Paulus ob eam causam propemodum totam epistolam ad Rom. consumit in collatione horum trium locorum, Peccati, Legis, Gratiae. [68]) Ideo et nos hunc locum suscepimus explicandum, praesertim cum aliter iudicet scriptura de peccato, quam humana ratio seu Philosophia seu leges politicae. Itaque singulari prudentia in hoc loco opus est. Nam et theologi multi hic lapsi sunt, qui peccatum intellexerunt tantum civiliter de factis. Hic error peperit alios postea errores. Non enim potest intelligi magnitudo beneficii Christi, nisi cognitis nostris malis.

Principio igitur de vocabulo moneri imperitos necesse est. Peccatum non significat in sacris literis tantum, ut grammatice sonat Latinis, factum aliquod, sed significat et perpetuum vitium, hoc est, corruptionem naturae pugnantem cum lege et facta pugnantia cum lege Dei. Idque de vocabulo admoneo ob hanc causam, quod quidam adducti grammatica superstitione sustulerunt vitium originis, eo quod peccatum significet latino more non perpetuum morbum, sed factum aliquod; nec vident hebraica voce significari proprie quiddam damnatum, seu, ut ita dicam, reum, propemodum quod latini scelus dicunt. Sit igitur in genere peccatum vitium perpetuum aut factum pugnans cum lege Dei. Dividitur autem peccatum in peccatum originis et actuale. His enim appellationibus docendi causa utendum est.

---

65) de tota vita] Editt. 8. 11—13. et Opp.: de moribus

66) statuam] Interpr. *Klotz.*

67) Scil. in loco *de bonis operibus.*

68) Cf. similia iam initio Theologicae Institutionis supra recusae.

De peccato originis.

De peccato originis ideo multae dissensiones extiterunt, quia humana ratio non videt immunditiem naturalem, hoc est, non videt haec esse damnata, quae haerent in natura hominis, scilicet ignorationem Dei, vacare metu Dei, diffidere Deo etc. Et cum has maximas pestes non cernat, somniat lege Dei tantum civilem iustitiam requiri, nec peccata esse ulla alia praeter civilia delicta. Deinde huc detorquent imperiti quaedam dicta, videlicet: naturam bonam esse; item: peccatum non esse peccatum, nisi sit voluntarium. Haec si in loco dicantur, vera sunt. Deus enim naturam condidit bonam et integram. Sed postea per peccatum Adae accessit corruptio, qua fit, ne naturales vires obtemperent legi Dei. Item, Peccatum non esset peccatum, nisi esset voluntarium, de civilibus delictis recte dicitur; sed non debet detorqueri ad peccatum originis. Etsi Augustinus quadam subtili interpretatione etiam ad peccatum originis accommodat; dicit voluntarium esse, non quia sit in potestate nostra, sumere aut abiicere, sed quia non inviti tales simus. Verum nihil opus est hac subtili interpretatione, satis est tenere, quod de civilibus peccatis dictum sit. Tale est etiam illud: Non laudamur nec vituperamur propter ea, quae natura adsunt. Ac feci mentionem horum dictorum, quia a theologis intempestive in hac disputatione citantur.

Scholastici doctores de peccato originis multa pugnantia dicunt; sed tamen in summa hoc sentiunt: Peccatum originis esse reatum, hoc est, imputationem, qua posteri Adae propter ipsius delictum rei ac damnati sint. Deinde addunt esse quandam imbecillitatem in natura, hanc vocant fomitem, et negant esse peccatum, hoc est, rem sua natura dignam damnatione, sed faciunt poenam peccati, et rem mediam. Ceterum docent hominem posse sine peccato esse et satisfacere legi. Haec est summa sententiae Scholasticorum, [69]) quae parit alios multos errores, obruit enim et legem et Evangelium. Nam cum fingunt non esse peccata dubitationem, diffidentiam et similes vitiosos impetus, qui nobiscum nascuntur, obscurant legem. Deinde quia fingunt lege Dei tantum requiri civilia opera, item, homines iustos esse propriis operibus; abolent Evangelium de misericordia. Item abolent doctrinam de fide; iubent enim dubitare, et docent dubitationem non esse peccatum. Cum igitur falsa persuasio de peccato originis tantam ruinam traxerit, necesse est eam reprehendere, ut recte intelligi Lex et illustrari doctrina de misericordia possit.

Nos igitur contra sic sentimus: Peccatum originis non tantum esse imputationem seu reatum, sed etiam naturae [70]) hominis corruptionem, qua fit, ne possimus vere obedire legi Dei et sine peccato esse. Quanquam enim ratio, cum valeat adhuc in his, quae sensui subiecta sunt, facere possit externa et civilia opera, tamen interim haerent in natura hominis ignoratio Dei, dubitatio, diffidentia, odium Dei, et alii morbi pugnantes cum lege Dei. Voco autem corruptionem non actum aliquem, sed perpetuum morbum, atque illud ipsum, quod alii vocant nunc defectus, nunc concupiscentiam, nunc inordinationem appetitus, quae nunc in natura reliqua est. [71]) Defectus enim sunt ignoratio Dei, vacare metu, fiducia, amore Dei. Neque vero fingendum est hos defectus nihil nocere naturae, quae reliqua est; nam isti ipsi defectus sunt horribiles pestes ac vitia. Succedunt etiam flagitiosissimi impetus, scilicet, diffidentia et odium Dei, inordinata concupiscentia, quae timet, amat carnalia. Sed haec omnia fient illustriora ex antithesi. Anshelmus recte definit peccatum originis, cum ait, esse carentiam iustitiae originalis. Hic iustitia intelligatur non tantum imputatio seu approbatio, sed etiam in ipsa natura hominis integritas virium animae et corporis, certa notitia Dei et obedientia perfecta, timor, fiducia, amor Dei. Amissa hac integritate, vires animae et corporis ita corruptae sunt, ne vere possint obedire legi Dei. Postquam amisit natura firmam de Deo notitiam, necesse fuit succedere ignorationem, dubitationem, contemptum aut odium iudicii Dei. Cumque sit sine Deo, timet, amat carnalia et habet multiplices impetus pugnantes cum lege Dei. Sic interpretatur Anshelmus ipse definitionem, ut ostendat se et defectus et concupiscentiam complecti. Et Bonaventura prudenter inquit, nihil interesse inter has figuras, dicere, quod peccatum originis sit concupiscentia, aut dicere, quod sit defectus, et addit, altero alterum significari et comprehendi. Ideo recentiores sine causa rixantur, peccatum originis esse defectum, non concupiscentiam; utrumque enim complectitur. Et hic sciendum est utrumque esse materiale [72]) peccati, et concupiscentiam et defectus; siquidem formale peccati vere ac proprie est reatus seu imputatio.

Unde sit peccatum originis.

Postquam Adam lapsus est, amisit integritatem naturalem, cum sentiret iram et iudicium Dei, ac subiiceretur regno peccati et mortis. Ac spoliatus prioribus ornamentis procreavit deinde tales, qualis iam erat ipsius natura: ita postea propagatione contrahunt vitium originis, hoc est, rei sunt et habent vitiosam naturam.

---

69) Scholasticorum] Ed. 1. scolasticorum

70) naturae] Editt. 11. 12. et Opp.: natura

71) Mel. respondet hic ad calumniam Eccii.

72) materiale] Ed. 11. typoth. errore: materiali

De poenis.

Scholastici concupiscentiam faciunt poenam peccati, non peccatum. Nos concupiscentiam dicimus et poenam lapsus Adae et peccatum in nascentibus. Est et mors poena, sed praecipua poena est tyrannis diaboli, cui subiecta est natura hominis propter peccatum. Et de hac poena loquitur Genesis [3, 15.], cum inquit: Insidiaberis calcaneo eius. Saevit itaque diabolus in naturam hominis, exercet eam terroribus et omni genere calamitatum, atque interficit etiam. Ad haec impellit eam ad omnis generis flagitia, ad blasphemias, ad impias opiniones, ad hypocrisin, ad caedes, ad odia etc. Idque res ostendit etiam in praestantibus viris, qui cum virtute vivere conati, tamen naturae imbecillitate et potentia diaboli victi, inciderunt in varia turpitudinis genera.

Testimonia, quod sit peccatum originis, et quid sit.

Psalm. 50. [vs. 7.:] Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. Deplorat enim non matris peccatum, sed suum. Ego ita conceptus sum, ut, cum formarer, statim in mea massa seu in me ipso extiterit peccatum. Testatur igitur Propheta, peccatum esse in hominibus, quod nascentes secum afferunt.

Ephes. 2. [vs. 3.:] Eramus natura filii irae, sicut et ceteri. Hebraica Phrasis est, Filii irae, pro reis seu damnatis. Et dicit Paulus pariter Iudaeos et gentes natura esse filios irae. Ergo non tantum contrahitur damnatio actualibus peccatis, sed etiam morbo naturae. Porro in eodem loco describitur magnitudo huius mali, ubi dicit, diabolum efficacem esse in incredulis. Hinc intelligi potest, quae sit praecipua poena peccati originis, quam nusquam attingunt Scholastici in suis disputationibus. Et quidem de hac poena, videlicet, quod homines sint subiecti regno et tyrannidi diaboli, praecipue admonendi erant homines, ut, cognita magnitudine mali, intelligeremus beneficio Christi opus esse.

Rom. 5. [vss. 12. 15.] Unius delicto omnes mortui sunt. Ergo alii sunt rei propter Adae lapsum. Et addit: Mors pervasit in omnes, quia omnes peccaverunt. Hebraica phrasis est, Peccaverunt, pro rei sunt, seu peccatum habent. Quod si tantum actualia delicta essent peccata, unusquisque tantum reus esset sui facti. Nunc cum clare dicat, nos reos esse propter Adae delictum, testatur aliud quoddam in natura peccatum esse praeter actualia delicta. Et ne id peccatum intelligatur tantum reatus, pondera horum verborum observanda sunt, Peccatum regnavit, Mors regnavit, et similia. Significat enim homines oppressos esse ira Dei, non habere firmam Dei notitiam, odisse et fugere iudicium Dei, mori perterrefactos iudicio Dei. Sicut inquit Paulus [1. Cor. 15, 56.]: Aculeus mortis peccatum est.

Ioan. 3. [vs. 5.:] Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest intrare in regnum Dei. Si opus est regeneratione, ergo vetus natura rea est et immunda.

Gen. 8. [vs. 21.:] Cogitatio humani cordis mala est a pueritia. Significat enim non solum consuetudine delicta contrahi, sed in natura peccatum esse, quod statim erumpit ab initio.

Huc pertinet et Hierem. [17, 9.] sententia: Pravum est cor hominis et inscrutabile. Sed plurimum valent in hac causa Pauli sententiae Rom. 7. et 8. quae testantur peccatum esse. Constat enim eum ibi non tantum actualia delicta accusare, sed peccatum haerens in membris, de quo dicit: Invenio aliam legem in membris repugnantem legi mentis meae. Item: Carne servio legi peccati. Item: Sensus carnis mors est et inimicitia adversus Deum, nec potest legi Dei obedire.

Haec loca utrumque docent, et nasci homines cum peccato, quia certe concupiscentia nobiscum nascitur, et testantur peccatum originis non tantum esse reatum, sed etiam morbum in ipsa natura haerentem. Nec refert, utrum hunc morbum appelles defectum, an concupiscentiam; revera enim nihil interest, si defectum prudenter intelligas. Nihil dici gravius potest, quam tales defectus in natura esse, ignorationem Dei, vacare metu, fiducia, amore Dei. Nulli morbi graviores nominari possunt.

Haec de peccato originis vera et perspicua sunt, et consentanea scripturis et ecclesiasticis patribus. Sed sicut olim Pelagiani intempestive philosophantes sustulerunt peccatum originis, et postea Scholastici, etiamsi in speciem retinent, tamen revera tollunt, cum negant concupiscentiam peccatum esse, et fingunt hominem posse legi Dei satisfacere: Ita sunt et his temporibus multi leviter docti, qui suaviter derident haec, quae diximus de peccato originis. Quia enim ratio non cernit hanc infirmitatem esse rem damnatam et philosophia nihil iudicat esse vitiosum, quod non est in potestate nostra, ideo colligunt absurda, quae videntur haerere in nostra sententia, eaque valde exagitant, et hanc totam Ecclesiae sententiam iudicant esse merum deliramentum. Adversus hos leves spiritus diligenter muniendi sunt animi scripturae testimoniis, quae citavimus, et videndum, ne ea nobis excutiant istorum calumniosae interpretationes, qui transformant sententias de rebus spiritualibus et arcanis dictas in philosophiam et civiles opiniones.

Restat, ut vulgare dictum interpretemur, quod

solent ad extenuandum peccatum originis citare. Dicitur enim, peccatum originis in baptismo remitti. Hoc dicto somniant post baptismum nullam rem vitiosam aut damnatione dignam reliquam esse. Ideo nec docent de fide, sed fingunt hominem iustum esse propria munditia. [73]) Verum nos dictum illud sic intelligimus: In baptismo remitti reatum, et tamen manere ipsum morbum: hoc est, manet morbus, sed non imputatur credenti. Praeterea cum datur Spiritus sanctus, concipimus novos et pios motus, quibus aliqua ex parte corrigi morbus incipit. Atque ita per omnem vitam luctandum est cum hoc morbo dupliciter: primum fide statuendum est, quod non imputetur; deinde fide etiam concipienda est notitia Dei et fiducia misericordiae et consolatio: hoc cum fit, aliquo modo corrigitur morbus, et inchoatur vita aeterna. Voco autem morbum, ut supra dixi, concupiscentiam et defectus. Constat enim post baptismum etiam in sanctis adultis manere utrumque. Nam et sancti aegre obtemperant in cruce, dubitant, diffidunt Deo, stomachantur concedi impiis successus et victoriam in persecutione etc. Haec testantur adhuc in natura haerere et concupiscentiam et defectus. Et necesse est scire haec esse peccata, hoc est, res vere dignas damnatione, quod ad ipsius morbi naturam attinet. Sed tamen ita non imputari, si fide misericordiam apprehendamus. Nisi enim hoc peccatum agnoscamus, neque beneficium Christi intelligi neque exerceri fides poterit. Quod autem in sanctis tale peccatum reliquum sit, clarissime testantur loca 7. et 8. capitis ad Rom. supra citata. Augustinus ad eundem modum docet de remissione peccati originis in baptismo: Peccatum, inquit, remittitur non ut non sit, sed ut non imputetur.

[74]) Ut autem studiosi doctrinam Ecclesiasticam de morbo originis complecti animo facilius possint, adiiciam has propositiones, quae summam negotii continent.

Peccatum originis est reatus, quo propter lapsum Adae et propter vitium, quod haeret in natura post Adae lapsum, homines rei sunt coram deo, iuxta illud: Nascimur filii irae, id est, rei aeternae poenae.

Cum vitium nomino, complector totam pravitatem, seu ἀταξίαν mentis, voluntatis, et appetitus sensitivi, ut vulgo loquuntur.

Ea pravitas continet horribiles defectus et pravas inclinationes.

Defectus sunt ignoratio dei, non ardere amore dei, vacare metu, fiducia dei.

Hos comitantur pravae inclinationes, amor nostri, superbia, seu admirari nostram sapientiam, consilia, ludere opinionibus fingendis de deo et cultibus, quaerere humana praesidia contra voluntatem dei, anteferre vitam, voluptates nostras mandato et ordinationi dei.

Hi defectus et inclinationes non sunt proprie sentientis potentiae, sed superiorum, mentis et voluntatis, et tamen sequitur etiam ingens ἀταξία in inferioribus viribus.

Anshelmus utrumque complecti voluit, defectus et inclinationes, cum ait: Peccatum originis est carentia iustitiae originalis.

Ceteri nomine concupiscentiae utrumque complexi sunt, idque expresse monet Bonaventura.

Significat igitur concupiscentia in hac quaestione non substantiam creatam a deo, sed morbum, qui accessit post lapsum, id est, ἀταξίαν, seu defectus, et pravas inclinationes in mente, voluntate et ceteris viribus.

In baptismo reatus tollitur, morbi manent, etsi frenantur a spiritu sancto.

Nec existimetur leve malum esse reliquum vitium.

Tria sunt gravissima testimonia, quae ostendunt magnitudinem huius mali: dignitas victimae, magnitudo calamitatum humanarum, quibus subiecti sunt et sancti propter hoc malum, item lapsus sanctorum, ut Moyses dubitavit ad rupem, unde aquam elicere iussus erat, et duriter obiurgatur propter id peccatum. David quam graves lapsus habet? Aharon adsensit facientibus vitulos. Denique omnes sancti peccant securitate, diffidentia, superbia, impatientia et aliis multis flammis cupiditatum.

Non igitur hic morbus ἀδιάφορον quiddam est, sed vitium pugnans cum lege dei, dignum morte aeterna, ubi non condonatur. Et cum sanctis condonatur, luctari cum hoc malo fidem oportet.

Sententiarii non eodem modo senserunt omnes. Bonaventura et quidam alii agnoscunt vitium in mente et voluntate esse, pugnans cum lege dei; laudat enim dictum Hugonis, qui ait: Peccatum originis est ignorantia in mente, et concupiscentia in carne.

Nec reprehendimus eos, qui recte sentiunt, ne illi quidem nostros improbaturi erant, cum negamus illum morbum ἀδιάφορον esse.

Occam mavult dicere peccatum originis tantum esse reatum sine ullo vitio.

Reliqua turba aperte negat in voluntate vitium esse post acceptam gratiam, postea addit fomitem tantum in corpore esse, nec concedunt esse vitium.

Franciscanus Coloniensis etiam rem bonam esse putat, inquiens: Si carni praeciperetur, Non concupisces, perinde esset ac si deus praeciperet soli et lunae, ne lucerent, igni, ne arderet: haec omnia agunt vi naturae impellente.

Quid magis asininum cogitari potuit, quam quod fingit concupiscentiam rem bonam esse, ut lumen solis.

---

73) munditia.] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: mundicie.

74) *Seqq.* Ut autem — — — dei et reatum *addunt* Editt. 11. 12. 13. et Opp.

Discerni enim debent substantia a deo creata, et vitium seu *ἀταξία*, quae postea accessit.

Formale peccati proprie est reatus, materiale est ipsum vitium, hoc est, defectus, et inclinationes pravae.

Hoc non satis attenderunt recentiores Sententiarii, qui vocant defectum formale peccati, cum sit formale vitii. Materiale vocant concupiscentiam, id est, appetitiones in sensu.

Ideo remoto defectu in baptismo, sicut ipsi imaginabantur, cetera putabant esse *ἀδιάφορα*.

Et ut fit, in hoc errore multi sunt errores involuti, quos explicare longum esset, et multa dicunt contra dialecticam.

Hinc sequitur, quod fingunt hominem legi dei satisfacere posse etc. Nec de fide quicquam dicunt.

Quare simplicem veritatem retineamus, nec quaeramus, quomodo excusemus aliorum errata.

Et Prophetae et Apostoli aperte vocant peccatum naturae infirmitatem reliquam in sanctis.

Et Paulus discernit inter peccatum et damnationem, hoc est, inter vitium illud pugnans cum lege dei et reatum.

De peccatis actualibus.

Peccatum actuale significat fructus vitiosae naturae, hoc est, affectus, cogitata, dicta, facta contra legem Dei. Simul autem complecti debemus personam et opus. Itaque etiamsi aliqui impii habent honesta opera, tamen quia personae sunt vitiosae, opera non placent Deo. Et in illis personis sunt interiora vitia, dubitatio, vacare timore ac fiducia Dei; ut in summis viris, Pomponio Attico, Cicerone, qui etiamsi habent notitiam aliquam legis, videlicet, quod Deus sit bonus, iustus; tamen non norunt Evangelium, quod Deus gratis remittat peccata; ideoque in magnis afflictionibus iudicant se reiici a Deo. Quare cum habeant interiores morbos, etiam polluuntur externae actiones. Sicut Paulus ait [Rom. 14, 23.]: Omne, quod non est ex fide, peccatum est; id est, quod fit ab his, qui dubitant se respici a Deo, qui non credunt se habere Deum propitium; fides enim significat fiduciam misericordiae. Quanquam enim non est nostri iudicii, quid Deus egerit cum illis praestantibus viris, Solone, Themistocle, Fabio, Scipione, Pomponio Attico et similibus, an peculari beneficio ipsis praebuerit aliquem intellectum gratuitae misericordiae et remissionis peccatorum et veri[75]) cultus; tamen nos tantum iuxta verbum nunc promulgatum, hoc est, iuxta Evangelium iudicare debemus, neminem sine Christi cognitione et misericordia propter Christum promissa salvum fieri.

75) *ri* syllaba in Ed. 1. excidit.

Sed hic obiici potest: Si honesta opera sunt peccata, quorsum igitur prodest ea facere? item: Cur praecipit ea Deus, cum non approbet peccatum; iuxta illud, Non Deus volens impietatem tu es?

Responsio. Nobis facilis est responsio; adde enim fidem ad hanc disciplinam, tunc placebit Deo, etiamsi re vera est imperfecta obedientia, sicut supra dixi, quia persona placet. Et haec obedientia habet in his, qui vere credunt, praemia corporalia et spiritualia, in hac vita et post hanc vitam. Sed si de impiis quaeritur, hoc respondeo: Nos non esse Stoicos, qui disputabant omnia peccata paria esse. Sed plus peccat Nero, quam Pomponius Atticus; etsi Dei iudicium est, quantus gradus sit interioris vitii, quod certe non debet extenuari. Et tamen requirit Deus externa honesta opera, quae vocantur legis opera. [76]) Requirit autem et propter tranquillitatem hominum inter ipsos et propter disciplinam, hoc est, ut institui ac doceri homines de Evangelio possint. Sicut ait Paulus [Gal. 3, 24.]: Lex est paedagogus. Et hanc paedagogiam ornat Deus egregiis praemiis corporalibus; et econtra violationem legis externam punit gravibus poenis corporalibus et aeternis. Quare prodest hanc paedagogiam amplificare, et diligenter docere homines, ut statuant divinitus et praemia pro recte factis et poenas pro delictis propositas esse. Idque docet scriptura in ipso decalogo, de praemiis: Honora patrem et matrem, si vis esse longaevus super ter-

76) ***Pro sqq.*** Requirit autem — — apud Hesiodum et alios de poenis delictorum *in* Editt. 11—13. et Opp. ***haec sunt***: Est autem haec disciplina praestanda propter quatuor causas. Prima est, quia deus eam flagitat, cui omnes obedire debent. Secunda, ut vitentur poenae, quia deus non solum perpetuis cruciatibus post hanc vitam impios punit, sed etiam in hac vita horrendis exemplis punit sceleratos: homicidae retrahuntur ad supplicia, manifesta vi divina, etiam cum putant se evasisse ex manibus magistratuum. Denique omnis generis scelera puniuntur quotidianis vitae calamitatibus, quae impositae sunt generi humano, ut tanquam carcer homines et coerceant et puniant; sicut Psalmus docet: In chamo et freno maxillas eorum constringe. Philosophi quaerunt causam, cur haec praestans natura subiecta sit tot aerumnis. At Psalmus veram causam proponit: testatur homines ideo subiectos esse his calamitatibus, quia natura est vitiosa, et tum coercenda est tum punienda quotidianis aerumnis. Ac moverunt exempla etiam ethnicos, qui videbant homicidas, periuros, incestos ruere in atroces poenas. Hinc sunt illae sententiae [Hesiodi Opp. et D. 285.], *ἀνδρὸς δ᾽ εὐόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων* et similes. Tertia causa est, cur disciplinam necesse est praestare, ut societas communis sit tranquilla. Quarta causa in primis magnifacienda est, quia Paulus vocat legem paedagogiam in Christum. Hic est magnus honos disciplinae; estque sententia, donec vitiosis cupiditatibus frenum laxant homines et delectantur turpitudine, non sunt membra Christi. Item, emendati si rursus se polluant flagitiis contra conscientiam, non manent membra Christi. Haec ratio moveat animos, ut disciplinam iudicemus magnopere necessariam esse.

ram. De poena periurii dicit in secundo praecepto: Non habebit Deus insontem, qui usurpaverit Dei nomen in vanum. Item de poenis docet, quoties de magistratu loquitur; hunc enim constituit Deus, ut disciplinam inter homines retineat et per eos punit flagitia. Punit etiam sine eorum opera, aliis calamitatibus: sicut maledictiones in lege testantur. Testantur idem et Lex naturae et experientia. Nam haec ipsa opinio est quaedam lex naturae, scilicet, sentire quod Deus pro benefactis praemia reddat, pro malefactis poenas. Ideo mansit hoc iudicium apud omnes gentes. Et hinc extiterunt illae gravissimae sententiae apud Hesiodum et alios de poenis delictorum.

Deinde constat hoc quoque, illas ipsas heroicas virtutes in summis ingeniis vere esse peculiaria dona et opera Dei, qualis fuit in Xenophonte inquisitio Dei; in Themistocle, Fabio, Scipione magnitudo animi atque consilii in defendenda patria; in Laelio, Attico, moderatio et fides. Cum autem sint verissime opera Dei, sicut ipsi oculi nostri, certe non sunt res malae.[77]) Quare iustitia carnis habet etiam suam laudem, et docendi sunt homines, quod Deus eam requirat ac praemiis ornet.

Quod autem obiicitur: Hanc iustitiam peccatum esse, Deus autem non requirit peccata; respondeo: Deus requirit opus ipsum. Deinde, quod istud opus fit peccatum, id fit per accidens, scilicet, propter vitiosam personam. Ut magnitudo animi in Achille est egregia virtus per sese et vere opus Dei; sed fit vitiosa, quia persona est vitiosa, quae dubitat, utrum Deus respiciat homines, est sine timore et sine fiducia Dei; ideo opus ipsum non est obedientia erga Deum. Ille autem est iustus finis operum vere bonorum, ut sint obedientia erga Deum. Deus igitur rem quidem bonam requirit, sed natura vitiosa illud ipsum, quod Deus requirit, contaminat.

Reliqua est distinctio peccati mortalis ac venialis. Sed de hac distinctione infra dicemus; non enim potest intelligi, quid sit veniale, nisi prius de fide dixerimus. Nam sine fide conscientia non potest consistere in iudicio Dei; ideo fiunt mortalia omnia, quae conscientiam accusant. Sicut Paulus inquit [Rom. 4, 15.]: Lex iram efficit. Item [1. Cor. 15, 56.]: Aculeus mortis peccatum est, potentia peccati Lex. Nec possunt opponi iudicio Dei quamlibet honesta opera, quia non possumus sine mediatore Christo accedere ad Deum. Ideo inquit Paulus [Rom. 8, 6.]: Sensus carnis mors est, id est: etiamsi habet homo sine fide aliquam de Deo notitiam, etiamsi habet egregias virtutes, tamen in iudicio Dei non vivificant. Quare etsi Deus requirit hanc paedagogiam seu iustitiam carnis, etsi corporalibus praemiis eam ornat; tamen ista sunt falsa, quae affirmant nostri adversarii: quod talia opera mereantur remissionem peccatorum, sive de congruo, sive de condigno. Et quidem docent huiusmodi opera mereri remissionem peccatorum sine fiducia Christi. Ita somniant placari iram Dei sine Christo. Sed reclamat Paulus, qui docet gratis remitti peccata, fide propter Christum; ut clare testatur Ephes. 2. [vs. 8.:] Gratis salvati estis etc. Haec in praesentia satis sit monuisse, infra enim copiosius de remissione peccatorum et iustificatione dicendum erit.

In hoc loco de peccato necesse est admonere lectorem de affectibus. Duplices sunt in natura hominis affectus. Quidam simpliciter pugnant cum lege Dei; ut, appetere alterius res aut coniugem, invidere aliis Dei beneficia, appetere gloriam indebitam et efferre sese supra alios, diffidere Deo, stomachari adversus iudicium Dei, odisse Deum. Et tales affectus sunt proprie fructus peccati originis, et sunt simpliciter mali ac vitiosi, et eiiciendi ex natura hominis; nec erant futuri in integra et incorrupta natura. Alii sunt affectus, qui non pugnant cum lege Dei; ut, amare liberos, coniugem, bene meritos, irasci vitiis. Natura enim incorrupta non erat futura sine omnibus appetitionibus. Nam appetitiones ex natura tollere est tollere motum et vitam. Ideo etsi hi affectus etiam contaminantur vitio originis; tamen sciendum est eos per sese non esse malos et vitiosos, sed in natura retinendos esse, et efficiendum, ut fiant puriores. Vocantur autem a graecis *στοργαὶ φυσικαί*. Hoc discrimen observandum est, ne decipiamur ab hypocritis, qui sine discrimine omnes affectus tanquam per se vitiosos et malos damnant.

DE LEGE DIVINA.

Lex Dei est doctrina divinitus ostensa,[78]) praecipiens, quales nos esse, quae facere, quae omittere oportet, et requirens perfectam obedientiam erga Deum, ac damnans eos, qui[79]) non praestant hanc perfectam obedientiam. Sicut ait lex [Deut. 27, 26.]: Maledictus qui non permanserit in omnibus his, quae scripta sunt in libro legis. Hic primum monere necesse est, quid intersit inter leges humanas et legem Dei. Leges humanae tantum requirunt aut prohibent externa facta. Philosophia requirit amplius quiddam, videlicet diligentiam non solum in externis membris continendis, sed etiam in

77) malae] Ed. 11. male

78) divinitus ostensa, *addunt* Editt. 11—13 et Opp.

79) ac damnans eos, qui] Editt. 11 — 13. et Opp.: ac denuntians iram dei, mortem et perpetuam poenam omnibus, qui

affectibus flectendis ad certam moderationem et aequabilitatem,[80]) seu suavitatem; idque proprie vocatur *ἠθικόν*. Neque vero accusat naturalem immunditiem, nec iudicat illa summa vitia pugnantia cum prima tabula, dubitationem de Deo, diffidentiam et similes morbos in natura hominis haerentes. At Lex Dei non tantum requirit aut prohibet externa facta, non tantum requirit illam diligentiam, de qua philosophi praecipiunt, cohercendorum[81]) affectuum; sed requirit naturam ita consentientem legi Dei, sicut nunc concupiscentia repugnat legi Dei. Et praecipue requirit notitiam Dei firmam, verum timorem Dei, firmam fiduciam Dei, perfectam dilectionem; accusat vitiosos affectus et ipsam naturae immunditiem, seu concupiscentiam parientem vitiosos affectus. Hoc sentit Paulus, cum inquit [Rom. 7, 14.]: Lex est spiritualis, hoc est, spiritualia requirens, veram Dei notitiam, verum timorem, veram fiduciam, perfectam dilectionem, sicut ait Lex [Deut. 6, 5.]: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde. Hoc discrimen legis Dei et legum humanarum seu philosophiae cum non considerarent Scholastici doctores, pepererunt multos errores.

Primum finxerunt lege[82]) Dei non damnari naturalem imbecillitatem,[83]) videlicet concupiscentiam.

Secundo: legi[84]) Dei satisfieri per opera nostra exteriora, item, per conatum interiorem voluntatis, etiam si repugnet concupiscentia.

Tertio: Et quidem fingunt legi posse satisfieri sine Spiritu sancto.

Quarto: non esse peccata dubitationem, diffidentiam de voluntate Dei et similes motus.

Quinto: quia legi putant satisfacere hominem, fingunt eum iustum pronuntiari propter propria opera, et quidem sine fide, id est, sine fiducia misericordiae. Breviter nihil discernunt inter eam iustitiam, quam Lex Dei requirit, et quam docent leges politicae vel philosophia.

Sexto: hinc extiterunt etiam somnia de perfectione, de consiliis, de operibus supererogationis. Quia enim somniabant se legi satisfacere, addiderunt postea, quomodo plus etiam fieri possit, quam lex postulat. Sed de consiliis et perfectione dicam postea.

Sed Paulus belligeratur cum illis Pharisaicis opinionibus de lege, et ostendit lege Dei non tantum requiri civilia opera, sed perfectam obedientiam erga Deum; et accusari non tantum actualia peccata, sed etiam naturam vitiosam; contendit [Rom. 3, 23.] omnes reos esse, neminem legi satisfacere. Haec nisi sciantur, non potest intelligi beneficium Christi, ut postea dicemus. Proinde in Corinthiis [II. 3, 13 sq.] huc accommodat typum de facie Mosi velata; ait Iudaeos non videre in finem legis, hoc est, non perspicere legem perfecte, sed velo mentes eorum impeditas esse. Ubi velum hanc ipsam falsam persuasionem intelligit, hoc est, carnale seu civile iudicium, quod lex tantum requirat civilia opera, non accuset naturam vitiosam, quod legi satisfiat per hanc diligentiam humanam, quod sint iusti propter opera, etsi interim corda plena sunt dubitatione et aliis vitiosis affectibus. Hoc velum tolli docet per Christum, cum videlicet agnoscimus, nos esse reos irae Dei, nec posse satisfacere legi Dei, ac quaerimus misericordiam, et statuimus nos pronuntiari iustos propter Christum. Atque ita liberati dubitatione vere agnoscimus et invocamus Deum etc. Quare et[85]) Scholastici doctores, cum illas ipsas Iudaicas et carnales opiniones de Lege doceant, etiam intuentur in faciem Mosi velatam, nec recte iudicant de lege Dei, ac doctrina eorum plane ipsum velum est, quo Lex obscuratur. Est enim sumpta ab humano et carnali iudicio de legibus. Evangelium autem retegit Mosi faciem, cum in praedicatione poenitentiae ostendit, quid vere lex requirat, quod accuset omnes. Haec volui initio breviter admonere de discrimine legis Dei et legum humanarum, ut sciamus, quid lex Dei requirat, et de usu legis divinae recte iudicare possimus.

Divisio legum.

Primum solent hae species recenseri: lex naturae, lex divina, lex humana. Leges divinae sunt leges, quae ubicunque extant cum in Mose tum in libris Evangelii. Sed quanquam, ut postea dicam, Christiani liberi sunt a lege Mosi, tamen hic docendi causa leges Mosaicae discernendae sunt, ut postea facilius ostendi possit, quid sit Lex naturae, et quibus legibus nos debeamus obedientiam. Mosaicae leges in tres ordines distribuuntur. Aliae sunt morales, aliae iudiciales, hoc est, forenses, aliae ceremoniales. Morales vocamus, quae continent praecepta virtutum, quae ad omnes pertinent. Et quia decalogus continet summam talium praeceptorum: ideo appellatione decalogi plerumque solemus intelligere moralia praecepta, ubicunque in scripturis extant, quae praecipiunt aliquid de virtutum officiis: cuiusmodi sunt praecepta Rom. 12. et alibi. Nam

80) aequabilitatem] sic Editt. 1. 4. 5. 8. 9. 11—13. et Opp.; Editt. 2. 6. 7. 14. aequalitatem

81) cohercendorum] Ed. 2. typoth. errore: cohercendum

82) lege] Editt. 2. 6. 7.: legi

83) naturalem imbecillitatem,] Editt. 11—13. et Opp.: naturale vitium

84) legi] Ed. 11. lege

85) et *omittunt* Editt. 11—13. et Opp.

omnes huiusmodi sententiae sunt quaedam quasi explicatio decalogi. Cum autem in qualibet arte prosit informare methodos, ut res late dispersas in capita certa contrahere possimus: ideo omnia moralia praecepta in decalogum includimus, ut quasi methodum aliquam teneamus: ac profecto ne potest quidem methodus aptior ulla excogitari. Ac[86]) satis apparet hanc *ἐπιτομήν* non humana, sed divina quadam[87]) sapientia compositam esse. Haec dixi, ne quam pariat controversiam appellatio decalogi, sed sciant lectores ita nos appellare praecepta de virtutibus ac moribus ubicunque extant, cum in veteri tum in novo Testamento. Idque eo prodest, ut etiam teneant studiosi certam quandam summam ac methodum praeceptorum, ut ordine omnes leges et omnium virtutum fontes videre et complecti possint, quod ad iudicandum pernecessarium est.

Iudiciales leges et ceremoniales quae sint, facile est iudicare. Nam iudiciales sunt, quae praecipiunt de ritibus coniugiorum, de successionibus, de poenis delictorum et similibus rebus forensibus; ceremoniales de templo et ritibus, qui separant hunc populum a ceteris gentibus, in hoc genere operum, cuius finis proximus esse debet, ut sint signa et testimonia professionis seu fidei erga Deum. Quanquam autem postea dicemus, quomodo intelligi debeat, quod Christiani dicuntur liberi ab his legibus; tamen nunc in summa sciendum est, iudiciales et ceremoniales leges Mosi prorsus nihil ad nos pertinere, nisi si quae in illis sunt naturales; ut de coniugiis, cum prohibentur cognatorum et certorum affinium connubia. Hae sententiae, cum sint notitiae in natura scriptae, non possunt abrogari, sed durant cum ipsa hominis natura. Ideoque multi talia praecepta vocant moralia, quia ad virtutes pertinet sanguinis reverentia, et debet observari ab omnibus gentibus et omnibus seculis. Et quidem Moses ipse testatur has leges de gradibus non tantum ad Israelitas pertinere, sed ad omnes gentes, quia[88]) dicit deleri Cananaeos[89]) propter incestas libidines, quod duxissent cognatas. Itaque cum accusentur Cananaei, necesse est tales prohibitiones pertinere communiter ad omnes gentes, et leges quasdam naturae esse, quae prohibuerint eiusmodi connubia, etiam ante legem Mosi; sicut extiterunt et aliae naturales notitiae ante legem Mosi.

Haec de coniugiis et similibus valde prodest meminisse, ne praetextu libertatis Christianae iura naturae violentur.

Moralia vero pertinent ad omnes gentes, non propter Mosen, sed propter legem naturae; item, quia etiam Evangelium[90]) praedicat spiritualem iustitiam, et obedientiam erga Deum; ideoque repetit praecepta moralia, quae docent de munditie cordis et spiritualibus motibus ac officiis; quod quomodo intelligi debeat, infra dicemus. Nunc igitur ostendendum est, quid sit lex naturae, et decalogus cum lege naturae conferendus est. Ut autem facilius intelligi leges naturae possint, prius recensebimus decalogum, quoniam, ut dixi, decalogus aptissima quaedam methodus est, in quam omnes leges morales includi possunt. Et ad decalogum postea leges naturae accommodabimus; et quidem ideo promulgatus est decalogus, ut illustraret et interpretaretur legem naturae.

Decalogus.[91])

Tabulae duae sunt, quarum prima continet opera, quibus proprie agamus[92]) cum Deo, scilicet verum cultum Dei interiorem et exteriorem. Secunda continet opera erga proximos, interiora et exteriora. Interdum et sic discernuntur: Prima continet vitam spiritualem, secunda politicam.

Prima Tabula.[93])

Primum praeceptum praecipit de eo opere, quod summum et praecipuum est; videlicet de vera notitia Dei, de vera et perfecta obedientia erga Deum, perfecto timore, fiducia ac dilectione. Complectitur autem duas maximas res, scilicet modum cognoscendi Dei et verum cultum. Modus est, ut apprehendatur Deus per suum verbum et testimonium. Quia enim ratio humana, cum sine verbo et testimonio Dei quaerit Deum aut instituit cultus, non potest reddi certa, sed dubitat, utrum apprehenderit Deum, utrum Deus curet humana, utrum Deo placeant isti cultus etc.; ideo hic propositum est certum verbum et testimonium [Exod. 20, 2.]: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Testatur enim hunc Deum, qui hoc verbum tradidit et in hoc opere agnosci voluit, verum Deum esse. Ita et nobis propositus est Christus, ut sciamus hunc esse verum Deum, qui misit Christum et propter Christum filium nobis vult esse placatus. Ita certum verbum et certum testimonium apprehendi oportet, quo agnoscatur. Cultus autem, de quibus

---

86) Ac] Editt. 8. 11—13. et Opp.: Et

87) quadam *omittunt* Editt. 11—13. et Opp.

88) quia] Editt. 2. 6. qui

89) Cananaeos] Editt. 2. 5. 6. male: Canonaos

90) Evangelium] Ed. 1. typoth. errore: Euangelum

91) Hanc inscriptionem omittunt Editt. 1. 2. 4—6.

92) agamus] Editt. 11—13. et Opp.: agendum est

93) Haec quoque inscriptio in Editt. 1. 2. 4—6. deest.

hic praecipit, sunt verus timor, vera fiducia, vera dilectio. Requirit enim timorem, cum ait [Ex. 20, 5.]: Ego sum Deus, fortis zelotes, visitans iniquitatem etc. Item: Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies. Requirit et fidem ac dilectionem, cum ait: Ego sum[94]) Deus tuus, id est, te respiciens et curans, salvans etc. Item [Ex. 20, 6.]: Faciens misericordiam diligentibus. Item [Deut. 6, 5.] Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde. Nam huiusmodi sententiae sunt enarrationes primi praecepti. Cum autem requirat perfectam obedientiam, facile intelligi potest, quod haec Lex semper accuset et damnet omnes homines in hac vitiata natura, quae neque praestat neque potest praestare perfectam obedientiam, perfectum timorem, perfectam fiduciam, perfectam dilectionem.

Sed dicat aliquis: Atqui necesse est eos, qui Deo placent facere hanc legem; quomodo fit igitur? Breviter respondeo. Nunquam satisfit huic legi, ne quidem a sanctis; sed Christus est consummatio legis, hoc est: Postquam territi agnitione peccatorum rursus erigimur fiducia Christi (quia tunc Dei misericordiam agnoscimus in Christo promissam)[95]) incipimus Deum agnoscere, eum timere et ei confidere. Hic inchoamus opera primi praecepti. Et quanquam procul absumus a perfectione, tamen propter Christum pronuntiamur iusti, ut infra dicendum erit. Ita primum praeceptum fit imputative. Quare sine Evangelio de Christo non potest fieri ac ne inchoari quidem primum praeceptum; nam fiducia sine Christo nulla esse potest, cum Lex ipsa semper accuset et damnet. Commodum est autem docendi causa, his duobus verbis complecti omnia opera primi praecepti, videlicet appellatione timoris et fidei. Nam etsi fiducia vere parit dilectionem, tamen dilectionis vocabulum obscurius est, quam timoris aut fidei appellatio. Timorem enim oportet nos experiri subinde in poenitentia, oportet et fiduciam experiri in consolationibus. Ex his omnibus apparet, in primo praecepto de summo et praecipuo opere, videlicet, de interiore cultu Dei praecipi.

Secundum praeceptum praecipit de cultu exteriore, hoc est, de propriis effectibus fidei, de usu nominis Dei. Requirit igitur, ut genera complectar, invocationem, gratiarum actionem, praedicationem verbi Dei et confessionem. In his quatuor generibus verus ac praecipuus usus est nominis Dei, et continent praecipuum cultum exteriorem. Haec enim sunt sacrificia laudis, de quibus passim concionatur scriptura. Psalm. 115.[96]) [vs. 1.] Credidi, propter quod locutus sum. Calicem salutarem accipiam, et nomen Domini invocabo. Tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo etc. Porro quod praecepta negative sonant, cognoscenda est natura sermonis; nam negativa oratio e regione requirit affirmativam. Non habebis Deos alios praeter me; hic enim requirit, ut ipse habeatur Deus, hoc est, ut ipsi tribuatur honos, qui Deo debetur, scilicet timor et fiducia. Ideoque praefatur affirmative: Ego sum Dominus Deus tuus. Ita cum ait [Ex. 20, 7.]: Non usurpes vane nomen Dei, requirit iustum usum nominis Dei. Iustus autem usus est in illis quatuor generibus, quae recitavi.

Tertium Praeceptum.[97])

Tertium praeceptum proprie ad ceremonias pertinet, quae sunt pars exterioris cultus; sunt enim signa instituta cum ad confessionem, tum propter ministerium verbi; hi enim debent esse fines ceremoniarum. Vides autem quam concinnus ordo sit. Primum praeceptum concionatur de interiore cultu, timore ac fide; secundum de praecipuo cultu exteriore, de invocatione et praedicatione verbi etc.; tertium praeceptum de ceremoniis, quae, ut dixi, traditae sunt, cum ut per eas confiteamur fidem, tum ut prosint ad conservandum ministerium verbi. Loquitur autem textus de sabbato; quia sabbatum, cum institutum sit propter ministerium verbi, praecipua ceremonia est et ceteras complectitur. Diserte enim dicit Lex non tantum de otio diei septimi, sed de sanctificatione [Ex. 20, 8.]: Memento, ut diem sabbati sanctifices, id est, ut colloces in usus sanctos, videlicet in tractationem verbi Dei et alios cultus divinitus ordinatos. Ideo quidam non inerudite dicunt, hoc tertium praeceptum partim morale esse partim ceremoniale. Est enim ceremoniale, quatenus de Iudaica observatione certi diei septimi praecipit. Et haec ceremonia, ut constat, abrogata est, sicut circumcisio et ceterae Iudaicae ceremoniae; sicut Paulus ad Coloss. [2, 16.] nominatim de sabbato docet. Sed morale in hac Lege est, quod significat ceremonias divinitus datas propter ministerium verbi conservandas esse, et aliqua tempora exercendis illis ceremoniis et audiendo verbo Dei impertienda esse. Hoc morale et naturale mandatum certe ad omnes homines pertinet. Genus est iuris divini, ut aliquo tempore ceremonias divinitus traditas usurpemus, et ad ministerium verbi conveniamus. Sed species, quo die, quo tempore id fiat, nunc non habet praeceptum divinum. Neque ego nunc allegoriam[98]) praecepti quaero, sed principalem sententiam recito. Requirit enim praecipue hoc praeceptum,

94) deus, fortis — — sum *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

95) Pro parentheseos signis habent commata Editt. 1. 2. 4—6.

96) 115.] Editt. 1. 4. 5. 9.: 105.

97) Hanc inscriptionem addunt Editt. 12. 13.

98) allegoriam] Ed. 1. typoth. errore: alleriam.

ut ceremonias divinitus institutas, et publicum ministerium verbi Dei conservemus; praecipit igitur de rebus maximis. Nulla enim res magis necessaria est, quam ministerium verbi Dei. Quare vulgus non leviter peccat, quod hoc praeceptum totum ita ad Iudaeos reiicit, ut interim negligat ceremonias Evangelicas et ministerium Evangelii. Atque haec de prima tabula sufficiant.

INOBEDIENTIA HUMANI CORDIS AD SINGULA PRAECEPTA.[99])

Nunc conferenda erat inobedientia humani cordis ad singula praecepta. Pugnant cum primo praecepto securitas in animis hominum, qui vacant timore Dei, dubitatio, diffidentia de misericordia; item fiducia propriae [100]) iustitiae ac potentiae. Denique variae falsae opiniones de Deo et idololatriae, [1]) quae honorem Deo debitum, fiduciam et invocationem tribuunt creaturis. Cum secundo pugnant dubitatio eorum, qui sine fide invocant, aut non invocant, quia non possunt se erigere ut credant; item impii cultus, impia doctrina, blasphemiae etc.

Cum tertio pugnant prophanatio ceremoniarum et contemptus ministerii verbi. Constat autem omnibus his vitiis mundum plenum esse. Praecipue autem peccant adversus primam tabulam impii doctores et pontifices, qui haec tanta vitia approbant atque alunt. Contra primum praeceptum docent, non esse peccatum naturalem immunditiem, quae facit, ne perfecte obediamus Deo. Nihil docent de fiducia gratuitae misericordiae. Imo docent non esse peccata dubitare et diffidere de misericordia. Contra secundum praeceptum defendunt impias doctrinas, quae abolent veram invocationem, defendunt impios cultus, sicut idololatriam [2]) missarum, item monachatum. Et [3]) impio praetextu nominis divini summam crudelitatem exercent. Contra tertium depravant usum ceremoniarum, fingunt ipsas ceremonias mereri remissionem peccatorum ex opere operato sine fide. Ideoque cumulant sine modo ceremonias, et interim opprimunt ministerium verbi Dei, propter quod praecipue divinitus institutae sunt ceremoniae. Omitto interim quantum ceremoniarum excogitaverint tantum per avaritiam aut per ambitionem. Tale est regnum impiorum doctorum et pontificum, plane contrarium primae tabulae legis Dei. Dixi autem supra hos errores nasci ex falsa persuasione, quia [4]) somniant homines lege Dei tantum requiri civilia seu externa opera. Haec Pharisaica opinio parit reliquos errores.

Secunda Tabula. [5])

Secunda tabula [6]) praecipit, quales [7]) esse debeamus erga proximum. Quanquam autem et haec de naturae munditie praecipit, tamen simul hic politiam constituit. Primus gradus in hac societate humani generis est imperium, ut alii praesint, alii pareant. Ideo prima virtus est obedientia etiam apud philosophos, qui eam vocant honestissimo nomine, Iustitiam universalem. Quare et hic initio praecipit de obedientia. Et quidem requirit summum opus obedientiae, videlicet honorem. Significat enim honos, tribuere alteri ex animo sapientiam et iustitiam, hoc est, parere eius iudicio et autoritati. Orditur autem a primo gradu imperii, scilicet ab autoritate parentum. Deinde huc addi debent ceteri gradus. Ita complectitur hoc mandatum praecepta, quae extant de magistratibus, Roma. 13. et alibi. Et pertinent ad hanc legem summae virtutes, videlicet, servire vocationi, modestia, hoc est, non perturbare respublicas aut vocationem per πολυπραγμοσύνην aut ambitionem. Huc pertinet pietas erga parentes, erga rempublicam et similes virtutes.

Quintum praeceptum. [8])

Sequentia praecepta continent reliquas virtutes et officia necessaria ad societatem generis humani. Necessaria est particularis iustitia, cuius haec sunt propria: neminem laedere, suum cuique tribuere. Ideo deinceps praecipit lex [Ex. 20, 13.]: Non occides. Haec lex omnem privatam vindictam prohibet; nam magistratus postea habet sua praecepta de vindicta. Porro quia lex non tantum de externo opere loquitur, sed damnat omnem privatam vindictam, prohibet non solum manifestas iniurias, sed vindictae cupiditatem, odia, invidentiam et similes affectus. Sic Christus hanc legem Matth. 5. [vss. 21 sq.] interpretatur. Quare multas virtutes complectitur, iustitiam, mansuetudinem, constantiam, patientiam, clementiam.

Sextum praeceptum. [8])

Sextum praeceptum [Ex. 20, 14.]: Non moechaberis, sancit coniugia. Nullum autem encomium

---

99) Hanc inscriptionem addunt Editt. 12. 13.

100) propriae] Ed. 11. propria

1) idololatriae] sic recte Editt. 5. 6.; cett. Editt.: idolatriae

2) idololatriam] omnes Editt. exhibent: idolatriam

3) Et *addunt* Editt. 2. 6—8. 11—14. et Opp.

4) quia] Ed. 1. qua

5) Secunda Tabula] Editt. 12. 13. Praecepta Secundae Tabulae.

6) Secunda tabula] *has voces addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

7) quales] Ed. 11. typoth. errore: qualis

8) Hanc utramque inscriptionem addunt Editt. 12. 13.

coniugii illustrius est, quam quod haec ipsa Lex continet. Quia iubet abstinere ab alterius coniuge, constat muniri coniugia. Ergo approbat coniugia et concedit usum propriae coniugis. Nec potuit magis ornare quam hoc ipso honore, quod videlicet hac lege muniuntur et defenduntur coniugia. Quare utrumque hic discendum est, quod haec Lex et approbet coniugia et prohibeat ab aliena abstinere. Christus et hanc legem Matth. 5. [vss. 27 sq.] declarat. Quare continet multas virtutes, castitatem, temperantiam, continentiam, sobrietatem, et similes; quae prohibent illicitas voluptates Veneris et gulae; nam haec vitia natura coniuncta sunt.

Septimum.[8a]

Septimum [Ex. 20, 14.]: Non furtum facies, munit rerum proprietates. Atque hic etiam utrumque discendum est: primum, ut sciamus dominiorum distinctionem Dei ordinationem esse. Id observare prodest contra fanaticos et furiosos spiritus, qui magno et pernicioso errore contendunt in Evangelio tolli rerum proprietatem. Deinde etiam prohibitio observanda est, ne aliena appetamus. Continet et haec lex multas virtutes, quae pugnant cum [9] prodigalitate, avaritia, ignavia, videlicet parsimoniam, sedulitatem, diligentiam, liberalitatem. Nam et prodigi et ignavi omnes fures sunt, propterea quod necesse sit eis ex alieno rapere ad tolerandos sumptus et otium.

Octavum.[8a]

Octavum [Ex. 20, 16]: Non dicas falsum testimonium, iudicia munit, quae continent defensionem omnium, de quibus supra praecepit, [10] corporum, coniugum et rerum. Continet autem haec lex virtutum [11] omnium pulcherrimam, veritatem.

Nonum et decimum.[8a]

Nonum et decimum addunt [12] declarationem; ut sciamus lege Dei non solum de externis operibus praecipi, sed vitiosam naturam hominis accusari. Oportuit enim in natura hominis perfectam obedientiam esse erga Deum. Cum autem natura hominis plena sit concupiscentia et malis affectibus, facile intelligi potest, quod nemo legi Dei satisfaciat, quodque omnes rei sint irae Dei, quod ad infirmam naturam attinet.

Comminationes et promissiones legi additae.[13]

Additae sunt decalogo comminationes [14] et promissiones, sicut cerni potest in primo et secundo praecepto, item in quarto. In legibus enim oportet et poenas et praemia proponi. Ac summa promissionum est in his verbis alibi positis [Levit. 18, 5.]: Qui fecerit haec, vivet in eis; seu [Luc. 10, 28.]: Hoc fac, et vives. Minarum summa est in his verbis [Deut. 27, 28.]: Maledictus qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in Lege.

Sed sciendum est, omnes promissiones Legis conditionales esse. Cum autem Lex semper accuset nos, promissiones fierent irritae, nisi ex Evangelio haberemus consolationem, quod docet, quare et quomodo ratae sint etiam hae promissiones legis. Fiunt enim ratae, quia, cum pronuntiamur iusti gratis propter Christum, reputamur legem implere, videlicet imputative. Ideo tunc promissiones ratae sunt, et praemia consequimur spiritualia et corporalia, tum [15] in hac vita, tum post hanc vitam. Quid autem intersit inter Evangelium et Legem, et legis promissiones, suo loco dicam. Illud etiam memineris, quod in politica iustitia corporales promissiones ratae sunt. Externa delicta comitantur manifestae poenae; externam iustitiam Deus praemiis corporalibus ornat; sicut omnium gentium exempla et sapientissimorum hominum sententiae testantur. Deus enim in mundo conservat politiam; quare poenas exequitur ipse, etiam cum cessant homines etc. Ideo diserte addidit corporale praemium quarto mandato, quod politiam constituit: Si vis esse longaevus super terram etc.

Hactenus breviter percurri decalogum. Dixi autem pertinere eum ad omnes gentes, quia sit lex naturae; item, quia Evangelium, cum praedicet novam et spiritualem vitam, quae est obedientia erga Deum, concionetur de iisdem [16] operibus. Quare nunc conferamus legem naturae ad decalogum, etsi propemodum id iam feci. Nam cum ordinem praeceptorum ostendi, nemo non videt naturam ipsam nobis et hunc ordinem et ipsas leges praescribere. Sed tamen addemus brevem collationem.

De lege naturae.

Lex naturae est notitia legis divinae, naturae hominis indita. Nec est quicquam in tota rerum

8a) Has tres inscriptiones addunt Editt. 12. 13.

9) cum *omittunt* Ed. 11. et Opp.

10) praecepit] Editt. 8. 11—13. et Opp.: praecipit

11) virtutum] Editt. 8. 11—13. et Opp.: virtutem

12) addunt] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: addit

13) Hanc inscriptionem addunt Editt. 12. 13.

14) comminationes] Ed. 11. typoth. errore: comminationis

15) tum] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: cum

16) iisdem] Ed. 7. eiisdem, Ed. 14. eisdem

natura melius ac pulchrius, neque ullum praesentius Dei vestigium, quam quod Deus hanc suam effigiem et imaginem suae sapientiae humanis mentibus impressit. Dixi autem esse notitiam naturae inditam, quod sic intelligas. Sicut oculis lumen quoddam divinitus inditum est, ita mentibus humanis insitas esse quasdam notitias, seu lumen quoddam, quo per sese agnoscunt et iudicant quaedam. Philosophi [17]) id lumen vocant notitiam principiorum, vocant *κοινὰς ἐννοίας* et *προλήψεις*. Et sicut ipsi de principiis speculativis docent homines natura ea agnoscere et amplecti tanquam certissima: ita de principiis practicis, hoc est, de lege naturae sentiendum est.

Lex naturae obscurata. [18])

Addidi autem legem naturae notitiam esse legis divinae. Hic sciendum est, in hac natura corrupta vitio originis legem naturae valde obscuratam esse. Homo enim conditus est praecipue ad agnoscendum Deum et ad obedientiam perfectam erga Deum; ideo habuit notitiam firmam legis de Deo, scilicet, Deum esse conditorem et gubernatorem totius creaturae, bonum ac iustum esse, benefacere iustis et punire iniustos. Hae sunt notitiae legis. Et quia erant lumen naturae divinitus insitum, ideo mens hominis adsentiebatur eis certo sine ulla dubitatione, et vires omnes perfecte obedire isti notitiae poterant. Praeterea etiam alterum genus, scilicet, de colenda societate humani generis erat purum. Intelligebant enim sine concupiscentia homines diligendos, iuvandos et tuendos esse, quia ad intelligendum Deum et praedicandam eius gloriam in quadam vitae societate conditi essent. Tota enim vita futura fuit quaedam philosophia de Deo et de praesentia eius in creatione et conservatione rerum. Erant futura exercitia fidei et dilectionis. Talis debebat adhuc esse lex naturae. Sed nunc ita est obscurata, nascimur adferentes obscurissimam quandam notitiam de Deo, cui tamen non certo assentiuntur mentes, perpetuo enim dubitant, utrum curet Deus humana, utrum benefaciat iustis, utrum puniat iniustos. Haec et si obscure [19]) monent illae [20]) naturales *προλήψεις*, tamen, quia sunt obscurae, non assentiuntur homines. Item excutiuntur hominibus per alias contrarias rationes. Vident impiis [21]) bene esse, vident summos atque optimos viros per iniuriam opprimi. Ideo disputant humana negligi a Deo. Vident, quantum scelerum et calamitatum sit in mundo. Quare disputant futuram fuisse meliorem administrationem atque oeconomiam mundi, si divinitus regeretur. Talia argumenta abducunt animos humanos, quo minus assentiantur legi naturae. Notitiae de societate humani generis, etsi etiam sunt obscuratae, tamen in his manent hae, quae praecipiunt de externis officiis, necessariis ad vitae conservationem. Et has colligunt philosophi. Quae etsi sunt particula quaedam legis naturae, tamen sciendum est, legem naturae debere intelligi longe maius et illustrius lumen, et certissimam notitiam de Deo fuisse. Constat autem etiam summorum hominum animos plenos esse errorum ac dubitationis de Deo, utrum curet nos, quare bonos affligi sinat, an puniat improbos, unde sint hae horribiles calamitates, quibus imbecillis hominum natura exercetur? Haec certe non explicat philosophia; denique ne quidem suspicari potest, quid sit perfecta obedientia erga Deum. Ita praecipuam partem legis naturae philosophia omittit, cum tamen in ipsa natura hominis etiam impressae sint causae, quae monstrant quod homines debeant deum agnoscere, debeant ei obedire etc. Sed has causas non satis inquirit philosophia, nec retinet quaesitas, propter illam infinitam dubitationem, quae haeret in animis hominum. Sed quaerit causas quorundam officiorum, quae decent in moribus et civili societate. Et quia leges naturae sunt principia et conclusiones necessaria consequentia ortae ex principiis, sciamus philosophorum sententias, quae habent demonstrationes, esse leges naturae. Et quia demonstrationes ordinem pariunt, ideo nos quoque propemodum earum [22]) ordinem sequemur in recensendis legibus naturae.

Catalogus. [23])

Quanquam prima Lex de Deo obscurata est in animis hominum, tamen manent vestigia quaedam. Cum enim homines nascantur [24]) cum quadam Dei notitia, natura ipsa iubet eos agnoscere Deum. Idque ratio naturalis, hoc est, conscientia in singulis hominibus clamitat, et testatur esse Deum, conditorem totius naturae, qui benefacit iustis et punit iniustos. Et huic Deo conditori omnium rerum obediendum esse, eumque invocandum esse. Ac testantur ipsi conscientiae terrores, qui existunt in hominibus, Deum minari poenam iniustis. Haec

---

17) Philosophi] Ed. 2. typoth. errore: Ehilosophi

18) Hanc inscriptionem addunt Editt. 12. 13.

19) obscure *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

20) illae] Ed. 2. typoth. errore: ille

21) impiis] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: improbis

22) earum] sic Editt. 8. 11—13. et Opp.; Ed. 1. 2. 4—7. 14. eorum

23) Catalogus.] Ed. 5. Decalogus; Editt. 12. 13. Collatio Legis Naturae ad Decalogum.

24) nascantur] Ed. 11. et Opp.: nascuntur

qualiacunque vestigia primae legis adhuc extare constat. Sicut et Paulus docet Rom. 1. et 2. Ideo et philosophi quidam in hanc sententiam de Deo gravissimas rationes colligunt; ut Cicero de natura Deorum, item Xenophon. Hinc sunt etiam poetarum et legumlatorum sententiae, quae vel ex hac naturali lege seu notitia ortae sunt, vel certe sumptae a sanctis Patribus, qui legem recte intelligebant. Ab his videntur propogatae sententiae ad posteros; quales extant in Phocylide et Hesiodo, quorum uterque affirmat Deum benefacere iustis et punire iniustos. Rom. 1. Paulus accusans gentes etiam allegat principio hanc legem naturae, quae iubet agnoscere Deum ac glorificare, hoc est, timere eum et confidere ei. Est igitur haec prima naturae lex, quam videmus convenire cum primo praecepto decalogi, quem Deus revelavit, cum [25]) ut lex naturae, obscurata vitio originis, iterum renovata voce divina, extaret clarior, tum ut extaret testimonium verbi Dei, quod haec notitia naturalis sit lex Dei; et ut sancti confirmarentur verbo Dei, ne in hac imbecillitate naturae aliqua falsa persuasio eos a naturali iudicio abduceret.

Ad secundum praeceptum pertinent sententiae et leges de religione iurisiurandi, de poenis periurii, de poenis eorum qui Deo maledicunt. Nam haec quoque ratio naturalis iudicat, sequuntur enim ex priore lege hae sententiae.

Ad tertium pertinent sententiae et leges de ceremoniis conservandis et defendendis. Nam et natura docet exercendas esse ceremonias et conservandas, ut alios de religione doceamus, propositis his exemplis ac signis. Ideo in iureiurando, quod dabant Athenienses cum ascriberentur inter cives, erant haec verba: Pugnabo pro sacris, et solus et una cum aliis civibus. Est et haec ceremonia maxime consentiens naturae, quam praecipit Hesiodus [Opp. et D. 339.] ut mane et vesperi Deum invocemus, ἢ μὲν ὅτ' εὐνάζῃ καὶ ὅτ' ἂν φάος ἱερὸν ἔλθῃ. Huiusmodi sancta instituta multa reperiuntur, et in gentium politiis, quae orta sunt ex hac naturali notitia legis de Deo. Etsi gentes, quae non norant Evangelium, non recte lege uti poterant. Lex enim, quia semper accusat, relinquit conscientias dubitantes, an Deus sit nobis placatus, an velit exaudire. At Evangelium, quia docet nobis Deum gratis placatum esse, ideo [26]) hanc dubitationem eximit. Non potest autem Deus coli cum dubitatione, requirit enim fidem. Hoc eo dicendum est, ut sciamus quid defuerit illis summis viris, Xenophonti, Ciceroni et similibus; norant enim legem et promissiones conditionales legis. Sed quia promissionem gratuitae reconciliationis, hoc est, Evangelium non norant, ideo haesit in eis dubitatio, utrum Deus esset eis placatus, utrum Deus eos exaudiret. Ego, quid istis defuerit, ex Evangelio iudico, sicut debeo; quia sine Christi notitia non contingit salus. Non pronuntio, quid Deus egerit cum eis, idque [27]) curiosum est quaerere; tantum [28]) haec eo dico, ut observetur discrimen Evangelii et legis naturae. Nonnulli enim impie somniant Evangelium quoque naturalem notitiam seu legem naturae esse; qua in re perniciose erratur. Paulus [Col. 1, 26.] vocat Evangelium mysterium absconditum a seculis, vocat [1. Cor. 2, 6.] sapientiam non huius mundi, neque principum huius mundi. Iohannes inquit cap. 1. [29]) [vs. 18.]: Deum nemo vidit unquam; Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis. Est igitur Evangelium sententia de voluntate Dei ignota rationi. Vocamus enim proprie Evangelium promissionem, quod Deus propter Christum gratis velit ignoscere et iustificare. Haec sententia adeo non est nota rationi, ut maxime dissentiat ratio, quae habet quandam legis notitiam. Ideoque sentit nos pronuntiari iustos non gratis, sed si legi satisfecerimus. Non potest statuere, quod indigni, et qui legi non satisfaciunt, placeant Deo. Quare maximum est certamen conscientiae et rationi naturali [30]) cum hac ipsa voce Evangelii. Ac difficile est consolari conscientiam voce Evangelii in illo certamine adversus istam naturae insitam persuasionem.

Haec obiter dicenda fuerunt, ne commisceantur Lex naturae et Evangelium. Recitavi autem hactenus leges naturae, quae ad primam tabulam pertinent. Nunc leges secundae tabulae recensebo, quae sunt aliquanto illustriores, quia praecipiunt de civilibus moribus, quos ratio magis iudicare potest.

Sit igitur quarta lex. Homo naturaliter intelligit virtutem, ac sentit virtutem expetendam esse propter Deum, non tantum utilitatis causa. Ideo intelligit contra naturam esse iniurias, vagos concubitus et cetera vitia. Quare statuit certis legibus connubia iungenda esse. Item, ut iniuriae prohiberi possint, ut coli possit [31]) societas, quae necessaria est ad docendos et iuvandos homines; statuit imperia constituenda esse et imperiis obediendum esse. Haec igitur Lex convenit cum quarto praecepto. Estque prima politica virtus obedientia. Proxima lex deinde est: neminem laedere. Non

25) cum] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: tum

26) ideo *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

27) idque] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: id quod

28) tantum] Editt. 2. 6. tamen

29) cap. 1.] *addunt* Editt. 2. 6—8. 11—14. et Opp.

30) naturali *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

31) possit *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

enim potest conservari societas, si nemo adversus iniurias tutus sit. Haec lex convenit cum quinta lege: Non occides. Pertinent autem huc et ceterae leges necessariae ad societatem conservandam, videlicet, de beneficentia et gratitudine; item de iustitia, quae punit nocentes. Ratio enim naturalis intelligit, membra noxia tollenda esse, ut consulatur [32]) universo corpori. Ideo poenae proponuntur in imperiis, quarum metu deterreantur improbi ab inferendis iniuriis. Estque maxime secundum naturam lex talionis, videlicet, ut sit par poena delicto; iuxta versiculum, quem citat Aristoteles ex legibus Rhadamanti. *εἴκε πάθοι τά κ᾽ ἔρεξε, δίκη τ᾽ ἰθεῖα γένοιτο.*

Ad sextum praeceptum pertinet, quod iam dixi, de connubiis. Intelligit enim ratio, vagos concubitus contra naturam esse. Intelligit stupra et adulteria inhonesta ac punienda esse; item, verecundiam et moderationem in voluptatibus maxime convenire naturae hominis.

Ad septimum praeceptum pertinet rerum divisio. Quia enim in tantis hominum cupiditatibus non possunt homines communiter frui rebus, ideo videt ratio necessariam esse dominiorum distinctionem. Est itaque iuris naturalis dominiorum distinctio. Quia ius naturale proprie significat naturale iudicium rationis; id philosophi vocant ius naturae; saepe etiam iureconsulti sic loquuntur. Sed quod frequentius dicunt, distinctionem dominiorum esse iuris gentium, idem plane volunt. Nam ius gentium significat ipsis communem sensum hominum, hoc est, commune iudicium rationis. Cum autem dicunt iure naturae omnia communia esse, gradus faciunt iuris naturae. Intelligunt enim res, quod ad ipsarum naturam attinet, potuisse communes esse, si hominum cupiditates non perturbassent illam societatem. Addunt igitur alterum gradum iuris naturae, quod convenit ad eam naturam hominis [33]) qualis nunc est; id vocant ius gentium. Philosophi haec multo dexterius explicant. Nam cum ius naturae sit totum naturale iudicium, multa continet, in quibus alia sunt praecepta summa, quae gubernant omnes leges, aliae sunt leges inferiores, quae interdum cedunt superioribus. Aliud itaque est iudicium immutabile, aliud rerum usus, qui variat pro varietate circumstantiarum. Quare cum dicunt, Ius naturae immutabile esse, de toto iudicio naturae intelligatur, non de usu earum rerum, quae sua natura sunt indifferentes. Porro ratio non simpliciter statuit tantum oportere res communes esse, sed utrumque iudicat, ubi concedenda sit communio, ubi non sit concedenda. Ita usus rerum mutatur, non mutatur iudicium naturae. Imo cum iam ratio pronuntiet in tali natura distinctionem dominiorum necessariam esse, id ius nunc immutabile est. Ex his intelligi potest, distinctionem dominiorum vere et proprie iuris naturae esse. Ceterum quia in hac vita opus est multis ac variis rebus, manet communicatio quae fit ratione et per contractus. Id quoque est iuris naturae, hoc est, ratio naturalis docet, ut ita contrahamus, ut fiat compensatio, et ut in compensatione servetur aequalitas. Sed reiiciamus haec ad philosophos. Valde autem hic reprehendenda est stultitia quorundam, qui somniant in Evangelio distinctionem dominiorum aut prohiberi aut vituperari. Nam iniuriam faciunt Evangelio, qui eiusmodi fanaticas et seditiosas opiniones auctoritate Evangelii tueri volunt. Evangelium enim docet de aeterna quadam vita ac iustitia spiritus, non corrumpit corporalem vitam, nec abolet naturae iudicium de vita corporali conservanda, nec damnat politiam et oeconomiam etc. Ideo explodendae sunt voces, non solum Platonis, qui communionem laudat contra iudicium rationis, sed etiam theologorum, qui illam Platonicam communionem putant in Evangelio aut probari aut praecipi.

Ad octavum praeceptum pertinet veritas pactorum et testimoniorum. Constat autem mendacium maxime esse contra naturam hominis et infinitis modis humano generi perniciosum. Ideo facile intelligi potest iuris naturae esse, veritatem esse [34]) in pactis, in testimoniis, in iudiciis etc. Atque hae sunt praecipuae leges secundae tabulae. Absolvimus enim totam politiam atque oeconomiam, magistratus, iniuriarum prohibitionem, coniugia, dominiorum distinctionem, pactorum et testimoniorum fidem. Hae sunt in politia res praecipuae, [35]) et continent omnes bonos mores. Nam ex hoc naturali iudicio leges in civitatibus ortae sunt de bonis moribus. Et pulcherrima est forma civitatis, in qua leges non discedunt ab illo recto naturae iudicio. Sicut Aristoteles eleganter inquit, unam esse formam civitatis optimam, eam videlicet, quae est secundum naturam. Cum autem accommodaverimus leges naturae ad decalogum, collatio ipsa ostendit legem naturae in decalogo contineri, et quidem aptissimo ordine proponi et quasdam leges magis declarari. Itaque decalogi appellatione plerumque utimur pro lege morali. Pertinet autem lex naturae, ut constat, ad omnium gentium homines. Est igitur eadem lex moralis omnium temporum et omnium gentium. Quod autem Deus hanc legem naturae rursus sua voce promulgavit, confirmat nos, ut sciamus vere haec opera ei placere. Hinc etiam

32) consulatur] Editt. 12. 13. consolatur

33) hominis] Editt. 7. 8. 11 — 14. et Opp.: hominum

34) esse *omittunt* Editt. 7. 8. 11 — 14. et Opp.

35) praecipuae] Ed. 11. et Opp.: praecipue

discendum est, leges naturae vere divinas esse. Quare qui eas violant, mortaliter peccant. Magna item dignitas est philosophiae, et earum sententiarum, quae hoc ius explicant; et cum causas in natura positas quaerunt, monstrant voluntatem Dei in natura scriptam. Quare reverenter sentiendum est de huiusmodi philosophia, quae habet veras demonstrationes, et de sententiis doctorum, quae cum illis demonstrationibus consentiunt.

De usu legis divinae.

Superest ut de usu legis divinae dicamus. Erimus autem hic breviores, quia supra hic locus tractatus est, ubi disputatur: quomodo Lex possibilis sit, seu quomodo legi possit obediri? Ac primum hic iterum monendus est lector, lege Dei requiri perfectam obedientiam humanae naturae. Porro cum hanc perfectam obedientiam non possit humana natura praestare, sequitur homines non pronuntiari iustos coram Deo propter legem; semper enim haeret in natura peccatum. Paulus igitur detrahit legi iustificationem in hac corrupta natura. Hoc nunc [36]) breviter monere volui de usibus legis divinae, ne legi tribuatur iustificatio. Postea enim hic locus integre tractandus est.

Legis officia.[37])

Quae sunt igitur legis officia in hac corrupta natura? Supra recensui tria. Primum est civile, videlicet, ut coherceat omnes homines disciplina quadam. De hoc officio loquitur Paulus, cum ait [1. Tim. 1, 9.]: Lex est iniustis posita; id est, Deus coherceri vult etiam impios, ne externa delicta committant. Et ad hanc disciplinam ordinavit magistratus, legem, doctrinam, poenas, calamitates humanas. Huc pertinet etiam dictum Pauli [Gal. 3, 24.]: Lex est paedagogus in Christum. Magna autem laus est disciplinae, quod vocat eam paedagogiam in Christum; quia institutio, bona assuefactio et disciplina invitant ad audiendum et discendum Evangelium. Hae magnae laudes ingenia moderata incitare debent, ut disciplinam non aspernentur. Dixi autem supra non assuendam esse opinionem, quod talis disciplina mereatur remissionem peccatorum.

Secundum officium ac proprium legis divinae et praecipuum est, ostendere peccata, accusare, perterrefacere et damnare conscientias. De hoc officio plerumque loquitur Paulus, ut cum inquit [Rom. 3, 20.]: Per legem cognitio peccati. Item [Rom. 4, 15.]: Lex iram efficit. Item: Per legem peccatum fit excellenter reum. Item [1. Cor. 5, 56.]: Aculeus mortis peccatum, virtus autem peccati lex. Hae sententiae et similes docent lege terreri conscientias; quia semper accusat nos, et non solum accusat facta, sed ostendit etiam et damnat naturalem imbecillitatem, ignorationem Dei, contemptum Dei, et similes affectus. Et cum vehementissime conantur homines sine notitia gratuitae misericordiae placare iram Dei lege, tamen nihil proficiunt, nisi ut magis magisque dubitent ac desperent. Videmus exemplum in Saule, qui quia sine fide quaerit salutem per sacrificia et bona opera, tamen non potest acquiescere, sed dubitat ac desperat. Porro hunc usum non habet Lex in hominibus securis; sicut ait Paulus [Rom. 7, 9.]: Ego vivebam aliquando sine Lege, id est, eram securus hypocrita. Verum postea perterrefactus agnovi meam imbecillitatem et mea peccata. Habuit hunc usum Lex in Davide [2. Sam, 12, 13.] cum obiurgatus a propheta propter adulterium perterrefieret. Denique contritio, quam sic vocant, in poenitentia, ita clare intelligi potest, si sciamus eam huiusmodi veros terrores esse. Sed docendi sunt homines de fine, quare hi terrores nobis incutiantur, videlicet, non ut pereamus, sed ut agnoscamus, nobis opus esse [38]) misericordia et beneficio Christi. Sicut et Paulus ait [Rom. 11, 32.]: Conclusit Deus omnes sub peccatum, ut omnium misereatur. Ingens in hac sententia consolatio est: concludi sub peccato, hoc est, accusari nos, non ut pereamus, sed ut misericordiam quaeramus. Et ut singuli sciamus, tantam consolationem ad nos pertinere, addita est particula universalis, conclusit Omnes, ut Omnium misereatur.

Tertium officium legis in his, qui sunt fide iusti, est, ut et doceat eos [39]) de bonis operibus, quaenam opera Deo placeant, et praecipiat certa opera, in quibus obedientiam erga Deum exerceant. Etsi enim liberi sumus a lege, quod ad iustificationem attinet, tamen, quod ad obedientiam attinet, manet Lex. Nam iustificatos necesse est obedire Deo. Et quidem incipiunt aliqua ex parte facere legem. Et placet illa inchoata obedientia, propterea quia personae placent propter Christum. Haec satis sit hic admonuisse de legis usu seu officiis. Nam cum de iustificatione dicemus, de secundo usu legis iterum dicendum erit. Tertius usus repetetur in loco de operibus; item, de abrogatione legis.

---

36) nunc] Ed. 1. typoth. errore: *nac*, ex quo in Ed. 5. factum est: *hic*

37) Hanc inscriptionem addunt Editt. 12. 13.

38) opus esse] Editt. 12. 13. esse opus

39) ut et doceat eos] Editt. 7. 8. 11 — 14. et Opp.: ut eos doceat

DE DISCRIMINE PRAECEPTORUM ET CONSILIORUM.

Quidam finxerunt in Evangelio consilia esse de non vindicando, de paupertate, de virginitate, et quidem putant in Evangelio doceri hoc fine, quod haec opera magis mereantur reconciliationem aut salutem.[40]) quam alia opera. Deinde fingunt etiam[41]) haec opera perfectionem esse. Sed haec sunt plena errorum et superstitionum. Una est lex Dei, quae nihil nisi praecepta continet. Et Christi concio Matth. 5. legis interpretatio est. Christus enim id agit, ut ostendat in lege requiri perfectam obedientiam. Quare cum odia, concupiscentiam, cupiditatem vindictae prohibet, non adfert quaedam nova consilia, sed ipsam legem Dei interpretatur et praecepta tradit. Lex enim, ut Paulus ait [Rom. 7, 14.], spiritualis est, continens[42]) motus spirituales. Etsi enim non possumus illis praeceptis[43]) satisfacere, tamen cognosci ea oportet, ut sciamus nobis opus esse misericordia; item, ut aliqua ex parte proficiamus. Verba Christi clare testantur haec praecepta esse, quia addunt poenam aeternam [Matth. 5, 22.]: Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicii etc. Item [ibid. vs. 28.]: Omnis qui videt mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est in corde etc.

Postea loci de vindicta etiam sunt praecepta, prohibent enim vindictam privatam, hoc est, cupiditatem vindictae, et eam vindictam, quae fit sine auctoritate magistratus. Neque vero tollunt publicam vindictam, quae exercetur per magistratum. Quia enim constat Evangelio non aboleri magistratus, sed multo magis confirmari, ut testatur Paulus Rom. 13. [vs. 1.]; necesse est in illis Christi sententiis tantum prohiberi vindictam privatam. Itaque utrumque praeceptum est; magistratui praecipitur, ut exerceat vindictam iuxta legem. Econtra a privatis prohibetur; ne exerceant vindictam. Vide igitur quam absurdum sit, quod dicunt, consilia esse sententias de vindicta. Nam si consilium est, ut ipsi volunt, licebit privatim arma capere et vindictam[44]) exercere. Ita omnia erunt plena seditionum, et nihil opus est magistratibus. Econtra, si magistratus putabit sibi consilium dari, ne exerceat vindictam, non puniet sontes, et[45]) negliget suum officium, aut certe non faciet bona conscientia. Nam bona opera debent habere mandata Dei, ut sciamus ea Deo placere, et fiducia mandati divini ea suscipiamus. Atque ita accidit, multos male cruciavit conscientia in magistratibus, dubitantes, utrum hoc vitae genus Deo placeret. Reiicienda est igitur haec absurda et seditiosa opinio, quae docet consilium esse de vindicta, et prudenter tenendum discrimen publicae et privatae vindictae, ut magistratus sciant, se necessario officium suum facere debere; item ut sciant, Deo placere officii administrationem; deinde, ut privatim omnes discamus, requiri a nobis, ut toleremus[46]) iniurias; Deus enim inquit [Rom. 12, 19.]: Mihi vindictam, et ego retribuam. Sicut igitur Deo laus sapientiae, iustitiae, fortitudinis proprie competit, ita debetur ei laus vindicis tanquam iudici. Ac publica quidem vindicta est divina, est enim ordinata divinitus; sed privatim discamus Deo laudem cedere vindicis, et assuefaciamus nos summo studio et summa contentione ad patientiam, ad dissimulandas et perferendas iniurias. Hanc virtutem privatam commendant et praecipiunt tales loci de vindicta; et imaginem huius virtutis videmus in Christo. Quare nobis et praecepta Christi[47]) et exempla patientiae ipsius proponamus, et summa vi reprimamus cupiditatem vindictae ardentem in hac imbecilli natura. Haec virtus est cultus Deo gratissimus, et est necessaria ad concordiam Ecclesiae et rerum politicarum conservandam. Nam et in Ecclesia, et in omnibus imperiis maximi tumultus orti sunt, nulla alia ex causa, nisi ex cupiditate vindictae. Et existit hic furor praecipue in ambitiosis ingeniis. Discamus igitur maximas res praecipi, cum Christus de vindicta concionatur. Non eludamus sanctissima praecepta illo frigido commento de consilio.[48]) Ac nostra sententia cum ad vitam spiritualem, tum ad civilem utilis est, munit enim tranquillitatem rerum publicarum. Nam et Christus toties idem inculcat Apostolis, ne vindicent, ut eximat eis falsam persuasionem, quam habebant de regno Christi. Putabant enim se, vi domitis gentibus, occupaturos esse regna mundi. Ab hoc errore revocat eos Christus, cum ipsis, videlicet privatis, qui non gerebant magistratus, prohibet vindictam.

Vulgare dictum est: Vim vi repellere ius naturale[49]) concedit. Id dictum nonnulli reprehendunt, tanquam pugnet cum Evangelio. Ego vero

---

40) aut salutem, *addunt* Editt. 8. 11—13. et Opp.

41) etiam *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

42) continens] Editt. 8. 11—13. et Opp.: requirens

43) praeceptis *addunt* Editt. 2. 6—9. 11—14. et Opp.

44) vindictam] Ed. 11. typoth. errore: vindicta

45) et *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

46) toleremus] sic Editt. 4. 6. 8. 9. 11 — 14. et Opp.; Ed. 5. tolleremus; Editt. 2. 7. toleramus; Ed. 1. tolleramus

47) Christi *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

48) consilio] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: consiliis

49) naturale] sic Editt. 2. 6—8. 11—14. et Opp.; Editt. 1. 5. natura; Editt. 4. 9. naturae

saepe iam dixi, Evangelio non aboleri legem naturae et politicas ordinationes. Quare non pugnat Evangelium cum hac voce: Vim vi depellere iuris naturae est; si modo recte intelligatur [50]). Debet enim ad vindictam publicam, hoc est, ad officium magistratus, accommodari; ut magistratus vim vi depellit, cum [51]) latrocinia depellit armis et bello. Neque enim concedit id dictum privatis movere seditiones, sed eo ordine et modo concedit vim vi depellere, quem magistratus praescribit. Nam illa ipsa ordinatio est legis naturae, videlicet ut sint magistratus. Quorsum autem opus esset magistratibus, si singuli privatim vindictam exerceremus? Haec satis sit de vindicta admonuisse, et ut praecepta Dei plane intelligantur, et ut sciamus in Evangelio non aboleri aut damnari politicas ordinationes. Porro de magistratu et suis officiis suo loco dicemus.

De paupertate.

Nunc de paupertate [52]). Evangelium neque praecipit, neque consulit discedere a facultatibus, aut res in commune conferre. Imo quia approbat politicas ordinationes, simul etiam divisionem rerum et proprietatem approbat. Ita sciant pii se suas res ordinatione divina tenere, et hanc proprietatem Deo placere. Ceterum Evangelium praecipit liberaliter iuvare egentes, et praemia ingentia corporalia et spiritualia pro hac liberalitate pollicetur. Sicut Christus inquit [Luc. 6, 38.]: Date et dabitur vobis. 2. Corinth. 9. [vs. 6.:] Qui parce seminat, parce metet. Sequamur igitur elegantissimum Salomonis praeceptum, qui in Proverbiis cap. 5. [vss. 15 sq.] ait: Bibe aquam e tuis fontibus, et tui fontis rivulos bibe. Fontes tui foras deriventur, et ripae [53]) effluant in plateas. At tu dominus esto horum solus, non alieni tecum, benedicetur enim fontibus tuis. Libet enim hunc locum propter suavitatem figurae recitare, in qua pulcherrime pingitur bona pars oeconomiae, iubet enim nos tenere res nostras et nostris frui, non rapere ex alieno et proprietatem egregie ornat, cum inquit [ibid. vs. 17.]: Tu dominus horum esto, non alieni tecum. Et tamen vult ex nostris fontibus foras duci rivulos, hoc est, ut quisque ex fructibus sui fundi aut fortunis suis largiatur egentibus; sed ita, ut fundum retineat, nec redigatur ad mendicitatem. Sicut et Paulus [2. Cor. 6, 10.] iubet ita largiri, ne egeamus ipsi, neve ignavi nostra liberalitate abutantur etc.

Haec est simplex et germana sententia Evangelii de hoc negotio. Si qui autem loci citantur pro Platonica communione, ad hos necesse est primum conferre alios, qui approbant proprietatem. Deinde summa Evangelii consideranda est, quod videlicet doceat de rebus aeternis [54]), de quadam aeterna iustitia interiore ac vita aeterna, quae non pertinet ad corporalem vitam. Ideo non abolet Legem et res politicas, quae corpora regunt et tuentur. Ex huiusmodi principiis facile est sumere interpretationem locorum, qui habent aliquam quaestionem.

Confirmant autem proprietatem multa testimonia. Licet enim habere divitias, ut testatur Christus in Evangelio. Item Paulus 1. Timoth. 6. Item 1. Corinth. 7. concedit emptiones etc. Item: Reges possunt esse pii; at regna sine opibus teneri non possunt. Sed non est opus longa disputatione, cum ea, quae iuris naturae sunt, non sint mutabilia, nec ordinatio de distinctione dominiorum mutari potest. Ratio enim naturalis docet eam in hoc statu generis humani necessariam esse. Nam etiamsi una aliqua familia rebus communiter uti potest, tamen ille coetus habet proprium, et arcet ab iis rebus alienos. Monasteriorum opes defendit magistratus, et iudicat eas esse monachorum proprias. Ludunt igitur tantum inanibus verbis, qui negant se habere proprium; nam ordinatio ipsa naturae non potest mutari. Deinde paupertas non debet intelligi mendicitas; nam mendicitas in otiosis et robustis peccatum est, ut Paulus docet ad Thessalonicenses [II. 3, 10.]: Qui non laborat, non manducet. Ex his omnibus sequitur neque consilium, neque praeceptum esse discedere a facultatibus, aut conferre res in commune. Imo multo magis docet Evangelium uti ordinatione civili de distinctione dominiorum. Sed paupertas Evangelica est spiritualis, hoc est, tenere facultates, quae Dei beneficio contingunt nobis, sine avaritia, sine superbia, id est, sine fiducia opum; item sine impietate, hoc est, cum periclitantur in confessione Evangelii, ut opes amittere malimus, quam abiicere Evangelium. Complectitur et patientiam, cum eripiuntur, aut cum aliquo casu pereunt, ne tunc fortunarum desiderio irascamur Deo, aut faciamus aliquid contra mandata Dei, sed propter Deum aequo animo feramus eam iniuriam aut casum. Ita in summis opibus pauperes spiritu fuerunt Abraham, David, Iob et alii multi. Nam sine avaritia, sine superbia atque impietate res tenuerunt. Item praestiterunt patientiam amissis facultatibus.

---

50) intelligatur.] Editt. 8. 11—13. et Opp.: intelligitur.

51) cum] Editt. 12. 13. dum

52) Nunc de paupertate. *omittunt Editt.* 7. 8. 11 — 14. et Opp.

53) ripae] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: rivi

54) aeternis] Editt. 12. 13. externis

Hic observandum est, etiam duplicem desertionem esse facultatum. Altera fit nostra electione sine mandato Dei et sine vocatione: ut si quis dives suum patrimonium volens deserat nemine cogente. Talis desertio non laudatur in Evangelio; et error est talem desertionem suscipere tanquam cultum Dei. Sicut Christus testatur [Matth. 15, 9.]: Frustra colunt me mandatis hominum. Alia est desertio facultatum, quae habet mandatum Dei et vocationem: ut cum Tyranni cogunt aut facultates amittere, aut deficere ab Evangelio. Hic laudat Christus facultatum desertionem, cum inquit [Matth. 19. 29.]: Qui reliquerit agrum, domum [55]) etc. propter Evangelium. Addit enim propter Evangelium, id est, confessionem Evangelii. Et quod [56]) tantum laudat [57]) desertionem, quae habet vocationem, id [58]) apparet ex eo, quia iubet etiam parentes, coniugem, liberos, imo etiam vitam deserere. Ut igitur non laudat eos, qui deserunt coniugem et liberos aut qui sibi ipsis vitam eripiunt, ita non laudat deserentes patrimonia sine mandato Dei etc.

De castitate.

Scriptura multis gravissimis concionibus prohibet scortationem, adulteria et similes libidines. Est autem castitas non solum virginum, sed etiam coniugum. Nam et coniugium est divina ordinatio. Et omnes, qui non continent, mandatum habent, ut coniugio utantur. Sicut Paulus inquit [1. Cor. 7, 2.]: Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat. Et usum coniugii honorifica appellatione ornat, cum addit [ibid. vs. 3.]: Vir uxori debitam benevolentiam reddat. Est igitur castitas non tantum virginitas, sed etiam coniugum moderata consuetudo. Haec ideo praefari necesse est, ut meminerimus ordinatione Dei sancte utendum esse, et damnandos esse fanaticos spiritus, qui negant coniugium concessum esse Christianis. Tales olim multi fuerunt, ut Tatianus, Hierax. Sed monachi etsi non volunt videri damnare coniugium, tamen valde deformant. Docent virginitatem consuli, et perfectionem ac munditiem esse; quasi coniugium sit immundities. Et non leviter perturbaverunt imperitas conscientias. Hic primum sciamus non praecipi virginitatem. Deinde concedendum est, quod Paulus [1. Cor. 7, 1. 7 sq. 27.] det consilium de virginitate conservanda. Sed hic prudenter iudicandum est: non enim sentit Paulus ullos magis mereri iustificationem propter virginitatem, quam propter coniugium. Utrique et coniuges et virgines statuere debent, se per misericordiam iustos, id est, acceptos esse propter Christum, non propter dignitatem coniugii aut virginitatis. Est igitur vana fiducia monachorum, qui somniant se magis mereri remissionem peccatorum et iustificationem suo caelibatu, quam reliquos homines. Multo magis errant, quod fingunt illum caelibatum perfectionem esse Evangelicam. Fuerunt enim perfectiores multi coniuges, ut Abraham, Isaac, David, Esaias, quam pleraeque virgines. Nam perfectio Evangelica est spiritualis, hoc est, est magis magisque agnoscere nostram imbecillitatem, perterrefieri, et econtra fide erigi. In talibus exercitiis versatur perfectio, si qua est sic vocanda. Sed Paulus laudat et suadet virginitatem propter politicum finem, scilicet ut expeditiores simus ad discendum, docendum et obeunda ministeria Ecclesiastica. Propter hos fines laudat etiam Christus caelibes, cum inquit [Matth. 19, 12.]: Qui se castraverunt propter Evangelium, hoc est, discendi et docendi causa. Verum est enim, quod inquit Paulus [1. Cor. 7, 32.]: Caelebs curat ea, quae sunt Domini, ut Domino placeat. Maritus curat ea, quae sunt mundi, ut uxori placeat. [59]) Etenim non solum oeconomicae curae, sed multo magis alia quaedam abducunt a conspectu calamitatum Ecclesiae et interturbant studia discentium ac docentium. [60]) Ideo qui ad ministeria Ecclesiastica vocantur, si afficientur Ecclesiae calamitatibus, si oneris sui magnitudinem animo metientur, si cogitabunt quam difficilis sit explicatio dogmatum et gubernatio Ecclesiae, hae curae ac miseriae facile excutient eis cogitationes de coniugio. Sed mundus praepostere iudicat, caelibatum superstitiose miratur tanquam singularem cultum Dei et opus eximium, quod magis mereatur remissionem peccatorum et iustificationem. Interim nihil afficitur cura studiorum aut miseriarum Ecclesiasticarum. Ita caelibatum amplectitur, non alienae utilitatis caussa, aut studiorum caussa, sed per superstitionem. At rectius erat laudare virginitatem studiorum caussa, aut alienae utilitatis caussa. Res est enim maxima et omnium longe difficillima gubernatio Ecclesiarum. Nam et doctrina ipsa difficilis est, et mirabiliter exercet studiosos. Est et ipsa explicatio plena difficultatis. Et hos labores vix sustinere animus occupatus domesticis cogitationibus potest. Ideo Paulus [1. Cor. 7.] ita hortatur ad virginitatem, ut primum admoneat, ne quid faciamus indecorum; deinde ut assidui Domino servire possimus. Primum enim requirit, ne quid faciamus in-

---

55) agrum, domum] Editt. 7. 8. 11 — 14. et Opp.: domum, agros

56) quod *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

57) laudat] Editt. 8. 11. 13. et Opp.: laudet

58) id *omittunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

59) Maritus — placeat. *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

60) discentium ac docentium.] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: docentium ac discentium.

decorum, hoc est, ut, si quis non possit continere, potius ducat uxorem, ne sit autor alicuius turpis exempli. Deinde si continet, ut conferat caelibatum ad hunc finem, ut serviat assidue Domino, hoc est, magis versetur in discendo, docendo, cura atque cogitatione calamitatum Ecclesiae, item in precationibus, quam alii, intricati[61]) pluribus negotiis. Sed quia non omnes sunt pariter idonei ad caelibatum, prudenter monet, ne quid faciamus indecorum. Ex his apparet et coniugium approbari, et tamen dari consilium de virginitate. Apparet item, quo fine laudetur virginitas, videlicet, non ut mereatur remissionem peccatorum aut iustificationem, sed quod sit opus bonum et ad studia, precationes et ad serviendum Ecclesiae utile. Itaque caelibes explorent suas vires, et diligenter connitantur, ut pure vivant. Ea virtus habet etiam sua praemia. Nonnullos dono praeditos interdum invitant[62]) otium et luxus; ideo adhibenda est abstinentia et animus studiis intendendus. Qui vero ruunt in libidines contra praecepta Dei, hi meminerint et se ipsos Deo poenas daturos esse, et saepe ipsorum caussa plecti universas respublicas. Sicut testatur Sodomorum historia [Genes. 19.]. Item Deus inquit [Deut. 7.], se Cananaeos deleturum esse propter vagas libidines. Haec etiam allegatur caussa diluvii [Genes. 6.]. Et Paulus significat libidinum poenas esse caecitatem et amentiam, seu carnalem securitatem, Ephes. 4. [vs. 19.] ubi inquit: Qui cum dedoluissent, tradiderunt se impudicitiae. Hic enim tribuit impudicis stuporem seu amentiam, qua securi contemnunt minas et omnes res divinas, atque ita ruunt in exitium. Idem inquit Oseas [4, 11.]: Fornicatio, vinum et ebrietas auferunt cor.

DE EVANGELIO.

Vocabulum Evangelii extat in vetustissimis autoribus graecis. Nam apud Homerum significat praemium, quod datur laeta nuntianti. Odysseae ξ [XIV, 152.] *εὐαγγέλιον δέ μοι ἔστω*. Et apud Aristophanem et Isocratem *εὐαγγέλια θύειν* significat sacrificium, quod fiebat, cum res bene ac foeliciter gestae nuntiabantur. Apostoli usurparunt pro ipsa beneficii annuntiatione. Et fuit opus nova appellatione, ut discrimen inter legem et hanc novam doctrinam esset insignius. Primum igitur magnopere est considerare, quid inter Legem et Evangelium intersit. Nec fingimus hic otiosas aut argutas magis quam necessarias distinctiones. Certe enim necesse est, discerni praecepta et remissionem peccatorum, discerni praecepta et promissiones, item promissionem gratuitam a promissionibus, quae non sunt gratuitae. Est autem lex, ut supra dictum est, doctrina requirens perfectam obedientiam erga Deum,[63]) non remittit gratis peccata, non pronuntiat iustos, id est, acceptos Deo, nisi si Legi satisfactum sit. Et quanquam habet promissiones, tamen hae requirunt conditionem impletae legis. Econtra Evangelium etsi concionatur de poenitentia et de bonis operibus, tamen continet promissionem beneficii Christi, quae est propria et praecipua Evangelii doctrina et seiungenda a lege; gratis enim remittit peccata, et pronuntiat nos iustos, etiamsi legi non satisfacimus. Quomodo autem haec consentiant: quod Evangelium pariter de poenitentia concionetur[64]) et lege, et tamen promissio sit gratuita, statim exponemus. Prius enim monendus est lector, ut discrimen promissionum observet; habet enim Lex promissiones.

Sed sciendum est, duplices esse promissiones in scripturis divinis. Quaedam sunt additae legi, et habent conditionem legis, hoc est, exhibentur propter impletionem legis. Tales sunt promissiones legis. Lex docet Deum bonum et misericordem esse; sed his qui sunt sine peccato. Idem docet et humana ratio, habet enim ratio quandam notitiam legis. Hic se ipse quisque consulat, deprehendet enim naturaliter se ita iudicare de Deo, quod sit misericors; sed tantum dignis, hoc est, his, qui sunt sine peccato; nec potest statuere se ipsum placere Deo, cum sit indignus et immundus. Ita lex et promissiones legis, cum sint conditionales, relinquunt conscientias in dubitatione.

Alia est promissio Evangelii propria, quae non habet conditionem legis tanquam caussam, hoc est, non promittit propter impletam legem, sed gratis propter Christum. Haec est promissio remissionis peccatorum seu reconciliationis seu iustificationis, de qua concionatur praecipue Evangelium. Ut enim haec beneficia essent certa, non pendent ex conditione impletae legis. Si enim sentiendum esset, tunc demum nos habere remissionem peccatorum, cum legi satisfecissemus, desperanda esset remissio peccatorum. Ideo gratis donantur remissio et reconciliatio seu iustificatio, hoc est, non propter nostram dignitatem. Et tamen oportuit esse aliquam victimam pro nobis. Ideo Christus donatus est nobis, et factus est hostia, ut propter ipsum certo statuamus nos placere Patri.

Est itaque haec Evangelica promissio reconciliationis legalium dissimilis, quia gratis pollicetur propter Christum. Ideoque Paulus hanc particulam, Gratis,[65]) nobis diligenter et saepe inculcat; ut Rom.

61) intricati] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: implicati

62) invitant] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: immutant

63) erga Deum, *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

64) concionetur] sic Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.; Editt. 1. 2. 4—6. 9. concionatur

65) Gratis, *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

4. [vs. 16.:] Ideo gratis ex fide, ut sit firma promissio. Nam haec particula, gratis propter Christum, facit discrimen legis et Evangelii. Si enim non videamus hanc particulam de gratuita promissione, manet in animis dubitatio, et Evangelium transformatur in legem, et nihilo certiores reddit conscientias de remissione peccatorum seu iustificatione, quam lex aut naturale iudicium rationis. Sicut adversarii nostri, etsi vociferantur se docere Evangelium, tamen, quia non docent de gratuita reconciliatione, relinquunt conscientias in dubitatione, et pro Evangelio docent Legem aut Hesiodum, hoc est, iudicium naturale rationis. Ergo intendenda mens est atque oculi in hanc particulam, Gratis. Ideo enim necesse est de gratuita promissione docere, ut res sit certa, [66]) ut conscientiis eximatur dubitatio, ut habeant firmam consolationem in veris terroribus. In his enim vere iudicari potest, quam sit opus hac gratuita promissione. Et ad hoc certamen haec doctrina maxime referenda est.

Illud autem sciendum est: promissionem oportere fide accipi. Id Paulus docet Rom. 4. [vs. 16.]: Ideo gratis ex fide, ut sit firma promissio. [67]) Et Iohan. [I. epist. 5, 10.] ait: Qui non credit Deo, mendacem facit eum etc. Proinde particula, Gratis, non excludit fidem, sed conditionem nostrae dignitatis excludit, et transfert caussam beneficii a nobis in Christum. Itaque neque obedientiam nostram excludit, tantum caussam beneficii a dignitate nostrae obedientiae transfert in Christum, ut beneficium sit certum. Concionatur igitur Evangelium de poenitentia, sed ut certa sit reconciliatio, docet remitti peccata et nos placere Deo, non propter dignitatem poenitentiae aut nostrae novitatis. Haec est necessaria consolatio piis conscientiis. Atque hinc iudicari potest, quomodo haec consentiant, quod diximus Evangelium concionari de poenitentia, et tamen gratis promittere reconciliationem. Sed de hac collatione paulo post copiosius dicemus.

Definit itaque Christus Evangelium Lucae ultimo, plane ut artifex, cum iubet [24, 47.] docere poenitentiam et remissionem peccatorum in nomine suo. Est igitur Evangelium praedicatio poenitentiae et promissio, quam ratio non tenet naturaliter, sed revelata divinitus, in qua Deus pollicetur, se propter Christum filium suum remittere peccata, et nos pronuntiat iustos, id est, acceptos, et donat Spiritum sanctum et vitam aeternam, modo ut credamus, hoc est, confidamus haec nobis propter Christum certo contingere; atque haec gratis pollicetur, ut sint certa. Haec sit Evangelii definitio, in qua tribus membris complexi sumus beneficia Evangelii propria, scilicet, quod propter Christum gratis remittantur peccata, quod gratis pronuntiemur iusti, hoc est, reconciliati seu accepti, et haeredes vitae aeternae. Haec tria membra paulo post explicabimus. Tantum hic memineris haec propria Evangelii beneficia esse, quae alioqui uno verbo iustificationis comprehenduntur.

QUARE OPUS EST EVANGELII PROMISSIONE?

Postquam natura humana oppressa est peccato et morte, propter Adae lapsum, etiamsi manet aliqua notitia legis, tamen quia haeret in natura peccatum, conscientiae non possunt statuere de Deo, quod velit ignoscere, si nihil nisi legem audiant. Lex enim non docet gratis remitti peccata; scimus autem nos non sine peccato esse; idque maxime cernimus, cum iudicio Dei vere perterrefiunt mentes. Est igitur opus gratuita remissione. Ideo Deus per misericordiam revelavit, se velle nobis ignoscere, ac restituere vitam aeternam; et addidit victimam pro nobis, scilicet Filium [68]) suum, ut sciremus haec nobis propter Filium donari, non propter dignitatem nostram aut merita nostra. Idque Evangelium statim promissum ac revelatum est post lapsum Adae, ne deesset consolatio primae illi Ecclesiae.

Estque unum et idem Evangelium, quo omnes sancti ab initio mundi salvati sunt omnibus temporibus, Adam, Noa,[69]) Abraham, Iacob, Prophetae, Apostoli. Non est igitur imaginandum patres lege naturae salvatos esse, Iudaeos lege Moysi; nos salvari nostra quadam lege. Imo una Lex est moralis omnium aetatum, omnium gentium, ut supra diximus. Sed nec Patres, nec Iudaei, nec Gentes, nec nos ideo salvamur, quia Legi satisfacimus; nemo enim Legi satisfacit; et Lex relinquit dubitantes conscientias. Atque hoc interest inter Patres et Xenophontem, Ciceronem ac similes viros optimos. Legem norunt [70]) utrique; sed Evangelium non norunt [70]) utrique. Xenophon, Cicero et similes dubitabant, an Deo curae essent, an haberent Deum propitium, an exaudirentur a Deo. Etsi enim Legem norant, tamen videbant se non esse innocentes. Lex autem docet Deum propitium esse his, qui sunt sine peccato. Non norant Evangelium de gratuita remissione peccatorum. Abraham vero, Iacob et similes, quia norant Evangelium, statuebant sibi gratis [71]) remitti peccata, se habere Deum propitium, se Deo

---

66) ut res sit certa. *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

67) Ideo — promissio. *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

68) Filium] Ed. 2. typoth. errore: Filum

69) Noa,] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: Noe,

70) norunt — norunt] Editt. 8. 11—1[illegible]. et Opp.: norant — norant

71) gratis *omittunt* Editt. 2. 6—8. 11—14. et Opp.

curae esse, se exaudiri a Deo, etiamsi essent indigni. Ideo scriptum est [Genes. 15, 6.]: Abraham credidit Deo, et reputatum est ei ad iustitiam. Una est Lex et natura nota omnibus gentibus atque aetatibus. Est et unum Evangelium, sed non natura notum, verum revelatum divinitus. Ideo Paulus [Col. 1, 26.] vocat mysterium absconditum. Et Iohannes [1, 18.] ait: Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis. Sed haec omnia erunt illustriora, cum dicemus paulo post de gratia et de iustificatione.

Quia autem diximus idem Evangelium fuisse Patrum, videndum est quomodo statim in initio Evangelium revelatum sit. Ac citabo paucos quosdam locos, ad quos in lectione Prophetarum referri similes debent; nam Evangelium paulatim clarius revelatum est; et apparebit Prophetas praedicasse hanc gratuitam reconciliationem. Promissio de Christo et beneficiis Christi primum revelata est Adae statim post lapsum, ut, cum incidisset in iram Dei et mortem, haberet consolationem, qua sciret et Deum rursum propitium esse, et fore, ut mors aliquando aboleretur. Nam haec duo beneficia clare proponit illa prima promissio; quae etsi subobscura videtur, tamen Adae in re praesenti non fuit obscura [Gen. 3, 15.]: Inimicitias ponam inter te et mulierem, et inter semen tuum et illius semen; ipsum conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius. Mirabilis narratio est, et quae impiis ridicula et fabulosa videri possit. Sed pii vident res maximas brevibus verbis significatas esse. Describitur enim initio poena peccati, scilicet, quod propter peccatum Diabolus crudeli tyrannide vexaturus [72]) sit genus humanum, videlicet peccatis et morte. Sicut ipsa mundi historia testatur, quae tota in hac horribili concione Adae picta ostenditur. Deinde additur brevis descriptio regni Christi: futurum tamen esse, ut semen mulieris conterat caput, hoc est, regnum serpentis, hoc est, aboleat peccatum et mortem. Hac consolatione erigitur Adam, agnoscit se habere Deum placatum, etsi videt se indignum et immundum esse; videt quid amiserit, sed expectat semen illud, quo amissa iustitia et vita aeterna restituantur, hac fiducia misericordiae placet Deo. Et quod de sancto semine antithesis est, diabolum insidiaturum esse calcaneo, intelligit fore, ut et Christus et sancti affligantur in hac vita, et tamen vincant [73]) regnum diaboli.

Postea renovatur haec promissio ad Abraham [Genes. 22, 18.]: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Significat enim omnes gentes iam maledictas esse, hoc est, Deum irasci omnibus gentibus, easque oppressas esse peccato et morte; sed futurum, ut per Abrahae semen rursum ab his malis liberentur. Atque ita interpretantur hanc promissionem ipsi Apostoli, ut constat ex Paulo et ex Actis. Praeterea in eadem historia Abrahae additur imago iustificationis. Deus consolatur Abraham, dicit [74]) [Genes. 15, 1.]: Noli timere; ego sum protector tuus. Addit item promissionem de semine. Huic voci credit Abraham, hoc est, quanquam videt et agnoscit se immundum et indignum esse, tamen statuit se habere Deum propitium, propter ipsius misericordiam et promissum semen. Ita pronuntiatur iustus. Id exemplum docet nos promissione et fide reconciliationem consequi. Fides autem nititur non nostra dignitate, sed tantum misericordia Dei.

Sequuntur paulatim multae conciones et exempla de remissione peccatorum. Sed clarissimae [75]) sunt sententiae in Psalmis et Prophetis. In his clare passim proponitur Evangelium. In Psalmis petit remissionem peccatorum propter misericordiam, non propter suam dignitatem seu merita; ut [Ps. 142, 2.]: Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Haec certe non est legis concio, quae misericordiam petit et confitetur peccatum, et quidem omnes condemnat; ut sciamus omnes, gratis nobis remitti peccata. Item [Ps. 129, 3.]: Si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit? Item [Ps. 31. 5.] Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam, et tu remittisim pietatem cordis mei. Item describit sacerdotem Christum [Ps. 109, 4.]: Tu es sacerdos in aeternum. Testatur igitur hunc sacerdotem placaturum esse Deum et redditurum esse aeternam iustitiam et aeternam vitam, quia vocat aeternum sacerdotem.

Et ad hanc sententiam de gratuita remissione accommodandi sunt similes loci in Psalmis. Ita enim dulcescent nobis suavissima carmina et firmam consolationem afferent. Nam si iudicabimus illas promissiones pendere ex nostra dignitate, cum Psalmi iubent nos laetari, confidere misericordia, semper reclamabunt conscientiae, nos indignos esse, nihil pertinere has promissiones ad indignos. Quare adversus hanc ipsam dubitationem erigendus est animus, et sciendum, quod illae ipsae [76]) voces, quae nos laetari iubent, ideo propositae sint, ut medeantur illi ipsi dubitationi conceptae ex nostra indignitate. Quod si sentimus nobis promitti gratis reconciliationem, tum vere [77]) fides erit certa, et vere gratulabimur nobis misericordiam, et Deo agemus gratias. Sed tanta est infirmitas et angustia

72) vexaturus] Ed. 9. vexatus.

73) vincant] Editt. 12. 13. vincat

74) Abraham, dicit:] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: Abraham dicens,

75) clarissimae] Ed. 11. clarissime

76) ipsae] Editt. 12. 13. ipse

77) vere] Editt. 2. 5—8. 11—14. et Opp.: vero

humani animi, ut hanc magnitudinem misericordiae non possit capere. Ita oppressi sumus opinione et iudicio legis, ut non possimus persuaderi de Evangelio, et omnibus et gratis offerri misericordiam. Quare fides perpetuo cum hac nostra infirmitate luctari debet, ut nos erigamus, et discamus Deo confidere, et eum vere invocare et colere.

Apud Esaiam multae sunt conciones de Christo, de remissione peccatorum, de aeterna vita: cap. 53. clare testatur promitti remissionem peccatorum, et quidem propter Christum, non propter nostram dignitatem, [53, 6.]: Posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum. Et ne Iudaei putarent se mereri remissionem peccatorum hostiis Leviticis, testatur aliam hostiam restare, quae vere sit abolitura peccatum [ibid. vs. 10.]: Ponet animam suam hostiam pro peccatis. Item condemnat omnes: Omnes, inquit, erravimus; ut sciamus nos propter misericordiam, non propter dignitatem nostram, consequi beneficia Christi. Postremo addit clarissimum testimonium [ibid. vs. 11.]: Notitia eius iustificabit multos; quod si [78]) certo statuendum est [79]), nos ita iustos pronuntiari, si agnoscamus Christum, hoc est, si agnoscamus Deum nobis [80]) propitium esse propter Christum. Ergo non erit dubitandum propter nostram indignitatem, non erit sentiendum nos esse iustos propter legem. Sed desino recitare plura testimonia; haec enim exempli caussa recensui, ut animadvertant lectores in scripturis, quae loca proprie de lege, quae proprie de Evangelio concionentur, et discrimen observent inter legem et promissionem Evangelii. Nam hi duo sunt praecipui loci et capita praecipua scripturae, ad quae omnes partes prudenter referendae sunt.

Hactenus definivimus Evangelium, et discrimen monstravimus legis et Evangelii. Sed haec omnia erunt illustriora, cum de iustificatione, de fide et operibus dicemus. Nunc tantum una quaedam particula addenda est, videlicet: sicut necesse est scire Evangelium esse gratuitam promissionem, ita necesse est scire Evangelium promissionem universalem esse, hoc est, offerri et promitti omnibus hominibus reconciliationem. Hanc universalem tenere necesse est adversus perniciosas [81]) imaginationes de praedestinatione, ne disputemus hanc promissionem ad paucos quosdam alios pertinere, non pertinere ad nos. Non enim dubium est, quin omnium animos haec cogitatio exerceat. Et hinc ortae sunt multae disputationes scriptorum de praedestinatione minime utiles. Nos vero statuamus Evangelii promissionem universalem esse. Sicut enim praedicatio poenitentiae universalis est, ita et praedicatio remissionis peccatorum universalis est. Huc colligantur sententiae universales de Evangelio, quae passim in scripturis extant. Ut Iohan. 3. [vs. 16.:] Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat. Item apud Paulum [Gal. 3, 22.]: Conclusit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur. Haec nunc monuisse satis est; nam de hac universali iterum dicendum erit infra de praedestinatione. Quod autem non omnes consequuntur Evangelii promissa, eo fit, quia non omnes credunt. Nam Evangelium etsi gratis promittit, tamen requirit fidem, oportet enim promissionem fide accipi. Ac particula gratis non excludit fidem, sed excludit conditionem nostrae dignitatis, ut supra dictum est, et postulat, ut promissionem accipiamus, id non potest fieri aliter nisi fide.

DE GRATIA ET DE IUSTIFICATIONE.

Hic locus continet summam Evangelii, monstrat enim proprium Christi beneficium, ac proponit firmam consolationem piis mentibus, et docet, qui sint veri cultus Dei. Quarum rerum quanta vis sit, quam necessaria cognitio Ecclesiae, facile est piis iudicare. Itaque optandum erat, ut hic locus praecipue extaret in Ecclesia plane et dilucide explicatus. Sed magna in hoc loco est opinionum ac iudiciorum varietas. Alii prorsus delent eam doctrinam, quae continet necessariam consolationem. Alii offundunt caliginem accersitis peregrinis disputationibus de praedestinatione et aliis quibusdam incommodis materiis, fiuntque, ut verbis Aristotelis utar, πλείω τὰ πάρεργα τῶν ἔργων, denique multis ambagibus obruuntur res necessariae. Haec Sophistica et conscientias adducit in dubitationem, et perturbat Ecclesiam. Quare Paulinam sententiam simpliciter et bona fide recitabo, nec rixabor hoc loco cum ullis. Nam ubi simpliciter exposuero hanc sententiam, prudentes et aequos lectores, ut spero, dimittam placatiores, cum viderint, haec, quae dicam, nihil habere absurdi, nihil perplexi; deinde diserte et plane in sacris literis proposita esse; postremo non esse otiosas et inutiles imaginationes, sed gravissimam doctrinam, quae habet usum in vita et exercitiis piorum, quae erudit et consolatur pias mentes.

Itaque non solum Apostolorum et Patrum autoritas nobis patrocinatur, sed etiam comprobat hanc sententiam universa Ecclesia cuiuslibet temporis; hoc est, experientia piorum testatur in hac sententia proponi non otiosas κενοφωνίας, sed necessariam, veram et firmam consolationem, quae

78) si *omittunt* Editt. 2. 6—8. 11—14. et Opp.

79) est] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: sit

80) agnoscamus Deum nobis] Ed. 1. errore typogr.: agnoscamus nobis Deum nobis

81) perniciosas] Editt. 8. 11—13. et Opp.: periculosas

quidem et illustrat Christi beneficia, et veros Dei cultus monstrat et Christianorum proprios. Quod autem theatrum aliud quaerimus, nisi Ecclesiam, hoc est, piorum, doctorum et peritorum consensum? Hic si nobis suffragabitur, non valde moremur iniqua aut etiam calumniosa indoctorum aut malorum iudicia.

Et ut aliquando ad causam accedam. Evangelium, ut dixi, docet in summa de poenitentia et remissione peccatorum propter Christum. Sic igitur simplicissime de Iustificatione dico. Evangelium arguit peccata et docet, nobis opus esse mediatore Christo, propter quem donentur remissio peccatorum et reconciliatio. Quare necesse est, cum de Iustificatione loquimur, mentionem facere remissionis peccatorum. Ac plane ridiculi sunt nonnulli, qui, cum magna volumina de iustificatione ediderint, nullam interim mentionem fecerunt remissionis peccatorum; quasi haec nihil ad rem pertineat. Porro quomodo Deus moveat infantium pectora et sanctificet eos, cum per baptismum ei offeruntur, suo loco dicemus.

Nunc de adultis loquimur, qui docendi sunt ex Evangelio, et qui ex verbo de voluntate Dei statuere debent. Mens perterrefacta agnitione peccatorum statuere debet, remitti sibi peccata gratis propter Christum per misericordiam, non propter dignitatem contritionis, dilectionis aut aliorum operum. Cum hoc modo fide se mens erigit, donantur remissio peccatorum et reconciliatio. Si enim iudicandum esset, tum demum nos habituros esse remissionem peccatorum, cum contritio aut dilectio sufficiens esset, adigeretur animus ad desperationem; quare ut habeat certam et firmam consolationem, pendet res non ex conditione dignitatis nostrae, sed ex sola misericordia promissa propter Christum. Haec certe nihil habent absurdi, nihil perplexi, si scripturas, si Ecclesiae exercitia considerare voluerimus. Atque ita detrahitur meritum operibus in remissione peccatorum; non quia nos nihil agamus, sed quia remissio est donatio, ut sit certa. Restat igitur, ut colligamus testimonia huius sententiae, quod gratis propter Christum fide, non propter dignitatem nostrorum operum, consequamur remissionem peccatorum et reconciliationem. Sed prius declarabimus figuras verborum in hac causa.

Iustificatio significat remissionem peccatorum et reconciliationem seu acceptationem personae ad vitam aeternam. Nam Hebraeis iustificare est forense verbum; ut si dicam, populus Romanus iustificavit Scipionem accusatum a tribunis, id est, absolvit seu iustum pronuntiavit. Sumpsit igitur Paulus verbum iustificandi ex consuetudine Hebraici sermonis pro acceptatione, id est, pro reconciliatione et remissione peccatorum. Cumque Deus remittit peccata, simul donat nobis spiritum sanctum, qui novas virtutes in piis efficit. Et libenter et clara voce profiteor, oportere in piis existere non tantum fidem, sed etiam alios fructus Spiritus, ut postea dicemus. Neque tamen propterea iudicandum est, nostram dignitatem aut munditiem causam remissionis peccatorum esse.

Fides significat haud dubie in hac causa apud Paulum fiduciam misericordiae promissae propter Christum. Etsi autem indocti quidam sycophantae rabiose reclamant et negant fide significari fiduciam misericordiae, tamen nihil dubito provocare ad omnes doctos et bonos viros. Campensis, homo acutus, etsi quaedam in hac nostra disputatione reprehendit, tamen hoc prudenter videt, in Paulo fidem intelligendam esse fiduciam misericordiae. Et hanc meam interpretationem candide probat. Nec vero excludimus notitiam historiae de Christo, ut quidam calumniantur. Cum enim dicimus fiduciam misericordiae promissae propter Christum, certe omnes articulos fidei complectimur, et historiam de Christo referimus ad illum articulum, qui beneficium Christi commemorat, remissionem peccatorum. Complectitur ergo fiducia illa et notitiam de Christo filio Dei, et voluntatis seu habitum seu actionem, qua vult et accipit promissionem Christi, atque ita acquiescit in Christo. Sed has *τεχνολογίας* omitto.

Quod autem fides significet fiduciam misericordiae, cum exempla testantur, in quibus fit mentio fidei, tum ipsa Pauli disputatio; Paulus enim confert promissionem gratiae et fidem, et requirit fidem, quae apprehendit promissionem. Porro haec fides est fiducia misericordiae. Et in tota disputatione fiduciam propriae [82]) dignitatis improbat; et econtra requirit fiduciam alieni beneficii, scilicet Christi. Iam si sentiret Paulus homines iustos, id est, acceptos Deo, seu reconciliatos esse propter propriam munditiem seu dignitatem qualitatum aut operum, certe doceret fiduciam propriae [82]) dignitatis. Sed constat eum dicere [Rom. 3, 27.] Exclusa est gloriatio. Item citat Psalmum [31, 1.]: Beati quorum remissae sunt iniquitates. Et contendit ita pronuntiari nos iustos, si credamus nobis remitti peccata. Iam haec fides, quae statuit remitti peccata, est fiducia illa, de qua dicimus. Item, cum ait [Rom. 5, 1.]: Iustificati fide pacem habemus, declarat se non de otiosa aliqua notitia loqui, sed de fide, quae erigit et consolatur animum. Opponit enim hanc sententiam legi, de qua dicit [Rom. 4, 15.]: Lex iram efficit, id est, accusat et perterrefacit conscientiam.

Quanquam quid opus est argumentis in re manifesta; constat enim fide significari fiduciam misericordiae promissae propter Christum. Certe enim

---

82) propriae] Ed. II. utroque loco: proprie

credendus est hic articulus, Remissionem [83]) peccatorum. Et improbanda est vulgata opinio, quae iubet dubitare, an habeamus remissionem peccatorum. Fides igitur habet se correlative ad misericordiam tanquam ad obiectum. Quare cum dicitur, fide iustificamur, ita recte intelligi haec figura poterit, cum transformabitur in correlativam: Iustificamur per misericordiam promissam propter Christum: sed haec misericordia fide apprehendenda est. Hoc enim agit Paulus [Rom. 3.], reconciliari homines fiducia alieni beneficii, non propter propriam dignitatem seu qualitatum seu operum. Haec est germana et simplex Pauli sententia.

Etsi autem hanc fiduciam obedientia nostra, ut postea dicam, et pleraeque virtutes comitari debent, tamen non placet mihi istorum imaginatio, qui nunc, ut videantur commodi interpretes, periculosam κατάχρησιν adhibent. Interpretantur, fide iustificamur, id est, tota doctrina religionis, id est, lege. Haec interpretatio et impropria est, et obscurat Pauli sententiam. Aristo Chius dicitur etiam solitus disputare, virtutes omnes, unam quandam virtutem esse, quam quidem ipse nominabat ὑγίειαν. Ita isti imaginantur fide apud Paulum significari totum chorum virtutum. Deinde, amissa principali sententia Pauli, redeunt ad legis doctrinam, et de hac magnifice declamitant, et existimant homines propter propriam dignitatem, propter impletionem legis iustos esse. Nec vident ideo Paulum tantopere contendere de fiducia misericordiae, quia procul absunt a perfectione etiam optimi. Haec satis sit monuisse de phrasi Fide iustificamur.

Gratia significat gratuitam acceptationem, seu misericordiam, propter Christum promissam. Paulus addit [Rom. 5, 15 sq.], donum per gratiam. Id vocat donationem Spiritus sancti et vitae aeternae. Etsi autem interdum gratia quoque significat auxilium Spiritus sancti, seu actionem divinam, quemadmodum Augustinus gratiam plerumque interpretatur, tamen et hic cavendum est, ne, amissa sententia Pauli, delabamur in doctrinam legis. Id quod accidit Scholasticis, qui, cum dicunt, hominem per gratiam iustificari, nihil ibi dicunt de fiducia misericordiae, sed somniant hominem propter propriam dignitatem et novitatem illam, seu propriam munditiem, sine fiducia misericordiae, pronuntiari iustum.

Inest autem in vocabulo gratiae exclusiva particula, videlicet, quod gratis donentur remissio peccatorum et reconciliatio. Haec particula exclusiva non excludit nostram poenitentiam et bona opera, sed tantum conditionem dignitatis excludit, et totam causam beneficii Christi transfert in misericordiam, ut videlicet sit certum. In Petro, Davide, debet existere contritio, sed ut possint reddi pacatae ipsorum conscientiae, statuere debent, certo ipsis remitti peccata, non propter dignitatem contritionis aut aliorum operum, sed gratis per misericordiam propter Christum. Haec interpretatio exclusive nihil habet absurdi, imo necessaria est. Nam in veris terroribus non ignorat mens, Deum bonum, misericordem esse. Sed illud quaerit, utrum remittat indignis, utrum gratis remittat? Nullum invenit opus, quod possit opponere irae Dei, quo possit placare iram Dei. Agnoscit indignitatem suam, agnoscit se ream [84]) esse. Haec igitur Epitasis est certaminis, utrum certum sit gratis donari remissionem peccatorum indignis. Ideo Evangelium conscientiis in hoc certamine firmam consolationem proponit, et docet promissionem gratuitam esse, testatur gratis remitti peccata propter Christum, atque ita vere docet uti mediatore et pontifice Christo. Iubet hunc mediatorem opponi irae Dei, iubet statuere, quod propter hunc pontificem Pater nobis placatus et propitius sit. Hanc consolationem obruerunt monachi, qui et dubitare iubent, an contingat remissio peccatorum, et transtulerunt beneficium Christi in opera hominum, docuerunt propter dignitatem operum contingere remissionem peccatorum. Ita simul obscuraverunt beneficium Christi et excruciarunt pias mentes. Et hac opinione subinde novos cultus et monachatus excogitaverunt.

Necesse est igitur in Ecclesia hanc consolationem extare, et ut gloria Christi fiat illustrior, et ut piae mentes muniantur contra desperationem, et ut veri cultus Dei intelligantur. Sed addam testimonia, ex quibus tota res magis perspicua fiet. Porro in testimoniis diligenter hoc observandum est, quod, cum iustificatio nominatur, utrumque comprehenditur, remissio peccatorum et acceptatio personae, seu reconciliatio. Prodest autem has sententias in conspectu habere, ut in tanta infirmitate nostra semper in eas intueamur, et fidem erigamus et muniamus talibus testimoniis in omni vita, in omnibus periculis et omni invocatione. Hunc cultum, hoc opus praecipue requirit Deus. Hic cultus afficit Christum vero honore, cum utimur Christo mediatore ac pontifice. Non enim utuntur Christo mediatore, qui hanc fidem non intelligunt; et aut somniant se legi satisfacere, nec infirmitatem suam agnoscunt, aut cum agnoscunt, versantur in dubitatione, quae aut desperationem aut contemptum Dei parit. Talis enim vita sine hac fiducia misericordiae non placet Deo. Et qui sic vivunt, quia nihil a Deo expectare aut petere possunt, sunt velut sine Deo. Sed recito testimonia.

83) Remissionem] hunc Accusativum omnes Editt. exhibent pro Nominativo: Remissio.

84) ream] sic Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.; Editt. 1. 2. 4—6. 9. reum

Rom. 3. [vs. 23.:] Omnes peccaverunt et carent gloria Dei; iustificantur autem gratis ipsius gratia, per redemptionem in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius. Haec sententia, cum inquit, Iustificantur, comprehendit simul et remissionem peccatorum et iustificationem. Diserte autem inquit, quem proposuit propitiatorem per fidem, ut significet applicatione opus esse, videlicet, ut fide apprehendamus Christum tanquam mediatorem. Haec fides est fiducia, de qua diximus. Et quoniam requirit hanc fiduciam, improbat dubitationem. Addit et exclusivam, Gratis ipsius gratia, id est, misericordia, ut intelligamus nos placere, non propter dignitatem nostrorum operum, sed propter Christum. Et ut hoc sit clarius, praefatur de nostra immunditie: Quod omnes simus rei, et careamus gloria Dei, id est, ea gloria, hoc est, iustitia, quam Deus approbat.

Deinde in quarto capite colligit Paulus ipse argumenta suae sententiae, ex quibus unum atque alterum hic[85]) recitabimus.

[vs. 3.] Credidit Abraham Deo, et imputatum est ei ad iustitiam. Hic diserte affirmat scriptura, Abraham pronuntiari iustum, quia credidit, hoc est, quia statuit se habere Deum propitium, non propter propriam dignitatem, sed per misericordiam ab ipso promissam. Et hanc interpretationem de exclusiva Paulus ipse addit [vs. 5.]: Non operanti, sed credenti in eum, qui iustificat impium, imputatur fides eius ad iustitiam. Ita fidem, id est, fiduciam misericordiae, opponit dignitati nostrae.

Hic iterum admoneo pium lectorem, ut consideret, quam locuples, quam necessaria sit consolatio, tenere hanc sententiam, quod Deus certo velit tibi condonare peccata, quanquam non afferas ad eum merita; item, quod praeceperit, ut credas tibi ignosci, quod hunc cultum requirat; item, quod inchoatam obedientiam, tametsi procul abest a perfectione legis, approbet tamen, quia iam persona est reconciliata fide in Christum. Haec si quis aut aspernatur aut improbat, is, quid sit vera Poenitentia aut Pietas, prorsus ignorat.

Ultimum argumentum Rom. 4. sumptum est ex fontibus negotii, videlicet ex causa promissionis. Et exclusivam praecipue confirmat hoc modo.

Si promissio reconciliationis penderet ex conditione legis tanquam ex[86]) causa, fieret incerta.

Sed oportet hanc promissionem conscientiis[87]) nostris certam esse.

85) hic *omittunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

86) ex *addunt* Editt. 8. 11—13. et Opp.

87) conscientiis] Editt. 1. 2. typoth. errore: consticutiis

Igitur necesse est gratis promitti remissionem peccatorum et reconciliationem, ac fide accipi, non propter dignitatem nostram.

Maiorem probat Paulus, quia Lex iram efficit, id est, cum nemo legi satisfaciat; Lex accusat omnes. Quare necesse esset dubitare conscientias de iustificatione, imo desperare, si sentiendum esset, nos non pronuntiari iustos, nisi postquam legi satisfecerimus. Hic unusquisque suam conscientiam consulat, an legi satisfaciat. Et quanquam Hypocritae non vident se a lege accusari, tamen in veris terroribus experiuntur, non poterunt[88]) opera sua opponere iudicio Dei. Necesse est igitur hanc sententiam de gratuita reconciliatione tenere; sicut Paulus inquit: Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio.

Sed quidam reclamant, nos inciviliter interpretari Paulum ac detorquere ipsius sententias ad moralia, cum tantum detrahat iustificationem ceremoniis. Profecto a doctrina religionis inprimis removenda est Sophistice. Ac si quis alius, ego Sophisticen ex animo odi. Quare pro virili conor proprie et simpliciter recitare sententiam Pauli. Constat autem Paulum saepe affirmare, quod legi morali nemo satisfaciat; quod haec infirma natura hominis sit sub peccato.[89]) Quare non potest propriam iustitiam aut munditiem opponere iudicio Dei. Ideo Paulus inquit [Rom. 5, 2.]: Per Christum habemus accessum ad Deum. Et Christus ait [Ioh. 8, 36.]: Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis. Item [ibid. 15, 5.]: Ego sum vitis, vos palmites etc. Item [ibid. 1, 12.]: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius etc.

Hoc igitur Paulus agit, ut doceat, nobis remitti peccata, nos iustificari, id est, reconciliari propter Christum, non propter dignitatem ceremonialium aut moralium operum; quandoquidem nec morali legi satisfacit haec infirma natura; etsi postea inchoata obedientia et requiritur et placet Deo in reconciliatis. Hanc esse Pauli sententiam, ipse quoque testatur, cum de lege inquit [Rom. 3, 20.]: Per legem peccatum fit excellenter vitiosum,[90]) id est: quia Lex accusat et condemnat peccatum, reatus agnoscitur, et perterrefacit et occidit mentes. Si iuxta legem iudicandum esset, tunc demum habituros nos esse Deum propitium, cum legi satisfecerimus, nunquam acquiescerent animi, quia Lex semper accusat. Et in hanc sententiam [Rom. 7, 7.] citat legem moralem: Non concupisces. Item, particula, Gratis, excludit non solum ceremonias, sed

88) non poterunt] Editt. 8. 11—13. et Opp.: se non posse

89) sit sub peccato.] Ed. 11. sub peccato (*omisso* sit); Opp.: sub peccato sit.

90) vitiosum,] Editt. 8. 11—13. et Opp.: peccatum,

etiam moralia, a causa reconciliationis. Et hanc particulam inculcat Paulus, ut conscientias reddat certas. Non potest autem teneri certitudo conscientiarum, si sentiendum est, quod propter impletionem moralium consequamur remissionem peccatorum, quia nemo satisfacit legi morali. Ex his liquet, Paulum non solum de ceremoniis, sed etiam de lege morali loqui.

Nec est Sophisticum, sic interpretari Paulum, ut hactenus dixi, praesertim cum haec nihil habeant absurdi aut perplexi. Sed potius fuerit Sophisticum decerpere aliquid de Pauli disputatione, et sententiam mutilatam reddere, atque ita tollere gratuitam remissionem, tollere certam consolationem conscientiarum, et affingere puerilem interpretationem, quod fides significet tantum historiae notitiam; et quod conscientia in suo agone statuere debeat, quod habeat remissionem peccatorum, quod habeat Deum propitium propter impletionem legis, propter propriam dignitatem. Haec quantum habeant incommodi, non est difficile iudicare. Intelligamus igitur Paulum loqui non solum de ceremoniis, sed etiam de lege morali in his sententiis [Rom. 8, 3.]: Impossibile erat legi, iustificare, quia per carnem infirmabatur. Item [Gal. 2, 16.]: Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.

Addam ergo et locum ex Ephesiis [2, 8.]: Gratis estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Multis verbis eandem sententiam inculcat, ut fiducia nitatur non nostra dignitate, sed misericordia.

Rom. 5. [vs. 1.:] Iustificati fide pacem habemus. Hic duo tribuit fidei, quod et iustificemur fide, et quod fides reddat pacatas conscientias. Quare fidem non intelligit Paulus otiosam notitiam, sed luctantem cum terroribus in certamine conscientiae. Idem docet locus [Rom. 10, 10.]: Corde creditur ad iustitiam. Fiducia enim illa misericordiae efficax est in cordibus, agnoscit Deum esse propitium, atque ita consolatur corda et iustificat. Haec est igitur nostra de iustificatione sententia: Quanquam necessaria sit nostra poenitentia seu contritio, tamen consequimur iustificationem, id est, remissionem peccatorum et reconciliationem non propter dignitatem nostrae poenitentiae, sed fide propter Christum gratis.

Et ut haec sint planiora, addam amplius. Cum hoc modo corda fide eriguntur, [91]) concipiunt Spiritum sanctum; sicut Paulus docet ad Galatas 3. [vs. 14.:] Ut promissionem Spiritus accipiamus [92]) per fidem. Non igitur de otiosa aliqua notitia loquimur. Et errant imperiti, qui somniant remissionem peccatorum ita contingere otiosis, sine aliquo vero animi motu, sine certamine, sine fiducia consolante animos. Et quia Spiritus sanctus affert, ut postea dicam, in illa consolatione novam vitam, novos motus, ideo haec renovatio vocatur regeneratio, et sequi debet nova obedientia, ut mox dicam.

Et ne hic obstrepant piis mentibus, labyrinthi disputationum de praedestinatione, aut de libero arbitrio, breviter moneo: non esse huc accersendam disputationem de praedestinatione, sed tenendum, quod promissio gratiae sit universalis. Sicut praedicatio poenitentiae ad omnes pertinet, ita omnibus offert Deus promissionem; ut testantur ipsae voces Christi [Matth. 11, 28.]: Venite ad me omnes. Et Paulus ait [Rom. 10, 12.]: Idem Dominus omnium, dives in omnes. Item [1. Tim. 2, 4.]: Deus vult omnes homines salvos fieri. Sed suo loco colligam plura testimonia. Nec vero iudicandum est de voluntate Dei secus, quam Evangelium iudicat. Mandatum, quod praecipit, ut credamus, certe ad omnes pertinet; ita et promissio ad omnes pertinet. Ideo non repugnemus mandato Dei, sed credamus, et se singuli in illam universalem promissionem includant, et sciant se vere consequi beneficium Christi, si credant promissioni. De libero arbitrio supra diximus: Quoniam a verbo ordiendum est, non debemus repugnare verbo. Agimus igitur aliquid, cum desperationi resistimus, et nos erigimus atque consolamur promissione Christi. Quod cum facimus, Deus est efficax per verbum, et nos adiuvat. Retineri enim certitudo debet, vere nos consequi beneficia Christi, cum credimus. Cum enim fide haec geri debeant, retinere verbum Dei debemus. Nec sunt quaerendae illuminationes sine verbo Dei. Et ut [93]) antea dixi, meritum tollitur in remissione peccatorum, non quia nos nihil agamus, sed quia remissio est donatio, ut sit certa.

Nunc peto, ut prudens lector diligenter haec consideret, quae dixi: Quod agentibus poenitentiam remissio peccatorum gratis donetur propter Christum, quod offeratur omnibus, quod mandatum sit, ut omnes credant, quod certitudo retinenda sit, nos vere consequi beneficia Christi, cum credimus et promissione nos consolamur. Haec qui vere considerabit, intelliget nequaquam intricata aut perplexa aut Sophistica esse, sed plana et explicata, et utilia ad pietatem, et habere usum in vita et exercitiis piorum. Econtra quales labyrinthi, quam multa perplexa sint [94]) in illorum opinionibus, qui dissentiunt a nobis, nolo hoc loco colligere.

DE BONIS OPERIBUS.

Quoniam autem dixi de reconciliatione et de

91) eriguntur] sic Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.; Editt. 1. 2. 4—6. 9. erigantur

92) accipiamus] Editt. 12. 13. accipimus

93) ut *typ. errore omittunt* Ed. 11. et Opp.

94) sint] Ed. 7. male: sunt

fide, addendum est etiam, quid de doctrina bonorum operum, et de nostra obedientia sentiam. Plane igitur et clare dico: Obedientia nostra, hoc est, iustitia bonae conscientiae seu operum, quae Deus nobis praecipit, necessario sequi debet reconciliationem. Christus enim in Evangelio praecipit de Poenitentia. Et Paulus inquit [Rom. 8, 12.]: Debitores sumus, ne secundum carnem vivamus. Et Christus ait [Matth. 19, 17.]: Si vis in vitam ingredi, serva mandata. Et iustificamur ideo, ut nova et spirituali vita vivamus, quae est quaedam obedientia erga Deum; iuxta illud [Hierem. 31, 33.]: Dabo legem meam in cordibus eorum. Et in Ephesiis [2, 10.] ait: Ipsius opus sumus, conditi ad bona opera. Acceptatio ad vitam aeternam seu donatio vitae aeternae coniuncta est cum iustificatione, id est, cum remissione peccatorum et reconciliatione, quae fide contingit; iuxta illud [Rom. 8, 30.]: Quos iustificat, eosdem et glorificat. Itaque non datur vita aeterna propter dignitatem bonorum operum, sed gratis propter Christum. Et tamen bona opera ita necessaria sunt ad vitam aeternam, quia sequi reconciliationem necessario debent. [95]) Ideo Paulus ait [1. Cor. 9, 16.]: Vae mihi, si non docuero Evangelium. Item [ibid. 6, 9.]: Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.

Requiruntur autem non solum externa civilia opera, sed etiam spirituales motus, timor Dei, fiducia, invocatio, dilectio et similes motus. De his praecipuis Dei cultibus nihil possunt docere hi, qui non intelligunt doctrinam de fide; iubent enim dubitare. Ideo abiiciunt exercitia fidei atque invocationis, iuxta illud [Rom. 10, 14.]: Quomodo invocabunt, si non credant? Nam dubitatio illa, ut supra dixi, parit aut desperationem aut contemptum. Non invocant autem Deum, qui desperant, aut contemnunt. Quare hypocritae illi, quanquam iactitant [96]) se esse doctores bonorum operum, tamen illa ipsa praecipua opera sanctorum et praecipuos cultus Dei nec intelligunt nec docent. Non enim satis est docere externa civilia opera, sed ipsa fides, quae tribuit gloriam Christo, praecipuus Dei cultus est. Praeterea Invocatio in hac fide fieri debet, quod Deus velit nobis ignoscere et nos exaudire. Imo haec fides gubernare omnes actiones debet.

Sed non satis est docere, quod obedientia nostra necessaria sit, addendum est enim, quomodo placeat Deo, cum constet, neminem satisfacere legi. In hoc toto loco muti sunt adversarii nostri. Quaerunt enim pii: Quomodo placet Deo obedientia nostra, cum nemo legi satisfaciat? Quomodo erimus salvi, cum sentiamus adhuc in nobis haerere peccatum? Hae quaestiones explicandae sunt, et ostendendum, quomodo placeat Deo haec inchoata et imperfecta obedientia, ne in desperationem incidant, aut confidant propria munditie et gloriam Christi transferant in propria opera.

Multa passim apud Augustinum et alios de hoc loco leguntur. Est et longa Hieronymi disputatio in Attico eadem de re. Primum autem hoc docendi sunt Christiani: quod haec obedientia in his, qui iustificati sunt, sit imperfecta, nec satisfaciat legi, quod ad ipsam obedientiam attinet. Id clare testatur Paulus, cum inquit [Rom. 7, 23.]: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae. Item [Gal. 5, 17.]: Caro concupiscit adversus Spiritum. Item 1. Ioh. 1. [vs. 8.:] Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus etc. Et Psalm. 142. [vs. 2.:] Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et Psalm. 129. [vs. 3.:] Si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit? Reliqua est enim in sanctis concupiscentia, ut constat, quae est sua natura peccatum et digna morte; nec est otiosa, sed perpetuo parit vitiosos affectus. Atque haec peccata sancti fatentur et orant [Matth. 6, 12.]: Dimitte nobis debita nostra. Quoties dubitant sancti se Deo curae esse? quoties labascit fides? Quis timet, quantum debet? Quis satis ardenter diligit Deum? Quis satis patienter obtemperat in adversis rebus? Quem non interdum incendunt odia et aliae cupiditates? Quis satisfacit suae vocationi? Quoties sancti fremunt, cum vident impios et Tyrannos florere et omnibus vitae commodis frui, tenere regna, opes, gloriam, se vero exerceri omni genere calamitatum? Haec vitia non sunt extenuanda, sed sunt sua natura vere peccata, sed condonantur credentibus. Delirant igitur, qui fingunt sanctos legi satisfacere et sine peccato esse. Imo, quod est monstrosius, fingunt opera externa non praecepta a Deo perfectiora esse decalogi operibus.

Ut igitur respondeamus piis quaerentibus, quomodo placeat Deo inchoata et imperfecta obedientia, breviter dico. Et necessaria est illa obedientia, et placet Deo, sed in reconciliatis; et est iustitia, non quia legi satisfacit, sed quia iam personae placent. Ut igitur certa consolatio teneatur, sic sentient pii: Quod persona sit reconciliata et accepta ad vitam aeternam, propter Christum tantum per misericordiam; postea vero placeat etiam illa inchoata obedientia, quia persona propter aliud placet, videlicet propter Christum. Non enim potest opponi iudicio Dei illa inchoata obedientia, sed retinendus est mediator Christus, propter quem Pa-

95) Et tamen bona opera ita necessaria sunt — — debent.] Editt. 8. 11 — 13. et Opp.: Et tamen haec nova spiritualis obedientia ita necessaria est — — debet.

96) iactitant] Ed. 11. et Opp. typoth. errore: iactant

ter nobis propitius est. Sic docet Paulus, cum ait [Rom. 8, 1.]: Nulla nunc condemnatio est his, qui ambulant in Christo. Non ait eos sine peccato esse, sed non damnari eos inquit, quia iam sint facti filii propter Christum. Item [ibid. 6, 14.]: Non estis sub lege, sed sub gratia: id est, quanquam non satisfacitis legi, tamen non accusat vos, quia iam estis filii. Et in Galatis [3, 13.]: Christus redemit nos de maledicto legis, videlicet, Lex non accusat nos, postquam fide reconciliati habemus Deum propitium. Iam cogita quantum sit beneficium, quanta misericordia, quantus amor erga nos, quod Deus haec exigua officia et hanc tot modis contaminatam obedientiam, tamen approbat; et quidem ornat honestissimis laudibus ac praemiis, ut postea dicam. Huc pertinet dictum Pauli [Rom. 3, 31.]: Legem stabilimus per fidem; quasi dicat: Quia nemo legi satisfacit, ideo quia non sunt reconciliati fide, etiamsi aliqua legis opera faciunt, tamen non possunt Deo placere; semper enim accusantur a lege, et manent in dubitatione ac desperatione. Sed tum demum placet obedientia, quanquam imperfecta, postquam fide reconciliati sumus. Non igitur abolet fides legem, sed efficit, ut placeat. Praeterea ne quidem praestari dilectio et vera cordis obedientia potest, nisi corda prius accipiant consolationem, et credant sibi remitti peccata. Necesse est igitur praecedere reconciliationem personae; et haec reconciliatio fit, ut dixi, fide, quae nititur non nostra dignitate; sed tantum misericordia. Postea vero placet et obedientia sequens, quia sumus in Christo. Nonnihil faciet ad perspicuitatem, si discernas personam et opus. Etiamsi David habeat bona opera, tamen quia habet etiam reliquias peccati, non potest statuere, quod propter illa bona opera Deo placeat. Ideo necesse est prius eum statuere, quod persona per misericordiam placeat, postea vero bona opera. Sic ait et Paulus [1. Cor. 4, 4.]: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc iustificatus sum; quasi dicat: Etsi habeo iustitiam bonae conscientiae, tamen hanc non oppono iudicio Dei, sed oppono Christum mediatorem. Ita David cum inquit [Ps. 142, 2.]: Non iustificabitur coram te omnis vivens, docet quaerendam esse iustificationem per misericordiam, non propter nostram dignitatem. Cum igitur nos erigimus fide et statuimus, quod persona sic placeat Deo per misericordiam, et condonetur nobis infirmitas naturae; postea etiam placet inchoata obedientia; nam illa fides non potest niti nostra dignitate. Ita simul retinentur Christus mediator et agnitio nostrae indignitatis. Ex his omnibus liquet, quod obedientia nostra, seu iustitia bonae conscientiae sit necessaria et placeat Deo, non quia sit perfecta, sed quia iam personae sunt reconciliatae fide, et habent condonationem infirmitatis suae. Ac postquam hoc modo et agnoscimus infirmitatem nostram, et fide apprehendimus reconciliationem, postea dignitas operum non est extenuanda; nam scriptura etiam hanc iustitiam operum honorificentissime praedicat in sanctis.

Primum enim necessitas consideranda est. Oportet enim fidem in nobis assiduis exercitiis, in invocatione, poenitentia, periculis crescere. Ita crescit novitas spiritualis; de qua Paulus inquit [2. Cor. 5, 3.]: Superindui desiderantes, siquidem non nudi reperiemur. Deinde etsi per misericordiam propter Christum persona habet remissionem peccatorum, et est iusta, id est, accepta, ut dixi, tamen haec quoque operum iustitia necessario sequi debet. Est enim mandatum Dei, ut praestemus hanc obedientiam, quia Christus clare praecipit: Agite poenitentiam. Ac si quis hic disputat, ultro sine mandato haec fieri in renovatis, is per me sane delectetur huiusmodi ἀκριβολογίαις. Ego a vocabulo praecepti cur abhorream, non video, cum et Christus dicat [Ioh. 15, 12.]: Mandatum meum est. Et Paulus [Rom. 8, 12.]: Debitores sumus. Praeterea tanta necessitas est, ut clare dicat Paulus de adulteris, scortatoribus, homicidis etc. [Gal. 5, 21.]: Qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt. Postremo nec fides potest existere cum mala conscientia, quia fides est fiducia, quod Deus sit nobis propitius. Mala conscientia contrarium iudicat. Item, qui non agunt poenitentiam, sed indulgent vitiosis cupiditatibus, non retinent fidem; fides enim quaerit remissionem peccatorum, non delectatur peccatis. Nec manet Spiritus sanctus in his, qui obtemperant vitiosis affectibus; iuxta illud Iohannis: Qui facit peccatum, ex diabolo est. Hae tot causae necessitatis concurrunt, quae merito diligentiam bene operandi in nobis acuere debent, ut beneficium Dei retineamus. Sicut Petrus [II. epist. 1, 10.] praecipit:[97]) Curate, ut vocationem et electionem vestram firmam faciatis, id est, ut[98]) perseveretis in vocatione et sanctificatione vestra.

Secundo non solum necessitas consideranda est, sed invitet nos etiam dignitas bonorum operum. Quanquam enim in tanta infirmitate nostra, de nobis quidem non debemus arroganter sentire, tamen vocatio nostra magnifacienda est. Etsi virtutes et bonae actiones nostrae nequaquam satis excitatae aut mundae sunt, tamen ad gloriam Christi pertinent, ideo magna earum dignitas est. Et ut sciamus eas Deo valde placere, ornat eas Deus honorificis titulis. Vocantur sacrificia, hoc est, proprii et veri honores, quibus Deus delectatur. Petrus inquit [I. epist. 2, 5.], Nos esse Sacerdotium san-

97) praecipit] sic Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.; Editt. 1. 2. 4. 5. 9. praecepit; Ed. 6. ostendit

98) ut *omittunt* Editt. 11—13. et Opp.

ctum, destinatum ad spirituales hostias offerendas, et gratas Deo per Iesum Christum. Quam gratum, quanta ad virtutem adhortatio esse debet pio patrifamilias, scire, quod diligentiam alendae, regendae et instituendae sobolis Deus tanti faciat, ut interpretetur etiam veram ac spiritualem hostiam esse. Quanta consolatio est his, qui propter Evangelium sustinent pericula aut cruciatus, intelligere quod haec opera sint vera et laudatissima sacrificia. Maiore studio discet pius adolescens, si cogitabit hunc laborem esse sacrificium Deo gratissimum. Ad hunc modum de sua quisque vocatione iudicet. Christus inquit [Matth. 5, 16.]: Luceat lux vestra coram hominibus, ut glorificetur Pater vester, qui in coelis est. Hic non solum hortatur nos, ut actiones omnes nostras eo referamus, ut exempla nostra prosint aliis, sed etiam ornat officia nostra, vocat lucem, et dicit per ea gloriam Dei fieri illustriorem.

Praeterea cum benefacta sint dona Spiritus sancti, esset ingrati atque impii animi, non agnoscere autorem. Apud Esaiam vocantur pii plantatio Domini ad glorificandum. Id quoque egregium encomium est donorum et bonorum operum, quod variis donis ornetur [99]) Ecclesia a Spiritu sancto, hanc ob causam, ut Dei gloria latius propagetur ac patefiat. Quid, quod bona opera etiam Sacramenta sunt, hoc est, signa voluntatis Dei. Remittite, et remittetur vobis, inquit Christus [Luc. 6, 37.]. Hic non vult, quod remittatur nobis propter nostram condonationem. Quando enim acquiesceret conscientia, si sentiendum esset tum demum nobis remitti, cum nos satis pure condonassemus aliis? Sed praecipit tamen condonationem, et vult eam esse signum ac Sacramentum, quo admoneamur condonationis divinae. Haec atque alia multa de dignitate bonorum operum prodest meminisse, non ut de nobis, sed de ipsa vocatione, magnifice sentiamus, et accendatur in nobis studium recte operandi propter gloriam Dei, cum cogitabimus nos esse membra Christi, et pertinere nostros mores ad gloriam Dei.

Tertio, sciendum est etiam praemia proposita esse bonis operibus, seu bona opera mereri praemia corporalia et spiritualia. Etsi autem in hac vita etiam multa praemia sanctis redduntur, tamen quia Ecclesia subiecta est cruci, praecipua praemia redduntur post hanc vitam. Sicut Christus inquit [Matth. 5, 12.]: Merces vestra copiosa est in coelis. Paulus inquit [1. Tim. 4, 8.]: Pietas habet promissiones praesentis vitae et futurae, id est, Deus multis praemiis nos etiam in hac vita suo quodam consilio ornat, curat et defendit nos. Quanquam enim Ecclesia subiecta est cruci, tamen quia etiam conservari eam in mundo oportet, Deus in hac vita quoque multis corporalibus beneficiis iuvat pios. Deinde praecipua praemia post hanc vitam redduntur. In eandem sententiam dicitur [Matth. 6, 33.]: Primum quaerite Regnum Dei, et cetera adiicientur vobis. Et Marci 10. [vs. 30.]: Accipiet centuplum nunc in tempore hoc, cum persecutionibus, et in seculo futuro vitam aeternam. Corinthiis precatur Paulus, ut Deus reddat eis pro collata eleemosyna, incrementa donorum spiritualium. Et recte dicit Augustinus: Dilectio meretur augeri dilectionem. [100]) Sed obvia sunt in scripturis satis multa testimonia. Hic autem sciendum est, nos loqui de bonis operibus iustorum. Prius enim accipienda est fide remissio peccatorum, reconciliatio et acceptatio ad vitam aeternam; et haec donantur per misericordiam, propter Christum, ut maneant certa.

Quod vero scriptura aliquoties [Matth. 16, 27. Rom. 2, 6. Apoc. 2, 23.] dicit: Reddet unicuique iuxta opera sua, phrasis est a lege sumpta, quam constat nihil aliud significare, quam hoc, reddet promissa iustis, et poenas iniustis. Deus enim non probat opera nisi iustorum. Primum autem persona iustificatur coram Deo tantum per misericordiam, quam fide accipit. Deinde reconciliationem debent sequi bona opera. Habent igitur iusti fidem et bona opera, et quoties opera laudantur, semper intelligamus de iustorum operibus dici. Sunt autem personae primum fide acceptae tantum per misericordiam. Haec est simplicissima et mollissima interpretatio huius phrasis. Nam si quis urgeat τὸ ῥητὸν, Iuxta opera sua, et contendat [1]) vitam aeternam dari propter dignitatem nostrorum operum, sequitur absurditas. Cum enim nemo satisfaciat legi, sequeretur [2]) omnes perituros esse; addenda est igitur commoda interpretatio. Et ut saepe iam dictum est, tribuatur merces operibus ita, ne fiat incerta remissio peccatorum; item, ne transferatur beneficium Christi in nostrorum operum dignitatem. Persona iustificatur coram Deo gratis fide, quae nititur tantum misericordia; postea placent Deo bona opera, et merentur mercedem.

DE PROMISSIONIBUS LEGALIBUS.

Supra dixi, duplices esse promissiones. Alia est, quae gratis promittit reconciliationem, haec propria est Evangelii. Aliae sunt, quae bonis operibus pollicentur praemia; ut [Luc. 6, 38.]: Date, et dabitur vobis. Has voco legales, ubicunque extant in scripturis; quia, etsi Lex Moysi et promis-

99) ornetur] Editt. 8. 11—13. et Opp.: ornatur

100) dilectionem] sic Editt. 1. 4. 5. 9.; Editt. 2. 6—8. 11—14. et Opp.: dilectione

1) contendat] Editt. 12. 13. contendit

2) sequeretur] Ed. 11. et Opp.: sequitur.

sio terrae Palaestinae et politiae Iudaicae nihil ad nos pertinent. tamen sicut Lex moralis ad omnes pertinet, sic generales promissiones additae legi morali ad omnes pertinent: sicut [Exod. 20, 12.]: Honora patrem et matrem. ut sis longaevus super terram. Voco igitur legales promissiones, quia additae sunt legibus moralibus, quae ad omnes pertinent. Cum autem nemo legi satisfaciat, essent irritae promissiones legales, nisi ex Evangelio iam sciremus, reconciliatos pronuntiari iustos, perinde ac si legi satisfecissent. Tunc igitur bona opera iudicantur quaedam legis impletio, et merentur praemia, cum fiunt ab his, qui fide iam consecuti sunt remissionem peccatorum et reconciliationem. Facile autem iudicari potest, ideo nos ad bene operandum frigidiores esse, quia somniamus opera et exercitia nostra indigna esse praemiis, aut certe frustra suscipi pericula et labores. Tanta est perversitas animi humani, ut nec Evangelio nec legalibus promissionibus credat. Si certo statueremus Deum nobis precantibus et pro nostris benefactis pacem et alia bona redditurum esse, maius in nobis studium esset recte faciendi. Ideo diligenter nobis ipsis et Ecclesiae inculcemus non frustra suscipi labores, sed magna praemia nos impetraturos esse benefactis nostris. Sic exerceri fidem Deus praecipit, et ob hanc causam operibus addidit promissiones, ut fidem per tales occasiones exerceamus, cogitemus nos daturos essa eleemosynam, quia Deo placeat hoc officium, et quanquam minus videamur comparcere, tamen Deus sit facultates nostras conservaturus, sit daturus pacem et alia publica commoda; quae si non haberemus, funditus perirent et privatae facultates. Haec de promissionibus legalibus duxi adscribenda esse, et ut sciamus non esse irritas, quanquam legi non satisfacimus, sed obedientiam in reconciliatis esse quandam legis impletionem; et ut meminerimus in his operibus exuscitandam, exercendam et confirmandam esse fidem.

Exposui causas, quae nos ad benefaciendum accendere debent: necessitatem, dignitatem bonorum operum, praemia, exercitium fidei. Ad has causas illa praecipue adiungenda est, quod quamvis obedientia imperfecta est, tamen iam placet in reconciliatis. Et quod a Spiritu sancto adiuvamur et custodimur, ne Diabolus pertrahat nos in errores perniciosos, aut ad flagitia; ideo scriptum est [Ioh. 14, 18.]: Non relinquam vos orphanos. Hoc beneficium, quam late pateat, quam gratum nobis esse debeat, nulla vox humana pro magnitudine eloqui potest. Vidimus Anabaptistas his annis plane, velut fascino aliquo dementatos, palam impias, absurdas et seditiosas opiniones ita mordicus tenere, ut non solum eripi sibi illas non paterentur, sed etiam superbissime contemnerent monitores: ita sibi horribile exitium in multis locis accersiverunt. Hic consideremus, quantum Dei beneficium sit, custodiri, ne decepti a diabolo hos aut similes errores amplectamur. Nam mirificas diaboli insidias nulla humana prudentia sine Spiritu sancto satis cavere potest. Exuscitent igitur nos ad benefaciendum etiam hae causae, quod iam aliquo modo sit possibilis Lex, quia placet inchoata obedientia, et quod promittitur nobis auxilium.

Econtra consideremus, quantum noceant mala opera. Primum merentur iram Dei et damnationem aeternam. Praeterea deformant Evangelium et gloriam Dei. Sicut inquit propheta [Ezech. 36, 22.]: Propter vos male audit nomen Dei inter gentes; quare multipliciter Deum offendunt. Tertio, habent poenas praesentes, Diaboli tyrannidem, qui impios in potestate habet, et impellit in omnis generis errores ac flagitia. Sicut Saul postquam exarsit odio Davidis, adeo furit, ut etiam Sacerdotes innocentissimos homines crudeliter trucidet. Sequuntur et poenae corporales, bella et aliae calamitates. Quarto, impediuntur omnia spiritualia exercitia, extinguitur fides in his, qui indulgent cupiditatibus. Postremo, quod maxime horrendum est, peccata merentur indurationem, et puniuntur peccatis; sicut Paulus Rom. 1. significat. Hae causae diligenter cogitandae sunt, ut securitatem carnalem eiiciamus ex animis, et discamus timere iram Dei, ac nos ad bene operandum excitemus. Est et breviter addendum, quae opera requirantur a Christianis, et qui sint veri cultus Dei, videlicet opera, quae Deus nobis praecipit. Sicut Paulus docet, cum ait [1. Tim. 1, 5.]: Summa legis est dilectio ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta. Possunt autem apte includi in decalogum.

Pertinent ad primum praeceptum poenitentia seu timor, fides, seu fiducia misericordiae promissae propter Christum, quae non est existimanda leve aut frigidum opus, sed ingens motus est, quo in vera contritione, id est, veris pavoribus eriguntur corda, et vincunt terrores peccati et concipiunt consolationem et novam ac spiritualem vitam. Estque haec fiducia assidue exercenda in invocatione, in omnibus periculis et negotiis, et petendum, ut Deus misereatur nostri, ac sanctificet, regat, gubernet, adiuvet nos. Ita in omni vita latissime patent exercitia huius fidei. Et haec fiducia parit dilectionem Dei. Cum enim agnovimus magnitudinem misericordiae Dei, iam et diligere incipimus, et statuimus nos curae esse Deo et exaudiri etc. Pertinet [3]) ad primum praeceptum etiam obedientia in adflictionibus seu patientia, de qua suo loco dicemus.

3) Pertinet] Ed. II. et Opp.: Pertinent

Ad secundum praeceptum pertinent [4]) Invocatio, Gratiarum actio, Confessio doctrinae et Praedicatio verbi Dei, si postulet [5]) vocatio.

Ad tertium, conservatio publicarum caeremoniarum, quae divinitus ordinatae sunt, reverentia erga ministerium.

Ad quartum, officia vitae civilis, obedientia, diligentia in obeunda vocatione.

Ad quintum, dilectio proximi, iustitia et beneficentia erga proximos.

Ad sextum, castitas, fides coniugii, temperantia et sobrietas.

Ad septimum, iustitia in contractibus et usu facultatum, liberalitas eleemosynae.

Ad octavum, veritas in omni vita, odisse simulationem et mendacia.

Sed supra [6]) prolixius enarravimus decalogum, ex quo recte intellecto bene iudicari poterit, quae opera Deus postulet.

Dixi de iustificatione, de fide, de legis impletione seu de bonis operibus simplicissime et sine Sophistica. Nec video, quid offendere in hac sententia bonos possit, cum nihil habeat absurdi, nihil perplexi, cum non sit nova, sed in sacris literis clare tradita, et consentanea scriptoribus Ecclesiasticis; denique cum sit utilis pietati, et non inanem speciem pietatis adumbret, sed vera fidei exercitia monstret, ac doceat nos de nostra infirmitate, et illustret Christi beneficium; de remissione peccatorum plane et simpliciter docet, et firmam consolationem conscientiis proponit; qui sint veri cultus Dei, quo modo placeat inchoata obedientia, explicat. Denique quid est causae, cur tantopere ab hac nostra sententia abhorreant quidam, in qua hoc in summa dicimus: necessariam esse poenitentiam, et tamen remissionem peccatorum, ut sit certa, contingere non propter dignitatem nostrorum operum, sed fiducia Christi. Non tollimus bona opera, tantum causam remissionis peccatorum transferimus in Christum. Et nihil hic absurdi de libero arbitrio aut praedestinatione admisceo. Ostendo doctrinam fidei ad hoc tradi, non ut perturbet conscientias, sed ut veram, piam et firmam consolationem proponat, deinde, ut in omni vita teneamus pia et spiritualia [6a]) fidei exercitia. Quid haec habent incommodi? Scholastici doctores de hac fide seu fiducia, qua remissionem peccatorum consequimur, prorsus nihil dicunt, imo etiam iubent dubitare. Deinde nimium extenuant immunditiem, et corruptionem naturae. Ideo fingunt homines posse sine peccato esse, et propria impletione legis iustos esse. Hae tenebrae sane obscurant doctrinam de fide. Non enim potest intelligi, quam sit opus misericordia, cum nimium extenuatur naturae immundities, et confirmatur fiducia propriae [7]) puritatis. Ista seu Platonica seu Stoica, scio magnifice dici: In homine efficiendam esse omnium virtutum absolutionem, et nescio quam ἀπάθειαν, et hoc genus alia. Haec cum ita dicuntur, ut obruatur pura doctrina de fide, aut cum de fide nihil prorsus dicitur, non habent usum in vita.

Dilutio. [8])

Nec vero difficile est dissimilia dicta, quae citantur contra sententiam, quam recitavi de fide, conciliare. Ego non solum calumniosas et veteratorias interpretationes [9]) in causis religionis, sed etiam non necessarias ἀκριβολογίας odi. Ac satis apparet me hoc agere magno studio, ut plerasque controversias ex illis disputationum involucris et ex Sophistica, quantum possum, evolvam. Quare simpliciter respondeo ad omnia dicta, quae de lege, seu iustitia bonorum operum citantur. Fateor necessariam esse nostram obedientiam, seu iustitiam bonorum operum, sed haec non placet, nisi in reconciliatis seu iustis; nemo enim legi satisfacit. Quare prius oportet nos fide consequi remissionem peccatorum et fieri filios Dei. Et haec fides nititur non nostra dignitate, sed tantum misericordia propter Christum promissa. Postea placet etiam nostra obedientia. Haec est simplex et plana responsio, sumpta ex ipsis negotii fontibus, non est astute excogitata. Constat enim omnibus opus esse remissione peccatorum. Deinde quia nemo legi satisfacit, certe dictis de lege aliqua ἐπιείκεια addenda est. Ideoque Paulus inquit [Rom. 10, 4.], Christum esse finem legis, hoc est, legem sine Christo non prodesse. Quare semper addendum est legi Evangelium de fiducia in Christum. Nec ferendi sunt, qui somniant hominem iustum esse propria legis impletione, et nihil interim de fiducia misericordiae dicunt. Breviter igitur aliquot locos percurram.

[Matth. 19, 17.] Si vis in vitam ingredi, serva mandata etc. Ergo vita aeterna datur propter legem, seu propter observationem mandatorum. Respondeo: Cum nemo legi satisfaciat et nemo sit sine peccato, perirent omnes, si non possent salvi fieri, nisi legem implessent. Haec absurditas sequitur ex hoc dicto, si quis τὸ ῥητὸν acerbe sine

4) pertinent] sic Editt. 1. 4. 5. 9.; Editt. 2. 6—8. 11—14. et Opp.: pertinet
5) si postulet] Editt. 8. 11—13. et Opp.: ubi postulat
6) Vide supra p. 392 sqq.
6a) spiritualia] Ed. 11. et Opp.: spiritualis

7) propriae] Editt. 12. 13. typoth. errore: proprii
8) Iust. Ionas interpretatur (a. 1536 sqq.): Antwort auff die sprüche so dawider werden angezogen. (Melanthon (a. 1542.): Antwort auff der Widersacher Argumenta.)
9) interpretationes] Ed. 11. errore typogr.: interpretiones

ulla interpretatione retinere conetur. Necesse est igitur addere interpretationem, videlicet: Obedientia erga legem est necessaria, sed legi addendum est Evangelium de Christo. Prius oportet nos per misericordiam propter Christum fieri filios Dei. Postea sequi debet obedientia nostra, quae quoniam est imperfecta, persona pronuntiatur iusta, id est, accepta, propter aliud, videlicet propter Christum. Nam si sentiendum esset, nos Deo placere propter hanc impletionem legis, conscientia redderetur incerta. Ideo prius aliud proponi necesse est, propter quod statuamus nobis Deum propitium esse. Et quia propter Christum persona iam placet, placet etiam haec inchoata obedientia.

Iacobus ait [2, 24.]: Videtis igitur, quod ex operibus iustificatur homo, et non ex fide solum. Ac videtur Iacobus diserte hanc sententiam eo consilio posuisse, ut adderet Pauli dictis correctionem, et emendaret Exclusivam, de qua supra dictum est. Equidem non sum pugnax, et soleo facillime transigere cum adversariis, non prorsus iniquis. Libenter igitur assentior Iacobo, modo ne affingantur ei aut absurdae opiniones aut alienae sententiae. Nec opus est procul quaerere interpretationem, ipsa verba aspiciamus. Si Iacobus intelligit fidem, notitiam historiae, quemadmodum ait [2, 19.]: Daemones credunt, nulla controversia est. Et tota illa Iacobi concio loquitur de iustitia operum, non de remissione peccatorum, non de illo agone conscientiae, de quo ait David [Ps. 142, 2.]: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Nam Paulus intelligit fidem fiduciam misericordiae, qua accipienda est remissio peccatorum et liberanda conscientia a terroribus peccati. Haec fiducia non potest tribui diabolo. Si igitur Iacobus aliud intelligit fidem, quam Paulus, nihil dissident. Ut enim Iacobus cum notitia historiae, seu professione, requirit bona opera; sic et Paulus inter cetera bona opera requirit et notitiam historiae, seu professionem articulorum fidei. Interim alia disputatio est: quomodo consequamur remissionem peccatorum, an propter dignitatem operum nostrorum, an vero per misericordiam? Haec est simplex et vera responsio. Sed morosis addam et alteram. Etiamsi de fide more Pauli loqueretur, tamen concedo, ut iam saepe dixi, utramque iustitiam necessariam esse, iustitiam fidei et iustitiam operum. Sed haec posterior, videlicet iustitia bonorum operum, non est iustitia, quae possit opponi iudicio Dei, nec placet nisi in reconciliatis. Prius igitur consequimur remissionem peccatorum, et fit persona iusta, id est, accepta per misericordiam propter Christum, fide, non propter dignitatem sequentis obedientiae. Postea vero sequens obedientia est iustitia, hoc est, placet Deo. Nihil est incommodi, si hoc modo accipiatur dictum [Rom. 4.] Iustificamur fide et operibus, id est, utraque iustitia requiritur. Sed si quis affingit, quod fides, de qua in Paulo aut Genesi [15, 6.] mentio fit, non prosit ad remissionem peccatorum, nisi propter dignitatem operum, quantum sequatur incommodi, etiam atque etiam considerandum est. Fieret enim incerta remissio peccatorum; nullam haberent conscientiae firmam consolationem; everteretur omnino fides, quae, cum nititur nostra dignitate, fit incerta. Eruditis ex phrasi facile est iudicare, quid significet verbum iustificari. Nam hic apud Iacobum non significat consequi remissionem peccatorum seu reconciliationem; sed iustificamur, id est, habentes fidem et opera habemus iustitiam utramque, quae requiritur. Paulus autem aperte de remissione peccatorum loquitur, et iustificationem intelligit remissionem peccatorum et reconciliationem, seu eam acceptationem, qua persona coram Deo accepta est; haec autem contingunt per misericordiam. Spero bonis viris abunde satisfactum esse de loco Iacobi, praesertim cum ego *τὸ ῥητὸν* proprie teneam. Illi, qui affingunt, quod remissionem peccatorum consequamur propter dignitatem operum, et fidem non prodesse, nisi propter dignitatem operum, assuunt sententias alienas Iacobo, imo corrumpunt fidei appellationem. Nam fides, ut sit certa, debet tantum misericordia niti. Qualis carnificina erit conscientiae, si sic sentiendum erit: tunc habere nos remissionem peccatorum, cum opera tanto digna beneficio habemus? Haec imaginatio et conscientias ad desperationem adigit, et gloriam Christi obruit, et fidem abolet, quare non est affingenda Iacobo; sed teneamus *τὸ ῥητὸν* simpliciter, ut dixi, sine his absurdis opinionibus.

Pleraque alia dicta alibi satis interpretatus sum. [1. Cor. 13, 2.] Si omnem fidem habeam, dilectionem autem non habeam, nihil sum. Hic Paulus docet necessariam esse dilectionem, seu obedientiam nostram. Id ego quoque iam toties dixi. Nec vero dicit Paulus remitti peccata propter nostram dilectionem.

[Luc. 6, 37.:] Remittite et remittetur vobis, concio est de poenitentia. Prior pars praecipit de poenitentia, secunda offert remissionem peccatorum. Nec assui debet, quod contingat remissio propter dignitatem nostrae condonationis; Neque enim hoc Christus dicit, ut in sententia [Ies. 1, 16.]: Desinite mala facere; et sequitur postea [ibid. 1, 18.]: Si fuerint peccata vestra ut coccinum etc. iterum eluentur. Hic et in similibus dictis non est statim assuendum, quod propter nostram contritionem remittantur peccata; sed sciendum est promissionem oportere fide accipi. Gratum est autem in his sententiis, quod operi nostro addita est promissio, non quod ex dignitate nostri operis pendeat, sed ut nostrum opus sit signum, et velut Sacramentum, quod

admoneat nos de voluntate Dei. Sicut et Baptismus signum est, quod admonet certo nobis ignosci. Ita cum nos condonamus aliis, opus nostrum admoneat nos, ut annexam promissionem intueamur et statuamus nobis quoque condonari peccata.

[Dan. 4, 24.] Idem iudicandum est de similibus sententiis, quae sunt conciones poenitentiae. Qualis est: Redime peccata tua iustitia et beneficiis erga pauperes, et erit sanatio delictorum tuorum. Altera pars praecipit de poenitentia: Redime peccata tua iustitia et beneficiis erga pauperes, hoc est, resipisce, fias iustus, agnosce Deum, credito. Deinde regnum tuum ita administrato, ut potentiam tuam ad salutem hominum conferas, non ad nocendum. Concionatur enim Regi et [10]) non solum de eleemosynis, sed de agnitione Dei, de fide; postea de eius vocatione, hoc est, de iustitia et beneficentia in imperio exercenda; quae duae virtutes maxime coli a summis Regibus debent. Ita redimes peccata, id est, impetrabis, ut tollatur reatus, tum culpa, tum poena, quia conversis promittitur venia non propter poenitentiae dignitatem, sed per misericordiam, si eam fide apprehendant; et tamen necessaria est poenitentia. Altera pars promissio est: Erit sanatio etc. quae certe debet fide accipi, et ut sit certa, non debet pendere ex conditione nostrae dignitatis. Sententiae in Tobia [12, 9.]: Eleemosyna liberat a morte, et similes, significant eleemosynas mereri ingentia beneficia, ut defendamur a Deo in magnis periculis. Praeconia sunt bonorum operum, quae sunt sane amplificanda, sed ita, ne Christi beneficium obscuretur. Remissionem culpae consequimur fiducia Christi. Caeterum sciendum est bona opera mereri remissionem poenarum temporalium, seu mitigationem, ut suo loco dicetur. Neque hoc beneficium leve ducendum est, regi difficillimas vitae tempestates, mitigari calamitates, publica bella, famem, dissipationes publici status, et alia mala. Horum mitigationem certe merentur bona opera. Ideo de hoc beneficio saepe concionantur sententiae scripturae. Ut Esaiae 58. [vs. 7.] Frange esurienti panem, et requiem dabit tibi Dominus semper. Eodem referri potest [1. Petr. 4, 8.]: Dilectio operit multitudinem peccatorum, id est, meretur mitigationem poenarum.

Obiicitur et de mercede: Vita aeterna appellatur merces; ideo debetur pro operibus, et non datur gratis. Item, sunt digna vita aeterna tanquam debita mercede. Priusquam ad hoc argumentum respondeo, primum admonendus est lector, ut suam ipse conscientiam in hoc argumento consulat. Nunquam enim ulla perita conscientia affirmabit sua benefacta digna esse vita aeterna, aut deberi sibi vitam aeternam propter dignitatem operum. Quare impudenter faciunt, qui hoc argumentum obiiciunt, cum reclamet in omnibus iudicium conscientiae. Quod autem conscientia reclamet, testatur David, qui ait [Ps. 142, 2.]: Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et Christus dicit [Luc. 17, 10.]: Cum feceritis omnia, dicite: servi inutiles sumus. Quare si quis conscientiam, quae angitur de spe vitae aeternae, iubet intueri in benefacta et munditiem propriam et meriti dignitatem, et propter hanc expectare vitam aeternam, is nequaquam proponit firmam consolationem animo luctanti cum desperatione. Hic certe docenda est mens, ut sciat fiducia misericordiae certo simul et iustificationem et donationem vitae aeternae contingere. Ideo Paulus inquit [Rom. 6, 23.]: Donum Dei vita aeterna. Et Ezechias fatetur peccata [Ies. 38, 17.]: Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Et David [Ps. 31, 2.] Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. Q. d. omnibus imputari peccatum potest; quaerenda est igitur misericordia, et statuendum, quod ita iustificet seu acceptet nos Deus, quia remittit peccata. Et haec ipsa iustificatio semper iam novam vitam et obedientiam secum affert. Paulus inquit: Victoriam mortis contingere fiducia Christi, non propter nostram dignitatem, cum ait [1. Cor. 15, 56 sq.]: Aculeus mortis peccatum est, potentia vero peccati Lex; Deo autem gratia, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Q. d. Si nostram dignitatem metiremur, lex semper accusaret nos etc. Et Ioan. 6. [vs. 39.] Haec est voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam. Ioan. 3. [vs. 15.] Qui credit in Filium, habet vitam aeternam. Hae consolationes proponendae sunt animo conflictanti cum desperatione, et expectanda vita aeterna propter Christum, non propter dignitatem propriam.

Cur igitur vocatur merces? Ne hic quidem argute respondebo. Etiamsi vita aeterna vocatur merces aut dicitur deberi iustis, tamen hoc non debet intelligi, quod debeatur propter dignitatem nostrorum operum, sed propter promissionem, quae quidem pollicetur non propter legem aut dignitatem nostrorum operum, sed propter Christum, his, qui fide misericordiam apprehendunt. Quare cum vita aeterna vocatur merces, figura est a lege sumpta. Lex enim solet loqui de iustitia velut de nostra dignitate, et huic mercedem promittit; loquitur et de fide tanquam de opere ac merito. Et tamen ex Evangelio scire oportet, quod iustificatio et donatio vitae aeternae fide per misericordiam contingant propter Christum, non propter dignitatem nostrorum operum. Deinde cum scriptura mercedem ope-

10) et] sic Editt. 1. 4. 5. 9.: in Editt. 2. 6—8. 11—14. et Opp. omiss.

ribus promittit, sciendum est: etsi vita aeterna contingit propter aliam causam, tamen, quia etiam compensat adflictiones et benefacta, hac ratione mercedem recte appellari.

Certe enim nostra opera non sunt pretium tanti muneris, et tamen ipsum munus compensatio quaedam est. Sicut filio familias contingit haereditas propter aliam causam, et tamen officia eius compensat. Non decet ita acerbe interpretari vocabulum mercedis, ut transferatur Christi beneficium in nostra opera, ut conscientiae adigantur ad desperationem, quae [11]) iudicant se non satis operum habere, aut ut hypocritae concipiant inanem fiduciam meritorum, fingant se habere opera digna, se esse sine peccato, se legi satisfecisse; imo etiam amplius fecisse, et superflua merita aliis vendant. Repudiatis his ineptis opinionibus, facile est postea videre, ubi quadret vocabulum mercedis. Nam opera, ut diximus, merentur sua praemia.

Fide sumus iusti,
Fides est opus,
Ergo operibus sumus iusti.

Respondeo ad Maiorem. Fide sumus iusti, non quia est opus aut qualitas in nobis, sed quia accipit misericordiam. Et ut res fiat planior, transformanda est oratio in correlativam. Fide sumus iusti, id est, per misericordiam pronuntiamur iusti, sed hanc oportet fide accipi. Minor est vera, Fides est opus. Sicut autem alia opera, seu virtutes aliae imperfectae sunt, ut dilectio, patientia, castitas, ita fides est imperfecta. Quare nec propter dignitatem fidei iusti sumus, sed quia misericordiam accipit. Nam fides instrumentum est, quo misericordia propter Christum promissa apprehenditur, qua misericordia, ut ait Paulus, consummati sumus.

Iustitia est obedientia erga totam legem,
Bona opera sunt obedientia erga legem,
Ergo bona opera sunt iustitia.

Primum neganda est Minor; nam bona opera non sunt perfecta obedientia erga legem, quia, ut ait Paulus [Rom. 7. 8.], natura carnalis non potest perfecte obedire legi Dei. Essent autem iustitia et iustificarent, si perfecte obediremus legi. Deinde ad Maiorem respondeo: Iustitia legis est obedientia erga totam legem, sed quia hanc non praestamus, ideo Evangelium affert gratuitam iustificationem. Significat igitur imputationem iustitiae, qua per misericordiam accepti sumus, non propter dignitatem virtutum nostrarum. Ita in Paulo et saepe alias intelligi debet iustitia. Et prudenter videndum est, ubi scriptura loquatur de iustitia legis aut de hac imputatione. Ad iustitiam legis quadrat appellatio ex quinto Ethicorum, [12]) ubi iustitia universalis significat obedientiam erga omnes leges. Ceterum bona opera seu virtutes in reconciliatis reputantur esse quaedam legis impletio, ut dictum est. His convenit appellatio iustitiae ex quinto Ethicorum.

Iustitia est in voluntate,
Fides non est in voluntate,
Ergo fides non iustificat.

Respondeo: Maior est vera de iustitia legis, quae significat nostram obedientiam, nostras virtutes et qualitates in voluntate. Sed cum de iustitia fidei loquimur, iustitia significat imputationem iustitiae seu acceptationem, qua Deus nos per misericordiam, non propter nostras qualitates aut dignitatem, acceptat. Opus est autem fide, quae hanc acceptationem, quae in promissione proponitur, apprehendat. Et haec fides non est tantum notitia, sed etiam velle et accipere promissam misericordiam; sicut alioqui fiducia motus est, seu habitus voluntatis, quo auxilium oblatum accipimus aut expectamus. Quod autem fides huiusmodi fiduciam significet, supra ostendi.

Opera contra legem sunt peccata,
Ergo bona opera sunt iustitia. Consequentia nota est ex natura contrariorum,
Iustificant igitur.

Respondeo: Consequentia valeret, si legi satisfaceremus; tunc enim bona opera et essent iustitia et iustificarent. Cum autem homines non satisfaciant legi nec sint sine peccato, necesse est aliud quaerere, videlicet misericordiam, qua iusti pronuntiemur.

Remissio peccatorum pendet ex conditione poenitentiae; igitur est conditionalis. Antecedens probo, quia impossibile est peccatum actuale remitti, nisi accedat mutatio actus. Igitur mutatio actus saltem aliqua partialis causa est iustificationis et aliqua ex parte meritum.

Respondeo: Neganda est consequentia; cum enim de conditione loquimur, intelligimus conditionem nostrae dignitatis. Ceterum concedimus, quod promissio habeat conditionem poenitentiae, et quod mutatio actualis peccati sit necessaria. Sed tamen detrahimus huic mutationi dignitatem, videlicet ut maneat certitudo. Nam etiam cum externum opus abiecimus, tamen affectus adhuc haerent in animis. Nunquam igitur prorsus cessant vitiosae actiones. Fieret ergo incerta promissio, si ex dignitate eius mutationis penderet. Praeterea peccata remittuntur, etiamsi adhuc haerent ac manent in hominibus concupiscentia et vitiosi affectus. Ideo facile intelligi potest opus esse gratuita remissione.

---

11) quae] Editt. 7. 8. 11 — 14. et Opp.: qua

12) Conf. Mel. Enarratio libri V. Ethicorum Aristotelis, in huius Corp. Vol. XVI. p. 370.

Secundo: Illud desinere plenum est desperatione, pavoribus et morte; ideo nec iustitia nec pretium est. Sicut et Paulus detrahit legi iustificationem, quia [Rom. 4, 15.] Lex iram efficiat. Quare manifestum est, non posse tribui iustificationem contritioni, quia ipsa contritio fieret mors aeterna, nisi liberaremur ab illis terroribus erecti fide. Iam si penderet remissio ex dignitate contritionis, magis magisque rueret conscientia in mortem, cum videat nullum quamlibet magnum dolorem dignum esse pretium remissionis.

Haec diligenter consideranda sunt, ut sciamus requiri contritionem, et tamen dignitatem alio transferendam esse; item, ut consideremus naturam legis et operum. Si enim praecipuum opus legis, videlicet damnare peccatum et irasci peccato, non iustificat, sed affert mortem, magnum testimonium est, lege non iustificari nec vivificari homines, sed opus esse consolatione, quam fides affert. Et tamen cum accedit fides, contritio illa et mortificatio fit sacrificium et placet Deo. Quare in omni vita et poenitentia crescere debet et exerceri fides, quae erigat perterrefactas mentes, et in omnibus periculis et negotiis exuscitet nos, ut invocemus Deum.

Non enim potest existere invocatio, si cogitemus nos reiectos esse, non exaudire etc. Sicut Paulus inquit [Rom. 10, 14.]: Quomodo invocabunt, si non credant? Veros igitur cultus Dei et praecipua opera alit haec doctrina de fide, quam qui contemnunt, etsi iactitant se bonorum operum doctores esse, tamen haec propria Christianorum opera non intelligunt, et ab horum conspectu oculos atque animos hominum abducunt tantum ad externa opera, quae etiamsi sunt necessaria, tamen longe inferiora sunt invocatione Dei. Exerceamus igitur fidem in invocatione, in omnibus vitae periculis ac negotiis petamus ut Deus sanctificet, gubernet ac servet nos. Ibi experiemur nobis opus esse hac consolatione, quod Deus sit nobis propitius certo per misericordiam, quod exaudiat nos, quanquam simus indigni. Sicut David in Psalmo [129, 3.] ait: Si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit? Quia apud te propitiatio est, propterea timeberis. Sustinuit anima mea in verbo eius, speravit anima mea in Domino. Id est: Agnosco me esse immundum; et tamen erigo me et confido, te mihi propitium esse propter promissam propitiationem. Hac fide nos quoque erigamus, et meminerimus hanc orationem pertinere ad eos, qui agunt poenitentiam, non ad illos, qui securi indulgent pravis cupiditatibus. Hunc ipsum Psalmum quotidie Deo decantemus, hac musica piae mentes se consolentur et erudiant, ut veros cultus Deo reddere discant.

Atque ita demum intelligentur et dulcescent dicta in Psalmis de misericordia, et quae iubent nos laetari, confidere, sperare, cum ad hanc Pauli doctrinam [13]) respiciemus. Nam omnia illa dicta excutiuntur animis, si cogitent misericordiam promitti, sed dignis et satis meritis; nos vero indignos esse tanto beneficio. Ideo discamus ex Paulo [Rom. 3, 24.] remissionem peccatorum gratis promitti, atque ita intelligamus Psalmos concionari de gratuita misericordia. Et hae sententiae, quae iubent laetari, confidere, sperare, illis ipsis concionantur, qui sentiunt se indignos esse. Ideo iubent eos laetari, ut eximant desperationem, et admoneant, quod promissa sit gratuita misericordia.

Haec consideranda sunt, cum recitamus illa in Psalmis [Ps. 66, 5.]: Laetentur et exultent gentes, quia recte iudicas populos, et gentes in terra dirigis, id est, quia vere regnas, dedisti Evangelium, respicis nos, remittis peccata credentibus, exaudis invocantes te, quanquam sint infirmi, indigni; econtra illos, qui non credunt, punies et perdes. Et Psalmo 41. [vs. 6.] Quare turbata es, anima mea? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor ei. Significat enim se perterrefactum esse propterea, quod sentit se indignum esse. Et tamen erigit animum, et statuit Deum sibi propitium esse.

Cum sic intelliguntur haec dicta, tum demum consolationem ingentem afferunt his, qui agunt poenitentiam. Nam hi soli iudicare [14]) possunt, ubi habeat usum, et quam vim habeat haec doctrina de fide, videlicet in agone conscientiae agentis cum Deo in invocatione. Sed desino plura exempla colligere; sunt enim piis obvia in quotidianis precationibus, in quibus certe fides assidue excitanda et confirmanda est in omnibus vitae periculis. Nam hunc cultum praecipue requirit Deus, quem prorsus non intelligunt illi, qui hanc doctrinam de fide obruunt aut delere conantur. Homines partim imperiti partim mali vociferantur nos dissentire ab Ecclesia, incendunt iracundiam Principum adversus [15]) nos. Ego vero pios lectores spero iudicaturos [16]) esse, germanam Ecclesiae sententiam a me et retineri et illustrari, ac adversarios potius dissentire a veteri et puriore Ecclesia, et vere *ἀτιμαγελεῖν*, qui cum de remissione peccatorum docent, prorsus nullam mentionem faciunt fidei, hoc est, fiduciae in Christum. Imo iubent dubitare de remissione peccatorum; deinde addunt eam contingere propter dignitatem nostrorum operum, et tamen semper dubitandum esse, utrum contigerit; et affingunt homines posse legi satisfacere et sine peccato esse. Sed iudicium sit ipsius Ecclesiae, hoc est,

---

13) doctrinam] Ed. 12. typoth. errore: donam

14) iudicare] Ed. 11. et Opp. typ. errore: iudicari

15) adversus] Editt. 12. 13. adversum

16) iudicaturos] Editt. 1. 2. errore typogr.: indicaturos

piorum et doctorum. Ego quidem τὴν εὐσεβῆ καὶ δικαίαν ψῆφον monstrare conatus sum.

DE DISCRIMINE PECCATI MORTALIS AC VENIALIS.

Peccatum mortale, hoc est, dignum morte aeterna, in genere intelligi debet, non tantum aliqua actio, sed etiam morbus haerens in natura, qui vocatur peccatum originis, videlicet vacare metu Dei, dubitare, an Deus curet humana, an respiciat et exaudiat etc. non confidere, quod Deus velit ignoscere, velit salvare; item, concupiscentia. Quare impii, hoc est, qui non apprehendunt remissionem peccatorum fiducia Christi, habent peccata mortalia et damnantur, etiamsi non habeant actiones externas flagitiosas. Idque testantur pleraeque sententiae. Ioan. 3. [vs. 18.] Qui non credit, iam iudicatus est, quia [17]) non credidit in nomine unigeniti filii Dei. Item [ibid. vs. 36.]: Qui credit Filio, habet vitam aeternam; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Sed dicamus de iustificatis.

Vetus partitio est peccati in mortale et veniale. Varie autem explicantur; nos breviter ita dicimus. Primum de morbo illo naturae, hoc est, de concupiscentia seu vitio originis, quod reliquum est in omnibus: hunc morbum natura sua peccatum mortale esse. Sed condonari his, qui fide apprehendunt remissionem peccatorum. Sicut Paulus docet [18]) [Rom. 8, 1.]: Nulla nunc damnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant. Deinde ille morbus non est otiosus, sed gignit cupiditates et adfectus vitiosos etiam in sanctis. Sicut Paulus fatetur in sanctis existere tales adfectus, cum inquit [Gal. 5, 17.]: Caro concupiscit adversus spiritum. Item [Rom. 8, 13.]: Si spiritu actiones carnis mortificabitis, vivetis. Sicut autem non est extenuandus ipse morbus, ita nec hi adfectus levia vitia duci debent, sed etiam sunt sua natura peccata mortalia. Non enim levia peccata sunt, dubitare, an Deus respiciat nos, an exaudiat; in adflictione stomachari adversus Deum, diffidere Deo, confidere praesentibus rebus; item, incendi iniusto amore, odio etc. Huiusmodi adfectus, quia condonantur sanctis, fiunt peccata venialia, hoc est, condonata. Sancti enim non probant tales adfectus, sed repugnant eis; et fides in talibus, qui repugnant, adhuc existit. Ideo interim tamen pronuntiantur iusti. Nec adfero huc Stoicam distinctionem de primis motibus et de assensu. Tanta est enim imbecillitas naturae humanae, ut opprimatur assensus, priusquam satis intelligi motus possint. Illud necesse est scire, quod iusti repugnare illis motibus debent. Haec omnia docet Paulus in illo loco [Rom. 8, 1.]: Nunc nulla damnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant etc. [19])

Sed est aliud quoddam genus actionum, quae sunt eiusmodi, ut, qui eas admittunt, excidant gratia Dei, hoc est [20]) desinant reputari iusti et damnentur, nisi resipiscant. Hae actiones vocantur peccata mortalia. Quanquam autem gradum exactissime constituere huius generis difficile est, et cavendum est, ne aut pavidi ad desperationem adigantur, aut duriores reddantur securi; tamen certe aliquis gradus legis tenendus est. Ac Paulus gradum constituit, cum inquit [1. Tim. 1, 5.]: Dilectio ex puro corde et conscientia bona et fide non ficta. Requirit enim bonam conscientiam, et quidem regi conscientia debet verbo Dei. Itaque in hoc genere actionum peccatum mortale est, probare aut facere aliquid contra conscientiam, hoc est, impiis opinionibus, incredulitati, vitiosis adfectibus non repugnare; item, externa flagitia committere contra mandata Dei. Loquimur enim nunc de actionibus, quibus admissis homo desinit pronuntiari iustus. Non loquimur iam de morbo naturali, nec de peccatis ignorantiae, quae coniungo cum morbo naturali. De his actionibus loquitur Paulus, cum inquit [Rom. 8, 13.]: Si secundum carnem vivetis, moriemini. Item 1. Corinth. 6. [vss. 9 sq.] Ne erretis, neque fornicatores, neque idololatrae, [21]) neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque defraudatores, neque ebriosi, neque convitiatores, neque raptores regnum Dei possidebunt. Item Ephe. 5. [vss. 5 sq.] Haec [22]) scitote, quod omnis scortator aut impurus aut avarus, qui est idololatra, non habet haereditatem in regno Christi et Dei. Nemo vos decipiat vanis sermonibus, propter haec enim venit ira Dei in inobedientes. Gal. 5. [vss. 19—21.] Manifesta sunt opera carnis, adulterium, scortatio, immunditia [23]), impudicitia, idololatria, veneficium, odia, rixae, aemulationes, ira, contentiones, [24]) dissidia, sectae, invidentia, caedes, ebrietates, comessationes, et similia his. De quibus praedico vobis, quod, qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt.

---

17) quia] Ed. 11. et Opp. typ. errore: qui

18) Sicut Paulus docet, *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

19) etc. *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

20) hoc est *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

21) idololatrae etc.] Editt. h. l. et in seqq.: idolatrae etc.

22) Haec] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: Hoc

23) immunditia,] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: immundicies,

24) ira, contentiones, *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

Item: Evangelium praedicat et requirit poenitentiam. Pugnat autem cum poenitentia, facere contra conscientiam; nec fides potest existere in eo, qui facit [25]) contra conscientiam. Fides enim est fiducia, quod placeamus Deo; hanc fiduciam excuti necesse est, cum mens approbat aut facit aliquid, quod scit Deo displicere. Sicut et Paulus ait: Qui dubitans comedit, condemnatur, quia non ex fide; quicquid autem non est ex fide, peccatum est; hoc est: Cum conscientia sentit se displicere, iam abiecit fidem; quare et peccatum est, quod conscientia ita iudicat Deo displicere.

Tenendus est igitur hic gradus in actionibus, peccatum mortale esse, facere contra conscientiam, hoc est, approbare aliquid, aut facere aliquod opus, quod conscientia iudicat displicere Deo. Ideo Paulus requirit, ut supra dictum est, dilectionem ex conscientia bona. Et Timotheo [1. ep. 1, 18.] praecipit, ut militet bonam militiam, habens fidem et bonam conscientiam. Et 2. Corinth. 1. [vs. 12.] ait [26]): Haec est gloriatio nostra, testimonium conscientiae nostrae. Et ad Galatas [6, 4.]: Unusquisque probet opus suum, ita in se ipso gloriationem habebit, hoc est, bonam conscientiam. Hanc gloriam iustos habere necesse est, ut videlicet agentes poenitentiam non perseverent in iis, quae iudicant se fecisse contra voluntatem Dei. Sicut scriptum est [Ezech. 33, 11.]: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Item [ibid. 3, 18.]: Si dixero impio, morte morieris, et egerit poenitentiam a peccato suo, feceritque iudicium et iustitiam etc. vita vivet.

Quare necesse est iustos habere hanc gloriam bonae conscientiae. Et tamen interim scire eos oportet hanc ipsam obedientiam, quam praestant, non esse perfectam, sed multum habere vitii. Ideoque in iudicio Dei non confidant dignitate operum, sed confidant personam iustam, id est, acceptam esse propter Christum. Sicut et Paulus requirit bonam conscientiam, et tamen alio transfert iustificationem, cum inquit [1. Cor. 4, 4.]: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum. Ita et [27]) Iohannes ait [1. ep. 3, 19.]: In hoc cognoscimus, quod ex veritate sumus, et coram eo habemus tranquilla et pacata corda. Hic requirit bonam conscientiam: Vere diligimus, cum ita diligimus, ut nos conscientia nostra coram Deo non reprehendat. Deinde addit de iustificatione [ibid. vs. 20.]: Sed etsi condemnet nos cor nostrum, maior est Deus corde nostro; id est: etsi sentimus dilectionem nostram non satis puram esse coram Deo, nos non satisfacere legi, tamen, inquit, retinenda est fiducia misericordiae Dei, quae nos pronuntiavit iustos, ac maior est quam nostra infirmitas. Ideo rursus addit [ibid. vs. 21.]: Si non reprehenderit nos cor nostrum, habemus fiduciam ad Deum. Haec plurimum refert habere bene cognita et meditata, ut servemus hoc, quod Paulus inquit [Eph. 4, 30.]: Ne contristetis Spiritum sanctum Dei, quo [28]) signati sumus ad diem redemptionis; hoc est, ne beneficium Christi abiiciamus et pereamus.

Praeterea ad hoc genus peccati mortalis pertinent etiam peccata omissionis et ignorantiae affectatae. Nam haec ipsa affectatio est contra conscientiam. [28a]) Ut si quis nolit cognoscere Evangelium, aut nolit intelligere officium suum, aut alioqui [29]) negligenter faciat. Ideo Paulus dicit [1. Cor. 9, 16.]: Vae mihi, si non evangelizem. Talia et nunc sunt multorum peccata, qui negligunt audire et cognoscere Evangelium, cum sciant mandatum Dei [30]) esse [Matth. 17, 5.]: Hunc audite. Talis [31]) erat et Iudaeorum ignorantia, qui Christum persequebantur. De qua Christus loquitur [Ioh. 9, 41.]: Si caeci essetis, peccatum non haberetis, nunc dicitis vos videre etc. Sic et [32]) peccata mortalia sunt gentium idololatriae etc. Sed dixi principio de peccatis illorum, qui prorsus sunt sine notitia Christi. In talibus enim et ipse morbus naturae et omnes vitiosi affectus sunt peccata mortalia.

DE PRAEDESTINATIONE.

Neque ex ratione neque ex lege, sed ex Evangelio iudicandum est de praedestinatione. Deinde non alia caussa praedestinationis quam iustificationis quaerenda est. Haec si quis constituerit initio, facile se ex multis quaestionibus explicabit. Nam si tantum ex Evangelio iudicandum est et [33]) si praedestinatio cum iustificatione conferenda est, una et simplex via erit. Sicut cum de iustificatione quaerimus, ordimur a verbo; ita cum de praedestinatione quaerimus, ordiendum est a verbo seu

---

25) facit] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: agit.

26) ait *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

27) et] Editt. 12. 13. ut

28) quo] hoc in Editt. 1. 4. 9. *omissum addunt* Editt. 2. 6—8. 11 — 14. et Opp.: Ed. 5. exhibet: in quo (= Vulgat.).

28a) affectatio est contra conscientiam] Ed. 11. affectatio coram conscientiam *(typ. err., ex quo confecerunt Basileenses in Opp.:* affectatio reprehendit coram Deo conscientiam.).

29) alioqui] Ed. 11. alio *(typ. err., ex quo Bas. in Opp.:* aliquid).

30) Dei *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

31) Talis] sic Editt. 1. 4. 5. 8. 9. 11—14. et Opp.; Editt. 2. 6. 7. err. typ.: Tales

32) et *addunt* Editt. 7. 8. 11—14 et Opp.

33) et *addunt* Editt. 7. 8. 11.—14. et Opp.

Evangelio. Porro et singulorum tentationes de electione et scriptorum eadem de re disputationes partim a ratione oriuntur sine verbo Dei, partim a lege. Homines imaginantur caussam electionis esse nostram dignitatem seu merita, quia ita iudicant ratio et lex. Ideo in hanc sententiam fere delabuntur [34]) Scholastici doctores recentiores omnes, quia tantum docent iustitiam legis. Sed nos meminerimus ad Evangelium respiciendum esse.

Duo autem sunt consideranda in promissione Evangelii, videlicet: quod et gratis promittit iustitiam, et quod promissio est universalis. Nam haec duo exercent humanos animos. Disputamus alias de dignitate, nos ideo non esse electos, quia simus indigni. Alias disputamus de particularitate: Etiamsi digni essemus, tamen Deum suos quosdam elegisse, quibus fuerit aequior. Ideoque negamus nobis sperandam esse salutem, quia fortasse non sumus [35]) in eo numero. Utraque imaginatio repudianda est, et magnopere prodest adversus eas diligenter munire pias mentes. Ideo neque dignitatem nostram respicere debemus, neque ex universali promissione particularem efficere; sed singuli nos in illam universalem includamus. Cum igitur de electione angimur aut disputamus, non ordiamur a nostris supputationibus vel a lege, sed a promissione Evangelii. Si quis extra Evangelium caussam quaerit electionis, is non potest non errare. Ideo non sinamus nos ab Evangelio avelli, ac caeteras supputationes procul reiiciamus.

Cum igitur promissio sit gratuita, recte statuitur, [36]) misericordiam esse caussam electionis. Deinde cum promissio sit universalis: Si quis ex universali particularem velit efficere, is reddet simpliciter incertam promissionem et tollet fidem. Iam cum statuendum sit promissionem vere universalem esse, quod ad voluntatem Dei attinet; sicut a posteriore in iustificatione dicimus aliquam in accipiente caussam esse, videlicet non dignitatem, sed quia promissionem apprehendit, cum qua Spiritus sanctus est efficax, quemadmodum Paulus inquit [Rom 10, 17.]: Fides ex auditu est; ita et de electione a posteriore iudicemus, videlicet[37]) haud dubie electos esse eos, qui misericordiam fide apprehendunt, nec abiiciunt eam fiduciam ad extremum. Haec omnia ex hoc fonte oriuntur, quod de voluntate Dei non est iudicandum extra verbum et sine verbo; quod certe faciunt illi, qui quaerunt caussam electionis aut tollunt caussam electionis, [38]) et interim non deducunt conscientias ad promissionem Evangelii.

Nec moror etiam si quis hic alia quaedam obscuriora velit quaerere; quae etiamsi quid habent veri, tamen inutilia et perplexa sunt, et tantum perturbant conscientias, et abducunt eas a conspectu Evangelii. Nec vero ulla tentatio pertinacius urget animos ac magis adversatur fidei, quam imaginatio illa, quae efficit promissionem particularem. Ideo medendum est imbecillitati animorum nostrorum, non est confirmanda diffidentia. Colligat igitur sibi quisque testimonia, quae ostendunt promissionem esse universalem. Quales sunt hae sententiae. Roman. 3 [vs. 22.] Iustitia Dei per fidem Iesu Christi, quae est in omnes et super omnes. Iohannis 3. [vs. 15.] Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Rom. 10. [vs. 12.] Idem Dominus omnium dives in omnes, qui invocant eum etc. Huiusmodi sententiae suavissimam consolationem adferunt, praesertim cum etiam alteram particulam nobis proponimus, videlicet, quod sit gratuitum beneficium. Huc pertinent etiam hae sententiae [1. Tim. 2, 4.] Deus vult omnes homines salvos facere; item [Rom, 2, 11]: Apud Deum non est *προςωποληψία.* Haec sunt consideranda, ne confirmemus naturalem diffidentiam et Deo tribuamus *προςωποληψίαν.* Praeterea et hoc animadvertendum est: malum ex nobis esse, quare cavendum est, ne volentes indulgeamus naturali diffidentiae ac repugnemus promissioni, aut discedentes a promissione interea quaeramus alias electionis caussas sine verbo Dei. Ideoque et Augustinus quamlibet durus est, tamen de praedestinatione et gratia sic scripsit: Eos, qui vocationis munus congrua pietate susceperint, et, quantum in homine est, Dei in se bona servantes, adiuvant [39]) etc. Quare etiam si quid in hac caussa alii subtilius disputant, mihi tamen satis est colligere ea, quae certum est prodesse conscientiis. Certe enim debet conscientia in praesenti certamine revocari ad promissionem, et hoc praecipue considerare, quod promissio et gratuita et universalis est.

Neque haec, quae dixi, adversantur verbis Christi [Ioh. 6, 44.]: Nemo venit ad me, nisi quem Pater traxerit. Nos enim a verbo ordiri debemus. Itaque cum verbum apprehendimus, simul Deus est efficax per verbum. Iuxta illud [Rom. 1, 16.]: Evangelium est potentia Dei [40]) ad salutem omni

34) delabuntur Editt. 12. 13. typoth. errrore: dalabuntur

35) sumus] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: simus

36) statuitur,] Editt. 8. 11—13. et Opp.: statuimus,

37) videlicet *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

38) aut tollunt causam electionis, *addunt* Editt. 7. 8. 11 — 14. et Opp.

39) adiuvant] sic Editt. 7. 8. 11 — 14. et Opp.; Editt. 1. 2. 4—6. 9. typ. errore: adiuvat

40) Dei *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

credenti etc. Et Pauli dictum [Rom. 9, 16.]: Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis, non efficit promissionem particularem, sed docet misericordiam caussam esse electionis; id quod et supra diximus. Ac tota illa concio Pauli de electione instituta est, non ad perturbandas mentes, sed ad consolandas. Et quidem necessariam consolationem proponit, detrahit iustitiae legis meritum ac dignitatem; ideo ait: Non est volentis neque currentis etc.[41]) Quid autem optabilius est, quam electionem non ex dignitate nostrae iustitiae, sed ex misericordia pendere, ut sit rata. Deinde fuit et haec consolatio necessaria, dicere de effectu electionis, quod videlicet sit aliqua certa electorum Ecclesia, quae verbo Dei credit; ne decepti illam multitudinem putemus esse Ecclesiam Dei, quae propter iustitiam legis arrogat sibi titulum et interim persequitur Evangelium. Hoc agit Paulus [Rom. 9.], ut detrahat Iudaeis titulum Ecclesiae, quem sibi propter iustitiam legis arrogabant. Ideo opponit aliam electorum ecclesiam; et interim dicit alteram indurari, loquens videlicet de poena persecutionis. Ad Eph. 1. [vs. 4.] inquit: Elegit nos in Christo; ut admoneat electionis caussam esse non dignitatem nostram, sed Christum, ne, remoto Christo ac Evangelio, de electione cogitemus, sed caussam electionis in Christi beneficio ac promissione quaeramus. Item, Rom. 8. [vs. 30.] Quos praedestinavit, eosdem et vocavit, quos vocavit, eosdem et iustificavit, etc.[42]) Hic consolatur sanctos, ut sciant aliquam certam esse electorum Ecclesiam, ut[43]) sciant Evangelium futurum esse efficax etc. Deinde adiungit vocationem, ut ostendat rem geri per verbum, et vocationem pertinere ad electionem. Haec satis sit de praedestinatione breviter monuisse. De caussa mali, item de contingentia supra dictum est.

DE DISCRIMINE VETERIS ET NOVI TESTAMENTI.

Supra[44]) diximus de lege et Evangelio. Etiamsi Lex Moysi ad certum populum ac tempus certum pertinuit, tamen legem naturae omnium esse gentium communem, et ad omnes aetates pertinere; ideoque in natura scripta est. Rursus Evangelium, hoc est, promissio reconciliationis propter Christum, etiam ad omnes aetates pertinet; etsi haec quidem non est naturalis notitia, sed ab initio revelata est promissio patribus. Nunc si vetus testamentum proprie vocamus legem Moysi, hoc est, totam politiam Moysi, facile est discernere vetus Testamentum a novo. Vetus Testamentum, hoc est, lex Moysi, continebat legem et promissiones de politia populi Israel. Significat enim Testamentum seu pacta seu promissiones seu ordinationem. Et leges illae Mosaicae hoc fine traditae sunt, non quia populus propter eas esset iustus coram Deo, sed ut discernerent Israelitas a reliquis gentibus, usque ad praedicationem Christi. Voluit enim Deus segregare hunc populum a caeteris gentibus, ut certus aliquis populus esset, in quo nasceretur Christus, et in quo conservarentur promissiones, et extarent certa testimonia de verbo Dei. Ideo tantis miraculis populus eductus est ex Aegypto, et subinde nova miracula extiterunt in eo populo, videlicet, ut certum extaret testimonium, quod iste populus haberet verbum Dei et promissionem de salute humani generis. Quanquam igitur Israelitae non merebantur remissionem peccatorum et iustificationem, id est, reconciliationem coram Deo propter has leges, tamen Deus subiecit eos istis legibus, quae erant observandae velut disciplina quaedam, qua coherceretur caro etc. Sicut inquit Paulus [Gal. 3, 24.]: Lex est paedagogus. Et tamen interim ceremoniae illae erant etiam piis typi et signa venturi Christi. Consequebantur autem Israelitae remissionem peccatorum et iustificabantur coram Deo, non illis observationibus legis, sed fiducia misericordiae Dei promissae, propter venturum Christum; sicut et sancti in novo Testamento; nec fuit ullum discrimen, quod ad remissionem peccatorum et reconciliationem attinet; quia utrique fide Christi iustificantur, non lege.

Haec copiose disputantur in Galatis et epistola ad Hebraeos. Detrahit enim Paulus legi iustificationem et transfert in Christum. Iam cogitemus, quantum offenderit Iudaeos ea doctrina, qui de lege contrariam persuasionem habebant, scilicet, quod propter suos cultus et opera legis consequerentur remissionem peccatorum et iustificationem coram Deo. Et hac fiducia suae iustitiae et cultuum cumulabant sacrificia. Sicut et in Ecclesia multi senserunt, Missam et caeteras ordinationes ecclesiasticas mereri remissionem peccatorum et iustificationem; et hac opinione ordinationes ipsas cumularunt. Et quidem ad defensionem suarum traditionum allegant exemplum legis Mosaicae. Decipit enim eos *κακοζηλία* legis, quam non recte detorquent ad iustificationem, nec[45]) recte accommodant ad nostra opera. Sicut igitur nunc fremunt impii, quando iustificatio detrahitur Missae et cae-

---

41) etc. *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

42) etc. *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

43) ut *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

44) Vide supra p. 388 sqq. et 413 sqq.

45) nec] Ed. 11. non

teris ordinationibus ecclesiasticis; ita Iudaei prophetis et Apostolis irascebantur, quando docebant homines non pronuntiari iustos propter ceremonias et caetera legis opera. Atque haec collatio pharisaicarum opinionum utilis est, ut consideremus fontes, unde in Ecclesia ortae sint falsae persuasiones de ecclesiasticis ritibus. Deinde ut nos consolemur exemplo Prophetarum et Apostolorum, qui in simili caussa versamur et periclitamur.

Sed hic quaerat aliquis: An sacrificia pro peccatis non merebantur remissionem peccatorum? Respondeo: Ad Hebraeos [9, 12.] clare scriptum est, non potuisse aboleri peccata sanguine taurorum et vitulorum etc. Deinde constat, corda non vivificari, non vinci mortem ullis externis ritibus. Ideo sacrificia illa non merebantur remissionem peccatorum coram Deo, sed merebantur remissionem civiliter, hoc est, coram illa Ecclesia, ut videlicet essent pars populi, seu ne a politia Moysi excluderentur. Caeterum piis et credentibus omnes illi cultus in lege, tamen erant iustitiae, hoc est, bona opera. Primum enim erant signa venturi Christi, quibus admoniti fidem suam exercebant et confirmabant. Sicut alludit David ad Christum, cum ait [Ps. 50, 9.]: Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor. Deinde erant signa confessionis, erant et sacrificia *εὐχαριστικὰ*, hoc est, opera, quibus Deo gratiae agebantur, quibus profitebantur se invocare illum Deum, qui eis hoc verbum dederat, et servabat eos etc. Et piis conscientiis solatio erat fidem suam exercere in talibus ordinationibus, quas sciebant Deo placere, cum essent ab ipso conditae. Sicut et nunc conscientiis prodest scire, quae opera Deus requirit [46]) etc. Nam traditiones humanae, cum sine mandato Dei excogitatae sint, quomodo possunt esse cultus, cum conscientia non possit affirmare, tales cultus Deo placere?

Novum Testamentum est promissio iustificationis et vitae aeternae, donandae propter Christum. Et cum haec promissio, hoc est, Evangelium de Christo ad omnes aetates pertineat, non sic intelligi Novum Testamentum debet, quasi non pertineat ad patres; sed dicitur Novum Testamentum, quia est novum et aliud pactum, quam legis pactum, alia promissio est. Lex enim habebat promissionem regni Israel; sed Evangelium habet [47]) promissionem rerum aeternarum, videlicet, abolendae mortis et renovandae humanae naturae, donandae novae iustitiae ac vitae aeternae propter Christum. Sic remittit peccata, ut simul corda vivificet et renovet Spiritu sancto. Quia igitur Novum Testamentum affert iustitiam et vitam aeternam, ideo requiruntur in Novo Testamento spirituales cultus animi. Sicut ait Christus [Ioh. 4, 23.]: Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate, hoc est, non externis observationibus, sed veris et spiritualibus motibus cordis, fide, spe, dilectione, patientia etc. Sic discernit Paulus Vetus et Novum Testamentum 2. Cor. 3. et Rom. 8. [vs. 15.] Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater. Et Hierem. 31. [vs. 31.] Ecce feriam novum foedus etc. Post dies illos dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam etc.

Hic cum remissione peccatorum pollicetur Spiritum sanctum, qui novam et veram Dei notitiam et novam obedientiam in cordibus effecturus sit. Ideo Rom. 14. [vs. 17.] inquit: Regnum Dei non est esca et potus, sed iustitia, pax et vita in Spiritu sancto. Et Philippenses 3. [48]) [vs. 20.] Nostrum *πολίτευμα* in coelis est. Quasi dicat: Evangelium non constituit mundanam politiam, sed est quaedam nova coelestis vita. Interim vero, dum in corpore vivimus, sinit nos uti moribus et legibus omnium gentium, sicut cibo et potu, et caeteris vitae necessariis ad vitam corporalem. Itaque Abraham, David et similes, quia fide placebant Deo, et habebant Spiritum sanctum, pertinebant ad Novum Testamentum; et tamen interim pro tempore et donec in corpore vivebant, utebantur suis ritibus et legibus. Ita nunc quoque populus Novi Testamenti sunt, non impii, sed qui fide placent Deo et habent Spiritum sanctum. Et hi dum vivunt in hoc corpore, moribus et legibus praesentibus uti debent. Illa altera eorum vita spiritualis nihil impedit, quo minus corpus utatur cibo, potu, politicis moribus et legibus. Praeterea quanquam Novum Testamentum praedicat Evangelium de iustitia et vita aeterna et de spiritualibus cultibus, tamen interim manet in mundo lex naturae et disciplina, qua reliqui, qui non pertinent ad Novum Testamentum, tum coherceri, tum assuefieri debent, ut doceri possint et ad agnitionem Christi adduci.

DE SPIRITU ET LITERA.

Hic locus ex superiori nascitur. Paulus enim Vetus et Novum Testamentum ita discernit 2. Cor. 3. [vss. 6 sqq.] ut vetus Testamentum vocet literam et administrationem mortis. Econtra Novum Testamentum seu Evangelium vocat administrationem spiritus et vitae. Significat autem Spiritus cum Spiritum sanctum tum motus spirituales, quos excitat in cordibus Spiritus sanctus. Sicut testa-

46) requirit] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: requirat

47) habet] Ed. 11. et Opp.: habebat

48) Philippenses 3.] Ed. 11. ad Philippenses tertio.

tur Paulus, 2. Cor. 3. [vs. 18.] Transformamur a claritate in claritatem a Domini spiritu. Litera vero significat omnes cogitationes et observationes, et, ut vocant, bonas intentiones, seu conatus rationis sine Spiritu sancto, hoc est, sine vero timore et vera fiducia Christi. Opponitur enim Litera vivis et veris motibus cordis. Ideoque Litera dicitur, quia est quaedam doctrina seu imitatio, ad quam doctrina et disciplina assuefacti sumus.

Lex igitur est Litera, cum imitamur eam bonis intentionibus aut externis moribus sine Spiritu sancto, hoc est, sine timore et sine vera fiducia. Et quidem lex per sese ideo est administratio mortis, quia aut tantum disciplinam quandam efficit, quae non liberat a morte aeterna, aut cum vere accusat, occidit conscientias; quia non promittit remissionem peccatorum gratis, nec adfert Spiritum sanctum etc. Praeterea et Evangelium est Litera, cum non apprehenditur spiritu, hoc est, cum non vere timemus Deum,[49]) nec vere credimus Deo. Sed Evangelium tunc est administratio spiritus et vitae, cum fide apprehenditur remissio peccatorum et[50]) liberantur corda a terroribus, et concipiunt Spiritum sanctum, et novos motus legi Dei consentientes. Evangelium enim promittit remissionem peccatorum gratis et Spiritum sanctum et vitam aeternam.

Repudianda igitur est Origenis interpretatio, qui Literam intelligit historiam, seu ceremonias, seu grammaticum sensum. Spiritum vero intelligit allegoricam interpretationem. Imo allegoriae ipsae ceremoniarum et historiarum per sese nihil sunt nisi Litera, hoc est, doctrina. Et quod Paulus inquit [Rom. 7, 14.]: Lex est spiritualis, non debet intelligi, legem esse allegoricam, sed legem non esse tantum externam et politicam disciplinam, sed requirere motus spirituales, scilicet, verum timorem Dei, veram fiduciam, veram dilectionem etc. Itaque ceremoniae non impediebant, quo minus David et reliqui sancti legem spiritualiter facerent. Ceremoniae enim non excludunt Spiritum sanctum; imo sunt signa, quibus exerceri fides debet. Nec refert dissimilia esse signa; patres habebant sua signa, circumcisionem et alias ceremonias. Nos habemus signa nobis tradita. Spiritus sanctus autem idem est, et fiducia misericordiae in sanctis debet esse similis, etiamsi signa temporibus variant. Haec satis sit breviter admonuisse de vocabulis Literae ac Spiritus, ut sciamus, Literam non tantum pertinere ad tempus Mosaicae legis, sed ad omnium aetatum homines, qui disciplina regendi sunt. Rursus etiam Spiritum pertinere ad sanctos omnium aetatum, sicut et supra de lege et de Evangelio diximus. Sciendum est enim, etsi Litera, hoc est, assuefactio et imitatio decalogi, quam efficit humana ratio, non iustificat coram Deo, tamen hanc disciplinam necessariam esse, ut saepe supra dictum est.

49) Deum, *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

50) et *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

DE LIBERTATE CHRISTIANA.

Hic locus cognatus est superioribus, et discrimen Veteris ac Novi Testamenti illustrat. Est autem pernecessaria cognitio libertatis Christianae; quia ostendit, in quibus rebus proprie sit Christiana iustitia; quid sit[51]) sentiendum de ceremoniis, de quibus omnibus aetatibus exstiterunt infinitae dissensiones. Ostendit item dignitatem rerum politicarum. Necesse est autem de tantis rebus extare in Ecclesia firmam doctrinam. Porro docendi caussa quatuor gradus libertatis Christianae constituemus.[52])

Primus gradus libertatis Christianae est, quod non propter legem, sed gratis propter Christum donantur remissio peccatorum et imputatio iustitiae. Atque hic est praecipuus gradus; estque libertas spiritualis prorsus nihil ad exteriorem seu civilem vitam pertinens, sed tantum pertinet ad certamen conscientiae in iudicio Dei, in quo opus est hac consolatione. De hoc gradu loquitur Christus, cum inquit [Ioh. 8, 36.]: Si vos Filius liberavit, vere[53]) liberi eritis.

Secundus gradus est donatio Spiritus sancti, quo credentes vivificantur et reguntur ac defenduntur adversus saevitiam diaboli. Pertinet autem hic gradus ad superiorem, nec ab eo divelli debet; sed docendi caussa discerno, ut in tali enumeratione magis conspici varietas beneficiorum Christi possit, et discamus uti utroque beneficio. In pavoribus conscientiae primus gradus intuendus est; in aliis vitae periculis secundus gradus admoneat nos, ut nos erigamus et petamus regi et defendi Spiritu sancto. Et de hoc secundo gradu loquitur Paulus 2. Cor. 3. [vs. 17.] Ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Item, Christus apud Iohan.[54]) [14, 18.] Non relinquam vos orphanos.

Sed hoc loco plurimum refert hoc moneri de primo gradu: quomodo intelligi libertas debeat seu legis abrogatio. Primum enim sciendum est, libertatem seu abrogationem legis, de qua in his duobus gradibus loquimur, prorsus nihil pertinere

51) sit *excidit* in Ed. 11. et Opp.

52) constituemus.] Editt. 8. 11—13. et Opp.: constituimus.

53) vere] sic Editt. 1. 4. 5. 7—9. 11—14. et Opp.; Editt. 2. 6. veri

54) Christus apud Iohan. *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

ad eos, qui non agunt poenitentiam, hi enim sunt sub lege, hoc est, accusantur et damnantur lege morali; sed tantum ad illos pertinere, qui fide apprehendunt beneficium Christi. Et de his tenendum est hoc discrimen: Esse liberum a lege, non esse liberum ab obedientia legis moralis, sed a maledictione legis; hoc est: Etsi legi non satisfacimus, tamen iam propter aliud, videlicet propter Christum, habemus remissionem peccatorum et imputationem iustitiae, perinde ac si legi satisfaceremus. In hanc sententiam ait Paulus [Rom. 6, 17.]: Non estis sub lege, sed sub gratia; hoc est, certo [55]) iam placetis Deo per gratiam, hoc est, per misericordiam, non propter legis impletionem. Nemo enim legi satisfacit. Item ad Gal. [3, 13.] Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, hoc est: Quia nemo legi satisfacit, ideo lex antea accusabat et condemnabat omnes; nunc non accusat, non condemnat illos, qui per Christum reconciliati sunt. Hoc igitur beneficium est libertatis, quod conscientiae possunt habere firmam consolationem, cum intelligunt gratis donari remissionem peccatorum; item placere iustos per misericordiam, etiamsi in eis adhuc haereant reliquiae peccati, nec legi satisfaciant. Sic igitur tota lex abrogata est, ut a maledicto totius legis liberati simus, et alia res proposita sit ad quaerendam iustificationem, ut iustificatio certa sit. Sed tamen manet lex moralis, quod ad obedientiam attinet, quia certe Evangelium subiicit nos obedientiae erga Deum. Et quomodo haec obedientia placeat, saepe iam dictum est. Quare autem necesse sit retinere legem moralem, quod ad obedientiam attinet, et econtra liceat omittere ceremonias et iudicialia Moysi, paulo post dicam.

Augustinus plerumque sic tractat. Iusti sunt liberi a lege, quia accepto Spiritu sancto ultro [56]) faciunt ea, quae lex praecipit. Haec sententia videtur tantum de secundo gradu libertatis loqui, non dicit clare de primo gradu, de quo maxime refert doceri conscientias; scilicet, quod haec sit libertas, gratis donari remissionem peccatorum, et iustos placere Deo, [57]) tametsi legi non satisfaciant. Deinde meo iudicio satis commodum est, de obedientia loqui *νομικῶς*, quod maneat lex quod ad obedientiam attinet.

Sic accipiatur et haec sententia Pauli [1. Tim. 1, 8.]: Bona est lex, si quis legitime utitur, sciens quod iusto non ponitur lex, sed iniusto, [58]) hoc est: Omnia legis officia [59]) pertinent ad iniustos. Lex accusat et condemnat iniustos. Item: Lege sunt cohercendi iniusti. Sed iusti sunt liberi a lege, hoc est, non accusantur neque condemnantur lege; sunt enim propter aliud iusti, id est, accepti. Deinde cum sint iusti, iam faciunt legem, et cohercentur, nec opus est novis vinculis conscientiam onerare. Sicut in ecclesia et apud monachos accidit, ubi subinde novis vinculis oneratae sunt conscientiae, et nullus finis fuit exasperandae legis. Allegabatur autoritas Gregorii: Bonae mentis est timere culpam, ubi non est culpa. Et interim tamen non docebantur homines, ut scirent se fide iustos esse, sed relinquebantur ambiguae et desperabundae conscientiae. Istam carnificinam conscientiarum voluit prohibere Paulus, cum ait [1. Tim. 1, 9.]: Iusto non ponitur lex, quia scilicet lex non accusat neque condemnat iustos; nec iustus, cum iam faciat legem, onerandus est novis legum vinculis etc.

Tertius gradus libertatis est, quod Evangelium liberat nos a ceremoniis et iudicialibus legibus, ut vocant, Moysi. Hic gradus aliquo modo ad exteriorem vitam pertinet, sed habet caussam in superioribus. Ideo enim Evangelium non requirit Leviticas ceremonias, quia docet nos gratis consequi remissionem peccatorum, et iustos pronuntiari per misericordiam propter Christum, non propter ullos cultus aut nostra opera. Et haec caussa est, quare Paulus [Rom. 3. Gal. 2.] tam vehementer contendat, ne ceremoniae Leviticae existimarentur esse necessariae, ne obscuraretur Evangelium de fide, hoc est, ne beneficium Christi transferretur in Leviticos cultus aut similes etc. Haec est magna et digna caussa, quare de libertate, de abrogatione legis tam vehementer contendat, ut videlicet retineri possit firma consolatio conscientiarum, quae docet gratis remitti peccata etc. Praeterea de iudicialibus Moysi sciendum est, ideo ea non requiri in Evangelio, quia Evangelium docet de quadam aeterna iustitia et spirituali, et interim concedit nobis in hac vita corporali uti legibus omnium politiarum, in quibus vivimus; sicut concedit omnium gentium architectonica aut medicina uti, aut spatiis dierum ac noctium. Et de hoc gradu Libertatis homines moneri necesse est, quia vidimus aliquoties magnos tumultus ortos esse ab iis, qui ignari huius libertatis conabantur legem Moysi in forum revocare.

Sed quaerat aliquis: Cum Evangelium abroget legem Moysi, an abrogatio de tota lege intelligi debeat? praesertim cum decalogus sit pars legis difficillima; imo reliquae partes, videlicet ceremoniae ac forenses leges, verius iucunda spectacula sunt

55) certo] Ed. 11. certe

56) ultro] Ed. 11. ultra

57) Deo *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

58) iniusto,] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: iniustis,

59) Omnia legis officia] Editt. 8. 11—13. et Opp.: Haec officia legis

quam onera. Ad hoc respondeo: Abrogatio legis principaliter intelligi debet de abrogatione iuris illius, quod Lex habebat, videlicet quod omnes homines accusabat et condemnabat. Sic igitur credenti tota lex abrogata est, decalogus et reliquae partes legis; quod videlicet alia res proposita est ad quaerendam remissionem peccatorum et iustificationem, quam lex; item, quod lex non condemnat credentes, etiamsi non satisfaciunt legi. Quod quomodo intelligi debeat, supra dictum est. Hoc modo praecipue intelligi debet libertas seu abrogatio de tota lege; quia satis constat, ne quidem a sanctis opera decalogi perfecte fieri; sunt enim in sanctis reliquiae peccati etc. [60]) Liberat igitur Evangelium conscientiam[61]) illo horribili onere, videlicet terroribus et morte, quam decalogus incutit. Nam cum Paulus ait [Gal. 3, 9 sqq.], nos a maledictione legis liberari, certe de tota lege loquitur, ac praecipue de decalogo, qui magis accusat et maledicit, quam caeterae partes legis.

Sed dicet aliquis: Si tota lex est abrogata, quare licet omitti ceremonias et iudicialia, non licet autem omitti opera decalogi? Respondeo: Ceremoniae et iudicialia Moysi sunt externae et corporales ordinationes certae gentis, et ad tempus traditae, ac desiturae post Evangelii revelationem, ut in Epistola ad Hebraeos scribitur. Evangelium autem cum de vita spirituali et aeterna concionetur, non requirit illas externas ordinationes Mosaicas, quia ad vitam corporalem pertinent. Et tamen quia adfert novam et spiritualem vitam, requirit obedientiam erga Deum, praedicat poenitentiam, et damnat vitiosam naturam, reprimit concupiscentiam; ideo requirit spiritualia opera, quae in decalogo docentur. Manet enim in natura hominis notitia naturalis decalogi, seu legum moralium, quae docent nos de hac obedientia. Quare stultum fuerit sic intelligere abrogationem decalogi, quasi omitti posset sicut ceremoniae, cum in mentibus nostris scriptus sit. Caeterum quatenus nos condemnat, opponi debet iudicio naturali Evangelium de abrogatione maledicti, de qua supra diximus.

Hactenus adhuc de vita spirituali diximus. Sed de exteriore et corporali vita sciendum est, quod, quanquam Evangelium non requirit Mosaicam politiam, tamen sicut non abolet Arithmeticam aut eloquentiam, ita nec ius naturae, hoc est, naturale iudicium de moribus et civili vita abolet. Non enim corrumpit naturam, sed potius sanat ac[62]) restituit. Retinet igitur ius naturae, hoc est, ordinationes honestas de coniugio,[63]) distinctiones dominiorum, magistratus, iudicia. Naturam enim tolleret, si hoc naturale iudicium deleret. Atque hinc potest existimari, quam stulte iudicent ii,[64]) qui somniant in Evangelio praecipi quandam Platonicam rerum communionem aut monasticam abdicationem proprietatis. Evangelium enim non constituit novam corporalem politiam, sed in hac exteriori vita vult nos uti iudicio naturali, et subiicit nos praesentibus magistratibus, et quidem iubet parere propter conscientiam. Atque hic exaggeranda est autoritas legum naturae et magistratuum. Primum ne libertatem nobis sumamus ad detrectandam obedientiam debitam aut ad labefactandam publicam disciplinam: sicut quidam praetextu huius libertatis omnes honestos mores contemnunt, non servant leges de gradibus cognationis, cum tamen ratio naturalis prohibeat coniugia cognatorum in propioribus gradibus. Deinde ne superstitione quadam nos alligemus ad Mosaicam politiam. Christianus iudex debet haereditates dividere, res iudicare iuxta leges suae gentis, quia singuli debent suis magistratibus parere. Non igitur debet ordinem iudiciorum aut poenas constitutas a magistratibus mutare. Quare licet furtum punire[65]) usitatis poenis, etiamsi lex Moysi aliter punit. Ita de decimis et aliis pensionibus et contractibus non tenemur autoritate legis Mosaicae, sed obtemperare debemus praesentibus legibus et ordinariis magistratibus.

Prodest igitur recte intelligere hunc gradum libertatis, non solum ad pacem publicam, sed etiam ad conscientias confirmandas; quia docet [1. Petr. 2, 13 sqq.] pia et sancta opera esse, parere praesentibus legibus, quanquam sint ab ethnicis latae sicut Ioseph, Daniel [Gen. 41. Dan. 6.] et similes, cum administrarent respublicas ethnicorum legibus, tamen pia et sancta opera faciebant. Habemus enim iam mandatum Dei, ut praesentium magistratuum legibus in hac civili vita obtemperemus. Imo Evangelium contumelia afficiunt, qui fingunt Evangelium novam quandam doctrinam esse de mutandis politicis rebus, foro, haereditatibus, iudiciis et similibus rebus.

Quartus gradus docet, quid sit sentiendum de Ecclesiasticis ceremoniis, quas Episcopi aut alii homines instituerunt. De his necesse est erudiri conscientias; multa enim pericula afferunt traditiones, nisi haec libertas intelligatur, quae postea recitabimus. Est autem haec summa huius gradus. Cum in hac vita corporali opus sit certis ritibus, locis ac temporibus, permittit Evangelium in Ecclesia fieri tales

60) etc. *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

61) conscientiam] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: conscientias

62) ac] sic Editt. 1. 4. 5. 9.; Editt. 2. 6—8. 11—14. et Opp.: et

63) coniugio] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: coniugiis

64) ii,] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: hi,

65) punire] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: puniri

ordinationes hoc fine, ut omnia in Ecclesia ordine et sine tumultu gerantur. Ideo certi dies constituuntur, ut sciat populus, quando convenire debeat, certae lectiones instituuntur, ut in scholis, ut commodius doceantur homines. Hi fines sunt corporales; habetur enim ratio tranquillitatis et commoditatis. Eatenus concedit Evangelium fieri ordinationes: quia Paulus dicit [1. Cor. 14, 40.]: Omnia fiant in Ecclesia decenter et ordine. Sed praeterea duo docet Evangelium de traditionibus. Primum vetat sentire, quod traditiones ullae, ab hominibus conditae, sint cultus aut pretia, quae mereantur remissionem peccatorum aut iustificationem; sicut Christus testatur [Matth. 15, 9.]: Frustra colunt me mandatis hominum. Deinde docet etiam, non esse peccatum omittere traditiones extra casum scandali; ita detrahit eis opinionem iustificationis et necessitatis. Testimonia extant apud Paulum. Ut ad Coloss. [2, 16.] Nemo vos iudicet in cibo, potu, parte diei etc.[66]) Loquitur enim et de Leviticis legibus et de humanis traditionibus. Et quod inquit: Nemo vos iudicet, significat: Nemo vos condemnet propter neglectos eiusmodi[67]) ritus. Et ad Gal. [5, 1.] In libertate, qua Christus vos vocavit,[68]) state, et[69]) ne iterum iugo servitutis subiiciamini.

Ut autem intelligi possit, quare sit opus hac doctrina de libertate, recitabimus, quid sequatur incommodi, si haec doctrina de libertate non extet in Ecclesia. Primum obscuratur iustitia fidei, cum transfertur beneficium Christi in traditiones; hoc est, cum homines putant se mereri remissionem peccatorum, et se iustos pronuntiari, propter tales observationes: aut cum sentiunt fidem inutilem esse sine talibus observationibus. Ex qua persuasione ruunt conscientiae in desperationem, et amittunt veram fidei et Christi notitiam. Secundo: Fingunt inerudíti cultus et perfectionem esse, tales externas observationes, ieiunia et similes res, cum econtra cultus et Christiana perfectio sint timor, fides, dilectio et opera vocationis etc. Tertio: Scinditur Ecclesiarum concordia: nam cum hi ritus putantur esse necessarii, existunt contentiones, cum suos ritus quaelibet Ecclesia pertinaciter defendit; ut accidit de Paschate. Quarto: Consulendum est et piis conscientiis, quae si putabunt[70]) hos ritus necessarios esse, nunquam acquiescent. Quis enim unquam observavit omnes traditiones? Ideoque Gerson olim, ut mederetur piis conscientiis, quaesivit ἐπιείκειαν talium traditionum. Et qualis carnificina conscientiarum fuerit, testatur ingens moles Summarum, quae colligunt et interpretantur traditiones. Et his disputationibus ita fuit oppressa Ecclesia, ut interim paucissimis vocaverit attingere scripturam aut meliora discere. Hinc igitur intelligi potest, Ecclesiae necessariam esse hanc doctrinam de libertate, ut haec pericula et incommoda caveri queant.

Paulus [1. Tim. 4, 1.] vocat traditiones humanas, de cibis, coelibatu et similibus rebus,[71]) doctrinas daemoniorum, quare significat eas plurimum habere periculi. Videndum est igitur, ut illa pericula intelligantur. Iam cum haec vita corporalis non possit in totum carere traditionibus, prudentia adhibenda est, quatenus probandae, et quatenus repudiandae sint, tanquam doctrinae daemoniorum. Tunc enim sunt doctrinae daemoniorum, cum proponuntur tanquam cultus et pretia, quae mereantur remissionem peccatorum, aut cum fiunt carnificina conscientiarum, quasi sint res necessariae ad iustitiam, aut quasi sine eis fides sit inutilis, aut cum finguntur esse perfectio Christiana. Cum hae opiniones affinguntur traditionibus, tunc sunt doctrinae daemoniorum, etiamsi alioqui de rebus mediis loquuntur. Sunt item doctrinae daemoniorum, cum praecipiunt ea, quae sine peccato non possunt observari; qualis est Lex de coelibatu etc. Cum igitur tantum habeant periculi traditiones, necesse est in Ecclesia extare doctrinam de hoc gradu libertatis, ut recte iudicari de traditionibus possit; quandoquidem opus est aliquibus traditionibus, ut dictum est, propter tranquillitatem externam.

Quaesiverunt autem et alii earum ἐπιεικείας. Sed haec doctrina Pauli est commodissima interpretatio, quae docet traditiones habendas esse non pro cultibus, sed pro rebus externis et ἀδιαφόροις, et sentiendum esse, quod sine peccato omitti possint, extra casum scandali. Haec doctrina simul et retinet fidei iustitiam, et liberat conscientias a periculis, et tamen non dissolvit εὐταξίαν, quia docet aliquas traditiones in publica consuetudine Ecclesiae servandas esse eatenus, ut scandala caveantur. Sic Ecclesia habet aliquas ferias; non quod observatio feriarum necessaria sit Iudaico more, sed quia est opus certis temporibus ad docendum. Et haec ordinatio observanda est cum intellectu libertatis Christianae. Sed illi peccant, qui vel propter contemptum religionis aut doctrinae non observant ferias, vel exemplo suo nocent aliis. Sciendа est enim libertas, sed in usu prudentia adhibenda est, ne cui simus scandalo.

Gerson et alii hac ratione usi sunt: ideo posse traditiones omitti, quia Episcopi non habeant ius

66) etc.] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: festi.

67) eiusmodi *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

68) vocavit,] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: liberavit,

69) et *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

70) putabunt] Ed. 11. putabant

71) rebus *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

onerandi Ecclesiam traditionibus. Sed contra hanc rationem opponitur mandatum de obedientia: quod obedientia sit necessaria, etiamsi potestas abutitur suo iure. Item [Matth. 23, 2.]: Super cathedram Moysi sedent scribae et Pharisaei, quaecunque dixerint etc. Haec cum dicendo exaggerantur, et augetur obedientiae necessitas, profecto perterrefit conscientia. Ideo necesse est quaerere firmam aliquam rationem, quae satis muniat conscientias, ne falsa persuasione de traditionibus opprimantur.

Itaque diluendum est argumentum, quod in hac caussa praecipue obiici potest.

> Potestati necessario est obediendum,
> Potestas Ecclesiastica condidit traditiones,
> Ergo: Traditiones necessario observandae sunt.

Respondendum est ad Maiorem, quae non est vera. Cum potestas praecipit, ut impia faciamus aut sentiamus, tunc enim regula tuenda est [Act. 5, 29.]: Oportet Deo magis obedire quam hominibus. Porro traditiones etiamsi de rebus adiaphoris loquantur,[72] tamen fiunt impiae et doctrinae daemoniorum, quando cum his opinionibus proponuntur, quod sint cultus, qui mereantur remissionem peccatorum, aut sint res necessariae ad iustitiam Christianam. Haec ratio praecipue habenda est in conspectu, ut Christi gloria opponatur illis amplificationibus de obedientia. Nam cum ita proponuntur traditiones, obscuratur gloria Christi. Transferunt enim beneficium Christi in traditiones. Plerumque autem Hypocritae ita defendunt traditiones; quare necesse est dissentire et adversari praecipue docendo. Paulus etiam exemplo interdum adversus praefractos Hyprocitas libertatem declaravit. Christus etiam excusat Apostolos violantes traditionem Pharisaicam Matth. 15. [vs. 2 sqq.].

Haec prima solutio maxime perspicua et plana est. Sed tenenda est et altera. Maior vera est de obedientia, qualem requirit Evangelium. Evangelium autem vult in traditionibus relinqui hanc libertatem conscientiis. In his, quae sunt iuris divini, conscientia debet necessario obedire pastoribus; in traditionibus debet eatenus obedire, ut scandala caveat, interim conscientia libera est, et sentire debet harum rerum libertatem non posse ulla humana autoritate mutari aut aboleri. Iuxta illud Pauli [Col. 2, 16.]: Nemo vos arguat in cibo, potu etc. Item [Gal. 5, 1.]: In ea libertate, qua Christus vos vocavit,[73] state et nolite iterum iugo servitutis subiici. Quare etiam cum servamus traditiones humanas, tamen non est addenda opinio necessitatis, sed servandae sunt sicut usitata forma vestitus. Hae duae solutiones diligenter considerandae sunt; sunt enim ex ipsis fontibus negotii sumptae, et conscientiam perspicue docent, quid de traditionibus sentiendum sit. Ac prior solutio detrahit traditionibus honorem iustificationis, posterior opinionem necessitatis. Haec scire conscientiis prodest, et tamen meminerimus εὐταξίαν esse servandam, in qua opus est ceremoniis, certis locis ac temporibus. Hanc εὐταξίαν dissipare barbaries quaedam est aliena ab humanitate. Dixi de traditionibus et hoc quarto gradu libertatis. Dicemus etiam infra, reverenter sentiendum esse de canonicis ordinationibus et potestate Ecclesiastica, propter sanctissimum ministerium.

Ceterum de ceremoniis a Christo institutis, hoc est, de sacramentis sciendum est, quod observari debeant,[74]) quia habent mandata Dei. [75]) Et tamen libertas Evangelica docet, quod ceremoniis non iustificemur sine fide, item quod necessitas excuset nos, si impediamur, quo minus uti ceremoniis illis possimus, ut si in aliquo casu non posset alicui contingere baptismus. Is si vere crederet in Christum, tamen sine ceremonia salvus fieret, sicut inquit Christus [Matth. 12, 8.], Dominus est filius hominis etiam sabbati. Item, In Christo consummati estis. Nec maius est vinculum ceremoniarum in Evangelio, quam in lege Moysi erat. David autem [1. Sam. 21, 3 sqq.] sacris panibus in casu necessitatis usus est. Etsi enim sciebat observandas esse ceremonias tanquam externam disciplinam, tamen sciebat se propter aliud quiddam iustum esse, et hanc externam observationem in casu necessitatis admittere aliquam dispensationem. Hanc habent excusationem pii in exteris nationibus, ubi non possunt habere qui porrigant eis integrum Sacramentum [75]).

---

72) loquantur,] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: loquuntur,

73) vocavit,] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: liberavit, (conf. supra p. 463 nota 68.)

74) quod observari debeant,] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: necesse sit eas observare,

75) *Pro seqq.*: Et tamen libertas — — — integrum Sacramentum Editt. 7. 8. 11—14. et Opp. *habent*: Nec sunt exaequandae traditiones humanae, et ceremoniae divinitus institutae. Nec habent homines potestatem abrogandi aut mutandi institutionem divinam. Sed interim docendi sunt etiam homines, quod ceremoniis non iustificemur sine fide. Nam cum ait Christus [Ioh. 4, 23.]: Veri adoratores adorabunt [Editt. 12. 13. adorabant] Patrem in spiritu et veritate, improbat Hypocriticam opinionem, quae fingit homines iustos esse coram Deo propter externos ritus, sine timore et fide in animis.

Editt. 7. 14. *praecedentibus addunt haecce*: Alia quaestio hic agitatur de casu impossibilitatis: An sit excusatus is, cui non potest contingere ceremonia, si tamen vere credat. Ego non patrocinor his, qui abolent aut mutant usum sacramentorum a Christo institutum, aut qui approbant ac defendunt tales abusus. Sed pius non difficulter potest iudicare, qui vere sit casus impossibilitatis, et quomodo David usus sit dispensatione in sacris panibus in casu necessitatis. Non est autem maius vinculum ceremoniarum in Evangelio, quam fuit Mosaicarum.

DE SACRAMENTIS.

Plerumque addidit Deus promissionibus suis externas quasdam notas subiectas sensibus, quae homines admonerent, et conservarent ac prorogarent memoriam verbi ad omnem posteritatem. Firmius enim durat rerum memoria, quas oculi accipiunt commendatas certis ceremoniis, velut spectaculis. Ita circumcisio fuit mirifica quaedam ceremonia, ut significaret promissionem seminis, et memoriam huius promissionis ad posteros propagaret. Quare quandocunque de sacramentis loquimur, non tantum ceremonia consideranda est, sed statim animo requirenda promissio, cuius caussa signum institutum est. Est enim proprie sacramentum signum divinae promissionis a Deo institutum. Ideoque duabus rebus constat, elemento et verbo, ut extet memoria promissionis. Et ut tota ratio sacramenti in genere melius intelligi possit, de usu et fine dicemus.

Primum igitur reprehendenda est Pharisaica et prodigiosa opinio Scholasticorum, qui finxerunt homines utentes sacramentis Novi Testamenti ex opere operato iustos fieri, et quidem addunt sine bono motu utentium. Haec Pharisaica persuasio explodenda est ex Ecclesia, proprie enim pugnat cum iustitia fidei, sentiunt enim hominem fieri iustum propter illius ceremoniae usum, etiamsi non credat. Imo si nullum bonum motum cordis addat, modo ut non ponat obicem, hoc est, [76] ne habeat actuale propositum peccati mortalis. [77] Sacramenta proposita sunt, ut Deus per ea moveat, sicut per verbum. Quare in adultis excitari fides debet; iuxta illud [Habac. 2, 4.]: Iustus fide sua vivet. Ceterum in infantibus agit Deus suo quodam modo, adhibito signo, ut infra dicetur.

E regione sunt alii quidam belli homines, qui cum velint videri civiliter interpretari ceremonias, dicunt: Sacramenta non esse signa voluntatis Dei erga nos, sed tantum notas nostrae professionis; quia oporteat extare notas, quibus discernamur a reliquis gentibus. Sicut Romanos toga discernebat a Graecis; aut sicut forma vestitus discernit monachos. Sed haec civilis interpretatio non satis explicat usum Sacramentorum. Etsi enim sunt notae professionis et signa confessionis, tamen hic non est principalis finis, nec iuvat conscientiam. Nos autem principalem finem, et qui conscientiis prosit, quaerimus.

Tertia est opinio Anabaptistarum: Sacramenta esse allegorias quasdam bonorum operum; ut circumcisionem interpretantur signum fuisse coercendarum cupiditatum; Baptismum signum esse adflictionum, quod oporteat Christianos subire fluctus, et pericula omnis generis perferre, sicut immerguntur aquis: Ita coenam Domini faciunt tantum quandam [78] mutuae benevolentiae significationem: quia symposia apud omnes gentes sint signa mutuae benevolentiae. Quanquam autem hae allegoriae bonorum operum non sunt absurdae, tamen nondum de principali usu et fine loquuntur. Sacramenta enim sunt signa, non tantum caritatis aut operum, sed principaliter fidei, item voluntatis Dei erga nos. Evangelium enim non tantum concionatur de operibus, sed praecipue de voluntate Dei erga nos et de fide. At illi signa Evangelii tantum ad unam partem, videlicet ad opera, accommodant.

Quarta est [79] igitur vera sententia, quod sacramenta Novi Testamenti principaliter instituta sint, ut sint signa voluntatis Dei erga nos, incurrentia in oculos, ut nos admoneant, ut credamus promissioni in Evangelio propositae. Ita coniungimus Sacramentum et promissionem. Sicut autem promissio fide accipienda est, ita et in usu Sacramentorum fides accedere debet, quae statuat nobis ea vera [80] contingere, quae in promissione proponuntur. Hic usus prodest conscientiis agentibus cum Deo. Paulus enim inquit [Rom. 4, 11.], circumcisionem fuisse sigillum iustitiae fidei, hoc est, testimonia quaedam addita promissionibus, ad hoc, ut nos certius credamus; item, ut proprie nobis applicari divinas promissiones sentiamus, cum videmus promissionem Dei velut scriptam esse in nostris corporibus immersione ista in aquam aut sumptione corporis Domini.

Augustinus [81] apte confert Sacramentum cum verbo, cum ait: Sacramentum esse [82] verbum visibile; hoc est: Sicut verbum nota quaedam est, quae auribus accipitur, ita Sacramentum est spectaculum seu pictura, quae incurrit in oculos. Sicut igitur verbum nota est significans aliquid de voluntate Dei, et sicut verbo apprehenditur Deus, cum credimus, sic et apprehenditur Sacramento, cum credimus. Quare sicut verbum est instrumentum, per quod Spiritus sanctus efficax est; sicut Paulus inquit [Rom. 1, 16.]: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti; item [Rom. 10, 17.]: fides ex auditu est etc.; ita per Sacramenta Spiritus sanctus est efficax, cum videlicet fide accipiuntur; admonent enim et movent ad credendum, sicut verbum. Ex his iudicari potest, quis sit principalis usus ac finis Sacramentorum, et quo-

---

76) hoc est *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

77) *Seqq.*: Sacramenta — ut infra dicetur. *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

78) quandam *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

79) Quarta est] sic Editt. 1. 4. 5. 9.; Editt. 2. 6—8. 11—14. et Opp.: Quarto, est

80) vera] Editt. 8. 11—14. et Opp.: vere

81) Augustin. ad Marcellinum ep. 5.

82) esse] Ed. 11. et Opp.: est

modo ad conscientias erigendas et consolandas tanquam ad finem referri debeant.

Hunc principalem usum docent et Apostoli et Ecclesiastici scriptores. Paulus enim de baptismo ait [Tit. 3, 5.]: Salvavit nos per lavacrum regenerationis. Quare Deus est efficax per baptismum. Et Petrus eruditissime ait [1. ep. 3, 21.]: Baptismum esse non tantum externam sordium corporis ablutionem, sed pactum bonae conscientiae erga Deum per resurrectionem Christi; hoc est, pactum, quo Deus erga nos testatur, se nobis placatum esse propter resuscitatum Christum. Et vicissim hoc pacto conscientia confidit se habere placatum Deum, hoc est, nos esse iustos propter Christum. Et in Actis [2, 38.] ait Petrus: Baptizetur unusquisque in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum; ubi certe affirmat baptismum testimonium esse et signum remissionis peccatorum et donationis Spiritus sancti. Ideo et sancti patres vocant Sacramenta signa gratiae, hoc est, voluntatis Dei erga nos, nec tantum iudicant ea notas esse professionis coram hominibus. Prophanum est Sacramenta tantum efficere quasdam notas professionis erga homines, nec accommodare ea ad usum conscientiarum cum Deo agentium.

Ceterum postquam principalem usum ac finem tenemus, reliqui etiam usus addi possunt. Solent enim unius rei varii fines esse. Sunt signa confessionis. Est autem confessio, ut scimus, praecipuus cultus Dei. Sunt item allegoriae ac symbola bonorum morum; sicut interdum sancti patres in concionibus adhortantur nos ad mutuam dilectionem; quia, cum simul in communi mensa corpus Domini accipiamus, sanctissimum quoddam foedus mutuae benevolentiae facimus, cum omnes et membra Christi et velut unum corpus inter nos efficimur. Hoc argumento multum et libenter usi sunt sancti patres de caritate, et profecto non est levis adhortatio. [83)]

DE SACRAMENTORUM NUMERO.

Nihil opus est rixari de Sacramentorum numero. Nam si Sacramenta vocamus non solum ceremonias in Evangelio institutas, sed etiam alias res aut opera, quibus additae sunt promissiones divinae, multa Sacramenta numerari poterunt. Ut Oratio erit Sacramentum; est enim opus quoddam nostrum et habet magnificas promissiones [Ioh. 16, 23.]: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Erunt Sacramenta et afflictiones et eleemosynae; quia sunt opera ornata divinis promissionibus. Ut [Luc. 6, 38.]: Date, et dabitur vobis. Et quidem prodesset huiusmodi opera ornari titulo Sacramentorum, ut quasi in illustri loco posita pluris fierent, et hoc titulo homines admoniti scirent promissiones requirendas et magnifaciendas esse. Hoc modo et matrimonium Sacramentum est, quia est res externa, ornata verbo Dei et promissionibus. Est item significatio spiritualis connubii et societatis, quae nobis est cum Christo. Erit et magistratus hoc modo Sacramentum, quia est certum genus bonorum operum, ornatum verbo Dei et promissionibus. Rom. 13. [vs. 2.]: Qui resistit potestati, deo resistit. Item [2. Paral. 19, 6.]: Iudicium domini exercetis. [84)] Sed haec, quae diximus, non sunt ceremoniae recens in Evangelio institutae.

Itaque si Sacramenta vocamus ceremonias seu ritus in Evangelio institutos, et proprie pertinentes ad hanc praecipuam promissionem et Evangelii propriam, scilicet de remissione peccatorum, facile est diiudicare, quae sint Sacramenta: Baptismus, coena Domini et absolutio. Nam hi ritus instituti sunt in Evangelio, et usurpantur ad significandam hanc promissionem Evangelii propriam. Baptizamur enim, ut credamus nobis peccata condonata esse. Sic et coena Domini et absolutio admonent nos, ut credamus certo nobis remitti peccata.

Confirmatio et extrema unctio sunt ritus accepti a Patribus, quos ne Ecclesia quidem tanquam necessarios ad salutem requirit, quia non habent mandatum Dei. Ideo prodest hos ritus a superioribus discernere, ut sciamus eos non esse necessarios. Sed confirmatio magnopere probanda esset, si usurparetur ad hoc, ut examinaretur iuventus et fidem propriam profiteretur.

Maxime autem placet mihi, Ordinem, ut vocant, inter Sacramenta numerari, modo ut intelligatur et ipsum ministerium Evangelii, et vocatio ad hoc ministerium docendi Evangelium et administrandi Sacramenta. Prodest enim diligenter ornare ministerium verbi, et scire homines, quod Spiritus sanctus datur per ministerium et meditationem verbi, ne alias illuminationes extra verbum et sine verbo quaeramus; quemadmodum faciunt spiritus fanatici. Ministerium verbi habet mandatum Dei, videlicet ut et doceatur et audiatur, habet et ingentes promissiones, Rom. 1. [vs. 16.] Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Deinde de Ordinatione, hoc est, de vocatione ad ministerium, prodest intelligere, quod Deus approbet vocatos ab Ecclesia et velit adesse eorum ministerio. Hoc beneficium debet nobis gratissimum esse, et diligenter ornandum atque illustrandum est. Hoc modo numerare Ordinem inter Sacramenta fuerit utilissimum, scilicet ad illustrandam dignitatem ministerii verbi. Sed alii cum de Ordinatione loquuntur omissa mentione ministerii Evangelii, putant Ordinem esse vocationem ad sacrificandum pro vivis

83) patres — adhortatio *addunt* Editt. 7. 8. 11 — 14. et Opp.

84) Qui — exercetis. *addunt* Editt. 7. 8. 11 — 14. et Opp.

et mortuis. Deinde addunt non futuram in Ecclesia remissionem peccatorum, si non esset certum aliquod sacrificium, praeter Christi sacrificium; et fingunt hoc sacrificio sacerdotes aliis mereri remissionem peccatorum. Hae opiniones ex quadam *κακοζηλία* ortae sunt, quod Novum Testamentum incommode contulerunt cum ceremoniis Leviticis. Sed de ministerio et sacrificio paulo post dicendum erit. Nunc satis haec monuisse de numero Sacramentorum.

DE BAPTISMO.

Baptismum esse signum Novi Testamenti, ostendit ipsa promissio [Marc. 16, 16.]: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Itaque cum baptizamur, velut [85]) scribitur haec promissio in [86]) nostris corporibus. Et quia signa sunt allegoriae quaedam, haec ceremonia significat poenitentiam et remissionem peccatorum, seu, ut Paulus loquitur [Tit. 3, 5.], regenerationem. Nam immersio significat veterem hominem cum peccato morti destinatum esse, et reditus ex aquis significat nos iam ablutos expectare novam et aeternam vitam ac iustitiam partam per Christum. Usum igitur indicat ipsa ceremonia, indicat et promissio: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Item verba, quae adhibentur in baptismo [Matth. 28, 19.]: Baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; hoc est, hoc signo tecum paciscor ac testor te iam esse reconciliatum Deo, te recipi a Deo, qui est Pater, Filius, Spiritus sanctus. Recipit autem te Pater propter Filium, et pollicetur tibi Spiritum sanctum, quo [87]) te vivificabit et sanctificabit. Ita in ipsis verbis insunt amplissimae et gravissimae promissiones et summa Evangelii. Erit igitur hic usus baptismi per omnem vitam, ut hoc pacto statuamus nobis propositam et donatam esse remissionem peccatorum et reconciliationem. Nam etiam cum lapsi sumus, valet in resipiscentibus pactum, quo iam olim cum Deo pacti sumus; quia Evangelium testatur resipiscentibus ignosci. Magis igitur intelligemus vim et usum baptismi, si crebra meditatione huius pacti fidem exercebimus et confirmabimus. Ceterum ipsum signum non debet iterari; quia iteratio ceremoniae nihil prodesset, et signum semel acceptum est perpetua nota et perpetuum testimonium; sicut circumcisio semel facta erat perpetuum testimonium pacti scriptum in corporibus.

85) velut] Editt. 8. 11—13. et Opp.: propemodum

86) in *excidit* ex Ed. 11. et Opp.

87) quo] Ed. 11. et Opp.: in quo

De baptismo Ioannis et Apostolorum.

Uterque baptismus signum fuit Novi Testamenti. Neque quicquam interest inter baptismum Ioannis et Apostolorum, nisi quod baptismus Ioannis testabatur venturum esse Christum; baptismus Apostolorum testatur iam exhibitum esse Christum. Ceterum uterque baptismus est ministerium et requirit fidem in Christum; et ea fide pariter sanctificabantur et salvabantur baptizati tum a Ioanne tum ab Apostolis. Quod autem Ioannes inquit [Matth. 3, 11.]: Ego baptizo aqua ad poenitentiam; qui autem post me venturus est, baptizabit Spiritu sancto et igni; hic discernit non ministeria vel ceremonias, sed discernit personas ministrorum a persona Christi. Testatur enim Christum ipsum esse Dominum, per quem baptismus sit efficax, qui daturus sit Spiritum sanctum, novam et aeternam vitam, ac profitetur se ministrum esse, qui tantum adhibeat externum signum et praedicet verbum. Et illud externum ministerium Ioannis et Apostolorum simile est et valet pariter in credentibus. Ceterum hoc verum est, quod post resurrectionem Christi clarioria testimonia habemus, quod detur Spiritus sanctus baptizatis; sicut testantur ipsa exempla in Actis.

DE BAPTISMO INFANTIUM.

Paulus [1. Thess. 5, 21.] iubet explorari spiritus; et Christus regulam tradit [Matth. 7, 16.]: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Porro certissima indicia fanaticae mentis sunt impia dogmata. Quare in iudicandis his, qui damnant baptismum parvulorum, consideremus etiam, quales habeant notas. Habent autem multas impias opiniones, non solum de baptismo, sed etiam de ceteris articulis Christianae [88]) doctrinae. Damnant pleraque politica, ut, iudicia, iuramentum, rerum divisionem etc. Unde satis apparet eos non intelligere spiritualem iustitiam, sed imaginari Christianismum esse tantum quendam externum monachatum. Imo Anabaptistae nuper nati etiam turpiter docent, coniugem debere discedere a coniuge, abhorrente a secta Anabaptistica. Et alicubi iam per seditionem pepulerunt legitimos magistratus. Item, fingunt tale Christi regnum in terris ante novissimum diem futurum esse, in quo dominaturi sint sancti, deletis omnibus impiis. Haec Iudaica deliramenta et seditiosa et impia sunt. Tales notae diligenter sunt considerandae, ut spiritus probentur. Cum igitur habeant Anabaptistae palam impias opiniones, damnandi et fugiendi sunt. Deinde in hac ipsa caus-

88) Christianae] Editt. 12. 13. Christiane

sa de baptismo parvulorum multos habent errores. Negant peccatum originis. Haec nota iterum significat eos tantum prophano more iudicare de peccato et iustitia; nullum intelligunt esse peccatum nisi actuale. Cum igitur constet Anabaptistas agi fanatico spiritu, non moveat nos eorum auctoritas, ut discedamus a communi consensu veteris Ecclesiae de baptizandis infantibus.

Nam vetustissimi scriptores Ecclesiastici probant baptismum infantum. [89]) Origenes enim in 6. cap. ad Rom. sic scribit. Itaque et Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam parvulis dare baptismum. Sciebant enim illi, quibus secreta divinorum mysteriorum [90]) commissa sunt, quod essent in omnibus genuinae sordes peccati, quae per aquam et spiritum aboleri deberent. Haec sunt Origenis verba, in quibus utrumque testatur, et baptizari infantes, et consequi eos per baptismum remissionem peccati originalis, hoc est, reconciliari eos Deo.

Cyprianus scribit in concilio damnatam esse opinionem cuiusdam, qui infantes non volebat ante octavum diem baptizare. [91]) Censuit enim Synodus infantes baptizandos esse, nec observari oportere praescriptum tempus octavi diei.

Augustinus de baptismo contra Donatistas lib. 4. ait: De baptismo parvulorum, quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica autoritate traditum, rectissime creditur.

Item, veraciter coniicere possumus, quid valeat in parvulis baptismi Sacramentum ex circumcisione carnis, quam prior populus accepit.

Haec et similia loca testantur veterem Ecclesiam approbare baptismum infantium. Quae ideo observanda sunt, quia nonnulli impostores, ut fucum faciant illiteratis, allegant Patres, quasi improbent baptismum infantum, [92]) cum quidem afficiant Patres insigni iniuria. Deinde et hoc observandum est. Non est tutum, dogma aliquod recipere, cuius prorsus nullum extat [93]) testimonium in veteri Ecclesia.

Sed addamus etiam rationes, quae testantur infantes baptizandos esse. Mea ratio haec est. Certum est regnum Dei et promissionem Evangelii ad pueros pertinere. Non est autem extra Ecclesiam salus, ubi nec verbum nec Sacramentum est. Ergo pueri inserendi sunt Ecclesiae, et adhibendum est signum, quod testatur ad eos pertinere promissionem.

Maior est certa: Quod ad pueros pertineat regnum Christi et promissio Evangelii; quia Christus inquit [Matth. 19, 14.]: Talium est regnum coelorum. Item [Matth. 18, 14.]: Non est voluntas coram Patre vestro, qui in coelis est, ut pereat unus de pusillis istis. Nam haec loca non possunt eludi hac cavillatione, quod Christus hic nihil promittat pueris, sed tantum velit nos imitari eorum simplicitatem. Haec cavillatio prorsus inanis est. Constat enim in illis locis vere de aetate parvulis dici. Et Christus inquit [Matth. 18, 10.]: Angeli eorum vident faciem Patris. Quare testatur eos Deo placere et custodiri per Angelos. Et quid potest dici clarius? Non est voluntas Dei, ut pereat unus de pusillis istis. Haec sententia clarum testimonium Ecclesiae proponit de salute puerorum; et gratissima nobis esse debet, et diligenter inculcanda est primae aetati, ut quam diutissime retineat hanc promissionem. Confirmat Maiorem etiam Lex de Circumcisione, ubi dicit [Gen. 17, 7.]: Ero Deus eorum. Testatur enim Deus se illis favere, quos iubet circumcidi; iubet autem et infantes circumcidi. Sed existimo vix quenquam esse, qui Maiorem ausit in dubium vocare; et tamen Maiore constituta, reliqua defendi facile possunt.

Accedamus igitur ad Minorem. Minor est: Quod non sit salus extra Ecclesiam, ubi neque verbum neque Sacramenta sunt. In hac sententia facile possunt adversarii refutari; quia nobis certum est in Ecclesia salutem esse. Ipsi vero non possunt ostendere, salutem extra Ecclesiam esse. Quod vero non sit extra Ecclesiam salus, constat [94]); quia Ecclesia est regnum Christi, in qua Christus est efficax per verbum et per Sacramenta. Sicut Paulus inquit Eph. 5. [vs. 25.] Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum pro ea tradidit, ut eam sanctificet, mundans eam lavacro aquae etc. Non describit Ecclesiam sine signis et sine verbo; Ideo et alio loco dicit [ibid. 4, 4.]: Unum corpus et unus spiritus, unus Dominus, una fides, unum baptisma. Haec omnia testantur, hos, qui ad Ecclesiam pertinent, signo etiam aliquo externo Ecclesiae insertos esse. Testatur idem locus in Genesi [17, 14.] de circumcisione. Masculus, cuius praeputii caro non fuerit circumcisa, delebitur anima illa de populo, quia pactum meum irritum facit. Hic clare pronuntiat eum, qui signum non habet, reiici a Deo. Fuit autem et Circumcisio signum Ecclesiae Dei, sicut nunc Baptismus. Et in summa de Minore certum est, pueros in Ecclesia salvos fieri.

---

89) infantum] Editt. 7. 8. 11—14 et Opp.: infantium.

90) mysteriorum] Ed. 1. typoth. errore: mynisteriorum, Ed. 5. ministeriorum

91) baptizare] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: baptizari

92) infantum,] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: infantium,

93) extat] Editt. 12. 13. extet

94) constat] Ed. 11.: constet

[95]) Sicut testantur exempla circumcisionis. Et illa verba Christi: Talium est regnum coelorum. Econtra nemo potest ostendere pueros extra Ecclesiam salvos fieri. Quare Minorem satis firmam esse sentiamus. Sequitur igitur Conclusio: Pueros baptizandos esse, ut accepto signo membra fiant Ecclesiae, et Deus promissionem suam eis impertiat. Hoc argumentum existimo bonis et moderatis satisfacere.

Huc pertinet etiam, quod Christus ita pronuntiat remitti peccata, si remittat Ecclesia; iuxta illud [Ioh. 20, 23.] Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, et quorum retinueritis, retinebuntur etc. Ergo et infantibus ita constabit remitti peccatum, cum Ecclesia remittit.

Sed obiiciunt adversarii primum de fide: Infantes non intelligunt verbum, igitur non credunt. Deinde contendunt nihil prodesse eis Sacramenta; quia Sacramenta sine fide non prosunt. Huic argumento primum opponendum est exemplum infantum [96]) circumcisorum, qui etiam non intelligebant verbum, et tamen valebat pactum, et placebant ipsi Deo propter pactum. Praeterea etiamsi non intelligunt verbum, tamen ex superiore propositione fateri necesse est, quod Deus sit in eis efficax. Nam cum certum sit salutem et regnum Dei ad infantes pertinere, certum est etiam Deum in eis efficacem esse; iuxta illud [Ioh. 3, 5.]: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu etc. [97]) Nec nostrum est scrutari, quomodo Deus in eis agat. Illud nos tenere satis est, quod certum est, salutem ad infantes pertinere; unde sequitur, Deum in eis efficacem esse.

Obiiciunt et aliud argumentum: Ecclesia nihil debet instituere tanquam necessarium ad salutem, sine expresso mandato Dei; De infantibus baptizandis non extat mandatum; Ergo non sunt baptizandi. Ad totum argumentum respondeo. Primum: Universalis consensus Ecclesiae omnium temporum est testimonium, quod haec ordinatio sit Apostolica. Deinde respondeo ad Minorem. Neganda est Minor, nam mandatum est universale [Matth. 28, 19.]: Baptizate omnes gentes; ergo et pueros complectitur. Et huius interpretationis habet Ecclesia optimas et gravissimas rationes. Primum enim scit Ecclesia promissionem Evangelii etiam ad pueros pertinere. Item scit salutem tantum ad pueros, qui sunt in Ecclesia, pertinere. Ergo iudicat pueros inserendos esse Ecclesiae. Item Ecclesia scit se habere mandatum remittendi peccata et scit Deum ita remittere peccata, si remittat Ecclesia. Quare et pueris impertit remissionem peccatorum. Ad haec habet Ecclesia exemplum circumcisionis. Si infantibus tunc opus fuit signo, ut insererentur [98]) Ecclesiae; ergo nunc quoque signo opus est. Nam utrumque signum significat promissionem gratiae, ut testatur Paulus. Hae rationes sumptae sunt ex scripturis. Quare Ecclesia non instituit baptismum puerorum humana auctoritate, sed usurpat propter auctoritatem scripturarum.

Si haec responsio non satisfacit adversariis, interrogemus et ipsos vicissim: Qua auctoritate ipsi improbent universalem consensum Ecclesiae, et utrum sentiant pueros extra Ecclesiam salvos fore? [99]) Nos habemus generale mandatum Evangelii, habemus deinde gravissima argumenta ex scripturis sumpta, quod illud generale mandatum etiam ad pueros pertineat. Certe enim Evangelii beneficium ac promissio ad pueros pertinet. Haec piis et moderatis satisfaciunt. Nec possunt adversarii contra quicquam afferre firmius; sed fingunt opinionem ex sese, sine autoritate scripturae et Ecclesiae. [100])

Addamus et tertium argumentum Anabaptistarum, etsi levius est, quam ut recitare opus sit. Baptismus est pactum, quo promittimus mortificationem carnis; Infantes nondum hoc intelligunt nec praestant; Ergo non sunt baptizandi. In hoc argumento valde tumultuantur Anabaptistae Monasterienses. Sed Maior ex errore nata est; Putant enim Sacramenta tantum signa esse nostrorum operum aut morum, nec [1]) intelligunt ea principaliter signa esse voluntatis Dei et promissionis erga nos. Est igitur neganda Maior. Baptismus enim principaliter est pactum gratiae seu promissionis divinae erga nos, qua [2]) nobis remittit peccata. Habent autem opus infantes remissione peccati originis, de quo supra satis dictum est. Et in ipsa ceremonia dicitur: Ego baptizo te in nomine Patris etc. hoc est, testor, quod iam reconciliatus sis illi [3]) Deo, qui est Pater, Filius et Spiritus sanctus etc. Non dicitur: Ego baptizo me, quod mores mei sint tales etc.

DE COENA DOMINI.

Variae sunt appellationes huius Sacramenti; Sed Paulus vocat coenam Domini. Postea appel-

95) *Seqq.*: Sicut — — salvos fieri. *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

96) infantum] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: infantium

97) etc. *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

98) insererentur] Ed. 11. et Opp. typ. errore: inserentur

99) fore?] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: fieri?

100) Ecclesiae.] Editt. 12. 13. Ecclesia.

1) nec] sic Editt. 1. 4. 5. 9.; Editt. 2. 6 — 8. 11—14. et Opp.: non

2) qua] Ed. 11. quia

3) iam reconciliatus sis illi] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: iam Filius Dei sis, reconciliatus illi

larunt *σύναξιν*, propterea quod communis coena esset congregationis in Ecclesia. Appellarunt et *εὐχαριστίαν* propter finem, quia haec ceremonia instituta est, ut ea utentes agnoscamus beneficium Christi, et admoniti fide erigamur et statuamus hoc nobis pignus exhiberi, quod testetur nobis donari remissionem peccatorum; deinde ut pro tanto beneficio gratias agamus. Supra autem dictum est, Sacramentum ceremoniam esse additam promissioni, in qua Deus nobis aliquid exhibet. Sic et haec Coena est Sacramentum, debet enim intelligi ceremonia addita summae totius Evangelii, quod et complectitur in ipsis verbis [1. Cor. 11, 25.]: Hic est calix Novum Testamentum, id est, testimonium novae promissionis. Est et summa Evangelii seu promissionis in his verbis [ibid. vs. 24.]: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur; item [Matth. 26, 28.]: Hic est sanguis, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Principalis igitur finis huius ceremoniae est, ut testetur nobis exhiberi in Evangelio promissas, scilicet remissionem peccatorum et iustificationem propter Christum. Principaliter enim hoc intueri debemus, Sacramentum esse signum gratiae, hanc coenam esse signum Novi Testamenti. Quid est autem Novum Testamentum? Certe promissio est remissionis peccatorum et reconciliationis propter Christum.

Deinde sic prodest haec ceremonia, cum fidem addimus, scilicet, qua credimus promissa ista [4]) contingere, nosque consolamur. Et hoc spectaculum oculis atque animo obiicitur, ut nos ad credendum admoneat et fides in nobis exuscitetur. Christus enim testatur ad nos pertinere beneficium suum, cum nobis impertit suum corpus, et nos sibi adiungit tanquam membra; qua non potest alia coniunctio cogitari propior. Testatur item se in nobis efficacem fore, quia ipsa est vita; dat sanguinem, ut testetur se nos abluere. Haec cum in illa sanctissima coena geri videmus, fides accedere debet; ita proderit usus ceremoniae, et consolabitur et vivificabit conscientiam. Atque hic usus privatus est; et pariter ad sacerdotes et ad laicos pertinet; sicut pariter utrisque opus est remissione peccatorum et consolatione. Sacerdotes ministri sunt aliis exhibentes Sacramentum. Ex his apparet coenam Domini Sacramentum esse; quia est signum additum promissioni Evangelii. Apparet item, quis sit principalis finis, et quod non prosit ex opere operato, sed quod in usu fides accedere debeat.

Addamus etiam de praeparatione, et qui digne sumant. Ecclesia olim arcebat a Communione obnoxios manifestis criminibus; quia hoc Sacramento uti debent, qui agunt poenitentiam. Hic enim proponitur testimonium remissionis peccatorum, quo admoniti fidem erigere debent hi, qui habent perterrefactas conscientias. Id est digne sumere, cum utuntur hi, qui agunt poenitentiam, et tamen utuntur non freti propria dignitate, sed credunt remitti peccata gratis propter Christum, non propter hoc opus sumptionis. Sed haec sumptio signum quoddam est et pignus illius beneficii. Haec de principali fine necesse est monere, quia alii intelligunt hanc ceremoniam tantum opus quoddam esse, in quo nos praestamus aliquid Deo, nec referunt ad promissionem, nec docent, quomodo ad fidem exercendam prosit, quomodo prosit ad consolandas conscientias. Est igitur ille principalis finis tenendus, de consolatione conscientiarum.

Postea debent accedere etiam ceteri fines: Gratiarum actio, qua consecuti remissionem peccatorum pro tanta misericordia gratis agere debemus. Est et finis adhortatio ad bene operandum, ne polluamus corpora iam coniuncta corpori Christi. Item fines ad caritatem pertinentes: Cum omnes efficiamur membra unius corporis Christi, debemus inter nos devincti esse mutua dilectione.

[5])Multae autem et horribiles de hoc Sacramento controversiae extiterunt. Disputatur de verbis coenae, an sit in his verbis metaphora, Hoc est corpus meum. Quaeritur de Missa, an sit quaedam oblatio facienda, et applicanda pro aliis vivis et mortuis, ut mereatur eis remissionem seu culpae seu poenae, quid differant opus sacerdotis, et Laici. Hae controversiae, et aliae his vicinae facile diiudicari possent, si non esset mutata vetus Ecclesiae consuetudo in hac ceremonia tractanda. Atque utinam synodus eas pie et foeliciter explicet. Ego

---

4) ista *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

5) *Pro seqq.* Multae autem — — — respici, servari. *quae in* Editt. 1. 4. 5. 9. *leguntur*, Editt. 2. 6—8. 11—14. et Opp. *exhibent haecce:*

De usu huius Sacramenti, si vetus Ecclesiae consuetudo non esset abolita, facile esset iudicium. Olim enim fuit una communis Missa, certis diebus in singulis Ecclesiis, hoc est, in qua Presbyter iis, qui petebant, porrigebat corpus et sanguinem Domini. Et accipio in graecis Paroeciis, ne hodie quidem plures Missas fieri, quam illam unam, quae fit a Pastore. Disputant etiam de metaphora. Sed sentio Christum vere adesse Sacramento suo, et ibi efficacem esse. Sicut ait Hilarius: Quae sumpta et hausta faciunt, ut Christus sit in nobis, et nos in Christo. Et Cyrillus inquit in Iohan. cap. 15. Unde considerandum est, non habitudine solum, quae per caritatem intelligitur, Christum in nobis esse, verum etiam participatione naturali. Mirum profecto et ingens pignus summi amoris erga nos summae misericordiae, quod hac ipsa coena testatum vult, quod se ipsum nobis impertiat, quod nos sibi adiungat tanquam membra, ut sciamus nos ab eo diligi, respici, servari. Ita mentes statuant Christum efficacem in nobis esse. Haec diligenter monent veteres scriptores, quoties concionantur de Sacramento.

nec auctor nec assertor ullius novi dogmatis esse volo, quod non habet Ecclesiae veteris probata testimonia. Non enim contemno Ecclesiae catholicae iudicium et auctoritatem. Quid autem de verbis Coenae senserint Ecclesiastici scriptores, ex dictis eorum apparet.

Paulus inquit [1. Cor. 10, 16.], Panis est communicatio corporis Christi, poculum et communicatio sanguinis Christi. Itaque datis his rebus, pane et vino in coena domini, exhibentur nobis corpus et sanguis Christi. Et Christus vere adest sacramento suo, et efficax est in nobis, sicut Hilarius inquit, Quae sumpta et hausta faciunt, ut Christus sit in nobis, et nos in Christo. Mirum profecto et ingens pignus summi erga nos amoris, summae misericordiae, quod hac ipsa coena testatum vult, quod se ipsum nobis impertiat, quod nos sibi adiungat tanquam membra, ut sciamus, nos ab eo diligi, respici, servari.

Utinam huius tanti muneris magnitudinem animo metiri et contemplari disceremus, ut grati essemus, et cum fidem erigeremus, tum vero expavesceremus etiam et cogitaremus, quantum habeat ingratitudo sceleris, quam horribiles poenae abusus manifestos et prophanationem secuturae sint. Nec existimandum est minas illas gravissimas, quae sunt apud Paulum, irritas esse: Semper Deus etiam in hac vita magnis calamitatibus punivit idololatriam. Quare arbitror maximam partem publicorum malorum his postremis temporibus imputandam esse huius sanctissimi muneris prophanationi. Sed in extremo iudicio, cum impietas mundi retecta palam conspicietur, praebebunt hi abusus horrendum spectaculum et punientur longe atrocioribus poenis, quas nulla vox humana eloqui potest. Legi scriptam ante annos ducentos pii cuiusdam hominis visionem, cui apparuit Christus velut laceratus flagellis, plenus vulnerum et cruoris manantis per totum corpus. Hac specie perterrefactus homo primum et exanimatus, postquam iterum se collegit, [6]) agnoscit significari singulare genus contumeliae, quo Christus afficiatur. Cumque interrogat, quid haec vulnera praecipue significent; respondet Christus: sic lacerari se ab his, qui polluunt suum corpus per abusum Sacramenti et Missarum.

Ferunt et Divo Antonio visionem oblatam esse, in qua vidit passim per totum orbem porcos stare ad aras et tractare Sacramentum. Haec species significavit etiam abusus, qui post eius aetatem in Ecclesiam postea pervaserunt. Et videtur prophanatio duratura esse usque ad finem mundi, ut Daniel [cap. 9. 11.] significat, etiamsi aliqua ex parte prius revelabitur. Christus faciat, ut etiam foeliciter emendetur.

Ac de Missa alio loco disputatum est. Reiicio opinionem, quae praecipue illam infinitam prophanationem peperit. Finxerunt enim oblationem in Missa Sacrificium esse, quod applicatum pro aliis vivis et mortuis mereatur eis remissionem culpae et poenae, et quidem ex opere operato. Ideoque hoc Sacrificio etiam mortuis polliciti sunt liberationem a poenis purgatorii. Haec et a scriptura dissentiunt, et ignota sunt veteri Ecclesiae, et obscurant doctrinam de fide. Sed quoniam hoc loco hanc disputationem praetermittendam duxi, pauca quaedam de ratione Sacrificii dicam. Prodest enim et ad hanc controversiam iudicandam et ad multa alia, nosse Sacrificii naturam. Etsi autem puerile videtur vocabula Sacramenti et Sacrificii discernere, tamen res postulat, ut in ceremoniis discrimen observetur, et diversi fines. Aliae sunt signa et notae promissionum, in quibus Deus nobis aliquid exhibet. Aliae vero ceremoniae non sunt proprie signa promissionum, sed opera, quae nos Deo reddimus.

Haec in ceremoniis discrimina necesse est observare, quibuscunque tandem vocabulis utamur. Et quoniam haec vocabula Sacramenti et Sacrificii in usu sunt, nos quoque ea retinebimus. Est itaque Sacramentum ceremonia, quae est signum promissionis, per quod Deus aliquid nobis promittit aut exhibet. Circumcisio erat signum, quo pollicebatur Deus se recipere circumcisos. Baptismus signum est, quo Deus nobiscum agit, et recipit nos in gratiam, et quasi baptizat nos ipse; nam minister baptizat vice Christi. Sacrificium est ceremonia vel opus nostrum, quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus; hoc est, testamur nos agnoscere hunc ipsum, cui hanc obedientiam praestamus, vere esse Deum, ideoque nos ei hanc obedientiam praestare.

Sunt autem Sacrificii species proxime duae, nec sunt plures. Quoddam est Sacrificium propitiatorium, videlicet opus, quod meretur aliis remissionem culpae et poenae aeternae, seu opus reconcilians Deum et placans iram Dei pro aliis, et satisfactorium pro culpa et poena aeterna. Altera species est Sacrificium εὐχαριστικὸν, quod non meretur remissionem peccatorum aut reconciliationem, sed fit a reconciliatis, ut pro accepta remissione peccatorum et pro aliis beneficiis Deo gratias agamus, seu gratiam referamus hac nostra obedientia. Haec distinctio satis clare probari potest ex Epistola ad Hebraeos [cap. 9 et 10.], haec enim docet tantum unum in mundo propitiatorium Sacrificium fuisse. Relinquitur igitur, caetera omnia esse opera, in quibus reconciliati obedientiam declarare debuerint.

Porro in has duas species, quas dixi, distribui

6) collegit.] Editt. 8. 11. et Opp.: colligit.

possunt omnia Levitica Sacrificia, tanquam in sua domicilia. Dicebantur enim quaedam in lege propitiatoria Sacrificia propter significationem seu similitudinem, non quod mererentur remissionem peccatorum coram Deo, sed quia significabant futurum Christi Sacrificium. Caeterum ibi merebantur remissionem peccatorum in externa conversatione; hoc est, ne illi excluderentur ex politia Moysi. Dicebantur itaque propitiatoria pro peccato, pro delicto, holocaustum. Illa vero erant *εὐχαριστικά*, oblatio, libatio, retributiones, primitiae, decimae.

Sed revera unicum tantum in mundo fuit propitiatorium Sacrificium, videlicet passio seu mors Christi; ut docet Epistola ad Hebraeos [cap. 9. et 10.]: Impossibile est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Et paulo post de voluntate Christi, in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Christi semel etc. Nam et Christus ipse suum Sacrificium pro nobis applicat, cum pro nobis orat, Ioan. 17. [vss. 19 sq.:] Pro eis sanctifico me ipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro iis, [7]) qui credituri sunt per verbum eorum in me. Ecce haec sunt nostri pontificis ac sacerdotis verba, quibus se pro tota Ecclesia offert, ac pro ea orat, quae semper in conspectu et in animo habere debemus. Esaias etiam interpretatur legem, ut sciamus mortem Christi vere esse satisfactionem pro peccatis nostris, seu expiationem, non ceremonias legis. Quare inquit cap. 53. [vs. 10.] Postquam dederit animam suam hostiam pro delictis, videbit semen longaevum etc. Quasi dicat: Alia hostia restat, quae vere tollet peccatum et mortem. Ergo istae usitatae ceremoniae non tollunt peccatum et mortem. Paulus hanc sententiam reddidit, cum inquit [Gal. 3, 13.]: Factus est maledictum. Item [Rom. 8, 3.]: de peccato damnavit peccatum; id est, peccatum punivit et delevit per hostiam pro peccato. Ipsam enim hostiam Hebraei peccatum seu delictum vocant, sicut latini piaculum. Teneamus igitur hoc, fuisse unicum tantum in mundo Sacrificium propitiatorium. Nam illa, quae in lege dicebantur propitiatoria, ut dixi, propter similitudinem sic vocabantur; ideoque abolita sunt, postquam Christus apparuit. Porro cum Evangelium ideo promissum sit, ut exhiberet veram propitiationem, necesse est ceremonias Leviticas non fuisse veras propitiationes, quia cessaverunt revelato Evangelio.

DE EUCHARISTICO SACRIFICIO.

Nunc reliqua sunt sacrificia *εὐχαριστικά*, [8]) quae vocantur Sacrificia laudis, Praedicatio Evangelii, fides, invocatio, gratiarum actio, confessio, afflictiones sanctorum, imo omnia bona opera sanctorum. Haec sacrificia non sunt satisfactiones pro facientibus, vel applicabiles pro aliis, quae mereantur eis ex opere operato remissionem peccatorum seu reconciliationem. Itaque praeter unum Sacrificium propitiatorium, scilicet mortem Christi, caetera sacrificia in novo Testamento tantum sunt *εὐχαριστικά*. Sicut docet Petrus, 1. Petri 2. [vs. 5.] Sacerdotium sanctum, ut offeratis hostias spirituales. Opponuntur autem hostiae spirituales non tantum pecudibus, sed etiam humanis operibus ex opere operato oblatis, hoc est, sine fide et bono motu cordis; quia spirituale significat motus Spiritus sancti in nobis. De his sacrificiis loquitur et Epistola ad Hebraeos cap. 13. [vs. 15.] Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo. Et addit interpretationem: Fructum labiorum confitentium nomini eius; id est, invocationem, gratiarum actionem, confessionem et similia. Haec valent non ex opere operato, sed propter fidem. Id monet particula, per ipsum offeramus, hoc est, fide in Christum. Est autem insignis consolatio Christianae mentis, scire, quod omnia bona opera et omnes afflictiones sint sacrificia, id est, opera Deo placentia, et quibus Deus sibi honorem haberi pronuntiat.

Et de hoc genere sacrificiorum plurimae extant sententiae in Psalmis et Prophetis. Ut Psalm. 49. [9]) [vss. 14. sq.] Immola Deos sacrificium laudis. Invoca me in die tribulationis etc. Item Psalm. 50. [vs. 19.] Sacrificium Deo spiritus contribulatus etc.

Secundo sciendum est, cultum in novo Testamento spiritualem esse, hoc est, esse iustitiam fidei et fructus fidei; quia novum Testamentum adfert iustitiam et vitam spiritualem et aeternam, iuxta illud [Hierem. 31, 33.]: Dabo legem meam in corda eorum. Et Christus ait [Ioh. 4, 23.]: Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate, hoc est, vero cordis affectu. Ideoque sunt abrogati Levitici cultus, quia debent succedere cultus spirituales mentis, et horum fructus et signa.

Ex his sequitur, nullum esse sacrificium aut cultum novi Testamenti, qui ex opere operato mereatur facienti, vel aliis, remissionem peccatorum, repugnat enim sententia [Ioh. 4, 23.]: Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate etc. Imo Pharisaica persuasio est, quod aliquis cultus mereatur remissionem peccatorum ex opere operato. Cumque hac persuasione Iudaei suos cultus cumularent, ut videlicet multa mererentur, gratiam et reliqua beneficia, propter cumulata sacrificia, Prophetae acerrime reclamant. Damnat hanc persuasionem Psalmus 49. [vs. 13.] qui repudiatis vi-

7) iis,] Ed. 11. et Opp.: eis,
8) *εὐχαριστικά*] Editt. 12. 13. Eucharistica

9) 49.] sic Editt. 2. 6—8. 11—14. et Opp.; Ed. 1. 4. 5. 9. typ. errore: 46.

ctimis requirit invocationem: Nunquid manducabo, inquit, carnes taurorum etc. Et Esa. 1. [vs. 11.] Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? Et Hierem. 7. [vs. 22.] Non sum locutus cum Patribus vestris, et non praecepi eis de holocaustis et victimis. At constat legem praecipere de sacrificiis. Verum Propheta damnat persuasionem de opere operato, talia sacrificia non requirit Deus. Prorsus in Ecclesia simili opinione cumulatae sunt Missae, quia sint sacrificia, quae Deo placeant ex opere operato, et mereantur facienti et aliis remissionem peccatorum; docuerunt enim per Missam fieri applicationem sacrificii Christi. At unusquisque propria fide applicat sibi sacrificium Christi, et quidem gratis, id est, non propter alienum opus.

Caeterum unius operis possunt esse plures fines. Coena domini utimur tanquam sacramento, quatenus est testimonium, quo erigitur fides. Deinde haec ipsa fides cum externo opere est quoddam sacrificium, quia Deus pronuntiat hanc fidem et talia exercitia in novo Testamento esse sacrificia laudis et esse cultus. Ita haec ipsa obedientia spiritualis fit quoddam Sacrificium, quo tribuitur Deo honos, quem requirit et approbat. Deinde cum hac fide necessario coniuncta est gratiarum actio pro illo summo beneficio, et nobis et universae Ecclesiae collato; unde et nomen est *εὐχαριστίας*. Praeterea idem opus et confessio est; nam ostendimus nos credere Evangelio, et invitamus nostro exemplo alios. Haec omnia sunt sacrificia *εὐχαριστικά*. Ideo veteres hanc ceremoniam appellarunt sacrificium. Quod autem disputant nonnulli, de natura cuiuslibet sacrificii esse, ut pro aliis applicetur, falsum est. Nam afflictiones nostrae sunt sacrificia, et tamen non sunt applicandae pro aliis; iuxta illud [1. Cor. 3, 8.]: unusquisque mercedem accipiet iuxta suum laborem. Item [Gal. 6, 4.]: Probet unusquisque suum opus, et sic gloriam habebit in se ipso. Item [Rom. 1, 17.]: Iustus fide sua vivet. Probat idem parabola de fatuis virginibus etc. [Matth. 25, 1 sqq.]. Praeterea cum opera nostra sint cultus, qui debentur a nobis ipsis; sicut Paulus inquit [Rom. 8, 12.]: Debitores sumus. Item [1. Cor. 9, 16.]: Vae mihi, si non evangelizo. Deinde cum per sese sint insufficientia, et habeant opus fide, quae petit, ne imputetur nobis infirmitas nostra, qualis erit arrogantia, si talia opera ducemus esse non solum pretia pro nobis, sed etiam pro aliis; cum dicat Christus [Luc. 17, 10.]: Cum feceritis omnia, dicite,[10]) servi inutiles sumus. Item Psalm. 49. [vss. 14 sq.] Sacrificium vocat invocationem in tribulatione; item, Gratiarum actionem. Porro id opus, cum gratias agimus, non est opus, quod nos ipsi pro aliis applicare possumus,[11]) ut eis propter operis dignitatem prosit. Est igitur falsa persuasio, de natura cuiuslibet sacrificii esse, ut applicetur pro aliis. Tantum enim propitiatorium sacrificium Christi fuit applicandum pro aliis; caetera sacrificia nostra, quae sunt *εὐχαριστικά*, ita prosunt facientibus, sicut quodlibet proprium bonum opus facienti prodest, nec sunt applicanda, ut mereantur aliis remissionem peccatorum etc.

Ceterum oratio pro aliis aliter se habet, quam natura operum. Non enim affert Deo opus aliquod, quod sit pretium pro aliis, sed tantum cupit accipere a Deo. Promisit autem Deus, se daturum et nobis et aliis, pro quibus petimus. Haec facile discerni possunt. In oratione non opponimus, neque offerimus Deo nostrum aliquod opus ac pretium pro aliis, sed tantum accipere volumus a Deo, et quidem propter mediatorem Christum; sicut dicit textus[12]) [Ioh. 16, 23.]: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo; dabit vobis. Aliud est fide agere cum Deo non propter nostrum aliquod opus; aliud est Deo opponere alicuius certi operis meritum, et quidem pro aliis. Quare applicatio operum nostrorum pro aliis, praesertim pro remissione peccatorum, nequaquam concedenda est, quia scriptum est [Habac. 2, 4.]: Iustus fide sua vivet.

Praeterea de operibus illud sciendum est: Sicut propter aliquorum peccata plectuntur alii, ita et paucorum iustitia impetrat multa bona aliis. Utriusque sententiae multa sunt testimonia in scripturis et exempla. Ut Hierem. 49. [vs. 12.] Ecce quibus non erat iudicium, ut biberent calicem, bibentes bibent. De beneficiis publicis et privatis inquit Esa. cap. 33. [vss. 15 sq.] Qui ambulat in iustitia, et loquitur veritatem, qui proiicit avaritiam et iniurias, et excutit manus suas ab omni munere; qui obdurat[13]) aures suas, ne audiat sanguinem et claudit oculos suos, ne videat malum, iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius, panis ei dabitur, aquae eius non deficient, regem in decore suo videbunt oculi eius, et prolatos fines terrae. Hic inter caetera praemia promittit publicum statum tranquilliorem; id est commune beneficium ad multos pertinens. Sunt et exempla. Propter peccatum Davidis plectebatur populus. Propter paucos iustos voluit Deus parcere Sodomis. Propter Naaman benefecit Syriae.[14]) Discamus ergo poenas et praemia late patere, ut ad bene operandum excitemur.

---

10) dicite] Ed. 1. typothetae errore: dicit

11) possumus,] sic Editt. 2. 6—8. 11—14. et Opp.; Editt. 1. 4. 5. 9. possimus,

12) sicut dicit textus:] Editt. 8. 11—13. et Opp.: sicut scriptum est,

13) obdurat] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: obturat

14) Syriae] Editt. 12. 13. Syrie

Sed tamen in talibus locis haec duo meminisse oportet. Primum quod hi loci non pertineant ad iustificationem, hoc est, iniustis non prosunt aliena opera sanctorum ad iustificationem, sed iustis impetrant multa communia bona, quia sumus membra unius corporis. Alterum est, quod non est nostrum applicare aliis nostra merita; quia haec esset fiducia quaedam nostri operis; sed Deo debemus permittere, quae praemia communia vel peculiaria nobis daturus sit. Oratio autem applicatur pro aliis, quia nititur non dignitate propria, sed gratuita Christi promissione. Ex his facile iudicari [15]) potest, quid sit de applicatione sentiendum. Quod enim ad iustificationem attinet, nulla est applicatio sine fide propria. Fides autem instrumentis utitur, verbo et sacramentis, quae testantur ad nos pertinere beneficium Christi, nec pendet hoc beneficium ex dignitate alieni operis humani. Haec satis sit de Missa verecunde dixisse.

DE POENITENTIA.

Utiliter recensetur inter sacramenta et sacramentum poenitentiae, ut tanquam loco posita illustriore magis conspiciatur et apud Ecclesiam magis nota sit. Primum autem in hoc loco refutandi sunt Novatiani et Cathari, qui negabant lapsos post Baptismum iterum posse consequi remissionem peccatorum. Est autem et haec haeresis nata ex inscitia peccati et iustitiae fidei. Nam cum ignorarent Cathari peccatum haerens in natura, somniabant se sine peccato esse. Ideoque fingebant se iustos esse propria munditie, nec intelligebant fidei iustitiam, quae statuit nobis assidue opus esse remissione peccatorum.

Primum igitur testimonia recitabimus, quae ostendunt lapsos post Baptismum rursus consequi posse remissionem peccatorum, et Ecclesiam debere eis absolutionem impartiri, cum agunt poenitentiam. Exempla colligi possunt innumera veteris et novi Testamenti. Ut [16]) David, Manasse. Petrus post negationem consecutus est veniam. Est et postea lapsus ac reprehensus a Paulo [Gal. 2, 11 sqq.]. Lapsa est et Galatarum Ecclesia, et a Paulo revocatur ad poenitentiam. Item Paulus ipse Corinthium incestum iubet recipi post poenitentiam 2. Corinth. 2. Addamus et dicta scripturae. Ezech. 33. [vs. 11.] Vivo ego, nolo mortem peccatoris. Et eiusmodi sunt conciones multae, quae lapsos post iustificationem hortantur ad poenitentiam. Haec autem apud Ezechielem ideo est insignis, quia additum est iusiurandum: Vivo ego; ut conscientiae eo magis erigantur, cum audiunt non solum promissionem, sed etiam confirmatam promissionem iureiurando. Quare Novatiani accusant Deum periurii, cum negant lapsis remitti peccata. Et adversus desperationem egregia consolatio est, quod videmus, quam sancte addito iureiurando requirat Deus, ut credamus nobis ignosci. Nec valet cavillatio, quod vetus Testamentum habuerit hoc beneficium, Novum non habeat. Pertinet enim concio Prophetae ad totam Ecclesiam. Nec est alia remissio peccatorum in veteri, alia in nova, nec est alia spiritualis Ecclesia.

Sed sumamus probationes ex Novo Testamento. Christus inquit Matth. 18. [vs. 15.] Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum etc. Si audierit te, lucraberis fratrem. Cum Christus dicat, Lucraberis fratrem, clare pronuntiat se de his loqui, quibus illa emendatio prodest. Et quod de fratribus loquatur, hoc est, lapsis post iustificationem, id quoque testatur, quod tunc [17]) demum vult eiici illum ex Ecclesia, cum non auscultat. Et deinde cum Petrus interrogat [Matth. 18, 21 sqq.]: Quoties condonabo? respondet Christus: Septuagies septies. Ergo lapsi post iustificationem possunt veniam consequi. Nam cum iubet Ecclesiam remittere, vult et ipse remittere. Sicut supra inquit: Lucraberis fratrem. Item quotidie orat Ecclesia: Dimitte nobis debita nostra. Ergo post iustificationem condonantur lapsus. Ad Gal. 6. [vs. 1.] Si praeoccupatus fuerit homo aliquo peccato, vos, qui spirituales estis, corrigite eum spiritu lenitatis. Hic praecipit revocari lapsos ad poenitentiam; ergo sentit eis prodesse poenitentiam. Luc. 15. [vs. 7.] ait Christus: Gaudium erit Angelis super uno peccatore poenitentiam agente etc. Et in ea concione loquitur de poenitentia filii perditi, id est, de talibus, qui antea fuerant iusti. Apoc. 2. [vs. 5.] Memor esto, unde lapsus sis, et poenitentiam age, et facito priora opera. Haec loca satis testantur lapsos post iustificationem iterum consequi posse remissionem peccatorum.

Sed Novatiani obiiciunt duos locos ex epistola ad Hebraeos. Hebr. 6. [vs. 4.] Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt etc. renovari [18]) ad poenitentiam. Quamlibet durus videtur hic locus, tamen si conscientia praemunita est veris testimoniis supra citatis, non sinet [19]) se hoc loco perturbari. Imo potius tota epistola reiicienda esset, quam neganda lapsis venia. Nam et apud veteres dubitatum est de autore huius epistolae. Postquam igitur scimus ex superioribus testimoniis, lapsis non ne-

15) iudicari] Editt. 12. 13. typ. errore: iudicare

16) Ut, *addunt* Ed. 7. 8. 11—14. et Opp.

17) tunc] Ed. 11. et Opp.: nunc

18) renovari] sic Editt. 2. 5—8. 11—14. et Opp.; Editt. 1. 4. 9. renovare

19) sinet] Editt. 11. et Opp.: sinit

gandam esse veniam, facile potest iudicari, non posse hic retineri τὸ ῥητὸν, sed addendam esse commodam interpretationem. Alius aliter mitigat hunc locum, ut fit in obscuris aut ambiguis. Graece non sonat usque adeo incommode, [20] ait enim: Non est possibile renovari [21]) eos, qui Christum iterum crucifigunt et ludribio habent. Hoc simplicissime potest intelligi in hanc sententiam: Tales non posse renovari, qui non auscultent amplius Evangelio, sed contemnant, nec illa initia pietatis, de quibus dixit, retinere studeant, scilicet baptismi et poenitentiae doctrinam. Haec est, ut mihi quidem videtur, germana eius loci sententia, et nihil habet incommodi. Tantisper non possunt renovari, dum non auscultant Evangelio, sed crucifigunt Christum. Si cui non satisfacit haec interpretatio, intelligat eum loqui de blasphemis. Est enim admodum atrocibus verbis usus: non renovari hos, qui Christum iterum crucifigunt ac ludibrio habent. Haec non sunt peccata infirmitatis, sed sunt blasphemiae; quales sunt Epicureorum et obstinatorum, qui contra conscientiam persequuntur verbum Dei, et admonitionem et poenitentiam adeo [22]) aspernantur, ut securi triumphent, et sibi valde gratulentur hanc sapientiam, quod deridere Deum ausint. Nec valet ratiocinatio: Blasphemia non remittitur; ergo nullum peccatum remittitur. Imo Christus addit distinctionem, ut testetur alia peccata remitti. Matth. 12. [vs. 32.] Quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei. Poterit igitur intelligi, ut locus ille apud Ioannem [1. ep. 5, 16.]: Qui peccat peccatum ad mortem, pro eo non dico ut oretis.

Ac de blasphemia mox dicemus. Prius enim et de altero loco dicendum est, Hebr. 10. [vs. 26.] Voluntarie peccantibus post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia, sed terribilis expectatio iudicii. Hic locus prorsus nihil habet incommodi; non enim negat lapsos posse resurgere, sed tantum facit immediatam antithesim beneficii Christi et iudicii, ut excludat videlicet alias hostias et nova sacrificia etc. in hanc sententiam: Postquam Christi beneficium consecuti sumus, si id non retinemus, necessario alterum accedet, videlicet ut demus poenas in iudicio. Hic non negat lapsos posse redire ad beneficium Christi, sed tantum inter se opponit beneficium Christi et iudicium: Qui amittit beneficium Christi, reus est iudicii. Porro ideo etiam hoc dicit, ut ad bene operandum hortetur, ne homines securi pergant malefacere, hac opinione, quod peccata facile expiari possint novis cultibus et operibus; sicut in lege immunditiae legis expiabantur. Iubet igitur retinere beneficium Christi, et cavere ne amittant, nec vetat ad id redire. Haec est simplex et germana sententia.

DE PECCATO IN SPIRITUM SANCTUM.

Augustinus intelligit peccatum in Spiritum sanctum alias finalem impoenitentiam in hostibus aut contemptoribus Evangelii, alias desperationem. Et satis commodam huius interpretationis rationem addit: Quia haec peccata proprie pugnant cum gratia; nam caetera peccata, cum ad gratiam confugimus, remittuntur, persecutio vero vel desperatio repudiat gratiam. Ideo sic interpretatur dictum Christi [Matth. 12, 32.]: Qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum; id est: qui verbum gratiae, quod praedicatum et confirmatum est testimoniis Spiritus sancti finaliter, repudiat etc. is habet irremissibile peccatum. Haec sententia Augustini satis commoda est; non enim omnis lapsus post agnitam veritatem iudicari debet peccatum irremissibile; supra enim recitavimus exempla et testimonia, quae docent tales lapsus condonari posse. Nec omnis persecutio Evangelii iudicari debet peccatum irremissibile; quia Manasses, Paulus et alii consecuti sunt veniam.

Imo utraque sententia retinenda est. Primum haec nobis certissima esse debet: Omnia peccata remitti credentibus; quia remissio peccatorum est universalis; iuxta illud [Ioh. 3, 15.]: Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat. Item [Rom. 5, 20.] Gratia exuberat supra peccatum. Item [1. Ioh. 2, 2.]: Ipse est propitiatio pro peccatis, non nostris tantum, sed totius mundi. Quare si quis negat pro suis peccatis valere hostiam Christum, is contumelia afficit Christum. Est et haec contumelia, sentire regnum peccati pontentius esse regno gratiae et Christi. Ideo haec sententia certissima nobis esse debet: Omnia peccata remitti credentibus.

Nunc ad alteram venio. Teneatur et ista sententia, esse quoddam peccatum irremissibile, seu, ut Ioannes [1. ep. 5, 16.] vocat, peccatum ad mortem. Quodnam autem sit, non pertinet ad iudicium nostrum vel Ecclesiae; quia illud tantum constituendum est a posteriore: Tale peccatum non esse in his, qui veniunt ad poenitentiam et fidem.

Ex his satis liquet, non deterreri homines a poenitentia per illam comminationem Christi; pertinet enim tantum ad illos, qui non redeunt ad fidem. Et econtra promittitur remissio omnibus venientibus ad fidem. Haec collatio ostendit in genere, quod sit seu in quibus sit [23]) peccatum

20) incommode] Editt. 12. 13. commode

21) renovari] sic Editt. 2. 6—8. 11—14. et Opp.; Editt. 1. 4. 5. 9. renovare

22) adeo] sic Editt. 5. 7. 8. 11 — 14. et Opp.; Editt. 2. 4. 6. 9. a Deo *(inepte, sed explicatur ex* Editionis 1. *errore typogr.:* a deo).

23) sit] Editt. 12. 13. fit

irremissibile, videlicet, tantum in his, qui non veniunt ad poenitentiam et fidem. Idque testantur plerique loci. Ut ad Titum [3, 10 sq.]: Haereticum hominem post unam atque alteram admonitionem vitabis; quia proprio iudicio condemnatus est. Item de induratis, Rom. 11. [vss. 7 sq.] Reliqui indurati sunt; dedit eis spiritum exacerbatum, oculos, ne videant, dorsum eorum semper incurva. Hae sententiae describunt homines obstinatos et perseverantes in Evangelii persecutione, qui moniti atque convicti testimoniis Spiritus sancti, hoc est, miraculis vel certis scripturis, tamen non desinunt manifestam impietatem defendere et stabilire. Sicut Pharao nihil deterritus tot miraculis pergebat furere et saevire in Israelitas, Iudaei in Christum et Apostolos. Et deinceps similes sunt omnibus temporibus obstinati hostes Evangelii. Haec est simplex et meo iudicio utilis interpretatio sumpta a collatione, videlicet, cum haec universalis certa sit, Remitti credentibus omnia peccata, transferendum erit peccatum irremissibile in illos, qui non veniunt ad fidem.

Cum igitur Ecclesia habeat hoc testimonium, omnia peccata remitti credentibus, item habeat mandatum solvendi, non disputent conscientiae nostrae, quodnam sit peccatum irremissibile, sed obtemperet mandato Dei de agenda poenitentia et fide. Hoc cum facimus, certum erit nos non habere peccatum irremissibile; iuxta illud [1. Tim. 1, 15.]: Certus sermo est et omni acceptatione dignus, quod Christus Iesus venerit in hunc mundum, ut salvos faceret peccatores.

Redeo nunc ad poenitentiae descriptionem. De vocabulo nihil opus est rixari, utimur enim more Ecclesiae pro conversione seu renovatione. Ceterum vocabulum fortassis apte ad eam partem accommodari potest, quam vocant contritionem; significat enim grammaticis poenitentia, aliter sentire, quam antea, seu improbare [24]) id quod antea placuit, ac dolere etiam propter erratum. Scriptura vel contritionem vel totam renovationem vocat poenitentiam. Scholastici numeraverunt tres partes poenitentiae, Contritionem, Confessionem et Satisfactionem. Quid de singulis partibus sentiendum sit, ordine dicemus. Nos docendi caussa partes duas poenitentiae facimus, Contritionem et Fidem. Si quis volet addere tertiam, quae tamen effectus est, videlicet totam novitatem vitae ac morum, non repugno. Ideo autem placuit fidem inter partes ponere, ut haec ipsa partitio statim admoneat homines de fide, quia, cum de remissione peccatorum agitur, necesse est simul de fide dici. At Scholastici doctores in hoc loco prorsus nullam faciunt fidei mentionem; ideoque non dissimulandos errores tradiderunt.

Dicamus igitur primum de Contritione. Vocamus Contritionem veros terrores ac dolores conscientiae, quae sentit Deum irasci peccato et dolet se peccasse. De hac parte concionatur scriptura, cum inquit [Matth. 3, 2.]: Agite poenitentiam. Item [Ioh. 16, 8.]: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato etc. Et 2. Cor. 7. [vs. 9.] Contristati estis ad poenitentiam. Et Rom. 1. [vs. 18.] Revelatur ira Dei super omnem impietatem. Iohel 2. [vs. 13.] Scindite corda vestra et non vestimenta vestra. Et Esaias: Ubi habitabit Dominus? In spiritu contrito et humiliato. Item [1, 16.]: Desinite perverse agere. Psalmi pleni sunt exemplorum. Psalm. 37. [vs. 5.] Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum, sicut onus grave gravatae sunt super me. Item [Ps. 110, 10.]: Initium sapientiae timor Domini. Et passim coniungit scriptura timorem et fidem. Beneplacitum est Domino super timentes eum, et erga eos, qui confidunt in misericordia eius.

Haec et similia loca testantur necessariam esse aliquam Contritionem, et haec quidem crescere debet ita, ut non solum externa delicta, sed etiam interiorem immunditiem agnoscamus. Quare non est poenitentia in securis hypocritis, qui nullo dolore afficiuntur, et sibi interim blandiuntur, quasi nihil habeant vitii. Et hanc securitatem Christus saepe severissime reprehendit. Ut [Luc. 13, 5.]: Nisi egeritis poenitentiam, similiter omnes peribitis etc. Fiunt autem hi terrores ac dolores in nobis per verbum Dei, quod arguit peccata. Et arguuntur peccata per Evangelium; ut Paulus dicit [Rom. 1, 18.]: Nunc revelatur ira Dei etc. Et utitur Evangelium eandem ad rem ministerio legis; sicut Paulus inquit [Rom. 3, 20.]: Per legem cognitio peccati. Hoc igitur initio fit in poenitentia, sed nisi accederet ad hos terrores fides, quae rursus erigeret et consolaretur animos, contritio, id est, dolores isti fierent mors aeterna. Ideo docendae sunt conscientiae non solum de Contritione, sed etiam de fide.

Est igitur altera pars Fides, quae est non tantum historiae vel legis notitia, sed fiducia, qua credit unusquisque sibi remitti peccata propter Christum gratis. Haec fides necessaria est ad consequendam remissionem peccatorum, ut testimonia ostendent, quae paulo post colligemus. Haec fides discrimen facit inter contritionem Petri et Iudae, Davidis et Saulis. Ideo non profuit contritio Iudae aut [25]) Saulis, quia non addiderunt hanc fidem.

---

24) improbare] Ed. 11. et Opp. typ. errore: improbari

25) aut] Ed. 11. et Opp. utroque loco: et

Ideo profuit contritio Petri aut[25]) Davidis, quia accessit fides, qua apprehendebant[26]) promissam misericordiam, et se consolabantur.

Haec fides discrimen facit inter timorem servilem et filialem: neque enim opus est hic subtiliter disputare de attritione, contritione, quando timor ex dilectione oriatur, quando sit metus poenae. Nam hi affectus etiam in sanctis commixti sunt: sed simplex et plana descriptio est. Timor servilis est metus sine fide. Timor filialis est metus, ad quem accedit fides, quae inter pavores erigit et consolatur animum.

Ex his liquet, nos retinere ac maxime[27]) requirere contritionem, sed tamen taxare errores ac labyrinthos perniciosos conscientiis, quos de Contritione tradiderunt Scholastici. Falsum est enim, quod affingunt de Contritione, quod remissio peccatorum contingat propter dignitatem Contritionis; quia conscientiae adigerentur ad desperationem, si in veris terroribus sentire deberent, se non habere remissionem peccatorum, nisi dolor satis dignus ac sufficiens esset.

Deinde reprehendendi sunt et illi labyrinthi inextricabiles, quod dicunt Contritionem mereri remissionem peccatorum, tunc, cum fit ex dilectione Dei, non cum fit metu poenae; et tamen fatentur incertum esse, quando fiat ex dilectione Dei. Ita relinquunt conscientias ambigentes. Hi labyrinthi etiam apud ipsos inexplicabiles[28]) sunt. Nos igitur constituimus necessariam esse aliquam Contritionem. Deinde addimus: haec contritio non meretur remissionem peccatorum; hoc est, remissio peccatorum non contingit propter dignitatem Contritionis, sed fides accedere debet, quae statuit gratis remitti peccata propter Christum. Et quidem haec fides statuere debet in specie, tibi remitti peccata. Non satis est in genere credere, quod Deus aliquibus ignoscat. Sic etiam diabolus credit, non enim ignorat in Ecclesia esse remissionem peccatorum. Sed singuli statuere debemus nobis ipsis ignosci. De hac fide speciali loquimur, qua sibi quisque applicat beneficium Christi.

Testimonia.

Actuum 10. [vs. 43.] Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Haec est plana[29]) et clara sententia, quod propter Christum detur remissio peccatorum, et quod hoc fide statuere debeamus[30]) de Christo.

Rom. 5. [vs. 1.] Iustificati fide pacem habemus, id est, pacatas et tranquillas conscientias etc.

Sed dicat aliquis: Scio fide opus esse, verum illud probandum est, quod gratis remittantur peccata. Haec est Epitasis certaminis etiam in conscientia; nemo enim ignorat Deum misericordem esse et remittere peccata; sed illud dubitamus, an nobis remissurus sit, cum simus indigni. Quare opus est in conspectu habere testimonia, quae confirment nos, ut sciamus haec duo, videlicet, promissionem universalem esse, deinde et gratuitam. Rom. 3. [vs. 24.] Iustificati gratis ipsius gratia per redemptionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem. Hic locus clare addit particulam exclusivam gratis, quae non excludit bona opera, sed caussam remissionis peccatorum transfert a nostra dignitate in Christum, ut sit certa promissio. Quare statuendum est remissionem peccatorum non propter dignitatem nostrae contritionis vel nostrorum operum contingere, sed tantum fiducia beneficii Christi. Eph. 2.[31]) [vs. 5.] Gratia salvati estis; Dei donum est, non ex vobis. Rom. 8. [vs. 3.] Cum esset impossibile legi, misit Deus Filium suum etc. Id est: Cum nunquam legi satisfaciamus, Lex semper accusat nos, non igitur possumus opponere irae ac iudicio Dei nostram dignitatem; sed tantum debemus opponere mediatorem Christum; iuxta illud, Rom. 5. [vs. 2.] Per hunc habemus accessum ad Patrem etc. Ideo et Rom. 4. [vs. 16.] sic argumentatur Paulus. Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. Si enim penderet reconciliatio ex dignitate contritionis nostrae aut operum nostrorum, cum nunquam legi satisfaciamus, fieret incerta aut irrita promissio reconciliationis.

Huc iam pertinent multae sententiae Psalmorum et Prophetarum. Psalm. 31. [vs. 5.] Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remittis impietatem peccati mei. Psalm. 142. [vs. 2.] Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Hae et similes sententiae docent, nos non posse opponere nostram dignitatem iudicio Dei, sed nobis opus esse gratuita misericordia.

Constat igitur in remissione peccatorum fide opus esse, et fidem debere niti non dignitate nostra, sed tantum beneficio Christi; atque hac fide liberantur corda a terroribus peccati et ab inferis, et in ea consolatione donamur et vivificamur Spiritu sancto. Ideo inquit Paulus [1. Cor. 15, 56.]: Acu-

---

26) apprehendebant] Ed. 11. typoth. errore: apprehendebat

27) maxime] Editt. 12. 13. errore typogr.: maximae

28) inexplicabiles] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: inextricabiles

29) plana] Editt. 8. 12. 13. typ. errore: plena

30) debeamus] Ed. 11. et Opp.: debemus

31) 2.] sic recte Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: Editt. 1. 2. 4—6. 9.: 3.

leus mortis peccatum est, potentia peccati Lex; sed gratia Deo, qui dat nobis historiam per Dominum nostrum Iesum Christum.

Hactenus dixi de Contritione et Fide, qua consequimur remissionem peccatorum. Et has posui partes poenitentiae docendi caussa eo libentius, ut hac quasi epitome indicarem duas praecipuas universae scripturae partes, quae alias arguit peccata, alias promittit consolationem etc. [32]) Cum autem hoc modo reconciliati sumus, postea debet sequi iustitia bonae conscientiae. Ut Ioan. inquit [Matth. 3, 8.]: Facite fructus dignos poenitentiae. [33]) Et Paulus [Rom. 8, 12.]; Debitores sumus non carni etc. Et tamen, quia non satisfacimus legi, conscientia interim teneat semper hoc beneficium: quod persona sit iusta, id est, accepta fide propter Christum, et quod sequentia opera placeant et sint iustitia, quia persona est reconciliata. Haec supra copiosius tractata sunt. Ideo propero ad reliquas partes, quas hic recensent, ad Confessionem et Satisfactionem.

DE CONFESSIONE.

Confessio usitata et Satisfactio sunt ortae ab Ecclesiastico ritu publicae poenitentiae. Olim enim rei criminum publicorum excommunicabantur, nec recipiebantur nisi primum confessi, hoc est, nisi prius testarentur apud Pastores se emendaturos esse mores, et peterent absolutionem etc. Et addebatur Satisfactio, hoc est, publica quaedam castigatio, vel exempli caussa, ut alii admoniti caverent, ne laberentur, vel ut exploraretur ipsorum animus, qui redibant ad Ecclesiam, an serio resipiscerent. Ab his ritibus et usitata Confessio orta est, et reliquum est nunc Satisfactionis nomen.

Dicamus autem prius de Confessione. Non est necessaria, nec iure divino mandata enumeratio peccatorum. Nullum enim extat hac de re mandatum in scripturis. Praeterea talis enumeratio impossibilis est; iuxta illud [Ps. 18, 13.]: Delicta quis intelligit. Idem testantur et prudentiores Canonistae, hanc enumerationem non esse iuris divini. Postremo Graeca Ecclesia iam olim abolevit hunc morem propter stupratam a Diacono mulierculam, ut recitat historia tripartita. Non potuisset autem hic mos aboleri, si esset iuris divini. Cum autem[34]) constet, quanta carnificina conscientiarum fuerit illa acerba exactio enumerationis, prodest moneri pias mentes, ut sciant Canonem illum, qui praecipit de enumeratione, tantum traditionem humanam esse.

Ceterum prodest retinere in Ecclesiis Confessionem; Primum propter absolutionem, de qua postea dicemus; Deinde etiam propter disciplinam, quia per eam occasionem indocti audiri et commodius institui de tota doctrina possunt. Et indecorum est prorsus, inexploratos accedere ad Communionem. Sed tamen scire oportet, conscientias non esse onerandas enumeratione delictorum, possunt enim etiam sine hac et absolutionem et consilia petere.

Sed si quis obiiciet: [35]) Iudex non absolvit, nisi prius cognoscat; hic fit absolutio; ergo necesse est etiam fieri cognitionem atque enumerationem criminum.

Ad hoc ita respondendum est. Duplex est potestas Pastorum. Altera vocatur ministerium, quo impertiunt nobis Evangelium et Sacramenta, et annuntiant remissionem peccatorum publice et privatim. Haec potestas non est mandatum cognoscendi, nec est iudicium, sed tantum mandatum impertiendi beneficii atque absolutionis, itaque pertinet etiam ad occulta peccata, et quae nos ipsi non meminimus; Quare haec administratio non requirit cognitionem, non est enim iudicium.

Altera potestas vocatur Iurisdictio, quae est iudicium quoddam externum Ecclesiae, quod tantum ad manifesta crimina pertinet, excommunicat et absolvit. Hic non potest ferri sententia, nisi facta cognitione. Nemo enim nominatim [36]) excommunicandus est coram Ecclesia, nisi crimen notum sit; nemo etiam absolvendus est, nisi re cognita, hoc est, nisi constet eum mores mutasse in melius. Et hoc non est iudicium conscientiae, sed externorum morum.

Estque hoc discrimen ministerii et iurisdictionis externae diligenter observandum. Nam ministerium Evangelii ad conscientiam pertinet. Quod autem Evangelium publice et privatim omnibus applicari possit, testatur haec ipsa sententia [Ioh. 20, 23.]: Quorum remiseritis peccata, remittentur eis. Item [Matth. 18, 21.]: Quoties peccabit in me frater, et remittam ei? Loquitur enim de remissione, quam Deus approbat. Quare privata absolutio magnam consolationem affert; applicat enim Evangelium, et testatur ad nos pertinere beneficium Evangelii. Quidam vociferantur: Homines non posse remittere peccata. Id verum est, nisi ita quatenus vice Dei annuntiant verbum. Est autem Evangelium mandatum remittendi peccata cum publice tum privatim. Nam et in Sacramentis homines remit-

32) etc. *omittunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

33) poenitentiae] sic (= Vulgat.) Editt. 1. 4. 5. 9.; Editt. 2. 6—8. 11—14. et Opp.: poenitentia

34) autem] Ed. 1. typoth. errore: autè

35) obiiciet:] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: obiiciat

36) nominatim *addunt* Editt. 8. 11—13. et Opp.

tunt peccata tanquam ministri. Nec aliud est, Ego baptizo te, quam, remitto tibi peccatum. Sunt enim et Sacramenta applicationes Evangelii, quae testantur beneficium Evangelii ad nos pertinere. Debet enim fides credere non solum in genere, quod aliquibus contingat remissio; sed unusquisque credere debet sibi ipsi contingere remissionem etc. Sicut Christus inquit [Luc. 7, 50.]: Fides tua te salvam [37]) fecit. Et Paulus [Rom. 5, 1.]: Iustificati fide pacem habemus etc. [38])

Reliqua argumenta de Confessione facile diiudicari possunt. Illud observandum est, nomen Confessionis aliquoties repeti in scripturis. Ibi plerumque Confessio peccatorum significat proprie agnitionem peccatorum, hoc est, ingentes dolores, in quibus coram Deo peccatum ex animo agnoscimus et quaerimus misericordiam. Ut [Ps. 50, 5.]: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper. Et Psalm. 37. [vs. 4.] Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae; non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum. Et deinde: Quoniam iniquitatem meam annuntiabo. Haec Confessio, quae in talibus locis describitur, proprie est illa [39]) ipsa Contritio, de qua supra dictum est. Significat enim cordis Confessionem, hoc est, dolores, qui existunt, cum vere agnoscimus peccatum. Docent autem hi loci in hac Confessione seu contritione veros dolores esse. Quare non est poenitentia in his, qui sunt, ut Paulus [Eph. 4, 19.] vocat ἀπηλγηκότες, nec dolore ullo aut metu irae Dei afficiuntur, sed securi indulgent suis cupiditatibus, sicut bruta animalia nata ad mactationem; sic enim describit Petrus [2. ep. 2, 12 sqq.] homines impie securos.

DE SATISFACTIONE.

Olim in Ecclesia famosi non recipiebantur sine quadam publica castigatione, quam vocabant Satisfactionem. Hoc more iam olim antiquato, tamen manet vocabulum, et vestigium quoddam veteris moris, quod peperit multas disputationes. Vetera illa spectacula publicae poenitentiae fuerunt quaedam externa et politica disciplina Ecclesiae, humana autoritate instituta, quae non pertinuit ad conscientiam seu ad remissionem peccatorum coram Deo; sed homines indocti, ut in aliis multis accidit, ex re politica fecerunt spiritualem, et finxerunt satisfactiones necessarias esse ad remissionem peccatorum coram Deo. De hac tota re quid sentiendum sit, breviter dicemus. Nam et prodest in hac materia errores, qui pericula conscientiis afferunt refellere; [40]) et quaedam hic de discrimine remissionis culpae et poenae dicenda sunt, quae utile est in Ecclesia extare.

Primum igitur sciendum est, non fieri hic mentionem civilium satisfactionum, ut cum dicimus satisfaciendum esse his, quorum res occupatas tenemus. Haec sunt opera non indebita, sed necessaria et ad contritionem pertinent; iuxta illud [Ies. 1, 16.]: Desinite male facere. Nam satisfactiones hoc loco definiunt opera non debita, quibus redimendae sunt poenae purgatorii, aut certae [41]) aliae temporales poenae. Sic enim dicunt Scholastici: Deum, cum sit misericors, remittere culpam, sed cum sit etiam iustus et vindex, mutare poenam aeternam in temporalem purgatorii. Deinde addunt partem illarum poenarum remitti potestate clavium, partem redimendam esse satisfactionibus. Haec est summa commenti. Recte autem fatentur non remitti culpam propter satisfactiones. Postea autem de compensatione aeternae poenae hallucinantur. Error est enim sentire, quod aeternae poenae remittantur propter nostram compensationem. Et multo absurdius est, quod fingunt propter opera non debita remitti.

Nos igitur remissionem culpae et mortis aeternae coniungimus, et docemus utrumque esse beneficium Christi gratuitum. Fide liberamur gratis propter Christum a culpa et ira Dei seu morte aeterna, iuxta has sententias [1. Cor. 15, 56.]: Aculeus mortis peccatum est etc. Deo autem gratia, per quem habemus victoriam. Item [Oseae 13, 14.]: O mors, ero mors tua. Item Rom. 6. [vs. 23.] Donum Dei vita aeterna est [42]) per Iesum Christum etc. Et in ipsa remissione cum fide erigimur, liberamur a morte aeterna; iuxta illud [Rom. 5, 1.]: Iustificati fide pacem habemus. Quare Christum contumelia afficit, si quis remissionem mortis aeternae transfert in nostram compensationem.

Secundo. Quanquam non divelli debent remissio culpae et mortis aeternae, tamen discerni debent remissio culpae et remissio temporalium poenarum; sustinent enim sancti communes aerumnas humani generis. Praeterea Deus punit certa peccata peculiaribus poenis. Sicut David plectebatur propter adulterium. Ac profecto plus quam ferreum pectus habet, quisquis non expavescit, si cogitet, quam horribiliter puniverit Deus peccatum illud Davidis. Mota seditio est, interfecta multa

---

37) te salvam] Ed. 11. et Opp.: salvam te

38) etc. *omittunt* Editt. 12. 13.

39) est illa] Editt. 12. 13. illa est

40) refellere] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: revellere.

41) certae] Ed. 11. et Opp.: certe

42) aeterna est] Editt. 12. 13. est aeterna

millia civium,[43]) postea regnum Israel a regno Iuda avulsum. Haec mutatio regni peperit perpetuam dissipationem illius populi, dissipationem religionis, bella.[43]) Tot peccatorum caussa fuit unus ille Davidis[44]) lapsus. Item populus Israel maximis cladibus punitus est propter idololatriam. Nec dubium est, et nunc plecti mundum propter idololatriam, libidines, helluationes et alia vitia. Et quidem de sanctis Dei ait Petrus [1. ep. 4, 17.]: Iudicium a domo Dei incipit. Discerni igitur debent poenae temporales a culpa, et discendum, quid de his poenis sentiendum sit, et quomodo mitigentur.

Primum igitur hoc sciendum est, has poenas, quia divinitus infliguntur, prorsus nihil pertinere ad potestatem clavium, has poenas neque remittunt neque imponunt claves.

Secundo. Non semper afflictiones sanctorum poenae iudicandae sunt, ut Ioannis, Pauli et similium supplicia non fuerunt poenae pro certis delictis. Et Deus ipse excusat Iob, et testatur eum non propter praeterita delicta affligi. Deinde ut sint aliquando poenae, tamen opus est nos habere consolationem, et videre alium finem crucis et afflictionum. Si enim tantum poenae essent iudicandae, tantum ira Dei proponeretur conscientiis. Evangelium igitur alium finem proponit, docet crucem esse exercitium, quo aboleatur peccatum in nobis, et crescat novitas spiritus. Ut Paulus inquit [2. Cor. 4, 16.]: Exterior noster homo corrumpitur, ut interior renovetur de die in diem.

Tertio. Et tamen discendum est, nostra poenitentia mitigari has poenas. Hic prodest discernere remissionem culpae a remissione poenae in hac vita. Publicae et privatae calamitates mitigantur tota poenitentia nostra. Iuxta illud [1. Cor. 11, 31.]: Si nos iudicaremus ipsi, non iudicaremur a domino. Item [Zach. 1, 3.]: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos. Est enim sententia: Si egeritis poenitentiam, benefaciam vobis, ingentia praemia reddam. Huc pertinent et illa[45]) praeconia, Eleemosynae liberant a peccatis, videlicet quod ad remissionem poenae attinet, hoc est, merentur mitigationem calamitatum in hac vita.

Ac prodest in Ecclesia docere utrumque, quod poenae et propositae sint pro delictis, et mitigentur nostra poenitentia; loquimur enim de tota poenitentia, non de illis ridiculis satisfactionibus, quas fingunt valere, etiam cum fiunt in peccato mortali; quod quam sit absurdum, facile potest iudicari. Non enim placent Deo cultus impiorum iuxta illud [Ps. 5, 5.]: Deus non volens impietatem tu es.

Quarto. Satisfactiones Scholasticae obscurant Legem et Evangelium, et amplificant dignitatem traditionum humanarum, fingunt enim in satisfactionibus aliquid amplius lege fieri, et somniant reliquis operibus legem impletam esse. Necesse est autem in Ecclesia extare hanc doctrinam, quod procul absint etiam sancti a perfectione legis. Deinde Evangelium obscurant, quia fingunt mortem aeternam nostra compensatione aboleri. Item, indocti facile transferunt in satisfactiones etiam remissionem culpae. Tertio amplificant traditiones humanas, fatentur enim satisfactiones esse opera non debita, hoc est, traditiones humanas certorum dierum ieiunia, certorum ciborum abstinentiam, certarum precum lectiones etc. Haec si sunt satisfactiones, magna erit dignitas traditionum et vitae monasticae. At in Ecclesia necesse est extare hanc doctrinam Christi [Matth. 15, 9.]: Frustra colunt me mandatis hominum. Necesse est cavere, ne laudibus traditionum obruantur vere bona opera.

Ex his omnibus satis liquet, non esse onerandas conscientias satisfactionibus illis usitatis. Primum enim claves habent mandatum remittendi peccata, et docent de gratuita remissione peccatorum, non habent mandatum imponendi poenam. Secundo falsum est, mortem aeternam aboleri nostra compensatione. Tertio, opinio de satisfactionibus legem et Evangelium obscurat, et falso amplificat traditiones humanas. Et tamen sentiendum est tota nostra poenitentia ac debitis operibus mitigari poenas temporales. Ergo augendum est studium bene operandi etiam hac adhortatione: quia calamitates mitigentur nostra poenitentia.

Si quis quaerat: An non est postulanda diligentia cohercendi carnem et ieiunia et alia exercitia? respondeo: Haec exercitia maxime et requirenda et praestanda sunt; idque hoc fine, non ut sint pretia pro praeteritis delictis, sed ut carnem coherceant, ut in posterum minus peccet. Atque haec diligentia cohercendi carnem est opus debitum et mandatum a Deo, non opus indebitum. Qui nimium indulgent carni, qui non habent mediocria exercitia temperantiae, continentiae et orationis, prorsus peccant. Quia Christus inquit [Luc. 21, 34.]: Attendite, ne corda vestra graventur crapula. Item [Marc. 9, 28.]: Hoc genus daemoniorum non eiicitur, nisi ieiunio et oratione. Et Paulus [Col. 3, 5.]: Mortificate membra vestra etc. Item [1. Cor. 9, 27.]: Castigo corpus meum et in servitutem redigo. Item [Ex. 32, 6.]: Sedit populus manducare et bibere, et surrexit ad ludendum. Quomodo autem se quilibet exercere debeat, relinquitur cuiusque conscientiae. Non enim potest similis forma praescribi omnibus aut quocunque tempore, nec sunt laquei

43) postea regnum — bella.] Editt. 8. 11—13. et Opp.: Absalon (Ed. 11. et Opp.: Absolon) filius horribiliter periit, constupratae sunt coniuges Davidis.

44) Davidis *omittunt* Editt. 8. 11—13. et Opp.

45) pertinent et illa] Ed. 11. et Opp. typ. errore: pertinet illa

conscientiis iniiciendi. [46]) Praeterea haec exercitia debent esse perpetua, non tantum certi alicuius temporis; ideoque de eis praecipit Ecclesia perpetuo in concionibus.

Fieri et hoc potest, ut aliquis pius faciat opera non debita, hoc est, ut largiatur, ubi sine conscientiae offensione poterat non largiri. Sicut Paulus gratis praedicabat Evangelium, cum ei liceret poscere victum. Haec sunt egregia opera libertatis spiritus, et sunt magna merita, nec prohibeo, quo minus vocentur opera supererogationis. [47]) Interim tamen intelligit Paulus, se adhuc alioqui procul abesse a perfectione legis, quia haerent in carne ignoratio, concupiscentia, quae retardant timorem et fidem.

Citant de satisfactionibus hoc dictum Pauli [1. Cor. 11, 31.]: Si nos iudicaremus ipsi, non iudicaremur a Domino; idque sic interpretantur: Si nos puniremus ipsi, non puniremur a Domino. Inde ratiocinantur, nostris poenis tolli poenas, quas Deus minatur.

Ad hoc respondeo: Paulum non posse intelligi de illis satisfactionibus indebitis; sed necesse est eum accipi de tota poenitentia. Et iudicare significat vere et ex animo damnare peccatum, hoc fit in contritione et tota poenitentia. Porro dictum est supra, mitigari aut tolli poenas temporales tota poenitentia et debitis operibus; idque prodest docere. Sicut et Esaias docet cap. 58. [vs. 4.] ubi et vituperat traditiones et requirit debita opera: Ecce ad lites et contentiones ieiunatis etc. Nonne hoc ieiunium magis elegi? [48]) Frange esurienti panem etc. tunc eris velut hortus irriguus. Ad eundem modum concionantur passim Prophetae. Mich. 6. [vs. 7.] Nunquid placari potest Deus milibus arietum etc. Indicabo tibi, quid sit bonum et quid requirat Deus: Facere iustitiam et diligere misericordiam et in timore ambulare coram Deo tuo.

Sed obiiciunt: Peccata merentur poenas, nullum igitur remittitur peccatum, nisi aliquae poenae solvantur; ergo, cum per poenitentiam remittuntur peccata, habet ipsa poenitentia rationem poenae et compensationis, ideoque cumulanda est multis poenis etc. Hoc novo fuco pingunt iam nonnulli satisfactionem. Sed utraque consequentia neganda est. Non est enim verum: nulla peccata sine poenis remitti; imo saepe promittit Deus remissionem etiam temporalium poenarum his, qui agunt poenitentiam. Et est notum exemplum Ninives. Praeterea poenitentia consequitur remissionem poenarum, non tanquam compensatio, sed propter promissionem divinam [Zach. 1, 3.]: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos. Sed haec Sophistica nolo copiosius persequi, tantum admonere studiosos volui, propterea quod hac nova cavillatione quidam defendunt satisfactionem. Habet enim hypocrisis multiplex artificium. Illud magis pium est ac simplicius, non arroganter sentire de nostra poenitentia, nec tribuere poenitentiae rationem pretii seu compensationis pro superioribus delictis. Est enim nova et debita obedientia, et satis est, caussam remissionis seu mitigationis poenarum conferre in misericordiam et promissionem Dei.

Allegant et exempla. David post remissionem culpae plectitur exilio et bello civili. Adam post remissionem culpae subiicitur morti corporali et caeteris aerumnis huius vitae. De his exemplis supra dictum est, saepe [49]) divinitus infligi poenas, sed hae nihil ad claves pertinent; nec sequitur ex his exemplis, poenas illas tolli per ceremonias satisfactionum, sed, ut dictum est, mitigantur tota poenitentia. Et supra admonui, non semper esse poenas certorum delictorum eas afflictiones, quas sancti sustinent.

Quod autem veteres scriptores Ecclesiastici et Concilia mentionem faciunt Satisfactionum, loquuntur de ritu ac spectaculo sui temporis, nec sentiebant homines eo ritu mereri remissionem culpae aut poenarum, purgatorii aut aliarum; sed sciebant politicum morem Ecclesiae esse institutum humana auctoritate exempli caussa ad caeteros dehortandos a flagitiis aut ad explorandos eos, qui ad Ecclesiam redibant, an ex animo resipuissent. Et Ambrosius diserte inquit: satis esse, si in vita semel haec publica poenitentia fiat. Quibus verbis significat, non requiri illas Satisfactiones ad remissionem peccatorum, alioqui toties iussisset repeti, quoties opus est poenitentia.

Et ex illo veteri more ortae sunt indulgentiae, quas sic vocant, quae nihil aliud sunt ac fuerunt, nisi illarum publicarum poenarum condonationes. Postea homines indocti aut etiam improbi vendiderunt indulgentias ingentibus promissis, quasi essent quaedam certiores et liberaliores remissiones magnorum delictorum et poenarum, et affinxerunt se in indulgentiis impertire aliis superflua merita sanctorum. Ita multa erant absurda in illis imposturis, quae facile iudicari possunt a piis et mediocriter eruditis. Cum enim indulgentiae tantum sint relaxationes veterum canonum, una cum illis canonibus antiquatae sunt et ipsae indulgentiae. Erant autem illi canones ac mores humanae traditiones, et nihil ad remissionem culpae aut poenarum coram Deo pertinebant. Quare multo minus indulgentiae illae

46) iniiciendi.] Ed. 1. typ. errore: inquijciendi.

47) supererogationis] Editt. 1. 2. male disiunctim: super erogationis

48) elegi?] sic Editt. 2. 4—9. 11—14. et Opp.; Ed. 1. elegit.

49) saepe] Ed. 1. typ. errore: sepae

pertinent ad remissionem culpae aut poenarum, nec opus est illos canones restituere, cum tantum fuerint humanae traditiones.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA SEU DE CLAVIBUS.

Claves significant domesticam aliquam administrationem. Cumque Evangelium sit quasi oeconomica quaedam administratio, nec coherceat vi corporali, sed tantum verbis, nomine clavium utimur in significanda Ecclesiastica administratione. Idem igitur significant potestas Ecclesiastica et claves. Est autem vetus partitio admodum commoda, quae partitur Ecclesiasticam potestatem in potestatem ordinis et iurisdictionis. Potestas ordinis est, quam alioqui vocant ministerium Evangelii, hoc est, mandatum docendi Evangelium et annuntiandi remissionem peccatorum et impertiendi Sacramenta singulis aut pluribus. Iurisdictio vero est potestas excommunicandi obnoxios publicis criminibus, et rursus absolvendi eos, si conversi petant absolutionem. Itaque haec proprie complectitur potestas Ecclesiastica, iuxta Evangelium, mandatum docendi Evangelium et annuntiandi remissionem peccatorum et impertiendi Sacramenta singulis aut pluribus, vocandi ministros; [50]) deinde iurisdictionem, quam diximus, sine vi corporali.

Nec vero est potestas tyrannica, hoc est, sine certo mandato, sine certa lege. Nec licet eis comminisci novam doctrinam, sed habent certam doctrinam a Christo traditam, quam debent pure proponere. Ita dat mandatum Christus Matthaei ultimo [28, 20.]: Docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis. Et Paulus [Gal. 1, 8.]: Si angelus de coelo aliud docuerit, quam nos docuimus, anathema sit. Haec satis gravis comminatio est, quae vetat condere novos articulos fidei extra scripturam, et novam doctrinam dissentientem ab Evangelio, quod extat in sacris literis; prohibet et Ecclesiae audire doctrinam ab illo Evangelio dissentientem.

Deinde et Iurisdictio non habet potestatem vi corporali cohercendi, sed tantum verbis cohercet, hoc est, excommunicat. Sicut Christus docuit Matth. 18. [vs. 17.] Sit tibi velut ethnicus. Non iubet Apostolos, ut gladio coherceant. Et Ioan. 20. [vs. 21.] dicitur: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos etc. Dicit autem alio loco [Ioh. 18, 36.]: Regnum meum non est de hoc mundo. Et Paulus 2. Cor. 1. [vs. 23.]: Non dominamur fidei vestrae, sed adiutores sumus gaudii vestri.

Ex his liquet, potestatem Ecclesiasticam discernendam esse a Politica potestate seu regno mundano. Potestas civilis in mundo fert leges de defensione corporum, de distinctione dominiorum, de contractibus, de criminibus, et cohercet vi corporali. Econtra potestas Ecclesiastica impertit res aeternas et spirituales, hoc est, doctrinam coelestem, et cohercet verbis. Quare non improbat neque abolet potestatem civilem, imo eam approbat et sanctorum corpora ei subiicit. Et tamen discrimen scire oportet, ne Ecclesiastica potestas invadat in officia potestatis politicae seu regni mundani.

Quod Christus in passione spinis coronatur, et producitur deridendus in regia purpura, significatum est fore, ut spreto vero regno spirituali, hoc est, oppresso Evangelio, constituatur aliud mundanum regnum praetextu potestatis Ecclesiasticae. Sicut quidam indocti scripserunt, Romanum pontificem iure divino esse dominum regnorum mundi. Et Anabaptistae et [51]) similes, qui vi et armis conantur propagare doctrinam suam, transformant potestatem Ecclesiasticam in mundanam, et Christum spinis coronant, et in purpura traducunt, et contumelia afficiunt. Prudenter igitur potestates discernendae sunt, ne obscuretur regnum Christi. Nam haec falsa persuasio postea multos errores parit; obscuratur enim doctrina de fide et spirituali iustitia et cruce, cum existimant homines, Christianam iustitiam tantum externam illam et politicam conversationem esse. Et hi, qui docere debebant et sustinere crucem, rapiunt imperia contra voluntatem Dei. Hi errores et haec scandala cavenda sunt.

Sunt et alii errores. Vuiclef contendit ministris Ecclesiarum non licere proprium et divitias tenere. Hic non discernit officia seu potestates, sed discernit opes. Nos docemus officia discernenda esse. Interim tamen licet cuilibet ministro Ecclesiastico uti politicis rebus, sicut cibo et potu; hoc est, licet ei tenere proprium, divitias, donationes principum, habere administrationem in suis bonis. Sicut licet pastori Ecclesiae simul esse patremfamilias; aut sicut Paulus simul fuit textor et Apostolus. Illud tantum videat minister, ut suum officium recte faciat, nec praetextu Ecclesiasticae potestatis usurpet officia mundani regni; non moveat seditiones, non sumat [52]) arma ad propagandam [53]) doctrinam, non eripiat aliis imperia, quasi id praecipiat Evangelium; sicut faciebat Monetarius, et modo similis est furor Anabaptistarum. Haec breviter volui monere lectorem. Nam illa etiam

---

50) vocandi ministros. *addunt* Editt. 8. 11—13. et Opp.

51) et] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: ac

52) sumat] Ed. 11. sumet

53) propagandam] Ed. 11. et Opp.: propagandum

Vuiclefica [54]) superstitio perniciosa et seditiosa est, quae adigit ministros Ecclesiarum ad mendicitatem, et negat eis licere proprium tenere.

Hactenus dixi de proprio officio seu mandato potestatis Ecclesiasticae. Nunc reliqua est quaestio, quae debeatur ministris Ecclesiarum obedientia. Item: An liceat Episcopis condere traditiones?

Primum de obedientia respondeo. Sicut verbo Dei, ita ministris docentibus verbum Dei, quod ad ministerium attinet, debetur obedientia. Sicut praecipit scriptura [Luc. 10, 16.]: Qui vos audit, me audit. Item [Matth. 23, 3.]: Quicquid dixerint, facite. Item [1. Petr. 2, 13. 18.]: Obedite praepositis vestris. Nam hae sententiae loquuntur de ministerio, et requirunt obedientiam debitam ipsi Evangelio, non constituunt autem regnum doctoribus extra Evangelium. Debetur eis etiam obedientia in iurisdictione, quam habent iuxta Evangelium, videlicet in cognitione criminum, in audiendis testibus, in legitima excommunicatione etc. Sed de ceremoniis quid sentiendum sit, postea dicam. Habent enim autoritatem ordinandi ceremonias, hoc fine, ut ordine gerantur res in publico Ecclesiae coetu. Sicut Paulus [1. Cor. 11, 5 sq.] ordinat, ut mulieres tegant capita. Et Ecclesia initio diem Dominicum et alios quosdam dies festos constituit, ut certa essent docendi tempora. Sed hae ordinationes non debent superstitiose intelligi; non enim sunt iustitiae [55]) seu cultus necessarii ad iustitiam, sed sunt re ipsa res ἀδιάφοραι, quae extra scandali casum omitti possunt sine peccato. Itaque his traditionibus debetur obedientia, quod ad casum scandali attinet; extra casum scandali conscientiae sunt liberae, nec habent Episcopi ius magis onerandi conscientias suis traditionibus; sicut infra dicemus.

De Vocatione seu Ordinatione quaedam addenda sunt. Paulus praecipit Tito [1, 5.], ut in vicinis locis constituat Presbyteros. Extat igitur testimonium scripturae, quod Pastores sint ordinati a vicinis Pastoribus, hoc est, praefecti aliis Ecclesiis. Sed Ecclesia mandatum habet, ne admittat impios doctores, sed quaerat bonos; iuxta illud [Matth. 7, 15.]: Cavete a pseudoprophetis. Ideo ad electionem ministrorum accessit veteri more autoritas Ecclesiae, hoc est, eorum, quibus Ecclesia eam rem commisisset. Historiae et decreta testantur hunc fuisse morem: Populus eligebat, postea accessit autoritas vicini Episcopi, qui approbabat electum. Verba sunt haec in decreto Nicenae synodi, quod extat in tripartita historia lib. 8. [56]) pagina 325. *καὶ ὁ λαὸς αἱροῖτο* [57]), *συνεπιψηφίζοντος* [58]) *αὐτοῖς καὶ ἐπισφραγίζοντος τοῦ τῆς καθολικῆς Ἀλεξανδρείας ἐπισκόπου.*

Apud Cyprianum fit crebra mentio huius moris. [59]) Ut epistola 3. ad Cornelium: Quando Episcopus in locum defuncti substituitur, quando populi universi suffragio deligitur. Et epistola 4. Propter quod plebs obsequens praeceptis dominicis et Deum metuens, a peccatore praeposito separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere, quando ipsa maxime habet potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi. Et deinceps: Propter quod diligenter de divina traditione et Apostolica observatione servandum est et tenendum, quod apud nos quoque et fere in omnibus provinciis tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui praepositus ordinatur, Episcopi eiusdem provinciae proximi quique conveniant; et Episcopus deligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit; quod et apud vos factum videmus in Sabini collegae nostri ordinatione, ut de universae fraternitatis suffragio, et de Episcoporum, qui in praesentia convenerant, iudicio Episcopatus ei deferretur, et manus ei imponeretur.

Et Augustinus testatur, Episcopos in Africa a vicinis ordinatos esse, et Romanum ab Ostiensi. Et de populi suffragiis scribit in epist. 110. Veni, et quomodo voluit Dominus, adiuvit nos pro sua misericordia, ut cum pace Episcopum acciperent, quem prior designaverat Episcopus eorum, voluntatem enim praecedentis [60]) Episcopi sui libenter amplexi sunt. Minus tamen aliquid factum erat, unde nonnulli contristabantur, quia frater Severus putaverat sufficere, ut successorem suum apud Clericos designaret, apud populum inde non locutus est. Erat inde aliquorum nonnulla tristitia. Quid plura? Deo placuit, tristitia fugata est, gaudium successit, ordinatus est Episcopus, quem praecedens Episcopus designavit. Ego, ne aliqui de me querantur, voluntatem meam, quam credo Dei esse, in omnium vestrum notitiam profero, Presbyterum Eradium mihi successorem volo. A populo acclamatum est, fiat, fiat. Hic clare testatur Augustinus suffragiis populi Episcopos creatos esse. Idem exempla in historiis ostendunt, ut in vita Ambrosii

---

54) Vuiclefica] sic Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.; Editt. 1. 2. 4—6. 9. Vuicleuica

55) iustitiae] Ed. 11. et Opp.: iustitia

56) 8.] Opp. male: 1.

57) *αἱροῖτο.*] Ed. 14. *ᾑρεῖτο.*

58) *συνεπιψηφίζοντος*] sic recte Editt. 8. 11 — 13. et Opp.; Editt. 1. 2. 4—7. 9. *συνεψηφίζοντος*

59) moris] sic Editt. 2. 4 — 9. 11 — 14. et Opp.; Ed. 1. typ. errore: mortis

60) eorum, voluntatem enim praecedentis] Editt. 7. 8. 11 — 14. et Opp.: eorum, Hoc enim eis cum innotuisset, voluntatem praecedentis

legitur, populum fuisse congregatum ad eligendum Episcopum, atque ibi ab omnibus electum et expetitum esse Ambrosium. Et de Athanasio inquit Gregorius Nazianzenus: *οὕτω μὲν καὶ διὰ ταῦτα, ψήφῳ τοῦ λαοῦ παντὸς, οὐ κατὰ τὸν ὕστερον νικήσαντα πονηρὸν τρόπον, οὐδὲ φονικῶς τε καὶ τυραννικῶς, ἀλλὰ ἀποστολικῶς τε καὶ πνευματικῶς, ἐπὶ τὸν Μάρκου θρόνον ἀνάγεται.* Haec collegi, non ut ordinaria potestas contemnatur, sed ut intelligamus ius Ecclesiae, cum opus est. Nam hoc ius etiam scriptura tribuit Ecclesiae, cum praecipit de vitandis impiis doctoribus [Matth. 7, 15.]: Cavete a pseudoprophetis. Item [Gal. 1, 9.]: Si quis aliud Evangelium evangelizaverit, sit anathema. Christus vult summum esse iudicium Ecclesiae, cum ait [Matth. 18, 17.]: Dic Ecclesiae.

Cum igitur habeat Ecclesia mandatum reiiciendi impios doctores, habet etiam mandatum eligendi bonos doctores; quia claves pertinent ad Ecclesiam, iuxta hunc ipsum locum: Dic Ecclesiae. Et ubicunque est Ecclesia, ibi ius est administrandi Evangelii. Impossibile est enim Ecclesiam esse sine Evangelio, item sine remissione peccatorum. Ideo hoc ius proprium est Ecclesiae; iuxta illud [1. Petr. 2, 9.]: Vos estis regale sacerdotium; quae verba ad veram Ecclesiam pertinent. Est autem sacerdotium ius administrandi Evangelii. Item Eph. 4. [vs. 8.] Ascendit, dedit dona hominibus. Et numerat inter dona propria Ecclesiae Pastores et doctores; et addit dari tales ad ministerium, ad aedificationem corporis Christi, ad instruendos sanctos.

Ubi igitur est vera Ecclesia, ibi necesse est ius esse eligendi ministros. Vera autem Ecclesia est, quae habet purum verbum Dei; iuxta illud [Ioh. 10, 27.]: Oves meae vocem meam audiunt. Haec igitur ius suum retinet, etiamsi pios doctores hi, qui titulum habent ordinariae potestatis, nolint dare, qui manifestam veritatem damnant, et in bonos exercent saevitiam, ut defendant idololatriam. [61]) Christus enim vetuit Ecclesiam alligare ad certas personas et humanam auctoritatem, cum inquit [Matth. 24, 23.]: Cum dixerint: Ecce hic est, ecce illic, nolite credere. Et addit [Luc. 17, 20.]: Regnum Dei non venit cum observatione. Item [Matth. 18, 20.]: Ubicunque duo sunt in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum.

DE ECCLESIA.

Ecclesia etiam in scripturis interdum in genere significat congregationem omnium, qui profitentur Evangelium, et non sunt excommunicati, in quo promiscue boni et mali sunt. Sicut scriptum est [Matth. 13, 47.]: Simile est regnum coelorum sagenae missae in mare. Verum est enim malos non excommunicatos membra Ecclesiae esse secundum externam conversationem et signa exteriora. Sed Ecclesia proprie et principaliter significat congregationem iustorum, qui vere credunt Christo, et sanctificantur spiritu Christi. Atque haec Ecclesia habet externas notas, purum verbum Dei et legitimum usum Sacramentorum. Sic loquitur de Ecclesia Paulus, cum inquit Eph. 5. [vs. 25.] Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificet, mundans eam lavacro aquae per verbum, ut efficiat eam sibi gloriosam, non habentem maculam neque rugam etc. Haec descriptio complectitur et interiorem proprietatem et externas notas. De interiore proprietate loquitur, cum ait: Ut eam sanctificet. Et addit externas notas: Lavacrum et verbum.

Convenit et articulus in Symbolo huic Ecclesiae: Credo sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem. Id est: Credo esse veram aliquam Ecclesiam, quae sit congregatio sanctorum. Additur autem catholica, [62]) ut sit aliqua nota. Significat enim consentientem de Evangelio, quod per Apostolos traditum est. Et sic excludit haereses et falsas opiniones de ceremoniis, ne putemus Ecclesiam alligatam esse certis locis et certis ceremoniis humanis. Sed vult nos sentire Ecclesiam esse catholicam, hoc est, convenire de doctrina Evangelii, etiamsi per totum orbem dispersa dissimiles habet humanos ritus. Oportuit autem hunc articulum poni in Symbolo, ne in tantis humanis vitiis existimaremus Ecclesiam prorsus a Deo abiectam esse. Ideo muniendi erant animi contra hoc scandalum, ut sciamus semper esse Ecclesiam et promissiones de remissione peccatorum et aliis beneficiis Christi semper manere ratas. Iuxta illud [Matth. 28, 20.]: Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Atque haec insignis consolatio est scire, quod Ecclesia sit catholica, hoc est, non alligata uni loco aut certis ceremoniis humanis, sed spiritu coniungamus nos cum Ecclesia orbis terrarum, ubicunque sunt sancti.

Sed huic Ecclesiae, id est, sanctis sunt admixti in mundo multi hypocritae et mali. Et interdum impii tenent regnum externum in Ecclesia, et bonos persequuntur. Ideo de Ecclesia extant dissimiles sententiae; et saepe in scripturis describuntur duo corpora: alterum verae [63]) Ecclesiae, alterum hypocriticae, quae gerit bellum cum vera Ecclesia; sicut Iudaei Prophetas et postea Christum

61) qui manifestam veritatem — idololatriam. *addunt* Editt. 7. 8. 11— 14. et Opp.

62) catholica] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: Catholicam

63) verae] Ed. 11. et Opp.: vere

persequebantur. Itaque sententiae dissimiles referantur ad dissimiles Ecclesias. Paulus ait [1. Tim. 3, 15.]: Ecclesia est columna et sedes veritatis. Et vulgo dicitur: Ecclesia non errat. Hoc non potest intelligi de omnibus, qui sunt in Ecclesia, quia extant et contrariae sententiae, quae affirmant horribiles errores in Ecclesia exorituros esse. Sicut Christus ait [Marc. 13, 22.]: Exurgent pseudochristi et pseudoprophetae, et dabunt signa magna, ita ut in errorem inducantur, si fieri possit, electi. Haec sane horribilis comminatio est. Et Paulus inquit [2. Thess. 2, 4.] Antichristum regnaturum esse in templo Dei. Multi igitur admixti Ecclesiae errabunt.

Et oportet pios tenere hoc discrimen duorum corporum Ecclesiae, ne autoritate tituli Ecclesiae decipiantur. Nam corpus illud hypocriticae Ecclesiae habet magnam et probabilem speciem; saepe enim habet ordinariam potestatem, cuius magna debet esse autoritas, habet exempla Patrum. Quare pios etiam certam notam habere oportet, quae sit vera Ecclesia. Est autem nota certissima et praecipua, pura doctrina Evangelii; iuxta illud [Ioh. 10, 16.]: Oves meae vocem meam audiunt. Hanc notam debemus opponere omnibus titulis illorum, qui Evangelium persequuntur et damnant; iuxta illud [Gal. 1, 9.]: Si quis aliud Evangelium praedicaverit, anathema sit. Et de hac Ecclesia, quae habet purum Evangelium, loquitur sententia illa, [1. Tim. 3, 15.] Ecclesia est columna veritatis. Huius autem verae Ecclesiae membra dispersa sunt passim. Et praeterquam quod ingens multitudo impiorum admixta est, ut vera membra lateant et vix conspici possint, habent et haec vera membra [64]) suam imbecillitatem, errores et peccata. Ideo enim orat vera Ecclesia: Dimitte nobis debita nostra. Sic depingit veram Ecclesiam Paulus 1. Cor. 3. [vs. 11.] Fundamentum aliud nemo potest ponere etc. hoc est, ubi fundamentum, hoc est, vera notitia de Christo manet, tamen erunt discrimina docentium. Alius super id fundamentum extruet aurum, argentum, id est, pretiosam doctrinam, opera et cultus a Deo mandatos. Alius ligna, foenum, stipulas extruet, hoc est, inutiles et perituras opiniones et vilia opera. Sicut in sanctis Patribus leguntur interdum quaedam incommode dicta de ceremoniis et aliis rebus. Ita latet Ecclesia tecta non solum regno et multitudine impiorum, sed etiam stultis aliquibus aut frivolis et inutilibus persuasionibus piorum. Quid est enim homini tam proprium, quam labi, decipi, et errare posse?

Talis Ecclesia depingitur nobis in historiis populi Israel. Nam in eo populo erat vera Ecclesia, et tamen maxima erat admixta multitudo impiorum hominum et pseudoprophetarum; et habebant pii quaedam errata et vitiosos cultus. Verum alias illustrior et purior erat et maior vera Ecclesia, si quando Prophetae repurgaverant doctrinam. Significant et Christus, Paulus et Daniel futurum, ut in Ecclesia dominentur impii et seducant plurimos. Hinc facile iudicari potest, quomodo pugnantes sententiae de Ecclesia diiudicandae [65]) sint. Illa [1. Tim. 3, 15.], quae dicit Ecclesiam esse columnam veritatis, loquitur non de certi loci hominibus aut humana aliqua politia, sed de spirituali coetu piorum, qui passim in mundo dispersi sunt. Aliae sententiae monent singula membra errare posse, et magnam esse multitudinem admixtam vere piis, quae perniciosis erroribus contaminata est. Haec recitavi non contentionis studio, sed ut ipsi nostros animos muniamus, cum recte sentientibus impii opponunt Ecclesiae titulum atque autoritatem. Nam ut non temere dissentire debemus ab ordinaria potestate, quae possidet Ecclesiae titulum, ita sciendum est, verbum Dei manifestum anteferendum esse titulo Ecclesiae et universae humanae autoritati; iuxta illud [Gal. 1, 9.]: Si quis aliud Evangelium praedicaverit, anathema sit. Honestissima vox est Augustini ad Ianuarium: Ecclesia Dei, inter multam paleam multaque zizania constituta, multa tolerat, et tamen, quae sunt contra fidem vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit. Haec satis sit monuisse de hac quaestione: An Ecclesia possit errare? Ac profecto mirum est, tam horrendis vaticiniis Christi nihil affici neque Pontifices neque doctores, qui securi somniant nihil in Ecclesia vitii esse.

Nunc reliqui sunt duo loci, quod administratio Sacramentorum non sit irrita, etiamsi mores ministrorum sint vitiosi. Haec disputatio aliquoties in Ecclesia magnos tumultus et dissidia excitavit. Nam et recens Vuiclef et olim Donatistae detraxerunt Sacramentis autoritatem propter malos mores ministrorum. Et hoc tempore Donatistarum similes Anabaptistae Ecclesiam talem constituere conantur, in qua nulli sint vitiosi. Quare admonendi sunt pii, ut sciant usum Sacramentorum valere propter mandatum et ordinationem divinam, etiamsi mores ministrorum mali sint. Loquimur autem de malis in Ecclesia, non de aperte blasphemis, ut Iudaeis aut Turcis, quibus Ecclesia nullum ministerium mandavit. Si enim ex dignitate ministrorum, Evangelii aut Sacramentorum vis penderet, semper essent incertae conscientiae de baptismo, de absolutione etc. Porro verbum et Sacramenta requirunt fidem; ergo non possunt ex dignitate ministrorum pendere. Hoc argumentum satis planum

64) membra] Ed. 1. typoth. errore: memba

65) diiudicandae] Editt. 12. 13. errore typogr.: diiudicandi

et firmum est, ac fere[66]) totidem verbis in edicto Constantini contra Donatistas positum est, ut Augustinus narrat Epistola 166.

Docet idem sententia Christi [Matth. 23, 2 sq.] Sedent in Cathedra Moysi scribae et Pharisaei etc. Quicquid dixerint, facite etc. Haec sententia non damnat ministerium malorum, sed confirmat. Item Christus dicit [Matth. 13, 47.], in hac vita Ecclesiam similem esse sagenae missae in mare, qua promiscue boni et mali pisces capiuntur. Ubi autem Ecclesia est, ibi et administratio est. Ergo cum mali sint in Ecclesia, habebunt etiam administrationem etc. Et quidem Christus praedicit Matth. 13.[67]) [vss. 38 — 40.] in Ecclesia malos futuros esse usque ad consummationem mundi. Ergo humano iudicio non possunt mali prorsus separari etc. Ioannes discernit suum officium ab effectu Sacramentorum [Matth. 3, 11.]: Ego baptizo aqua; ipse autem baptizabit vos Spiritu sancto. Non igitur pendet donatio Spiritus sancti ex dignitate ministri, sed beneficium Christi est, qui est efficax per Evangelium. Et Christus transfert ministerii autoritatem a ministris in se ipsum [Luc. 10, 16.]: Qui vos audit, me audit; id est, ministerium valet propter me. Venuste inquit Nazianzenus: baptismum similem esse, etiamsi dissimiles sint ministri. Sicut in cera similis est figura sigilli, annulo aureo et ferreo facta, *σκόπει δὲ οὕτως, ἔστω χρύσος ἔστω σίδηρος. δακτύλιοι δὲ ἀμφότεροι, καὶ τὴν αὐτὴν ἐγκεχαράχθωσαν εἰκόνα βασιλικὴν, εἶτα κηρὸν ἐκτυπούτωσαν, τί διοίσει σφραγὶς αὕτη τῆς σφραγῖδος ἐκείνης, οὐδέν.*

Repudiandus est igitur error Donatistarum et similium, qui propter malos mores Sacerdotum improbant ministerium, et discedunt a reliqua Ecclesia, et excitant schismata. Sciant autem pii, se et Ecclesiae concordiae et dignitati ministerii hoc debere, ne discedant a ministris propter eorum mores, si non est impia doctrina. Debemus enim ministerio ipsi obedientiam, quod divinitus ordinatum agnoscamus Dei beneficium esse, ac propter ipsum toleremus mores etiam parum commodos ministrorum. Qua in re etiam exempli ratio habenda est; nam morosis et furiosis nunquam deerit, quod in ministris reprehendant, si propter mores sacerdotum moveri Ecclesiam licebit. Temere labefactare ministerii dignitatem est peccatum contra secundum praeceptum; laeditur enim honos divini nominis contempto ministerio. Praeterea sicut parentibus, ita et ministris Ecclesiarum, et illi ipsi ordinationi Ecclesiae, quae publicam concordiam continet, honorem debemus. Ad haec impossibile est ullam multitudinem seu Ecclesiam in hac vita diu existere, in qua nulli sint mali. Postremo schisma ipsum parit innumera peccata, dissipationem Ecclesiae, odia, factiones, caedes. Sicut ipsi Donatistae vi grassabantur in adversarios.

Non sunt igitur propter malos mores deserendi praesentes ministri Ecclesiarum aut ipsae[68]) Ecclesiae. Sicut Augustinus gravissime dixit: Revera cum contagio peccandi multitudinem invaserit, divinae disciplinae severa misericordia necessaria est; nam consilia separationis et inania sunt et perniciosa atque sacrilega; quia impia et superba sunt, et plus perturbant infirmos bonos, quam corrigunt animosos malos.

Alter locus est de traditionibus: Quod ad unitatem Ecclesiae non sit necessaria similitudo humanarum traditionum. Hac de re necesse est admoneri homines. Saepe enim in Ecclesia extiterunt magni tumultus propter dissimilitudinem traditionum. Ut, Romani pontifices excommunicarunt orientales, quia alio tempore celebrabant Pascha; item, quia abolebant in templis imagines; quia utuntur fermentato pane in coena Domini; et hoc genus alia, quae indigna sunt, de quibus rixentur Christiani. Ipsa Nicena synodus de dissimilitudine traditionum fecit pium decretum, ut quaelibet Ecclesia suos veteres mores retineret, nec de ritibus inter se rixarentur. Et Ambrosius matri Augustini respondit, ut Romae observaret Romanos ritus, Mediolani Mediolanenses. Haec prudentia Christianis necessaria est, ne temere excitentur dissidia. Consensus esse debet doctrinae Evangelii et usus Sacramentorum, qui ordinatus est in scripturis. Sicut Paulus dicit [Eph. 4, 5.]: Unus Deus, una fides, unum baptisma. Quanquam autem in singulis Ecclesiis populus uti suae Ecclesiae moribus debet, et habet aliquam utilitatem similitudo traditionum, magis enim conciliat imperitos, tamen docendi sunt homines, ut sciant dissimiles ritus diversarum Ecclesiarum non pugnare cum iustitia Christiana. Sicut docet Paulus Rom. 14. [vs. 17.] Regnum Dei non est esca aut potus. Verum hic locus melius intelligetur, ubi exposuerimus, quid in totum de traditionibus humanis sentiendum sit.

DE TRADITIONIBUS HUMANIS.

Vocamus traditiones humanas non edicta magistratuum civilium, sed ceremonias in Ecclesia institutas ab hominibus, non mandatas expresso verbo Dei. Harum tria sunt genera. Primum est earum, quae praecipiunt aliquid fieri aperte contra mandata Dei; ut sunt traditiones de abusu Missarum

66) fere] Editt. 12. 13. vere

67) Matth. 13. *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

68) ipsae] sic Editt. 2. 4 — 9. 11 — 14. et Opp.; Ed. 1. typoth. errore: ipse

vel impiis cultibus sanctorum. Aut praecipiunt aliquid, quod sine peccato non potest praestari; qualis est traditio de coelibatu, cum his imponitur, qui non sunt ad coelibatum idonei. Porro scriptura inquit [Act. 5, 29.]: Oportet Deo magis obedire, quam hominibus. Itaque conscientiam violantem has traditiones excusat manifesta autoritas divina. Et habemus exempla. Daniel non paruit regio edicto de adoranda statua, de non adorando Deo. Nec Apostoli paruerunt principibus Iudaeorum, qui vetabant docere Evangelium.

Secundum genus est traditionum de rebus sua natura adiaphoris, ut de feriis, ieiuniis, vestitu. In his considerandi sunt fines; si enim finis est politicus, licitae sunt. Ut cum feriae instituuntur aut servantur, non quod ipsum opus mereatur remissionem peccatorum, aut sit iustitia et cultus, id est, cuius finis proximus sit, quod Deus requirat id opus tanquam honorem, et non propter alias causas; sed finis esse debet proximus, ordinis causa, ut populus sciat, quo tempore convenire debeat ad audiendum ac discendum Evangelium et ad usum sacramentorum: Cum ieiunia praescribuntur, non quod ipsum opus mereatur remissionem peccatorum, aut sit sua natura cultus, sed ut tali ceremonia insigniatur dies, aut ut populus sobrius magis aptus sit ad precandum et ad audiendum ac meditandum Evangelium. Cum certae cantiones ordinantur in templis, ne existat confusio indigna Ecclesiis.

Tales ordinationes hoc politico fine possunt Episcopi seu Pastores condere; quia Paulus praecipit [1. Cor. 11, 14.] in Ecclesia omnia geri ordine et decenter. Et sic ipse ordinat lectiones apud Corinthios; item de velandis mulieribus. Et tali paedagogia in mundo opus est, ut populus discat in ritibus pictas historias, et assuefiat, ut reverenter tractet sacra. Ut enim caeteris legibus in hac vita corporali opus est, ita et ceremoniis opus est. Nam ceremoniae naturaliter etiam pars quaedam sunt disciplinae seu legis. Quare, qui omnes traditiones Ecclesiasticas aboleri [69]) volunt, cum ipsa natura hominum belligerantur, quae non potest regi sine ceremoniis. In oeconomia necesse est patremfamilias constituere tempora precandi, [70]) discendi etc. Sic in schola. Sic publice in Ecclesia opus est talibus ordinationibus. Et in hanc sententiam inquit Paulus [Gal. 3, 24.]: Lex est paedagogus, et quidem addit, in Christum. Hoc non est leve praeconium, [71]) quo testatur ceremonias magnam utilitatem habere, videlicet, quia iuventutem et vulgus docent et assuefaciunt ad cognoscendum Evangelium, per quod Christus est efficax etc.

Quanquam autem ceremoniis tanquam paedagogia omnino opus est, tamen interim cavendum est, ne superstitiosae opiniones de eis obrepant, ne et beneficium Christi hac doctrina de fide obscuretur, aut existat inde quaedam carnificina conscientiarum. Ideo sentiendum est hos ritus non mereri remissionem peccatorum, nec esse iustitiam Christianam, nec cultus esse, hoc est, res, quas Deus requirat tantum, ut hoc honore afficiatur, et non propter politicas causas. Praeterea quanquam exempli causa servandae sunt hae traditiones, quarum finis est politicus; tamen non sunt laquei conscientiis iniiciendi, sed cognoscenda est libertas Christiana, de qua supra dictum est. Verum, ut conscientiae habeant hos ritus pro rebus adiaphoris, nec aut iustitiam aut peccatum in eis collocent, sed sciant eos sine peccato extra scandali casum omitti posse. Sicut Paulus [1. Cor. 11, 5 sq.] cum vellet mulieres esse velatas, non sentiebat hoc opus esse iustitiam coram Deo, nec sentiebat mulierem peccare, quae detegeret capillos sine scandalo.

Huiusmodi innumerabilia sunt in communi vita. Cum enim soli homines ordinem intelligant, maxime conveniens est hominum naturae, constituere locorum, temporum et personarum discrimina. Scholasticum [72]) non decet scenica vestis. Esset autem ridicula superstitio, si sentiret se propter formam vestitus iustum esse, aut peccare mortaliter, si sine scandalo uteretur alia veste. Haec ἐπιείκεια in traditionibus magnopere necessaria est. Alioqui enim superstitione cumulantur traditiones sine modo, cum putantur esse iustitiae et cultus Dei et perfectiones; sicut creverunt olim in Ecclesia et apud monachos. Item, conscientiae cruciantur et coniiciuntur in desperationem non intellecta libertate. Quare necesse est in Ecclesia extare firmam consolationem de usu traditionum. Omnino singulari prudentia opus est, ne vel barbarice contemnantur traditiones, vel superstitiose observentur. Testimonia autem de libertate paulo post addemus.

Tertium genus est traditionum, in quibus res adiaphorae praecipiuntur, sed cum impiis aut perniciosis opinionibus. Multae autem falsae opiniones adduntur traditionibus. Prima et Pharisaica opinio est, quod homines mereantur remissionem pec-

---

69) aboleri] Editt. 8. 11—13. et Opp.: abolere

70) precandi] Editt. 8. 11. errore typogr.: preco[candi (conf. nota sq.).

71) praeconium,] Ed. 11. et Opp.: praemium *(male confectum ex Ed. 8. ubi in fine versus* co *syllaba excidit, vel potius ex fine huius lin.* 11. *a typotheta male in finem lin.* 7. *transposita est, quapropter in hac legitur* preco[candi] *pro* pre[candi], *in illa vero linea:* prae[nium] *pro* praeco[nium]).

72) Scholasticum] Ed. 11. Scolasticum

catorum his operibus, seu quod sint iustitia Christiana, seu quod Deus requirat haec opera, non propter politicum finem, sed tantum ut tali honore afficiatur. Hanc opinionem reprehendit Christus, cum inquit [Matth. 15, 9.]: Frustra colunt me mandatis hominum. Et obruitur doctrina de fide, cum transferunt homines beneficium Christi in has traditiones. Haec caussa est praecipua, cur Paulus tam vehementer concionetur adversus ceremonias Mosaicas et traditiones humanas, videlicet, ne obscuraretur beneficium Christi, sed extaret in Ecclesia haec sententia, gratis donari remissionem peccatorum propter Christum, eamque fide accipiendam esse, et pronuntiari nos iustos propter Christum, non propter traditiones aut ceremonias. Item, veri cultus sunt spirituales: Timor, fides, dilectio et reliqua opera a Deo mandata.

Secundus error, qui haeret in traditionibus, ex priore natus est: Finxerunt traditiones illas esse perfectionem. Hoc multo absurdissimum est, anteferre humanas traditiones legi Dei, cum obedientia sit perfectio legis divinae.

Tertius error est de necessitate, estque κακοζηλία legis Mosaicae. Quia enim videbant in lege Moysi multum fuisse ceremoniarum, somniabant etiam Evangelii tempore similes ceremonias esse oportere, et affingebant fidem sine illis ceremoniis inutilem esse, et homines propter ceremonias esse iustos. Ita imaginabantur, Christianismum esse huiusmodi externam politiam, sicut fuit Levitica. Haec somnia inde orta sunt, quia nec doctrinam de fide Christi, nec usum ceremoniarum legis recte intellexerunt. Etsi enim in lege necesse fuit servare ceremonias propter mandatum Dei, tamen fuit eis opus alia quadam spirituali iustitia coram Deo, videlicet, Fide venturi Christi etc. Et Deus Ecclesiam postea non voluit onerari tali servitute. Sicut ait Petrus [Act. 15, 10.]: Quid tentatis Deum imponentes iugum etc. Item docuit regnum Christi esse vitam et iustitiam spiritualem.

Quartus error est de potestate Episcoporum, qui traditiones condunt per superstitionem, et defendunt errores, quos recitavi. Item qui putant se habere autoritatem onerandae Ecclesiae, ita ut peccent omnes, qui violant traditiones, etiam cum extra scandali casum omittant. [73])

Quintus error oritur ex opinione necessitatis: Conscientiae male cruciantur, et imperiti damnant Ecclesias propter dissimilitudinem traditionum; qua ex re oriuntur discordiae in Ecclesia. His erroribus adversandum est, ut pura doctrina de fide, de veris cultibus, de cultu spirituali conservetur, et ne conscientiis iniiciantur laquei, neve concordia Ecclesiarum sine caussa perturbetur.

Necesse est autem abiicere malas opiniones; ipsi vero mores rerum indifferentium retineri possunt, et earum usum moderari charitas debet. Deinde cum aliquibus ceremoniis ac ritibus propter bonum ordinem opus sit, commodius est retinere usitatos, qui [74]) nihil habent impietatis. Nam mutatio praesertim non necessaria multorum animos offendit. Satius est autem conciliare et alere mutuam benevolentiam in Ecclesia. Sed non sunt damnandi, qui aliquos inutiles ritus abiiciunt, praesertim exempli caussa. Sicut et Paulus [Gal. 2, 3.] exempli caussa noluit Titum circumcidi. Quomodo autem sit habenda scandali ratio, paulo post dicam.

Porro necesse est in Ecclesia retineri [75]) hanc doctrinam de libertate: quod traditiones neque sint iustitia coram Deo, neque sit peccatum eas omittere extra casum scandali. Idque probant haec testimonia. Coloss. 2. [vs. 16.] Nemo iudicet vos in cibo, potu, sabbato etc. Item [ibid. vs. 20 sq.]: Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quare tanquam viventes mundo decreta facitis? Ne attingas, ne contrectes etc. Act. 15. [vs. 10.] ait Petrus: Quare tentatis Deum imponentes iugum etc. Gal. 5. [vs. 13.] In libertate, qua Christus vos vocavit, [76]) state, et ne iterum iugo servitutis subiiciamini. Vetat enim onerare conscientias hac opinione, quod traditiones humanae ita necessariae sint, sicut Iudaeos oportebat servare suas ceremonias. Hanc libertatem neque debent neque possunt abrogare Pastores, est enim ordinatio divina. Christus Matth. 15. excusat Apostolos violantes traditiones, et addit: Frustra colunt me mandatis hominum. Item, Omne quod intrat in os, non coinquinat hominem. Ita utrumque complectitur, negat cultus, id est, iustitias esse, negat etiam pollui conscientias, si violentur. 1. Tim. 4. [vss. 1. 3.] Paulus vocat traditiones de cibis et similes, doctrinas daemoniorum; ubi non prohibet certi generis abstinentiam, quae est res indifferens, sed malas opiniones, scilicet quod sint iustitiae aut res necessariae.

DE MORTIFICATIONE.

Si cultus humana electione suscepti sunt inutiles, quid sentiendum est de voluntaria abstinentia et similibus exercitiis? Ad hoc respondeo. Discerni debent mortificatio, quam sic Paulus vocat,

73) omittant.] Editt. 8. 11—13. et Opp.: omittunt.

74) qui] Editt. 8. 11—13. et Opp.: quatenus

75) retineri] sic Editt. 2. 6—8. 11—14. et Opp.; Editt. 1. 4. 5. 9. retinere

76) vocavit] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: liberavit, (conf. supra p. 463. nota 68. et p. 465. nota 73.).

et exercitia seu disciplina. Nam vera et non simulata [77]) mortificatio fit per crucem et afflictionem, ut Paulus inquit [2. Cor. 4. 10.]: Circumferimus mortificationem Christi in corpore nostro. Item Rom. 8. [vs. 10.] Corpus mortificatur propter peccatum. Ubi proprie de veris terroribus. [78]) cruce et ipsa morte loquitur, non de voluntariis exercitiis. Atque haec obedientia tolerare afflictiones, necessaria est, et est cultus praecipuus sanctorum. Sicut David inquit [Ps. 50, 19.]: Sacrificium Deo, spiritus contribulatus. Item [Rom. 8, 29.]: Oportet nos conformes fieri imaginis filii Dei. Item [Rom. 12, 1.]: Exhibete corpora vestra hostiam vivam.

Sed praeter hanc mortificationem est aliud quoddam voluntarium exercitii genus necessarium; de quo Christus dicit [Luc. 21, 34.]: Cavete, ne corda vestra graventur crapula. Item Paulus [1. Cor. 9, 27.]: Castigo corpus meum et in servitutem redigo. Et huius exercitii finis esse debet, non ut satisfaciat pro peccatis, seu quasi Deus requirat id tanquam cultum, ac non propter aliam caussam, sed finis sit, ut coherceat carnem, ne saturitas obruat nos, et reddat securos et otiosos. Qua ex re fit, ut homines obtemperent et indulgeant affectibus carnis.

Debent autem huius generis esse multiplicia exercitia: Abstinentia, intentio vehementior in studia, labores, sacrae lectiones. Ideo Paulus praecipit [Col. 3, 16.]: Docentes et admonentes vos mutuo Psalmis et cantionibus spiritualibus. Denique huc tota disciplina pertinet. Sed hanc nunc superbissime excussit mundus, et sumit sibi immodicam licentiam, pro qua graves poenas aliquando Deo daturus est. Nam praeterquam quod ipsa licentia coniuncta est cum intemperantia et aliis multis vitiis, illud mali etiam habet, quod in tali barbarica vita non potest doceri aut assuefieri iuventus ad religionem; et paulatim induit contemptum religionis. Postea grandior aetas neque intellectum neque reverentiam neque exercitia ulla religionis habet.

Paulus [Eph. 6, 4.] praecipit parentibus, ut educent liberos in disciplina et admonitione Domini. Disciplina autem significat totam assuefactionem; et huic vult addi admonitionem Domini, id est, doctrinam seu verbum Dei. Cum autem Deus sit efficax per verbum suum, aderit his, qui habent haec exercitia discendi et cogitandi verbi Dei et precandi. Quare non est inutilis exercitatio.

Praeterea magna vis est consuetudinis; qui non sunt assuefacti ab ineunte aetate, postea grandes natu neque intelligent neque accersent exercitia. Quantum igitur possumus, ad haec exercitia hortemur et excitemus iuventutem non solum verbis, sed etiam exemplis nostris.

Atque haec exercitia destinata ad hunc finem immediatum, ut coherceant corpus, iam sunt opera a Deo mandata: ideoque iam fiunt cultus. [79]) Et debet haec disciplina perpetua esse, quare non pertinet proprie ad traditiones humanas. Et ut maxime aliquae traditiones ad eam prosint et admoneant iuventutem, tamen ipsa observatio sit sine superstitione; non addatur opinio iustitiae aut necessitatis: Et cogitemus haec exercitia suscipienda esse, non propter illam traditionem aut tempus illud, sed tantum admoneri nos hac traditione, ut perpetua sit diligentia; nunc autem exempli caussa hos mores cum aliis servandos esse, ut diei festi ceremonias. Et tamen hic quoque modum nosse convenit, et sciendum, alia aliorum aetati convenire, et conservandam esse valetudinem, ut Paulus dicit, habendum esse honorem corpori etc.

Sed iure queritur Taulerus, plerosque ante tempus abiicere [80]) imagines seu umbras; sic vocat haec exercitia alludens ad Paulum, quae sunt umbra futurorum, corpus autem est Christi. Nam haec disciplina non est iustitia spiritus, sed umbrae sunt seu imagines, hoc est, exercitia, quibus admonendi, cohercendi et assuefaciendi sunt homines, ut doceri possint, ut magis fiant idonei ad cogitandum Evangelium et praedicandum. Sicut et Christus inquit [Marc. 9, 28.], Hoc genus daemoniorum non eiicitur, nisi ieiunio et oratione, id est, sobriorum oratione. Ideo Paulus [1. Tim. 4, 8.] non dixit, corporalia exercitia prorsus inutilia esse, sed collationem facit horum exercitiorum et spiritualis iustitiae. Aliquid afferunt utilitatis haec exercitia, sed gradus alius longe superior est et praestantior, videlicet pietas, hoc est, vera poenitentia, veri dolores, vera exercitia fidei, preces, patientia. Haec dixi, ut meminerimus, hoc exercitii genus non esse abiiciendum, ut sciamus, ad quem finem sine superstitione referri debeat.

DE SCANDALO.

Scandalum significat offensionem, qua alterius animus perturbatur, hoc est, vel deterretur, vel incitatur ad imitationem. Est autem duplex scandalum: alterum est Pharisaicum, vulgo vocant acceptum. Est autem cum vel recta doctrina vel necessario facto offenduntur hypocritae et concipiunt odia Evangelii et piorum. Ut Pharisaei oderant Evangelium et Evangelii doctores, et magnas caussas sui doloris atque odii habebant ex humana

---

77) simulata] Ed. 11. simulta

78) terroribus.] Ed. 11. et Opp. typ. errore: erroribus.

79) ; ideoque iam fiunt cultus. *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

80) abiicere] Editt. 2. 6. 7. adiicere

ratione sumptas. Quis enim moderato ingenio praeditus non doleat labefactari formam religionis, perturbari concordiam, exoriri dissidia in Ecclesia, dissipari imperia et respublicas? Videbant autem extenuari suos cultus et dissipari rempublicam et contemni superiorum autoritatem. Quamvis autem hae sint magnae caussae, quae merito movent homines, tamen sciendum est his caussis, hoc est, omnibus rebus anteferendum esse mandatum Dei; iuxta hanc regulam [Act. 5, 29.]: Oportet Deo magis obedire, quam hominibus. Ideo hoc Pharisaicum scandalum non est vitandum, excusat nos mandatum Dei. Sed praestandum est, ut doctrina sit vera, certa, utilis Ecclesiae. Nam gravissimum peccatum est perturbare Ecclesiam malis aut incertis aut inutilibus disputationibus.

Alterum scandali genus est, quod vocatur Datum. Estque impia doctrina aut malum exemplum, quod nocet aliis, sive quia imitantur, sive quia deterret homines ab Evangelio. Huius generis scandala sunt omnia impia dogmata; item, idololatrici cultus et traditiones humanae, quae non potuerunt sine peccato observari. Horum scandalorum autoribus praecipue minatur Christus [Matth. 18, 7.]: Vae homini, per quem venit scandalum etc. Sunt igitur haec scandala summa vigilantia cavenda, ne vel autores vel suffragatores impiae doctrinae simus, nec imitatores impiorum cultuum etc.

Est etiam cavendum aliud quoddam scandali genus, quod est: cum opus indifferens intempestive fit; ut intempestivus usus libertatis Christianae. De hoc usu saepe disputatur, quando concessus sit, quando non sit concessus. Et supra dixi, peccatum esse violare traditiones humanas in casu scandali. Ideo tenenda est Pauli regula de usu libertatis. Paulus [Rom. 14, 1 sqq.] praecipit doctis, ut tolerent infirmos, et morigerentur eis ad bonum et ad aedificationem; hoc est, ut commoditate sua invitent eos ad Evangelium, non deterreant. Quia non solum hypocritae, sed etiam pii et moderati homines, praesertim non satis docti, cum vident mores veteres violari, iudicant illo doctrinae genere homines efferari et reddi prophanos, atque ita deterrentur a cognitione Evangelii.

Non igitur utendum est libertate apud illos, qui nondum audierunt hoc doctrinae genus, aut apud fratres nondum satis confirmatos. Sed sequendum est exemplum Pauli [1. Cor. 9, 22.]: Factus sum infirmis infirmus. Item:[81]) Si esca offendit fratrem, nunquam manducabo carnem, ne fratrem offendam. Ubi autem iam inclaruit Evangelium, et mediocriter confirmata est Ecclesia, non est acerba observatio inutilium traditionum requirenda. Imo Paulus [Gal. 2, 3.], ut exemplum libertatis ostenderet, noluit circumcidere Titum. Et Christus excusat Apostolos violantes traditionem, et inquit [Matth. 15, 14.]: Dimittite[82]) eos, coeci sunt, et duces coecorum etc.

Sed in hac ipsa re tamen cogitemus moderationem prodesse; quia etiam inter hostes aliqui sunt non tam irritandi quam reconciliandi. Et Christianos convenit omnia sua facta non ad proprios affectus aut dominationem referre, sed ad aliorum utilitatem et gloriam Christi. Multi autem usitatos mores violant, non ut aliis prosint aut serviant, aut meliora faciant, sed quia delectat eos haec libertas. Hoc tyrannicum est, contemnere mores publicos et leges, non est Christianum. Praeterea publicorum morum violatio facile excitat magnos tumultus, non sunt autem temere excitandi motus etc. Difficile est enim postea sustinere conscientiam, quod caussam praebueris publicarum calamitatum.

Secunda regula. Est et in Ecclesiis recte institutis habenda scandali ratio, ne nostra exempla aliis noceant; qualia sunt, saepe negligere publicum Ecclesiae morem aut ceremonias publicas, ac significare aliquem contemptum, aut alios eo exemplo negligentiores reddere; item praebere occasionem dissidiis aut factionibus sine necessaria caussa. Si quis hoc modo violat traditiones, certe peccat. Praeter tales scandali casus traditiones intelligantur esse liberae.[83])

Hanc ἐπιείκειαν in traditionibus retinere est utilissimum, retinet enim autoritatem traditionum, et conservat publicos mores ac disciplinam, et tamen conscientias illa veteri carnificina liberat, cum sciunt traditiones res esse externas et indifferentes, et sine peccato omitti posse extra casum scandali.

Ceterum doctrinae scandala multo[84]) perniciosiora sunt, quam mala exempla in moribus. Ideo summa vigilantia cavendum est, primum ne impia aut incerta aut inutilia doceamus; deinde, cum recta docemus, ne ita confuse ea tradamus, ut auditores in tanta confusione malas opiniones concipiant. Sicut videmus, quantum referat moneri populum, quatenus reprehendantur humanae traditiones, et rursus quo fine et ad quem usum traditiones conservandae atque amandae sint. Haec nisi proprie et diserte explicentur, indocti contemptum omnium legum et morum induunt.

Ita in caeteris articulis nisi vere, proprie ac dilucide explicentur, obrepunt persuasiones valde perniciosae. Cum dicimus fide homines iustificari,

81) Item *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

82) Dimittite] sic recte Editt. 2. 5 — 7. 14; Editt. 1. 4. 8. 9. 11 —13. et Opp.: Dimitte

83) Vide locos praecedentes De traditionibus humanis (p. 510 sqq.) et De libertate christiana (p. 458 sqq.).

84) multo] Editt. 2. 6. typ. errore: multa

quam absurdae opiniones oriuntur, nisi moneantur[84a]) auditores, qua de re agatur, et quod fide reconcilietur persona, et postea nostra obedientia sit necessaria et quomodo[85]) in reconciliatis sit iustitia. Item de libero arbitrio. Deum non esse caussam mali, et pleraque alia, quae suo loco diximus; non detrahi meritum operibus, qui nos nihil agamus, sed quia promissio est donatio, ut sit certa remissio peccatorum. Ceterum in reconciliatis bona opera sunt etiam meritoria.[86]) Sic in omnibus locis adhibenda est diligentia, ut sine sophistica explicentur proprie ac distincte.

Ideo Paulus [1. Tim. 3, 2. Tit. 1, 9.] voluit Episcopum esse didacticum, ut apte et proprie doceat. Et Christus [Matth. 13, 52.] vult scribam in regno coelorum doctum esse et similem bono patrifamilias, qui prudenter eligat in docendo nova et vetera. Nisi enim hanc prudentiam et diligentiam adhibeant doctores, perturbantur conscientiae, et obrepunt animis pravae opiniones nociturae religioni ac moribus, et oriuntur tumultus et pleraque alia scandala. Ideo non solum demus operam, ut mores nostri ornent Evangelium, sed etiam ut docendi ratio et perspicuitas iuvet conscientias, explicet ambigentes et sanet errantes.

DE REGNO CHRISTI.

Evangelium clare docet regnum Christi esse spirituale; hoc est, Christum sedere ad dexteram Patris, et interpellare pro nobis, et dare remissionem peccatorum et Spiritum sanctum Ecclesiae, hoc est, credentibus in ipsum et invocantibus eum, eosque sanctificare, ut resuscitet eos in novissimo die ad vitam et gloriam aeternam. Et ut haec beneficia consequamur, ordinatum est ministerium Evangelii, per quod vocantur homines ad agnitionem Christi; et Spiritus sanctus per Evangelium est efficax etc. Interim vero ante novissimum diem Ecclesia in mundo patietur persecutionem, et erunt mali bonis admixti in Ecclesia. Haec est vera et germana sententia Evangelii de regno Christi et Ecclesiae. Estque execrandus et damnandus error ille Iudaicus Anabaptistarum, qui fingunt Ecclesiam ante novissimum diem politiam quandam mundanam futuram esse, in qua regnent pii, et armis deleant omnes impios, et occupent omnia imperia etc.

Colligemus itaque testimonia de spirituali regno non solum ad refutandos fanaticos spiritus, sed etiam quia prodest has sententias habere in conspectu, ut nos consolentur, et exuscitent ad exercitia spiritualia, ad fidem, ad orationem, ad patientiam. Nam error ille Iudaicus praeter caetera incommoda hoc quoque habet, quod obscurat et prorsus obruit consolationes spirituales, et abolet exercitia spiritualia, cum videlicet mentes non intelligunt haec beneficia propria esse Christi, remissionem peccatorum et gratiam, sed expectant bona corporalia, nec sustentant se fide in terroribus et afflictionibus, sed requirunt bona corporalia.

Quod Regnum Christi sit spirituale.

Ioan. 17. [vss. 2 sq.] Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam aeternam. Haec est autem vita aeterna, ut agnoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum. Hic Christus testatur suum beneficium et regnum suum esse vitam aeternam, et definit, quid sit vita aeterna, videlicet, non aliqua mundana dominatio, sed vera notitia Dei et Domini nostri Iesu Christi.

Rom. 8. [vs. 34.] Qui est in dextera Dei et interpellat pro nobis etc. Et Esa. 11. [vs. 1.] Stabit radix Iesse;[87]) ipsum gentes deprecabuntur etc. Hac sententiae describunt sacerdotium et regnum Christi, et testantur utrumque spirituale esse; hoc est, Christum non constituere aliquod mundi imperium, sed apud Patrem pro nobis interpellare, ita regnare, ut velit invocari, exaudire, sanctificare, custodire Spiritu sancto eos, qui ipsum invocant. Sicut et alias scriptum est [Rom. 8, 14.]: Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Item [Hierem. 31, 33.]: Dabo legem meam in corde eorum. Haec beneficia obscurantur, cum expectamus regnum corporale etc.

Rom. 8. [vs. 17.] Cohaeredes Christi, siquidem simul patimur, simul etiam glorificabimur. Item spe salvi facti sumus. Item [ibid. vs. 29.]: Quos praescivit, hos vult conformes fieri imaginis filii sui. Item [Ps. 43, 12.]: Propter te mactamur tota die, reputati sumus velut oves occisionis etc. Hae sententiae testantur, quod glorificatio non contingat in hac vita, sed oporteat nos in hac vita afflictiones et persecutionem pati. Matth. 16. [vs. 24.] Si quis vult me sequi, abneget se ipsum, et tollat crucem suam, et me sequatur. Ioan. 16.[88]) [vs. 33.] In hoc mundo pressuram habebitis. Et 2. Tim. 3. [vs. 12.] Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur. Hae sententiae clarissime docent Ecclesiam in hac vita subiectam esse afflictionibus. Coloss. 3. [vss. 3 sq.] Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo; Quando Christus manifestabitur, qui est vita ve-

84a) moneantur] Ed. 11. et Opp. typ. errore: moueantur
85) quomodo *addunt* Editt. 8. 11—13. et Opp.
86) Ceterum — meritoria *omittunt* Editt. 8. 11—13. et Opp.

87) Iesse] Editt. 12. 13. Iessae.
88) 16.] sic Editt. 2. 6—8. 11—14 et Opp.; Editt. 1. 4. 5. 9. male: 6.

stra, tunc et vos cum eo manifestabimini in gloria. 1. Ioan. 3. [vs. 2.] Nunc filii Dei sumus, sed nondum manifestatum[89]) est, quales erimus; scimus autem, cum manifestabitur, similes nos ei futuros esse, quia videbimus eum, quemadmodum est etc. Docet et hic locus gloriam regni Christi non esse imperium mundanum, sed spirituale, hoc est, ut resuscitati habeamus novam et aeternam iustitiam ac vitam, qualis est Christi resuscitati gloria.

Item, Paulus [2. Thess. 2, 3 sqq.] clare dicit, Antichristum dominaturum esse usque ad novissimum iudicium, in quo veniens Christus destruet regnum Antichristi. Igitur vera Ecclesia non occupabit imperia, sed multo magis versabitur in maximis periculis et afflictionibus. Et 2. Petri 3. [vss. 3 sq.] dicitur, Venturos esse postremis temporibus illusores, qui palam derideant religiones. Erunt ergo, qui persequentur Ecclesiam. Et Daniel [cap. 7.] clare dicit, Bestias, hoc est, imperia coniici in ignem, cum apparet Christus ad iudicandum. Durabunt igitur imperia aliqua impia[90]) usque ad novissimum diem. Ioan. 20. cum Christus mittit Apostolos, tantum dat mandatum docendi, et inquit [vs. 21.]: Sicut me misit Pater, sic ego mitto vos. Constat autem Christum missum esse ad ministerium Evangelii, non ad occupanda imperia mundi; sicut ipse inquit [Ioh. 18, 36.]: Regnum meum non est de hoc mundo. Et prohibet Apostolis imperia rapere, cum ait [Luc. 22, 25.]: Reges gentium dominantur, vos autem non sic. Item Matth. 5. [vs. 39.] Ego autem praecipio vobis, ne resistatis malo; hoc est, ne praetextu Evangelii et novi regni constituendi arma capiatis. Sunt igitur missi Apostoli ad ministerium Evangelii, hoc est, ad docendum, non ad rapienda imperia mundi. Ideo et Paulus inquit: Evangelium est ministerium Spiritus; id est: In Evangelio offeruntur bona spiritualia et aeterna, non constituimus nova imperia mundi. Et 2. Corinth. 10. [vs. 4.] inquit: Arma militiae nostrae non sunt carnalia, sed potentia Deo ad demoliendas cogitationes. Item 2. Corinth.[91]) 5. [vs. 20.] Pro Christo legatione fungimur, commendantes nos tanquam Dei ministros in afflictionibus. Item [2. Cor. 1, 23.]: Non dominamur fidei vestrae.

Cum igitur Apostoli tantum habeant mandatum docendi, impium est sentire, quod doctores Evangelii debeant armis constituere nova quaedam imperia; sicut Iudaei et Anabaptistae somniant, postremis temporibus regnum Dei in terris tale constituendum esse, in quo sancti dominentur et armis deleant omnes impios, nec in Ecclesia hypocritas ullos futuros esse. Atque hoc Iudaicum delirium saepe in Ecclesiam irrepsit. Fuerunt enim et olim fanatici spiritus Chiliastae et Pepusiani, qui tale regnum Anabaptisticum somniarunt.

Reliquum est, ut testimonia colligamus, quae docent in Ecclesia usque ad novissimum diem promiscue futuros bonos et malos. Luc. 17. [vs. 28.] Sicut factum est in diebus Lot, sic erit, qua die filius hominis revelabitur. Item [ibid. vs. 34.]: In illa nocte erunt duo in lecto uno, unus assumetur et alter relinquetur etc.[92]) Matth. 13. [vs. 30.] de zizaniis: Sinite utraque crescere usque ad messem etc. Et paulo post [vss. 39. 41.]: Messis consummatio seculi est; mittet filius hominis Angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala et eos, qui faciunt[93]) iniquitatem etc. Item [vss. 49 sq.]: Sic erit in consummatione seculi: Exibunt Angeli et separabunt malos a iustis, et mittent eos in caminum ignis etc. Hae sententiae testantur, non futuram esse separationem sanctorum ab hypocritis, nisi in novissimo iudicio.

Praeterea et hoc considerandum est: Pastores habent mandatum excommunicandi verbo sine vi corporali reos manifestorum scelerum. Non est humani iudicii corda inspicere et de illis iudicare, qui non habent manifesta delicta. Ideo Paulus dicit [1. Tim. 5, 19.]: Adversus presbyterum non recipias accusationem nisi testibus adhibitis. Ergo qui non possunt convinci testimoniis, non debent humano iudicio separari. Impossibile est igitur talem Ecclesiam constituere ante novissimum diem, in qua nulli sunt hypocritae. Sed Pastores faciant suum officium, pure et fideliter doceant, et Ecclesiae glorificationem commendent Christo. Interim in hac vita semper erunt Ecclesiae admixti mali, et multi impii tenebunt imperia mundi, et crudeliter persequentur Ecclesiam usque ad gloriosum Christi adventum. Et tamen in his persecutionibus Christus suo consilio aliquas reliquias servat, ne penitus deleatur Ecclesia. Tale est regnum Christi in hac vita.

Constat et aliud: Etiamsi nova aliqua talis Ecclesia futura esset, tamen doctores proprio consilio sine manifesto mandato Dei non debent arma capere ad talem Ecclesiam constituendam etc. Quanquam nec ullum novum mandatum expectandum est; non enim edet Christus mandatum contrarium Evangelio.

Quod vero Iudaei et Anabaptistae citant Prophetas, qui, cum de regno Christi loquuntur, saepe figuris utuntur sumptis ab imperiis mundi. Ad hoc primum respondeo: Evangelium est interpretatio

89) manifestatum] Editt. 8. 11—13. et Opp.: manifestum

90) aliqua impia *omittunt* Ed. 11. et Opp.

91) 2. Corinth.] sic Editt. 2. 5—8. 11—14. et Opp.; Editt. 1. 4. 9.: Corinth. (2. *omisso*).

92) etc. *omittunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

93) faciunt] Ed. 11. et Opp.: facient

Prophetarum: cum igitur Evangelium clare doceat, regnum Christi esse spirituale, afferre bona spiritualia et aeterna, nec occupare dominationem in mundo, sed magis pati persecutionem, debemus et Prophetas intelligere iuxta Evangelium. Itaque Apostoli in Actis [cap. 2.] sententias de regno promisso Davidi clare transferunt ad hoc regnum spirituale, subiectum persecutioni etc. Et Christus reprehendit ipse Apostolos, cum haberent Iudaicam persuasionem, ac putarent se occupaturos esse mundi imperia.

Secundo, Prophetae ipsi, quanquam variis utuntur figuris, tamen interim etiam diserte testantur regnum Christi fore spirituale. Daniel clare dicit [9, 26.]: Christus occidetur. Et Esaias [53, 10.]: Ponet animam suam pro peccato. Ergo non habebit dominationem corporalem in hac vita. Praeterea affirmant regnum Christi esse aeternum, nulla autem corporalis politia est aeterna in hac vita; ideo figuras corporalis politiae, quas interdum accommodant ad regnum Christi aeternum, necesse est allegorice intelligi.

Atque id regnum aeternum in hac vita, in spiritu et fide inchoatur, et postea durat perpetuo post hanc vitam. Ideo Prophetae interdum ita loquuntur, ut non discernant tempora huius vitae et futurae vitae. Interdum vero discernunt et palam vaticinantur, Ecclesiam in hac vita passuram esse persecutiones. Sicut docet Psalm. 2. [vs. 2.] Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius. Et Psalm. 115. [vs. 6, al. 114, 15.] Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Et Psalm. 71. [94]) Pretiosus sanguis eorum coram ipso. Et venuste describit Esaias Ecclesiam in hac vita, cap. 30. [vs. 20.] Dabit vobis Dominus panem arctum et aquam exiguam, et non auferet ultra a te doctorem tuum etc. Hic testatur Ecclesiam conservandam esse, sed tamen inter afflictiones. Daniel [cap. 9.] aperte vaticinatur de persecutione ante novissimum diem; [11, 33.] Et docti in populo docebunt plurimos, et ruent in gladio. Et postea statim sequitur [12, 1 sq.]: In tempore illo salvabitur populus tuus omnis, qui scriptus est in libro; et multi de his, qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt, alii in vitam aeternam, alii in opprobrium [95]) sempiternum. Hi loci et similes tenendi sunt, ut habeamus consolationem in cruce, et vere intelligere discamus regnum spirituale, hoc est, quaerere consolationes spirituales et exercere fidem. Et satis perspicue refutant hi loci Iudaicam et fanaticam persuasionem de corporali dominatione sanctorum in hac vita.

94) 71.] sic Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.; Editt. 1. 2. 4—6. 9.: 17.

95) opprobrium] Editt. 1. 2. 5. obprobrium

DE RESURRECTIONE MORTUORUM.

Articulus de vita aeterna et resurrectione mortuorum est inter praecipuos articulos Evangelii. Ideo in Novo Testamento clarissime proponitur et saepe inculcatur. Et de eo extant conciones Christi manifestissimae. Matth. 25. [96]) [vs. 46.] Ubi Christus clare affirmat iustos habituros esse perpetuam laetitiam, impios vero perpetuam tristitiam et cruciatus sine fine. Et Ioan. cap. 5. item 6. [vs. 40.] Haec est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam; et ego resuscitabo eum in novissimo die. Et propugnat hunc articulum acerrime Paulus 1. Corinth. 15. Prodest autem habere in conspectu multa testimonia, ut timorem et fidem excitemus et confirmemus. Cum autem sententiae novi Testamenti satis notae sint, colligemus aliquot maxime illustria veteris Testamenti loca; sunt enim in Prophetis satis clara et perspicua testimonia.

Esaias 26. [97]) [vs. 19.] Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent; expergiscimini et laetamini, qui habitatis in pulvere; quia ros tuus erit velut ros pratorum, et terra mortuos eiiciet. Vade populus meus intra cubicula tua, claude ostia tua, abscondere modicum ad momentum, donec transeat indignatio mea. Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, ut dissipet iniquitatem habitantium terram contra eos, et revelabit terra sanguinem suum, et non operiet ultra interfectos suos. Haec concio clarissime loquitur de resuscitandis mortuis, de gaudiis sanctorum, de poenis impiorum et de praesenti afflictione Ecclesiae. Quare diligenter consideranda est. Mortui tui, inquit, vivent. Vocat sanctos mortuos Dei, ut significet Ecclesiam hic affligi propter Deum. Q. d. [98]) Filii tui et [99]) interfecti propter te, et qui tibi curae sunt, iterum vivent. Qualis autem erit vita aeterna? Laetamini, inquit; hoc est, pii, perpetua laetitia, perfecta cognitione Dei et perfecta iustitia sine peccato et morte semper virebunt et florebunt sicut prata revirescunt rore. Deinde aspergit consolationem de afflictionibus. Sed aliquantisper oportet Ecclesiam affligi et mortem perpeti. Erunt inclusi velut in cubiculo, scilicet: Quia servabuntur in Ecclesia et verbo usque ad iudicium. Postea concionatur de poenis impiorum, et repetit sententiam de resurrectione: Non operiet terra ultra interfectos suos etc.

96) 25.] sic recte Editt. 5. 7. 8. 11—14. et Opp.; Editt. 1. 2. 4. 6. 9. : 15.

97) 26.] sic recte Editt. 2. 6—8. 11—14. et Opp.; Editt. 1. 4. 5. 9. : 36.

98) Q. d.] Editt. 8. 11—13. et Opp.: Quasi diceret,

99) et *omittunt* Ed. 11. et Opp.

Esaias [100]) 66. [vs. 22—24.] Sicut coeli novi et terra nova, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum et nomen vestrum coram me; et erit mensis ex mense, sabbatum ex sabbato, et veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus. Et egredientur et videbunt cadavera virorum, qui praevaricati sunt in me; vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni. Describit et hic locus utrumque, poenas aeternas impiorum et gaudia iustorum; et qualis sit vita aeterna, docet, cum ait: Perpetuos menses et perpetuum sabbatum fore, hoc est, perpetuum festum diem, ut perpetuo adorent Dominum omnes sancti. Erit ergo vita aeterna perpetua adoratio, id est, Dei cognitio et iustitia sine peccato et sine morte.

Esaiae [1]) 65. [vss. 17—20.] Ecce ego creo coelos novos et terram novam, et non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor, sed gaudebitis et exultabitis in sempiternum cum his, quae creo. Quia, ecce ego creo Hierusalem, exultationem et populum eius gaudium; et exultabo in Hierusalem, et gaudebo in populo meo, et non audietur in ea ultra vox fletus et vox clamoris. Non erit ibi amplius infans, qui non adolescat, aut senex, qui non perveniat ad maiorem aetatem; nam puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit. Aliae sententiae aliis planiores sunt; sed tamen haec quoque testatur futuram renovationem totius creaturae, et pios habituros esse perpetua gaudia. Non audietur in ea ultra vox fletus etc. Ergo erunt sine peccato et morte. Item, infantes et senes perpetuo vivent; sed pueri centum annorum, et peccatores centum annorum, hoc est, illi, qui perseveraverunt in impietate, dabunt poenas. Et quia hi loci docent Ecclesiam futuram esse in afflictionibus ante resurrectionem, et primum glorificandam post resurrectionem, et post renovationem universae creaturae, clare testantur Prophetae, regnum Christi spirituale esse, nec esse politiam mundi ante resurrectionem, qualem Iudaei et Anabaptistae fingunt.

Esaias 25. [vss. 7 sq.] Et devorabitur in monte hoc facies involutorum, qua omnes populi involuti sunt, et operimentum, quo omnes gentes coopertae sunt; et mors devorabitur omnino, et absterget Dominus Deus omnem lachrymam ab omni facie et opprobium [2]) populi sui auferet de universa terra. Docet et hic locus clare, mortem abolendam esse, et populum Dei liberandum esse ab opprobrio [2]) et lachrymis, hoc est, a peccato, morte et persecutionibus. Quod autem initio dicit, Facies involutorum, etiam intelligit mortem; quia mortui solebant involvi pannis, cum sepelirentur; [3]) haec involucra tollentur, id est, mors tolletur.

Esaias 24. [vss. 21—23.] Et erit in die illa, visitabit Dominus super militiam coeli et super reges terrae; et congregabuntur congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere; et post multos dies visitabuntur, et erubescet luna et confundetur sol, cum regnabit Dominus etc.

Esaias 35. [vss. 9 sq.] Qui liberati fuerint et redempti a Domino, venient in Zion cum laude et laetitia sempiterna. Esa. 9. [vs. 6.] Christus vocatur Pater aeternitatis, hoc est, autor perpetuae vitae. Danielis 12. [vs. 2.] Et multi de his, qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt, alii in vitam aeternam, alii in opprobrium, [4]) ut videant semper. Oseae 13. [vs. 14.] De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos; ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne etc. Ezechiel 37. [vs. 12.] Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulchris vestris, populus meus etc. Huc pertinet et haec sententia Ezechielis 33. [vs. 11.] Vivo ego; nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Pertinent ex Prophetis huc omnes sententiae de aeterno regno Christi et sanctorum. Ex Psalmo 15. [vss. 9 sq.] Caro mea requiescet in spe; non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Cum enim Propheta de Christo loquitur, etiam membra Christi complectitur; scit enim per Christum destrui regnum peccati et mortis. Psalm. 21. [5]) [vs. 27.] Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum; vivent corda eorum in seculum seculi. Psalm. 33. [vs. 22.] Mors peccatorum pessima. Ergo etiam cum peccatores in hac vita non puniuntur, necesse est eos postea puniri. Et econtra Psalm. 115. [vs. 6.; al. 114, 15.] Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Ergo sanctis bene erit post hanc vitam. Eodem pertinet locus [Ps. 33, 20.]: Multae tribulationes iustorum, sed ex his omnibus liberabit eos Dominus. Psalm. 48. Conferuntur impii fortunati et pii afflicti. Hic docet in morte mutari utrorumque conditionem. De impiis dicit [vss. 14 sq.]: Velut oves in fovea ponuntur, et mors depascet eos, usque in aeternum non videbunt lumen. Econtra de piis dicit [vs. 16.]: Veruntamen Deus redimet animam de manu inferni, cum acceperit me. Eodem perti-

100) Esaias] Opp.: Esaiae

1) Esaiae] sic Editt. 2. 6—8. 11—14. et Opp.: Editt. 2. 4. 9. Esaias; Ed. 5. Esa.

2) opprobrium . . . opprobrio] Editt. 1. 2. 5. obprobrium . . . obprobrio

3) sepelirentur] Editt. 12. 13. sepeliuntur

4) opprobrium] Editt. 1. 2. 5. obprobrium

5) 21.] sic recte Editt. 2. 6—8. 11—14. et Opp.; Editt. 1. 4. 5. 9. : 31.

net collatio in Psalm. 4. [vss. 8 sq.] Ipsi abundant frumento et vino. In pace in id ipsum dormiam et requiescam. Huc etiam pertinent omnes sententiae de aeterno regno Christi.

Iob. 19. [vs. 25—27.] Scio, quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursus circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius. Hic est insignis locus, qui testatur vere nos eadem corpora recepturos esse, sed renovata; sicut Paulus docet [1. Cor. 15, 38 sqq.] etc. Item docet, qualis sit vita aeterna, scilicet notitia Dei etc.

Ex Moyse argumentatur Christus [Matth. 22, 32.]: Ego sum Deus Abraham etc. Ergo Abraham vivit; quia Deus non curat ea, quae nihil sunt.

Et ratiocinari similiter ex promissionibus et exemplis firmissime possumus, in quibus hic articulus de aeterna vita quasi involutus est. Ut Deus promisit se servaturum esse Abraham et alios sanctos [Gen. 15, 1.]: Ego sum protector tuus, etc. At sancti in hac vita sunt afflictissimi et videntur deserti, cum tamen vere curae sint Deo. Ergo restat alia vita et ingens gloria, qua glorificabuntur post hanc vitam, in quam intuentes cogitant omnes iniurias, aerumnas, calamitates contemnendas esse, et nullo modo conferendas ad illud ingens praemium.

Item in prima concione dicitur Genesis 4. [vs. 7.]: Si benefeceris, recipies; si male egeris, peccatum tuum quiescet, donec revelabitur. Ergo necesse est restare aliam vitam, in qua Abel recipiat praemium. Sequitur et hoc, restare aliquod iudicium omnium peccatorum, atque illorum etiam, quae in hac vita non sunt punita. Et huius universalis iudicii exemplum est diluvium; item, Sodomorum conflagratio, et similes historiae, quod Deus haud dubie puniturus sit omnium peccata.

Item prima promissio Gen. 3. vaticinatur de abolendo regno diaboli, hoc est, de abolendo peccato et morte. Ergo natura hominis renovabitur. Et Iacob [Gen. 49.] vaticinatur de salvatore omnium gentium, quem intelligebant patres autorem fore non alicuius corporalis regni, sed iustitiae et vitae aeternae. Videbant Ecclesiam in hac vita futuram in reliquiis peccati et afflictionibus, sicut viderant interfici Abel, et Abraham iussus est filium tanquam hostiam mactare. In hoc typo satis intellexit illud semen, quod promissum erat, futuram esse hostiam.

Enoh et Elias vivi translati sunt ad Deum, ut Textus de Enoh clare dicit. Haec facta certe sunt manifesta testimonia vitae aeternae. Nam si extinguerentur, non essent apud Deum; versari enim apud Deum est vivere quadam divina vita apud Deum. Haec igitur exempla plus valent, quam si promissio verbis tantum sine exemplis proposita esset. Nec dubium est, quin sancti patres copiose explicarint cum promissiones tum haec exempla. Testantur et Angelorum colloquia cum Abraham et caeteris patribus, aliam esse vitam. Et significant Angeli nos socios esse illius aeternae vitae, in qua sunt ipsi, quia nos curant et defendunt etc.

In Numeris 23. [vs. 10.] dicit Balaam: Moriatur anima mea morte iustorum, et fiant novissima mea horum similia. Et 24. [vs. 17.] Videbo eum, sed non modo; intuebor eum, sed non prope.

DE AFFLICTIONIBUS SEU DE CRUCE TOLERANDA.

Cum dictum sit Ecclesiam in hac vita subiectam esse cruci et afflictionibus, visum est adiicere quaedam de hoc loco. Prodest enim Ecclesiam hac de re diligenter instituere, ut in omni genere afflictionum habeamus in promptu pias et utiles consolationes. Sunt autem quatuor capita praecipua huius consolationis.

Primum statuendum est certo, nos non affligi casu, sed aliquo consilio a permissione Dei. Haec enim prima in omnibus afflictionibus quaestio est humanae mentis: An bona et mala casu eveniant, an vero Deo gubernante eveniant? Et in communibus afflictionibus magna pars consolationis est, posse statuere, quod adversa non accidant tibi casu. Scimus enim Deo obediendum esse. Hic igitur certis testimoniis erigenda et confirmanda mens est contra Epicureas opiniones. Hierem. cap. 3. [vs. 37.] Threnorum inquit: Quis est iste, qui dixit, ut fieret Domino non iubente: ex ore altissimi nec bona nec mala egredientur. Quid murmurat homo contra Deum? Huc pertinent omnes sententiae de providentia. Matth. 10. Non cadet unus de passerculis istis super terram sine voluntate Patris. Actuum 17. [vs. 28.] In ipso vivimus, movemur et sumus. Psalm. 99. [vs. 3.] Ipse fecit nos, et non ipsi nos. Psalm. 93. [vs. 9.] Qui finxit oculum, non videret? Psalm. 32. [vs. 15.] Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum etc. Et Paulus cum ad Corinth. [1. ep. 11, 32.] inquit, Cum iudicamur, a Domino corripimur, testatur afflictiones non accidere casu, sed Dei consilio ac voluntate. Et in cantico Annae 1. Reg. 2. [1. Sam. 2, 6.] Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit.

Secundum caput consolationis: Non solum statuendum est, afflictiones Dei consilio accidere, sed etiam addendum est, quod Deus puniat, non ut perdat, sed ut vocet nos ad poenitentiam et exerceat fidem nostram. Ita afflictiones transformandae sunt in signa misericordiae et bonae voluntatis Dei. Haec consolatio praecipua est; nam in summis do-

loribus agnoscimus nos divinitus puniri. Sed hoc ipsum auget acerbitatem doloris et adfert desperationem, nisi hanc consolationem teneamus, quae docet de voluntate Dei, quod puniat, non ut perdat, sed ut revocet nos ad poenitentiam aut exerceat nos. Atque ita interpretatur afflictiones Evangelium.

Saepe igitur hanc consolationem scriptura inculcat. 1. Cor. 12. [vs. 32.] Cum iudicamur,[6]) a Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Prov. 3. [vs. 12.] Quem diligit Dominus, corripit. Hebr. 12. [vs. 6.] Flagellat omnem filium, quem recipit. Psalm. 118. [vs. 71.] Bonum mihi, quod humiliasti me, ut discam iustificationes tuas. Apoc. 3. [vs. 19.] Ego quos diligo, arguo et[7]) castigo. Esaia. 28. [vs. 19.] Vexatio dat intellectum. Item [vs. 9.]: Quem docebit scientiam? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus. Esaia. 26. [vs. 16.] Domine, in tribulatione visitant te; angustia, in qua clamant, est eis disciplina. Naum. 1. [vs. 7.] Bonus est Dominus et confortans in tribulationibus, et agnoscit sperantes in se. Hierem. 31. [vs. 18.] Castigasti me, Domine, et eruditus sum quasi iuvenculus indomitus, postquam convertisti me, egi poenitentiam etc. Item in Evangelio [Matth. 5, 3.]: Beati pauperes spiritu; Beati qui lugent etc. Luc. 6. [vs. 25.] Vae vobis, qui saturi estis. Item: Vae vobis, qui nunc ridetis. Et in summa afflictiones sunt pars legis, quia sunt poenae additae legi.

Sicut igitur Evangelium docet legem datam esse, ut humiliet nos, ut quaeramus Christum; ita docet et poenas additas esse, non ut perdant, sed ut revocent nos ad poenitentiam, ut feramus crucem. Pertinent igitur huc sententiae illae universales [Rom. 11, 32.]: Conclusit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur. Nam concludi sub peccatum significat, nos subiectos esse non solum praesentibus calamitatibus, sed condemnationi etc. Et tamen de hac summa afflictione docet Evangelium nos non perdi, sed admoneri, ut agnoscamus beneficium Christi etc. Eodem pertinet sententia [Ezech. 33, 11.]: Nolo mortem peccatoris etc.

Praeterea de Ecclesia plurimum extat testimoniorum, quod oporteat eam exerceri, ut crescant in sanctis timor et fides et caeteri fructus spiritus etc. 1. Petr. 1. [vs. 6.] Oportet contristari variis tentationibus, ut probatio fidei vestrae auro purior fiat. 2. Cor. 1. [vs. 9.] In nobis ipsis responsum mortis habuimus, ne confideremus nobis ipsis. 2. Cor. 4. [vs. 16.] Etsi noster exterior homo corrumpitur, tamen interior renovatur quotidie etc. Rom. 5. [vs. 3.] Tribulatio patientiam efficit, patientia probationem, probatio spem etc. Iacobi 1. [vs. 2.] Omne gaudium existimate, cum in varias tentationes incideritis, scientes, quod probatio fidei vestrae parit patientiam. Gen. 22. [vs. 12.] de Abraham: Nunc cognovi, quod timeas Deum. Constituendum est igitur de fine seu utilitate afflictionum, quod sint signa bonae voluntatis Dei, seu quod Deus sinat nos affligi, non ut perdat nos, sed ut revocet ad poenitentiam, seu ut exerceat nos. Haec consolatio munit afflictos contra desperationem, et ostendit, quid boni insit in afflictionibus.

Tertium caput consolationis. Natura hominis, praesertim cum videtur indigna pati aut minis duriter affligi, impatienter fert calamitatem, fremit, indignatur, et irascitur iudicio Dei, quod videtur iniquum. Quia cum impii et Tyranni vivant in maximis opibus ac voluptatibus tranquilli, nos interim omnibus miseriis opprimimur. Adversus hanc tentationem docendi sunt homines, ne indulgeant huic indignationi aut dolori, sed quod haec indignatio seu impatientia sit peccatum, et quod Deus requirat obedientiam, et velit hoc modo praesertim Ecclesiam exerceri.

Huc pertinent sententiae de afflictionibus propriis Ecclesiae, quae hanc obedientiam et singularem cultum requirunt. Hinc vero sumendae sunt insignes consolationes: Prima, quod Deus hanc obedientiam Ecclesiae praeceperit; Deinde, si afflictiones sunt cultus Dei, non est sentiendum, afflictiones[8]) esse signa irae, aut ideo affligi nos, quia reiiciamur, sed ut fiamus membra similia imaginis Christi; item, ut praestemus cultum Deo debitum. Tertio, Cum Ecclesia praecipue affligatur, certe afflictiones non sunt signa irae, quia Deus maxime diligit et liberabit Ecclesiam, sicut et Christum resuscitavit

Caussa autem, cur Ecclesia praecipue affligatur, haec est: Regnum Christi erit nova et aeterna iustitia ac vita. Haerent autem in corpore nostro reliquiae peccati; ideo hoc corpus aboleri vult ac subiecit afflictionibus ac morti, ut postea nova et spirituali natura vestiamur et glorificemur, quae sine peccato et sine morte sit. Et vult interim exerceri fidem hac occasione. Hoc docet Paulus Rom. 8. [vs. 13. 36.] Corpus mortificatur propter peccatum, scilicet, praesens in carne. Et Rom. 6. [vs. 6.] Vetus noster homo simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.

Humana ratio exercetur hoc argumento: Iustis debet bene esse; Ecclesia est iusta; igitur[9]) Ecclesia non debebat affligi. Sed primum respondendum est ad Minorem: Ecclesia est iusta imputatione,

---

6) *Comma omittit* Ed. 1., *transponit post* Domino Ed. 2.

7) arguo et *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

8) sunt cultus — afflictiones *omittit* Ed. 11. (*ob homoeoteleuton*); *male igitur in Opp. Basileenses* si *quoque ante* afflictiones *prius eiecerunt et ante* quia *sq.* non *inseruerunt.*

9) igitur] sic Editt. 1. 4. 5. 9.; Editt. 2. 6—8. 11—14. et Opp.: ideo

sed tamen adhuc habet peccatum in carne: ideo manent afflictiones et mors. Deinde ad Maiorem respondendum est: Iustis debet bene esse. Haec sententia est vox legis, quam interpretatur Evangelium, quod docet nos in hac vita propter peccatum haerens in corpore, subiectos esse afflictionibus, et tamen, quia Ecclesia iusta est, liberabitur ab his afflictionibus, et suo tempore recipiet praemia.

Nunc igitur addemus aliquas sententias de Ecclesiae afflictionibus. Primum, exempla nobis proponere debemus Christi et totius Ecclesiae ab initio mundi, Abel, Abraham, Isaac, populi Israel in Aegypto, Prophetarum et Apostolorum etc. Haec exempla nos admoneant et erigant: Si est Ecclesia, necesse est similem fieri corporis Christi. Quare necesse est existere persecutiones, et Ecclesiam affligi; ideo non frangamur animis, cum versari nos in magnis periculis et aerumnis cogitabimus, sed meminerimus hanc esse propriam Ecclesiae speciem. Intueamur in Christum crucifixum, in Abel, in Prophetas, in Apostolos interfectos etc.

Dicit igitur Paulus Rom. 8. [vs. 29.] Oportet nos fieri similes imaginis filii Dei. Petrus [1. ep. 4, 17.]: Iudicium a domo Dei incipit. Item: Ne miremini in afflictione vestra, quae fit ad vos [10]) explorandos, sed gaudete tanquam communicantes afflictionibus Christi. Et Christus inquit [Marc. 8, 34.]: Qui vult me sequi, tollat crucem suam etc. 2. Tim. 3. [vs. 12.] Omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur. Et Paulus inquit 1. Cor. 4. [11]) [vss. 9 sqq.]: Apostolos haberi a mundo pro catharmatis, id est, piaculis. Hoc extremum et atrocissimum est maledictorum omnium, quae cogitari possunt. Psalm. 125. [vs. 5.] Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent etc. Item Psalm. 117. [vs. 18.] Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me. Hic de afflictione et de liberatione concionatur. Et 115. [vs. 6.; al. 114, 15.] Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.

Sed suavissima consolatio in illis sententiis proponitur, quae testantur afflictiones sacrificia esse. Nam sacrificia significant quiddam Deo proprie [12]) dicatum, ut per id honore afficiatur, et quod Deo praecipue gratum est. Psalm. 50. [vs. 19.] Sacrificium Deo spiritus tribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. Rom. 12. [vs. 1.] Praebete corpora vestra victimas et rationalem cultum etc.

Ergo et requirit Deus hanc obedientiam, et valde approbat tanquam verum et summum cultum; non igitur reiicit afflictos. Non est indignandum, quasi nos deseruerit, sed bona colligenda sunt, quae secum habent afflictiones, ut hanc obedientiam aequo animo praestare possimus. Sicut Petrus [1. ep. 4, 13.] inquit: Gaudete tanquam communicantes afflictionibus Christi etc. Primum obedientia ipsa bona est; Deus enim praecipit, ut patienter obediamus. Iuxta illud Pauli [Rom. 12, 12.]: In tribulatione patientes. Item [1. Cor. 10, 10.]: Nolite murmurare etc. Secundo: Finis bonus est, quod afflictiones exercent nos aut revocant ad poenitentiam. Tertio: Est et alius finis longe praestantior, quod afflictiones fiunt cultus et sacrificia; nihil enim honorificentius dici potest de ullo opere, quam quod sit sacrificium. Fiunt autem sacrificia, cum voluntatem Dei intuemur, videlicet, cum ideo perferimus, ut Deo obediamus; item, cum credimus eas propter Christum placere.

Et loquimur de afflictionibus, non quas ipsi sponte accersimus, sed quae accidunt praeter nostram electionem aut voluntatem, sive natura sive hominum saevitia. Nam naturae incommoda etiam sunt poenae additae legi, et fiunt voluntate Dei. Ideo Petrus diserte dixit [1. ep. 4, 19.]: Patientes secundum voluntatem Dei. Illa vero ethnica persuasio abiicienda est, quae fingit afflictiones sponte accersitas sacrificia esse, et quidem sine fide. Sicut sacerdotes Baal lacerabant cutem suam gladiis etc.

Cum igitur in tolerandis afflictionibus non solum obedientia requiratur, sed etiam ita requiratur, ne irascamur et indignemur, sed volentes et aequo animo obediamus Deo; adversus hanc indignationem et impatientiam opponere debemus praecepta, quae recensui, et sententias, quae testantur voluntatem Dei esse, ut praecipue Ecclesia exerceatur etc. Sunt et opponenda commoda afflictionum, de quibus dixi.

Sed addendum est quartum caput consolationis, quod maxime prodest nosse ac praecipue levat illam indignationem. Non solum illa superiora capita tenenda sunt; quod afflictiones non accidant casu; quod non sint signa irae; quod indignatio sit peccatum; quod Deus requirat obedientiam etc. sed etiam addi oportet fidem et invocationem. Tenenda est igitur fides, quod Deus nobis affuturus sit, et opem laturus, et pro sua sapientia aliquando liberaturus; hac fide invocandus est. Est enim et hic finis afflictionum, videlicet, ut habeamus occasionem exercendae fidei et invocationis, et liberatio seu confirmatio testetur Deum adesse, et nos Deo curae esse etc.

Ita notitia Dei per hanc occasionem fit illustrior et crescit in nobis sicut docet insigne exemplum Manasse 2. Paralip. 33. Qui postquam afflictus est, oravit Dominum, et Deus exaudivit orationem eius, et

10) vos] Ed. 11. et Opp. typ. errore: nos

11) 1. Cor. 4. *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

12) proprie] Ed. 11. propria

agnovit Manasse, quod Dominus Deus est. Et Psalm. 49. [vs. 15.] Eripiam te, et honorificabis me; id est, magis me agnosces, praedicabis etc. Psalm. 68. [vs. 33.] Videant pauperes et laetentur, quia exaudivit pauperes Dominus etc. Exempla liberationis testantur Deum nobis adesse. Et est suavissima sententia 2. Cor. 1. ubi Paulus iubet multos orare, ut rursus pro dato beneficio multi agant gratias Deo, videlicet ut misericordia et notitia Dei fiat illustrior.

Hic igitur duo nobis proponamus, praecepta et promissiones. Praecepta iubent petere et expectare auxilium; ut: [Ps. 49, 15.] Invoca me in die tribulationis etc. Et Psalm. 4. [vs. 6.] Sacrificate sacrificium iustitiae et sperate in Domino. Item Christus [Luc. 11, 9.]: Petite et accipietis etc. Lucae 18. [vs. 1.] iubet semper orare; et 1. Thess. ult. [5, 17.] Semper orate, Et Philipp. 4. [vs. 6.] Ne sitis solliciti, sed in omni oratione et precatione cum gratiarum actione petitiones vestrae notae fiant apud Deum. Et Psalm. 54. [vs. 23.] Iacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet etc. Huiusmodi praeceapt excitare nos ad invocationem debent. Deinde et promissiones consideremus; ut Ioan. 16. [vs. 23.] Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Et Matth. 7. [vs. 11.] Si vos, qui mali estis etc. Et in Psalmis innumerabiles sunt promissiones. Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. Invoca me in die tribulationis, et eripiam te, et tu honorificabis me.

Atque haec sunt vera Christianorum exercitia: intelligere publica et privata pericula, et fide animum erigere et petere a Deo, ut gubernet Ecclesiam, et liberet eam ab impietate ac scandalis, defendat rempublicam, det pacem, fruges, victum, regat mores populi, ut Deus glorificetur etc. His exercitiis debebat fides crescere, quae in otio et voluptatibus extinguitur. Cum enim animi non assuefiunt, ut a Deo bona petant, obrepit opinio, quod casu ita ferantur omnia sine ope divina. Ideo scriptura docet in secundis rebus homines fieri caecos et impios, quia [13]) amittunt occasiones petendi auxilium a Deo. Sicut dicit Moyses [Ex. 32, 6.]: Sedit populus manducans et bibens, et surrexit ad ludendum. Et Deut. 32. [vs. 15.] Incrassatus est et recalcitravit. Et Oseas [7, 5.]: Coeperunt principes furere vino etc. Nunquam desunt pericula, sed homines ebrii praesenti tranquillitate [14]) non intelligunt ea; ideo consideranda sunt, ut fidem et invocationem exerceamus etc.

Atque haec quatuor capita consolationis quantam vim habeant, usu discendum est. Nam scriptura non frustra tam diligenter has consolationes nobis inculcat, et vult nos ipsis uti, et testatur efficaces esse. Cumque hoc loco nobis proponimus, vera patientia praestari potest. Nam ea demum est vera patientia, non solum obedire in afflictionibus, sed etiam indignationem infirmae naturae vincere, aut certe repugnare.

Porro quam pulchra virtus haec sit et quam necessaria, praesertim Christianis, diligenter considerare debemus. Quantam laudem mereatur humano iudicio aequabilitas animi in adversis rebus, docent non solum libri philosophorum, sed etiam publica bonorum virorum iudicia. Docet enim homines ipsa ratio, maxime convenire naturae moderationem dolorum, et non frangi animis aut permoveri, ut vel contra iustitiam faciamus vel discedamus ab illa mediocritate, quae decet in natura. Hinc sunt illae fortium et magnorum virorum voces.

Quicquid erit superanda omnis fortuna ferendo [15]) est.

Et illud:

Fortiaque adversis opponite pectora rebus. [15a])

Et Aristoteles inquit: in adversis rebus virtutem maxime lucere. Sicut ille in Tragoedia inquit: Tamen per ipsas lucet aerumnas decus. Et Cicero [15b]) ex Tragoedia dicit: Fortunam ab animo magno tanquam fluctus a saxo frangi oportere.

Sed multo pulchrior virtus est Christiana patientia. Id intelligi potest, si opposita vitia conferantur. Impatientia enim irascitur Deo, et primum obedientiam, deinde etiam fidem ex animis expellit. Nam iratus animus existimat se negligi a Deo, et imaginatur se frustra petere et expectare auxilium a Deo. Itaque [16]) in magnis afflictionibus multi fiunt prorsus blasphemi, et quaerunt consilia contra mandatum Dei. Sicut Saul consuluit veneficam. Talia peccata gignit impatientia contra primam tabulam. Deinde adversus homines dolor iniuriae gignit odium, incitat ad vindictam. Qua ex re saepe existunt non solum privatae dissensiones, sed etiam seditiones et publici motus. Sicut Coriolanum dolor iniuriae perpulit ad bellum patriae inferendum. Quanto honestius fecit Scipio, qui ingenti animo despexit latrantes tribunos, cessit etiam invidiae, et se contulit in rus, ne praesens magis inflammaret odium? Atqui facile poterat se armis defendere contra iniuriam, sed condonavit privatas iniurias reipublicae. Melior igitur civis fuit, quam postea Marius et alii multi, qui privatas iniurias cum per-

13) quia] Ed. 11. et Opp.: qui

14) tranquillitate] Editt. 12. 13. tranquillitati

15) ferendo] Editt. 2. 6. ferenda

15a) Horat. Sat. II, 2, extr.

15b) Cic. Epist. ad famil. IX, 16, 6. ed. Orell.

16) Itaque] Ed. 11. et Opp.: Ita

nicie publica ulti sunt. Athenis Thrasybulus recuperata patria sanxit *ἀμνηστίαν*, hoc est, ut respublica pacata esset [17]), constituit, ne victores cives repeterent sua bona a victis civibus. Magna haec et salutaris [18]) illi urbi moderatio fuit. At Marius rediens Romam interfecit omnes principes diversae factionis: tantum mali parit impotentia animi. Item, multi sibi ipsis mortem consciscunt. Sed cogitemus, quantum in Ecclesia periculi sit, cum ingenia vehementia irritata a doctoribus ulciscuntur privatum dolorem publice motis tragoediis contra doctores. Ex talibus odiis saepe extiterunt haereses. Necessaria est igitur patientia, primum coram Deo, ut obedientiam et fidem retineamus; deinde propter tranquillitatem Ecclesiae et reipublicae; postremo propter privatam tranquillitatem. Ideo toties praecipit Spiritus sanctus de patientia. Ad Coloss. [3. 15.] inquit Paulus: Pax Dei gubernet corda vestra, Pax Dei, id est, patientia, quae Deo statuit obediendum esse et expectat auxilium a Deo; ideoque non tumultuatur, non molitur vindictam, non movet seditiones aut bella civilia etc. Apud Esaiam [30, 15.], In silentio et spe erit fortitudo vestra, id est, Deus opem fert patientibus, qui ab ipso auxilium expectant, nec omisso Deo fremunt et movent coelum et terram, confugiunt ad prohibita auxilia. Idem docet Psalmus 4. [19]) [vs. 5.] Irascimini et nolite peccare. Assuefaciamus igitur animos et discamus tolerare adversa, ut exerceamus obedientiam et fidem, maximeque tum reprimamus animi motus, cum iniuria lacessiti incendimur cupiditate vindictae. Haec virtus necessaria est in Ecclesia et republica, privatum dolorem condonare tranquillitati publicae, ne in Ecclesia discordiae excitentur propter privatas simultates. Ita instituamus animos, ut ducant satius esse omnia supplicia et omnes cruciatus perpeti, quam propter privatam iniuriam perturbare publicam tranquillitatem. Sed haec tota philosophia ignota est principibus et doctoribus, qui privatis affectibus publicas discordias incendunt. Praeclare Ulysses, qui cum admoneretur, ne iret in urbem, ne ibi percuteretur, inquit [20]):

οὐ γάρ τι πληγέων[21]) *ἀδαήμων.*[22]) *οὐδὲ βολάων.*

Sic assuefaciendi sunt animi, ut perpeti plagas et dissimulare iniurias possint; et cogitandum illud [23]):

Perfer et obdura, dolor hic tibi proderit olim.

DE ORATIONE.

Orationis vocabulo vulgo utimur et pro invocatione et pro gratiarum actione. Sunt igitur duae species constituendae, Invocatio et gratiarum actio. Invocatio est petere aliquid a Deo: Gratiarum actio est, pro beneficiis agere gratias Deo; agnoscere quod divinitus contigerit auxilium etc. celebrare et praedicare Deum autorem beneficii. Has species saepe coniungit scriptura; ut Psalm. 49. [vs. 15.] Invoca me, et honorificabis me etc. Item Philipp. 4. [vs. 6.] Non sitis soliciti, sed in omni precatione et petitione cum gratiarum actione postulationes vestrae innotescant apud Deum. Dicamus autem primum de invocatione seu precatione seu petitione. Praecipue [24]) res quatuor in precatione requirendae sunt, praeceptum, promissio, fides, et res petenda.

Primum intuenda sunt praecepta, quae iubent invocare Deum. Discamus igitur initio, non solum esse peccata caedem, furta, adulteria, sed etiam peccatum esse, non reddere Deo hunc cultum invocationis, non petere, non expectare a Deo auxilium in periculis, non agere gratias pro beneficiis etc. Opponamus igitur praeceptum et incredulitati nostrae et indignitati, quia naturaliter dubitant homines, utrum Deo curae sint, utrum a Deo exaudiantur. Ideo desperabundi omittunt invocationem, cum animus cogitat se nihil proficere invocando. Sicut ille apud Virgilium [24a]) inquit: Famamque fovemus inanem. Hae tenebrae in animis et hic stupor facit, ne confugiant homines ad Deum. Ideo opponi debet praeceptum Dei et cogitandum: Ecce necesse est obtemperare praecepto Dei; Ipse iussit se invocari, et non frustra iussit, haud dubie audit obtemperantes, et non obtemperantes puniet, non est praecepti autoritas detrectanda. Deinde praeceptum etiam indignitati opponendum est. Animus non prorsus impius ita cogitat: Etsi existimo a Deo exaudiri aliquos, tamen meas preces non accipiet, sentio me indignum esse, qui exaudiar. Ita deterret indignitas a precando. Sed opponendum est praeceptum: Deus requirit hunc cultum ab omnibus. Quae esset amentia in caeteris praeceptis disputare: nos ideo nolle abstinere, a furtis, a caede, quia non simus digni, qui Deo obtemperemus. Si quis paterfamilias imperet servo legitimum opus,

17) esset] Ed. 11. typoth. errore: esse

18) salutaris] Editt. 2. 6. typoth. errore: salvatoris

19) 4. *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

20) Hom. Odyss. XVII. 283.

21) *τι πληγέων*] Ed. 7. *τι πληεγῶν*, Ed. 14. *τι πληγῶν*, Editt. 8. 11—13. et Opp.: *τοι πληγῶν*

22) *ἀδαήμων*] Ed. 11. et Opp.: *ἀδαίμων*

23) Ovid. Amor. III, 11, 7.

24) Praecipue] sic Editt. 6—8. 11—14. et Opp.; Editt. 1. 2. 4. 9. Praecipuae

24a) Virg. Aen. IV, 218.

non recipiet servi excusationem, si is dicat, se non esse dignum, qui obtemperet. Diligenter igitur inculcanda est animis praecepti autoritas, ut sciamus non esse liberum nobis precari aut non precari, sed necessarium opus esse. Deinde cum obstrepit indignitas, cogitemus non esse detrectandam autoritatem mandati divini propter nostram indignitatem, parere debemus, non debemus eludere mandatum disputatione nostrae dignitatis vel indignitatis. Ita primum excitet nos ad precandum autoritas divini mandati. Et ad hunc usum colligamus nobis aliquot locos, in quibus praecipitur nobis, ut precemur. Matth. 7. [vs. 7.] Petite, et dabitur vobis etc. Et est addita universalis: Omnis, qui petit, accipit. Luc. 18. [vs. 1.] Oportet semper orare, et non defatigari. Matth. 26. [vs. 41.] Vigilate et orate, ne intretis in tentationem. 1. Tim. 2. [vs. 2.] Adhortor, ut faciatis deprecationes etc. 1. Thess. 5. [vss. 16—18.] Semper gaudete, incessanter orate, in omnibus gratias agite, haec est enim voluntas Dei in Christo Iesu erga vos [25]. Psalm. 49. [vs. 15.] Invoca me in die tribulationis, et eripiam te.

Dixi de praecepto; pertinent autem hae sententiae ad secundum praeceptum decalogi. Estque invocatio opus secundi praecepti et praecipuus cultus.

Secundo, Consideranda est promissio, quae testatur exaudiri preces et efficaces esse. Est autem saepe repetita in scripturis. Ut Ioan. 16. [vs. 23.] Amen amen dico vobis, quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Luc. 11. [vs. 13.] Quanto magis Pater vester, qui in coelis est, dabit spiritum sanctum petentibus se. Psalm. 49. [vs. 15.] Invoca me, et eripiam te etc. Ingens bonitas est, quod et promissionibus et praeceptis nos invitat ad invocandum. Si ad hanc liberalitatem conferamus corda nostra, comperiemus ea plus quam ferrea esse, quod neque praeceptis obtemperent neque moveantur magnitudine promissionum, sed stupore quodam teneantur, nec conentur, nec ausint Deum invocare. Praeclare dixit Taulerus: Animum hominis nunquam tam avidum esse posse ad accipiendum, quin Deus multo avidior sit ad dandum; est enim verax et servans promissionum suarum.

Tertium igitur addi oportet, scilicet, fidem. Haec fides primum tenere debet consolationem de iustificatione, statim enim in precatione obstrepit nobis indignitas nostra, interpellat nos sententia [Ioh. 9, 31.]: Peccatores Deus non exaudit. Ideo primum tenenda est consolatio de iustificatione. Si agimus poenitentiam et credimus nobis ignosci, statuendum est certo nos placere Deo propter Christum, etiamsi haerent in nobis adhuc aliqui morbi. Ideo Christus inquit [Ioh. 16, 23.]: Quicquid petieritis in nomine meo. Q. d. [26]) non potestis afferre vestram dignitatem ad Patrem, sed opus est vobis intercessore et pontifice. Ideo ad me confugite, et statuite vos certo placere, vos exaudiri propter intercessorem et pontificem Christum. Cogitemus Christo factas esse promissiones, eumque haud dubie exaudiri. Haec est vera et firma consolatio contra indignitatem nostram. Idque optime servat Ecclesia in veteribus precibus, in quibus semper addit, per Christum Dominum nostrum.

Quare in omni precatione primum afferamus hanc fidem, videlicet de remissione peccatorum seu de iustificatione, et credamus preces placere propter Christum. Deinde addenda est etiam fides, quae expectet promissa. Tunc autem fides sine ulla conditione expectet promissum, et sentiat nobis id nominatim tribui, cum Deus voluntatem suam expressit, et praecepit,[26a]) ut nominatim credamus nobis id dari, quod pollicitus est. Ut cum petimus remissionem peccatorum, liberationem ab impietate, a morte aeterna. Hic sine conditione fides specialis, et sine dubitatione sentiat nobis tribui haec beneficia, quia Deus praecepit, ut credamus haec nobis contingere; sicut iure iurando affirmat [Ezech. 33, 11.]: Vivo ego, nolo mortem peccatoris. Nec opus est hic disputare de praedestinatione, habemus enim mandatum, ut promissionibus credamus. Nec nos de voluntate Dei iudicare debemus contra promissiones, nec quaerere voluntatem Dei extra verbum vel sine verbo. Dictum autem est supra, promissiones esse universales.

In corporalibus periculis, ubi afflictio est obedientia quaedam, sciendum est utrumque, et quod requirat Deus obedientiam, et tamen velit opitulari. Itaque generalem fidem semper afferre debemus, quam sic voco, quae credit nobis remitti peccata, et nostras preces propter Christum audiri et placere Deo nec esse irritas, sed vel liberationem ex praesenti periculo, vel mitigationem vel alia quaedam bona impetrare. Atque haec fides generalis manet certa et reddit corda pacata.

Sed specialis fides, quae petit liberationem ex praesenti periculo nominatim, paulo aliter se habet. Haec enim in corporalibus periculis ita expectat liberationem, ut addat conditionem: Si Deo non displicet, si Deus iudicat conducere. Ita simul coniungi debent in hoc casu voluntas parata ad obedientiam et quaedam expectatio liberationis, sed cum illa conditione. Ita David et reditum expectat, et

25) vos] Ed. 11. et Opp. typ. errore: nos

26) I. e. quasi dicat.

26a) praecepit] sic Editt. 1. 4. 5. 9.; Editt. 2. 6—8. 11—14. et Opp.: praecipit

tamen animo est ad obedientiam parato. 2. Regum 15. [2. Sam. 15, 25.] Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me: sin autem dixerit mihi, non places, praesto sum: faciat, quod bonum videtur ipsi. Et leprosus [Matth. 8, 2.]: Si vis, potes me mundare. Et Christus inquit [Luc. 22, 42.]: Pater, si possibile est, transeat a me calix iste: sed non quod ego volo etc. Et Paulus inquit [Rom. 8, 26.]: Nescimus, quid petamus, quemadmodum oportet; hoc est: Caro quidem oppressa magnitudine afflictionum, petit liberationem et reformidat obedientiam, sed spiritus revocat animum ad obedientiam, et quamvis petat et expectat liberationem, tamen non repugnat voluntati Dei, sed vult liberari, cum Deo placebit.

Sed sunt alia quaedam exempla, quae singulares motus fidei habent; sicut Samaritanae aut Centurionis,[27]) qui non disputant, utrum velit Christus, sed ingenti impetu petunt et expectant. Tales sunt illi motus [Matth. 21, 21.]: Si dixeritis monti huic, proiiciare in mare etc. Hos motus inquit Lutherus singulares esse, de quibus nihil possit praecipi in docendo. Satis est praecipere, quod fides debeat in genere statuere, sine conditione, quod Deo placeant nostrae preces propter Christum, et haud dubie aliquid boni impetrent. Specialis autem fides, quae petit liberationem ex certo periculo, nominatim addat conditionem: si Deo placeat.

Neque haec conditio impediat, quo minus nominatim petamus; Imo Deus vult in talibus occasionibus exerceri invocationem et fidem. Haec praecipua causa est, cur sancti affligantur, ut, cum consolationem in periculis experiuntur, agnoscant praesentiam et bonitatem Dei. Uterque affectus excitandus est, voluntas obtemperandi; nam haec voluntas est vera abnegatio sui. Est et fides erigenda, quae expectet liberationem nominatim. Etsi enim conditio addenda est, tamen non est indulgendum diffidentiae; sed sit fides seu expectatio, qualis esse in hoc genere potest. Ut enim voluntas obediendi non pugnat cum fide, sic conditio illa non impedit invocationem seu, petitionem et expectationem auxilii. Christus inquit ad centurionem: Sicut credidisti, fiat tibi. Et iubet Archisynagogum credere, filiam revicturam esse etc. Haec exempla nobis proposita sunt, ut nos quoque magna cum fiducia petamus, ut in his exercitiis crescat fides. Manet interim tamen voluntas obtemperandi; ideo et conditionem addimus: si Deo placeat, et neque modum liberationis neque tempus Deo praescribere debemus, sed quemadmodum Paulus inquit [Eph. 3, 20.], Deum facere supra quam petere aut intelligere possumus; ita sciamus, Deum gubernaturum esse eventus et negotia mirabili modo. Nam ideo etiam sic exercentur sancti, ut discant Deum velle, ne pendeamus a nostris consiliis, sed ea tantum agamus, quae vocatio postulat, et in his pendeamus ab auxilio Dei. Sic reguntur sancti, Abraham, Iacob, Moyses, David. Sic vult Deus nos de Ecclesia sentire, quod Deus eam mirabili consilio gubernet. Et David inquit [Ps. 4, 4.]: Mirificat Deus sanctum suum; id est, non humanis, sed mirabilibus consiliis liberat et servat eum. Et 1. Cor. 10. [vs. 13.] Faciet cum tentatione eventum.

Est et aliud fidei certamen in oratione, cum differuntur ea, quae petimus, non languescat fides, quasi Deus nolit audire nostras preces, sed sciamus hac mora exerceri fidem. Sicut cum Abrahae promissa esset posteritas, primum in extrema senecta datur ei soboles. Ideo Paulus [1. Thess. 5, 17.] iubet non cessare orando. Q. d. Etiamsi non statim impetras, tamen non desinas petere. Idem docet egregia similitudine Christus Luc. 18. de iudice et vidua.

Quarto: Requiritur in oratione res petenda; nam oratio non debet esse inanis *βαττολογία*. Ideo enim cultus Dei est, quia ibi profitemur nos a Deo respici; Deum non esse otiosum, sed autorem esse et datorem bonorum. Quare aliquid a Deo peti oportet, aut pro munere aliquo gratiae agendae sunt. Sic enim vult agnosci Deus, quod tegat nos inter haec pericula. Et in Cantico [Ps. 106, 9.] dicitur: Esurientes implet[28]) bonis. Et Christus inquit [Matth. 7, 7.]: Petite, quaerite, pulsate etc. Sciendum est autem, quod scriptura iubet utraque petere, spiritualia et corporalia beneficia. Nec est imaginatio obiicienda imperitis, quasi corporalia indigna sint, quae petantur; imo discamus haec quoque Dei beneficia esse, vult Deus in his petendis exerceri fidem et invocationem.

Proponamus igitur nobis privata pericula et privatas necessitates spiritus et corporis. Petrus [1. ep. 5, 8.] inquit, Diabolum circuire insidiantem nobis velut leonem rugientem etc. Sunt autem insidiae varii generis, praecipue omnium animos infinitis occasionibus flectit ad malas et impias opiniones, inserit et ipse cogitationes perniciosas, detinet animos dementatos falsis persuasionibus. Deinde incitat ad flagitia, haereses, seditiones, caedes, libidines etc. et ex his coniicit in varias calamitates. Hostem habemus et potentem et acerrimum, cum nos simus non solum imbecilles, sed etiam mirum in modum ignavi et oscitantes. Iam considerentur infinitae corporales hominum catamitates, infiniti casus, inopia, morbi, exilia, neces etc. Sed non

27) Centurionis] sic Editt. 2. 6—8. 11—14. et Opp.; Editt. 1. 4. 5. 9. Centuriones

28) implet] Editt. 8. 11—13. et Opp.: implevit

solum privatis periculis affici debemus, sed multo magis publicis. Ideo scriptura praecipit orari pro Ecclesia, ut liberetur ab impietate, a scandalis, ut plures obediant Evangelio et salventur. Item 1. Tim. 2. [vs. 2.] iubet peti, ut regibus et rebuspublicis Deus concedat pacem, et foelicem ac piam administrationem conservationem disciplinae et bonorum morum. Item iubet peti victum et caetera bona corporis, atque haec omnia complectitur Dominica oratio.

Pater noster, qui es in coelis. Id est: Qui vere ades ubique, [29]) exaudis et respicis nos etc.

I. [30]) Sanctificetur nomen tuum. Id est: Effice, ut vere agnoscaris, ut vera [31]) doceantur, per quae gloria tua vere patefiat, ut te recte invocent et colant homines. Ita prima petitio orat de gloria Dei, hoc est, de doctrina et Ecclesiae profectu. Nomen enim significat notitiam.

II. [32]) Adveniat regnum tuum. Id est: Rege nos Spiritu sancto, ut verbo tuo credamus, inchoa in nobis regnum tuum, ut fiamus haeredes regni tui. Loquitur igitur secunda petitio de effectu Evangelii et de gubernatione nostri.

III. Fiat voluntas tua. Id est: Da, ut omnes tibi obediant in terra; da, ut Pastores, reges, magistratus, doctores, subditi suum officium faciant, et omnes obediant tibi, ac vivant in tali vitae genere, quod tibi placeat; sicut Angeli in coelo obediunt et placent tibi. Ita hae tres petitiones complectuntur omnia spiritualia, publica et privata, quae ad gloriam Dei et nostram salutem pertinent. Deinde sequitur petitio rerum corporalium.

IIII. Da panem quotidianum. Id est, victum, pacem, defensionem, successum in rebus gerendis, liberorum educationem, denique omnia vitae commoda.

V. Dimitte nobis debita nostra. Haec petitio docet, semper in omni precatione fidem adhibendam esse, quae credat remissionem et apprehendat Christum mediatorem et interpellatorem, ut sciamus nos accedere ad Patrem per hunc pontificem et propter eum exaudiri. Estque egregia confessio in hoc loco, qua agnoscit Ecclesia se habere peccatum. Est et consolatio. Quia enim Christus iubet petere remissionem, haud dubie eam donabit. Et quidem additum est sacramentum: Sicut nos remittimus. Non enim dicitur propter nostram condonationem remitti, sed nostra condonatio est signum, quo admoniti statuere debemus, et nobis a Deo ignosci.

VI. Ne nos inducas in tentationem. Id est: Ne sinas nos induci in tentationem, defende nos contra Diaboli insidias, ne pertrahamur ad impietatem, ad peccata etc.

VII. Libera nos a malo. Petitio generalis est, quae petit liberationem ex omnibus peccatis et calamitatibus totius vitae. Et in summa petit, ut liberemur ex miseriis et aerumnis praesentis vitae, ut donetur nobis vita et iustitia aeterna.

Docet igitur Dominica precatio, quae res spirituales et corporales petendae sint privatae, publicae, praesentes et futurae. Cumque hanc precationem recitamus, ipsa magnitudo periculorum et beneficiorum exuscitet nos, ut serio oremus, et semper includamus suis locis ea, quae in praesentia angunt animos. Haec sunt exercitia Christiana utilia ad confirmandam fidem; hunc cultum Deus praecipue requirit. Itaque Zacharias [12, 10.] aptissime complexus est summam beneficiorum Christi et veros cultus: Effundam super domum David spiritum gratiae et precum. Spiritus gratiae est, quo agnoscimus Deum placatum esse et nos vicissim Deo placemus. Ita primum describitur gratia et iustificatio. Deinde veri cultus describuntur; nam spiritus precum est, quo iam reconciliati praestamus summum cultum, veram invocationem, gratiarum actionem, confessionem etc. Sicut autem hactenus de petitione diximus, ita meminerimus, et gratiarum actionem semper addendam esse. Plurima enim ingentia beneficia etiam ignorantibus conferuntur. Infinitis periculis opprimeremur, nisi divinitus custodiremur. Ideo Paulus inquit [Ephes. 5, 20.]: In omnibus gratias agite. Et ad Cor. [2. ep. 1.]: Cum iubet multos pro se ipso orare, ut multi agant gratias pro ipso servato, significat hunc cultum maxime exercendum esse, ac Deo praecipue gratum esse. [33])

DE MAGISTRATIBUS CIVILIBUS ET DIGNITATE RERUM POLITICARUM.

Plurimum prodest in Ecclesia extare veram et firmam doctrinam de Magistratibus et dignitate rerum civilium. Saepe enim exorti sunt fanatici spiritus, qui negarunt Christianis licere Magistratus gerere, exercere iudicia, tenere imperia. Denique interdixerunt Christianis omnia officia civilis vitae, rerum dominia, contractus. Damnaverunt et leges politicas, quibus nunc respublica utitur. Et haec deliramenta non solum pepererunt seditiones, sed etiam obscuraverunt Evangelium; offuderunt enim caliginem animis, quasi Christiana iustitia ac vita sit externa ac nova quaedam barbarica

29) *Comma transponunt* Editt. 7. 14. *ante* ubique
30) I.] sic Editt. 2. 4. 6—9. 11—14. et Opp.; in Editt. 1. 5. *deest.*
31) vera] Ed. 11. et Opp.: vere
32) II.] Ed. 1.: I.
33) ac Deo praecipue gratum esse *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

politia, dissimilis aliis politiis humaniter constitutis. Ita confuderunt discrimen vitae spiritualis et politicae.

Adversus huiusmodi errores muniendi sunt animi, et vera doctrina de discrimine spiritualis et politicae vitae tenenda, et dignitas rerum politicarum illustranda est. Id prodest ad pietatem et ad publicam tranquillitatem. Magna est enim consolatio piis intelligere, quod Deo placeat haec civilis vita, quod sit donum Dei, quod Deus praeceperit, ut suae vocationi etiam in vita civili quisque obtemperet, quod omnia officia vitae civilis, regere respublicas, exercere iudicia, bella gerere, militare, magistratibus obtemperare, coniugium, tenere proprium, laboribus et legitimis contractibus quaerere et tueri rem familiarem, ornare artes utiles vitae, recte docere iuventutem et similia, sunt in piis veri cultus Dei. Magnum item vinculum pacis est, scire, quod Deus praeceperit, ut praesentibus Magistratibus obtemperemus, ne eripiamus imperia praesentibus Magistratibus, quod Deus postulet, ut vitam civilem magno studio conservemus et ornemus. Itaque diligenter hominibus inculcandae sunt laudes vitae politicae, et praesertim prima aetas magna cura et arte assuefacienda est, ut discat valde reverenter sentire de Magistratibus, legibus et omnibus rebus politicis. Haec reverentia et reipublicae utilis est, et nutrix est maximarum [34]) virtutum.

Celsus, Iulianus et plerique alii criminantur Evangelium, quod cum prohibeat vindictam, dissipet respublicas, tollat [35]) iura belli, iudicia, poenas, confirmet latrocinia, concedat licentiam et impunitatem omnium scelerum. Et hac criminatione mirum in modum deformarunt Evangelium. Tenere igitur Christianos oportet, quid de dignitate civilium rerum sentiendum sit, et ut liberent Evangelium hac iniustissima et venenatissima calumnia, et ut suas conscientias de officiis civilibus recte instituant. Monachi non volunt videri prorsus damnare civilem vitam, sed tamen obscurant eius dignitatem, cum fingunt Evangelicam perfectionem esse, non tenere proprium, non versari in negotiis civilibus etc. His somniis multorum conscientias perturbaverunt. Ideo contra huiusmodi errores munienda mens est aliquot regulis, quarum prima haec est.

Evangelium docet de quadam spirituali et aeterna iustitia in corde, nec abolet interim in vita corporali oeconomiam aut politiam, sed docet et oeconomiam et omnes politias ratione constitutas, bonas ordinationes Dei esse, et dona Dei necessaria in hac vita corporali. Et praecipit, ut haec dona Dei conservemus et ornemus, et in his occasionibus fidem et dilectionem exerceamus. Sicut igitur nihil pugnat cum Evangelio architectonica aut Musica; ita nihil pugnat politia cum Evangelio. Sicut enim architectonica versatur in fabricandis aedificiis ad tegendum corpus, ita politia architectatur discrimina possessionum, negotiorum corporalium, contractuum, poenarum, gradus personarum ad conservationem societatis externae, quae vitae corporali necessaria est.

Secunda regula est [36]): Opera vitae [37]) oeconomicae et politicae, quae quisque pro sua vocatione facit, sunt bona opera et in piis sunt veri cultus Dei, sunt enim opera a Deo praecepta. Ideo Prophetae saepe conferunt haec opera cum sacrificiis, ita, ut alias longe anteferant opera politica sacrificiis, alias sacrificia humanarum traditionum prorsus damnent. Talis est collatio Esaiae 1. [vs. 12.] De sacrificiis inquit: Quis requirit haec de manibus vestris etc.? Sed de politicis operibus: Quaerite iudicium, subvenite oppresso, defendite viduam. Et addit ingentia praemia: Si peccata vestra fuerint sicut coccinum, velut nix dealbabuntur. Et Zach. 7. [vs. 9.] Iudicium verum iudicate etc. Et apud Oseam [6, 6.]: Misericordiam volo, non sacrificium. De oeconomicis officiis est egregia vox Pauli [1. Tim. 2, 15.]: Mulier salvatur per filiorum generationem, si manserit in fide etc. Hic tanto honore ornat officia coniugalia, ut dicat propter ea fideles salvari; [38]) coniungit enim [39]) fidem et opera vocationis, sicut constat utramque iustitiam necessariam esse. Docet igitur Paulus hic opera vocationis, coniugii, iustitiam quandam et cultum Dei esse, cui Deus reddit praemia. Sic Petrus [1. ep. 2, 13.] de obedientia erga Magistratus concionatur: Obedite omni humanae ordinationi [40]). Et addit: propter Dominum. Item: Haec est voluntas Dei. Placent igitur haec officia Deo. Et Paulus inquit [Rom. 13, 5.]: Necesse est obedire non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Docet ergo hanc obedientiam iudicari a Deo etc. Hi loci et similes satis perspicue testantur, omnia officia politica esse bona opera et in piis cultus Dei.

Hanc regulam tenere pii contra hypocritarum opiniones debent, qui mirantur et laudant mona-

34) maximarum] Editt. 8. 11—13. et Opp.: magnarum

35) tollat] Editt. 12. 13. typ. errrore: tollit

36) est *omittunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

37) vitae] Ed. 1. uite

38) propter ea fideles salvari:] Editt. 8. 11—13 et Opp.: homines salvari fide in tali cultu,

39) enim] Ed. 11. et Opp.: autem

40) ordinationi] Editt. 12. 13. conditioni

stica opera, et e regione vel damnant vel certe deformant politicam vitam, et perturbant conscientias eorum, qui in hac civili vita versantur.

Omnino peculiaris quaedam et digna Christiano sapientia est, intelligere dignitatem huius communis et civilis vitae, et haec officia longe anteferre monasticis operibus; Primum, Quia habent mandatum Dei et vocationem; Secundo, Quia sunt officia charitatis, sunt enim destinata ad communem utilitatem hominum. Tertio, Quia sunt obnoxia periculis communibus et cruci; ideo habent exercitia fidei. Econtra monasticae ceremoniae non habent mandatum Dei aut vocationem, quare sunt inutiles cultus. Iuxta illud [Matth. 15, 9]: Frustra colunt me mandatis hominum etc. Deinde quia [41]) non docent, non iuvant alios, sed fruuntur suavissimo otio. Postremo nullam sustinent partem communium periculorum. Ideo longe anteferenda est haec communis seu civilis vita monasticis ceremoniis. Haec diligenter inculcanda sunt animis, ut suam quisque vocationem discat intelligere, et sciat eam placere Deo, et propter gloriam Dei studeat eam ornare, nec quaerat aut suspiciat alia opera, quae videntur magis speciosa; sicut alioqui homines naturaliter mirantur hypocrisim [42]) et peculiares ceremonias.

Tertia Regula. Christianis licet magistratus et imperia tenere, iudicia exercere, poenas constituere, iuxta praesentes leges et mores, legitima bella gerere, militare, contrahere, emere, vendere, proprium tenere, accusare et respondere in iudicio, agere propriam vel alienam causam etc. Haec civilia officia omnia fanatici spiritus interdicunt Christianis. Primum, quia non intelligunt Christianam iustitiam esse spiritualem, sed fingunt eam esse quandam novam externam et barbaricam politiam. Deinde non norunt praesentem politiam ordinationem et opus Dei esse, sed iudicant esse quandam iniustam vim, tantum ortam ab hominum ambitione et cupiditatibus; sicut et Manichaei quondam damnabant res politicas, quos longa disputatione praeclare [43]) refellit Irenaeus. Ita in una re fanatici spiritus dupliciter errant: Transformant iustitiam spiritualem in externam politiam; deinde res politicas iudicant esse iniustam vim.

Quia autem supra ostendimus, quid sit regnum Christi, seu quod iustitia Christiana sit spiritualis, dicemus hic tantum de posteriore loco. Est igitur fundamentum harum regularum, quas tradidimus, quod Magistratus seu politia seu imperia sint bona creatura Dei, et res non solum permissae a Deo, sed approbatae verbo Dei et institutae a Deo, quae et opere aliquo Dei ordinatae sunt, et a Deo conservantur; sicut opere Dei ordinati sunt motus coelestes et a Deo conservantur. Haec est sententia Pauli Rom. 13. cum inquit: [vs. 1.] Potestates, quae sunt, a Deo ordinatae sunt. Item [vs. 2.]: Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Item [vs. 4.]: Dei minister est. Idem saepe alias docet scriptura. Daniel clare inquit [2, 21.]: Deus transfert regna et constituit. Psalm. [81, 6.] inquit: Ego dixi, Dii estis, id est, gerentes officium ordinatum et mandatum a Deo. 2. Paral. 20. [19, 6.] Non hominis exercetis iudicium, sed Domini. Et Sapientia apud Salomonem [44]) inquit [Prov. 8, 15.]: Per me reges regnant. Et Prov. 16. [vs. 11.] Libra et pondus iudicia Domini sunt.

Hae sententiae omnes testantur Magistratus et politicas ordinationes non sic a Deo esse, sicut permitti mala dicuntur, sed docent [45]) positive res esse, quas Deus aliquo suo opere efficaciter et instituit et conservat et verbo approbat. Sunt igitur bonae creaturae Dei, sicut fruges, vinum etc. Et Deus non solum sic iudicandus est autor esse impiorum, [46]) quia est conditor humanae rationis, et dedit ei lumen, quo discernit iusta et inusta, et res politicas ordinat. Quanquam enim haec non est reprehendenda ratio, tamen addendum est, quod Deus vere suo aliquo opere moveat et gubernet mentes magistratuum in ferendis iustis legibus et necessariis rebus gerendis, et imperia conservet in mundo. Nam humana ratio multo imbecillior est, quam ut posset conservare res politicas contra tantam Diaboli potentiam, qui dissipare imperia conatur; Item, contra infinitas hominum cupiditates, nisi retinerentur [47]) auxilio Dei. Ideo Daniel diserte ait: Constituit imperia, id est: Facit, ut consistant, ut durent, ut conserventur etc. Et Psalm. 127 [48]) [126, 1.] Nisi custodierit Dominus [49]) civitatem etc.

Haec igitur est insignis et magna laus rerum politicarum, quod vere sint opera et beneficia Dei; Idque et scripturae, quas recitavi, testantur et multa signa ostendunt. Constat enim homicidas etiam dum elabi conantur, tamen divinitus retrahi ad supplicia, et rarissime effugere. Sicut Ecclesiastes inquit cap. 8. [vs. 8.] Impius non potest evadere in bello etc. Tyranni quanquam potentia sua videntur esse tuti, tamen divinitus rapiuntur ad poenam, adeo ut constet rarissimos fuisse, qui non dederint poenas.

41) quia] sic Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.; Editt. 1. 2. 4—6. 9. qui

42) hypocrysim] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: hypocrisin

43) praeclare] Ed. 11. et Opp.: praeclara

44) Salomonem] Ed. 1. Solomonem

45) docent] Editt. 12. 13. errore typ.: docet

46) imperiorum] Editt. 2. 6. 7. 14. typ. errore: impiorum

47) retinerentur] Ed. 11. typoth. errore: retineretur

48) 127. *addunt* Ed. 11. et Opp.

49) custodierit Dominus] Editt. 7. 8. 11 — 14. et Opp.: Dominus custodierit

Idem fit in aliis insignibus flagitiis. Deus enim in mundo civilem iustitiam conservat, ita ut regulariter puniat in hac vita eos, qui civilem iustitiam violant; sicut regulariter alias in hieme, alias in aestate tempestates efficit. Quamvis igitur ut [50]) in tempestatibus aliquid extra regulam interdum secus facit et arcano consilio differt poenas et praemia, tamen regula noscenda est, quod Deus sit conservator iustitiae civilis in mundo, ut semper timeant poenas iniusti, nec existiment se poenam evasuros esse, etiamsi viderint unum atque alterum evasisse; quia regula anteferenda est raris exemplis.

In hanc sententiam gravissime respondet Isocrates his, qui propter pauca exempla sperant se impunitatem habituros esse suorum scelerum. Etsi, inquit, haec non semper accidunt, tamen plerumque hic solet exitus esse. Cum autem futurum semper sit incertum, prudentis est spectare illud potius, quod saepius conducit. Et cum intelligas iustitiam Deo magis placere, stultissimum fuerit existimare, in deteriore fortuna iustos futuros esse quam iniustos.

Verba eius sunt haec in oratione de pace [§. 35. ed. Bekk.] *καὶ ταῦτ' εἰ μὴ κατὰ πάντων οὕτως εἴθισται συμβαίνειν, ἀλλὰ τόγ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τοῦτον γίγνεται τὸν τρόπον. χρὴ δε τοὺς εὐφρονοῦντας, ἐπειδὴ τὸ μέλλον ἀεὶ συνοίσειν οὐ καθορῶμεν, τὸ πολλάκις ὠφελοῦν τοῦτο φαίνεσθαι προαιρουμένους, πάντων δε ἀλογώτατον πεπόνθασιν ὅσοι κάλλιον μεν επιτήδευμα νομίζουσιν εἶναι καὶ θεοφιλέστερον τὴν δικαιοσύνην τῆς ἀδικίας, χεῖρον δὲ οἴονται βιώσεσθαι τοὺς ταύτῃ χρωμένους τῶν τὴν πονηρίαν προῃρημένων.*

Tertio signum manifestum est in imperiis praesentiae Dei, quod nulla imperia constitui aut teneri possunt sine heroicis viris, quorum virtus et fortuna sine ulla dubitatione sunt admirabilia opera Dei. Idque semper viderunt sapientes viri in republica. Sicut Plato 4. de legibus [p. 713 D. E. ed. H. Steph.] inquit: Quemadmodum boves non a bobus, nec caprae a capris reguntur, sed a praestantiore natura, videlicet a nobis: Sic natura humana infirmior est, quam ut se ipsam regere possit. Quare Deus praefecit civitatibus non homines, sed praestantius et divinius [51]) quoddam genus, heroas videlicet, qui cum habeant ipsi prosperos successus, nobis quoque imperia eorum grata et facilia sunt. Hi ita curant nos, ut [52]) pacem, pudorem, libertatem, iustitiam conservent. Et addit: Verum est dictum, ubi non Deus, sed mortalis aliquis dominatur, ibi malorum et aerumnarum nullum esse [53]) effugium.

Verba Platonis haec sunt: *οἷον νῦν ἡμεῖς δρῶμεν τοῖς ποιμνίοις, καὶ ὅσων ἥμεροί εἰσιν ἀγέλαι, οὐ βοῦς βοῶν, οὐδὲ αἶγας αἰγῶν* [54]) *ἄρχοντας ποιοῦμεν αὐτοῖς τινας, ἀλλ' ἡμεῖς αὐτῶν δεσπόζομεν ἄμεινον ἐκείνων* [55]) *γένος. ταὐτὸν ἄρα καὶ ὁ θεὸς δὴ καὶ φιλάνθρωπος ὢν τὸ γένος ἄμεινον ἡμῶν ἐφίστη, τὸ τῶν δαιμόνων, ὃ διὰ πολλῆς μὲν αὐτοῖς ῥαστώνης, πολλῆς δὲ ἡμῖν ἐπιμελούμενον ἡμῶν, εἰρήνην τε καὶ αἰδῶ, ελευθερίαν καὶ ἀφθονίαν δίκης παρεχόμενον ἀστασίαστα καὶ εὐδαίμονα τὰ τῶν ἀνθρώπων ἀπειργάζετο γένη. λέγει δὴ καὶ νῦν οὕτως ὁ λόγος ἀληθείᾳ χρώμενος ὡς ὅσων ἂν πόλεων μὴ θεὸς, ἀλλά τις ἄρχῃ θνητὸς, οὐκ ἔστι κακῶν αὐτοῖς, οὐδὲ πόνων ἀνάφυξις.*

Docet et Psalmus reges divinitus iuvari. Psalm. 143. [vs. 10.] Qui dat salutem regibus. Testatur igitur causa efficiens, quod magistratus non sit peccatum seu res damnata. Est enim ordinatio facta a Deo, quare necesse est, esse bonam creaturam, sicut ordinatio hiemis, aestatis, vitae et animantium. Deinde accessit et approbatio divina per verbum; sicut testantur loci supra recitati.

Tertio idem probat [56]) caussa formalis et finalis. Paulus nominat caussam formalem, cum inquit [Rom. 13, 1. 2.]: Est ordinatio Dei. Item [ibid. vs. 4.]: Est minister Dei. Nam patrocinium non est res ordinata, hoc est, non sequitur certam iustitiae regulam, sed est confusio, et bonis maxime nocet. Praeterea latrocinium non est ministerium Dei, quare Magistratus non est latrocinium, sed res bona Deo placens. Caussa finalis est defensio bonorum, ut boni in pace possint honeste et pie vivere. Sic inquit Paulus 1. Tim. 2. [vs. 2.] Has igitur res efficere et tueri debent magistratus; primum, ut sit pax bonis. Deinde non satis est pacem efficere, sed addendae sunt duae res, quae sunt fines pacis, seu propter quas expetenda est pax, videlicet disciplina ac pietas; id est, magistratus curare debent, ut pace bene utantur homines non ad luxum, libidines et caetera vitia, sed regendi sunt mores legibus et disciplina. Item instituendi sunt homines ad pietatem et agnitionem Dei. Hi fines testantur magistratum esse beneficium Dei. Nam latrocinium non est destinatum ad bonos fines; dissipat honestos mores et religionem non conservat etc.

Postremo idem docet et mandatum, quo iubemur orare pro magistratibus, videlicet ut conserventur imperia. Non est autem orandum pro latrociniis, ut conserventur etc. Hae rationes omnes valde ornant [57]) Magistratus, et confirmant conscientias, ut

---

50) ut *addunt* Editt. 8. 11—13. et Opp.

51) divinius] Ed. 11. typ. errore: divinitus

52) cum habeant — nos. ut *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

53) esse] Ed. 11. et Opp.: est

54) *αἰγῶν*] Ed. 11. male: *αἰλῶν*

55) *ἐκείνων*] Editt. 12. 13. *ἐκείνον*

56) probat] sic Editt. 2. 6—8. 11—14. et Opp.; Editt. 1. 4. 5. 9. probant

57) ornant] Ed. 11. typ. errore: orant

intelligant Magistratum esse officium divinitus ordinatum, et cuius administratio Christianis licita sit. Cum enim sit res bona, licet tenere sicut alias bonas Dei creaturas, cibum, potum etc. Aut sicut alias artes exercere licet, medicinam, architectonicam etc. Ideo et scriptura numerat reges inter pios in Ecclesia Christi. Psalm. 101. [vs. 23.] In conveniendo populos in unum et reges, ut serviant Domino. Et Psalm. 46. [vs. 10.] Principes populorum congregantur cum Deo Abraham. Et Ioannes inquit [Luc. 3, 14.]: Contenti estote stipendiis vestris; Approbat igitur officium ipsum. Praeterea manifestum est Christianis licere uti lege. Est autem Magistratus pars legis, quemadmodum inquit Paulus [1. Tim. 1, 8.]: Lex est bona legitime utenti etc. Item Evangelium approbat vitam corporalem; simul igitur approbat politiam, sine qua impossibile est retineri vitam corporalem. Et exempla testantur sanctis licere magistratus gerere. Centuriones in Evangelio et in Actis fuerunt milites, Ioseph, Daniel gesserunt imperia inter Ethnicos.

Quod vero obiiciuntur loci ex Evangelio, qui prohibent vindictam; sciendum est in omnibus illis locis tantum prohiberi privatam vindictam, hoc est, eam, quae non exercetur a magistratu aut mandato magistratus. Sed publica vindicta non est prohibita; Paulus enim [Rom. 13, 4.] vocat eam ministerium Dei; et pertinet ad hanc sententiam [Deut. 32, 35. Rom. 12, 19.] Mihi vindictam. Nam publica [58]) vindicta, quae legitime exercetur a magistratu, fit mandato Dei. Itaque Evangelium firmissime munit publicam tranquillitatem, cum et magistratui praecipit, ut vindictam exerceat, hoc est, ut legibus, poenis, gladio, bellis coherceat, depellat, puniat iniustos. Econtra vero praecipit privatis, ne privatim exerceant vindictam, hoc est, ne arma capiant sine imperio magistratus, ne seditiones moveant etc. [59])

Obiicitur et hoc, quod saepe imperia rapiant et teneant improbi, quod multum sit vitiorum in imperiis; inde argumentantur fanatici spiritus, imperia non esse ordinationes Dei. Sed respondendum est hoc modo. Discerni debent personae ab ipsis rebus seu ordinatione. Ordinatio, id est, conservatio civilis iustitiae, et politicus status est opus Dei, etiamsi personae abutuntur ordinatione etc. Sed haec et pleraque alia, quae hic disputantur, copiose tractavi in Romanis.

Quarta regula. Evangelium non constituit novam corporalem politiam, sed iubet nos praesentibus magistratibus ac legibus obtemperare, iubet praesentes politias conservare et ornare. Ita in genere docet, quod politiae sint res licitae et beneficia divina. Iubet magistratus diligenter suum officium facere, iubet subditos obedire, et quidem propter conscientiam. Docet in genere, quales debeant leges esse, videlicet ut habeant honorem bonis operibus et prohibeant mala opera. Iam quae sint bona, quae sint mala opera, iudicat ratio naturalis seu lex naturae et magistratus.

Intelligant igitur Evangelii doctores suum munus, ac doceant de iustitia spirituali, non vociferentur contra politicas ordinationes, non ferant novas leges de rerum possessione, de tributis, de poenis delictorum, de contractibus etc. Sed doceant praesentem politiam, praesentes leges conservandas esse, quia Evangelium prohibet seditiones. Et Paulus inquit [Rom. 13, 1 sqq.]: Omnis anima potestati, quae praeest, hoc est, praesenti potestati, obediat. Et cum ait magistratum esse ordinationem divinam, complectitur omnes partes politici status. Ac sicut approbat praesentes magistratus; ita praesentes leges, iudicia, poenas, militiam, dominiorum distinctionem approbat. Et quia iubet non solum obedire, sed etiam honorem habere magistratui, meminerimus assuefaciendos esse animos, ut honorificentissime sentiant de omnibus rebus politicis, hoc est, intelligant omnes partes politici status, leges, iudicia, contractus etc. esse beneficia Dei, et studeant ornare eas et conservare, et orent Deum, ut has tantas res necessarias ad vitam corporalem conservet, fugiant et oderint πολυπραγμοσύνην, qua privati obliti suae vocationis irrumpunt in publica negotia etc. Quaedam ingenia non sunt natura idonea ad tranquillitatem, vel propter curiositatem, vel quia sunt natura turbulenta, tyrannica, seditiosa. Sed non solum ab hominum ingeniis, verum multo magis a diabolo periculum est rebuspublicis, qui, cum sit homicida, seditionibus ac caedibus delectatur et studet efficere ἀκαταστασίαν. Ac praecipue ut deformet [60]) Evangelium, incitat imperitos, ut praetextu religionis dissipent res politicas. Debemus autem et naturae vitia corrigere, et intelligere ac cavere Diaboli insidias. Haec monere pii doctores debent, et veris laudibus dignitatem rerum civilium ornare, et propter publicam pacem, et propter Evangelii gloriam, et ut singulorum conscientiae intelligant Deo placere hoc civile genus vitae. Insaniebat igitur Monetarius, cum volebat restituere Mosaicam politiam, cum negabat fures ultimo supplicio afficiendos esse, cum volebat res iudicari ex legibus Moysi. Nam Evangelium non iubet gentes recipere politiam Moysi, sed approbat praesentes magistratus; quare et leges eorum approbat, ac potestatem dat legum condendarum. Sunt igitur puniendi fures legibus praesentium ma-

58) publica] sic Editt. 1. 4. 5. 9.; Editt. 2. 6—8. 11—14. et Opp.: politica

59) etc. *omittunt* Editt. 12. 13.

60) deformet] Editt. 12. 13. typ. errore: deforment

gistratuum. Sunt res iudicandae ex praesentibus legibus.

Quinta regula. Evangelium adeo severe praecipit de obedientia, ut doceat peccatum esse mortale, non obedire mandatis magistratuum. Ideo Paulus inquit [Rom. 13, 5.]: Necesse est obedire, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Primum docet esse necessarium opus. Deinde ut haec necessitas intelligatur de conscientia, non tantum de poenis civilibus, addit: Non tantum propter iram, id est, non tantum propter poenam corporalem, qua magistratus afficit eos, qui non obtemperant, sed propter conscientiam; hoc est, ita est necessaria obedientia, ut in his, qui non obediunt, rea fiat conscientia coram Deo. Sunt alii similes loci multi in scripturis, sed quia haec vox Pauli maxime perspicua est, ideo non addam hic plura testimonia. Tantum admonebo Christianos lectores, ut considerent, quam graviter muniat doctrina Evangelica autoritatem imperiorum, cum tam severe de obedientia praecipit. Deinde studium obedientiae maius in nobis esse debet, cum intelligimus haud dubie poenas Deo daturos esse eos, qui non obediunt, ut maxime putent se magistratuum iracundiam elusuros esse.

Deinde Paulus non solum de externis officiis seu obedientia externa concionatur, sed etiam de animi iudicio ac voluntate. Id vero praeceptum plenum est cum politicae tum Christianae sapientiae. Primum enim maxime expedit reipublicae imbui animos honorificentissima opinione de imperiis, de legibus, de amore patriae, hoc est, de obedientia; sicut saepe docent et prophani scriptores. Sed horum sententias nunc omitto. Pauli dictum tantum consideremus, quod gravissimam continet doctrinam; iubet enim Magistratus honore affici. Est autem honos non tantum externa significatio reverentiae, sed verius animi iudicium et voluntas, videlicet, primum, agnoscere Magistratus a Deo ordinatos esse et Deum per eos ingentia beneficia impertire hominibus. Postea etiam haec beneficia intelligere, pacem, totam politicam societatem, leges coniugiorum, iudicia, contractus, disciplinam. Nihil enim pulchrius, nihil melius habet haec corporalis natura, quam politicum ordinem et hos coetus hominum iustitia, modestia et ceteris virtutibus consociatos. Deinde propter Deum timere ac diligere Magistratus, et sentire, quod pro his beneficiis et Deo et magistratibus gratitudinem debeamus. Hoc animi iudicium est verus [61]) honos, qui debetur magistratibus. Postremo addendus est et [62]) hic honos, precari videlicet pro magistratibus, petere ut Deus pacem concedat rebus publicis et conservet religionem et disciplinam, servet bonos principes, et gubernet eorum mentes ad gloriam Dei et salutem publicam. Neque enim inter tot diaboli insidias, in tanta hominum malitia, res publicae possent consistere, nisi divina ope conservarentur. Diabolus enim est homicida, et conatur respublicas perturbare et dissipare; ideo iubet Paulus precari pro magistratibus ad Timotheum [1. ep. 2, 2.] Qui libri philosophorum de his honoribus loquuntur? Nullae profecto literae magis ornant Magistratus, quam Christiana doctrina. Sed hae tantae res iacent obrutae ineptis opinionibus, quas Monachi in Ecclesiam sparserunt. Quare admonendi sunt boni, ut diligenter has laudes magistratuum et rerum politicarum colligant, ut se ipsos ad obedientiam assuefaciant, et maiore studio precentur Deum pro republica et pro principibus.

Praeterea Paulus requirit cetera officia corporalia, videlicet tributa et vectigalia. Non enim possunt defendi aut regi respublicae sine magnis sumptibus, sine praesidiis, sine prudentibus gubernatoribus. Quare cum sit opus stipendiis et civium laboribus, praecipit Paulus, ut etiam debita officia corporalia praestent, tributa videlicet et militiae laborem. Et gravissime de poena docet, divinitus puniri eos, qui non obtemperant, quia peccatum mortale sit, non obedire magistratibus. Sed cum Magistratus praecipiunt, ut subditi agant aliquid contra mandata Dei, debent subditi potius obedire Deo, quam hominibus, ut docet historia Danielis tertio. Addam et sextam regulam.

Non est nostri instituti, complecti universam doctrinam de rebus civilibus; extant enim Philosophorum et iurisconsultorum libri, qui, quamvis res est infinita, tamen multa collegerunt praecepta, utilia his, qui regunt respublicas. Ego pauca quaedam hic attigi generalia, maxime [63]) necessaria omnium conscientiis. Et quoniam de obedientia civium dixi, adiiciam unum praeceptum de officio magistratuum. Non est infinita potestas regum aut principum. Primum enim nihil debent contra ius divinum et ius naturae mandare aut agere. Deinde peccant etiam, quando aliquid imperant contra leges sui regni seu contra formam sui imperii. Ut non licuit Achab, eripere vineam civi Naboth contra ipsius voluntatem. Leges enim Israeliticae distinxerant dominia, et concedebant libertatem et res proprias civibus. Ita leges, quibus nos utimur, discernunt libertatem et servitutem, concedunt liberis proprietatem et dominia rerum privatarum. Quare cives proprie sunt domini rerum suarum, nec licet principibus ex fortunis eorum rapere pro libidine, quan-

61) verus] Ed. 11. typoth. errore: veros

62) et *excidit ex* Ed. 11. et Opp.

63) maxime] Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.: maximeque

tum volunt. Ideo Ioannes inquit [Luc. 3, 14.]: Contenti estote stipendiis vestris, neminem concutiatis, neque calumniemini. Locus igitur de iure regni in historia Samuelis non concedit infinitam licentiam principibus, sed de stipendiis loquitur, hoc est, concedit sumi ad usus publicos stipendia ex privatorum fortunis. Sed nolo haec persequi longius. Illud addendum est: Magistratum custodem esse non solum secundae tabulae, sed etiam primae tabulae, quod attinet ad externam disciplinam. Hoc est: Ad magistratum pertinet non solum cura tuendae tranquillitatis civium, seu depellendi iniurias corporum et fortunarum, sed etiam disciplinae in religione retinendae. Etsi enim poenae corporales non efficiunt in animis pietatem, tamen Magistratus prohibere debet disciplinae causa externas contumelias religionis, manifestam idololatriam, blasphemias, impia dogmata, periuria. Sicut videmus in omnibus rebuspublicis mediocriter constitutis, severis exemplis punitas esse violationes religionum et periuria. Et probat hanc sententiam ipse decalogus [Ex. 20, 7.]: Non vane usurpabis nomen Dei. Et David inquit [Ps. 2, 10 sq.]: Et nunc, reges, intelligite, erudimini, qui iudicatis terram; servite Domino etc. Prov. 25. [vs. 5.] Aufer impietatem de vultu regis, et firmabitur iustitia thronus eius. Et 1. Reg. 2. [1. Sam. 2, 30.] Glorificantes me glorificabo, et contemnentes me reddam contemptos. Et ne sumam ab Israelitico rege exemplum, Nabogdonosor et Darius Medus apud Danielem proponunt edicta, in quibus vetant dici blasphemiam contra Deum populi Israel. Postremo Paulus inquit [1. Tim. 1, 9.]: Lex est posita impiis, prophanis, hoc est, ut coherceat homines, ne facta impia ac sacrilega designent.

Cum autem Magistratus sit custos legis ac disciplinae, profecto maxime hanc partem tueri debet de externa reverentia erga Deum, quod [64]) haec pars maxime ad disciplinam pertinet, sicut constat omnium gentium legibus puniri periuria. Deinde hoc consideret sapiens Magistratus unum hunc principalem finem esse, quare ad societatem conditi sunt homines, ut videlicet innotescat Deus ac glorificetur. Homo enim ideo conditus est, ut in eo illucescat Deus et per eum patefiat. Necessaria igitur fuit societas, in qua alii docerent alios de Deo. Ad hanc philosophiam praecipue condita est humana natura, ideo tot vincula sunt societatis, procreatio, educatio, vitae defensio habent opus societate. Ita necessitas ipsa coniungit et consociat homines, quam ob causam? ut sicut homo conditus est, ut in eo illucescat Deus, ita in societate doceantur alii de Deo. Ac propterea, quia ad tantum opus, ad tantum finem destinata est societas, ideo legibus et ordine ita constituta est, nihil ut ea pulchrius cogitari possit. Constat autem magistratum custodem esse humanae societatis; debet igitur finem societatis praecipuum etiam tueri. Et si vere volumus iudicare, huius pulcherrimi operis inter homines antistes et *ἀγωνοθέτης* esse debet, ut optima disciplina homines ad religionem assuefiant, ut Deus glorificetur. Hic fines praecipue sapienti gubernatori reipublicae propositus esse debet; ita vere erunt beatae respublicae. Deus enim vicissim defendet eas, et [65]) omnibus bonis cumulabit; sicut dixit [1. Sam. 2, 30.]: Glorificantes me glorificabo. Debent igitur Magistratus prohibere impios cultus et impiorum dogmatum professionem, debent punire haereticos. Sed viderint, ut recte iudicent, ne fiant ministri alienae crudelitatis aut impietatis. Pertinet [66]) autem cognitio doctrinae ad Ecclesiam, hoc est, ad pios et recte doctos. Estque Ecclesiae membrum ipse etiam Magistratus, quem decet suis oculis maxime videre. In hanc sententiam extant vetusti canones de synodis et de cognitione doctrinae. Deus ornat reges honore nominis sui [Ps. 81, 6.]: Ego dixi, dii estis, videlicet ut sciant sui officii esse, ut res divinas intelligant et conservent in mundo religionem, iustitiam, pacem, disciplinam. Haec communia praecepta de rebus civilibus et magistratibus recensui, quorum cognitio omnibus piis necessaria est.

Iam ad alios artifices pertinet praecepta tradere de singulis partibus gubernationis reipublicae. Evangelium amplificat dignitatem rerum civilium, ut reverentiam alat erga Magistratus et totum ordinem politicum, et admoneat nos, ut Deo gratiam habeamus pro tantis beneficiis. Ad haec in genere docet et Magistratus et subditos de suo officio, ut prohibeat et tyrannidem et seditiones. Iam cum ornantur res politicae, sciendum est ad eas pertinere leges, artes, literas et doctrinam. Quare docendi sunt homines, ut de his quoque honorifice sentiant, sciant esse dona Dei necessaria ad leges retinendas, ad conservandum et enarrandum Evangelium, denique ad infinitas utilitates. De contractibus etiam sciendum est, sicut aliis politicis rebus, ita et contractibus uti licet. Non enim potest carere hac vita contractibus. Et videant Evangelii doctores, ne approbatos contractus temere aut seditiose damnent. Tradidi autem alias [66a]) hanc regulam, illas formas contractuum approbandas esse, quas approbant ipsae leges ac Magistratus, hoc est, quas iurisconsultus sapiens et aequus approbat.

---

64) erga Deum, quod] Ed. 11. typoth. errore: erga Deum, quod Deum, quod

65) et *addunt* Editt. 7. 8. 11—14. et Opp.

66) Pertinet] Editt. 12. 13. errore typ.: Pertinent

66a) Vide *Dissert. de contractibus* in huius Corp. Vol. XVI. p. 495 sqq.

DE POLITIA ECCLESIASTICA.

Sicut autem laudavi politiam mundanam, et dixi assuefaciendos esse animos, ut de ea reverenter sentiant eamque ament et ornare ac conservare omni officii genere studeant, ita et politiam Ecclesiasticam ex animo et summa pietate amare ac venerari debemus. Duae autem sunt partes politiae Ecclesiasticae. Altera est ministerium divinitus ordinatum: altera est εὐταξία constituta Ecclesiae autoritate. De ministerio divinitus ordinato dixi supra. Ad id pertinent haec: quod Ecclesia habet mandatum vocandi seu ordinandi ministros, qui publice doceant Evangelium et administrent Sacramenta, qui annuntient remissionem peccatorum singulis aut multis; Item, quod Ecclesia habet iurisdictionem, ut a communione arceat eos, qui in manifestis flagitiis versantur. Constat autem et ministerium publicum divinitus ordinatum esse, ut Evangelium in terris conservetur, et per Evangelium nobis exhiberi aeterna bona, iustitiam, Spiritum sanctum et vitam aeternam; sicut et Paulus inquit [Rom. 1, 16.]: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Et ut hoc ministerium conservemus, coelestis vox imperat de Christo [Matth. 17, 5.]: Hic est filius meus dilectus, hunc audite. Quare omnes homines summa pietate venerari hoc ministerium debent, et dare operam, ut conservetur et ornetur. Psalmus inquit [Ps. 117, 19.]: Aperite portas, principes, vestras, et introibit rex gloriae. Praecipit omnibus gentibus atque hominibus, ut ministerium Evangelii admittant et conservent, quod etsi maxima pars hominum leviter curat, vel etiam contemnit, tamen docendi sunt pii, Deum nullum officium magis requirere, quam huius ministerii conservationem. Hoc margaritum est, quod venditis omnibus rebus comparare nobis debemus.

Conservanda est autem et altera pars, videlicet εὐταξία necessaria Ecclesiae ad disciplinam et tranquillitatem; quia, cum ministerium divinitus ordinatum debeat esse publicum et externum, opus est aliquibus humanis ordinationibus. Has, quia serviunt ministerio divinitus instituto et prosunt ad disciplinam et tranquillitatem, etiam debemus amare et conservare. Et quoniam perinde nos Ecclesia, ut alvus foetum continet ac fovet, saepe enim hac similitudine Prophetae utuntur, haec ipsa pictura multis de rebus nos admonet. Alvus velut Ecclesia est, venae undique in alvum deductae sunt, quarum orificia, ut amplecti foetum possint, sunt velut polypi cotylidones. Foetum autem pellicula circumdat, quae χόριον vocatur, quam amplectuntur cotylidones, ut retineri foetus in utero possit. Et fibrae ex umbilico ortae per chorion ad venarum orificia tendunt, quae attrahunt sanguinem ex venis, quo foetus alitur. Ac primum quidem ex coagulato sanguine fit [67]) epar, et ex semine vena cava in epate, deinde cor ex calidiore sanguine, et spiritus vitalis, et ex semine arteriae, deinde ex praestantissima seminis parte cerebrum ac nervi, ex sanguine, qui attrahitur, caro.

Cum igitur venae alant foetum, imago sunt ministerii divinitus ordinati. Nam Evangelio regenerantur et aluntur pii. Chorion significat politiam Ecclesiasticam seu εὐταξίαν ab Ecclesia institutam. Etsi enim nascentes nihil sumimus ab hac pellicula, tamen haec alvo et cotylidonibus alligat foetum et retinet, ne eiiciatur; ac rupto chorio foetus neque ali neque manere in alvo potest. Ita ordinationes humanae dierum, locorum, et similes, etsi non sunt hae quidem pietas, tamen vincula sunt, quae adiungunt nos ministris Evangelii, per has ordinationes, velut cotulae, amplectuntur nos doctores. Habet suum quisque gregem; Tenemus certa loca, tempora audiendi Evangelii. His vinculis ruptis dissipatur ac dilaceratur Ecclesia, nec ali amplius potest; non enim attingunt alumni venas, quibus nutriuntur, hoc est, non sunt certi, rite vocati doctores, nulla autoritas est docentium, nulla auditorum disciplina; nec regi nec coherceri homines possunt. Et parit licentia infinita scandala, oriuntur sectae, factiones, quia a veris venis, hoc est, a veris doctoribus populus facile avelli se sinit. Ut igitur salvus esse foetus non potest, ante tempus, rupto chorio; ita sciamus dissipatis ordinationibus Ecclesiasticis periclitari etiam Ecclesiam. Verissimum est enim, quod ait sapiens poeta Sophocles [67 a]) ἀναρχίας γὰρ μεῖζον οὐκ ἔστιν κακόν. Et quo plus momenti est in his ordinationibus, eo magis cavere Pontifices oportuit, ne iniustae leges aut impii cultus adderentur veteribus et bonis ritibus. Nam iniustae leges non sunt durabiles, et motae labefactant reliquam politiam, sicut apostemata lacerant chorium. Emendatis igitur vitiis, ritus utiles amemus et conservemus, praesertim cum Paulus [1. Cor. 14. Gal. 3.] praeceperit, ut in Ecclesia omnia fiant ordine et decenter. Et paedagogia ipsa prodest, ut saepe dictum est.

Nam cum audimus et tractamus Evangelium, vocat Deus dociles animos, et est efficax per verbum; Ita conveniunt et caetera. Ut fibrae attrahunt nutrimentum, per chorium affixae cotylidonibus, ita nos quoque docemur, et primum epar generatur, hoc est, ceremoniarum doctrina et paedagogia traditur; Haec enim rudimenta sunt, velut lac et primum nutrimentum pietatis; Postea cerebrum et cor, hoc est, doctrina fidei et nova vita et spiritualis accedit. Neque haec debent esse otiosa, sed

---

67) fit] Editt. 12. 13. typ. errore: sit

67 a) Soph. Antig. 672. ed. Brunck.

et doctrina et nova vita exerceri, crescere et propagari debent, sicut ex corde propagantur arteriae ac spiritus, ex cerebro nervi. Et haec vestienda sunt carne, id est, exteriori conversatione honesta. Sed omissa collatione ipsam vitam ac naturam hominum intueamur, quae non potest carere ceremoniis et ritibus, ut saepe iam dictum est; Quare ex animo amemus et defendamus et [68]) hanc partem Ecclesiasticae politiae, nobisque inculcemus illos honestissimos et gravissimos versus poetae [68a]):

σώζει τὰ πολλὰ σώμαϑ' [69]) ἡ πειϑαρχία
οὕτως ἀμυντέα ἐστὶ τοῖς κοσμουμένοις.

DE ANGELIS. [70])

Ad Ebraeos primo [vs. 14.] scribitur: Sunt ministri spiritus ad ministerium missi propter eos, qui sunt haeredes futuri. Hic locus duo docet: Primum, quae sit substantia Angelorum; deinde, quod sit officium. Substantia est spiritualis, quia vocat eos spiritus. Discernit autem scriptura spiritus a corporibus, cum inquit: spiritus carnem et ossa non habet.

Sunt autem duplices spiritus: Boni et mali. Mali non sunt conditi in malitia; sed a Deo creati sunt sine vitio. Postea vero defecerunt, sicut inquit Christus [Ioh. 8, 44.]: Mendacium ex propriis loquitur; Ergo non accepit a Deo. Item Epistolae Petri et Iudae testantur Angelos defecisse et propter peccatum damnatos esse. Et Epistola Iudae diserte inquit, Angelos non conservasse suam originem, id est, non mansisse tales, quales conditi sunt.

DE OFFICIO ANGELORUM.

Epistola ad Ebraeos [1, 14.] vocat eos ministros spiritus, et addit propter eos, qui sunt futuri haeredes. Haec sententia testatur Angelos occupatos esse cura Ecclesiae defendendae. Sic autem cogitemus, sicut revera ad hunc modum se habet Ecclesia, Ecclesiam velut civitatem ab una parte Diaboli obsident et oppugnant acerrime; Ab altera defendunt et propugnant Angeli. Nam Paulus [Eph. 2, 2.] vocat Diabolos Spiritus aëris. Versantur igitur utrique boni et mali spiritus, cum hominibus.

Ut autem officia bonorum Angelorum agnosci possint; Primum consideremus, quam saevum hostem habeamus. Describitur autem Diabolus, quod sit Mendax et Homicida. Mendax est, id est, immani quodam odio Dei conatur summis viribus deformare gloriam Dei. Ideo incitat homines ad impias opiniones de Deo et ad blasphemias, et efficit, ut hae propagentur, sicut Paulus inquit [2. Tim. 2, 26.]: Tenet captivas mentes hominum. Inde nomen habet Diaboli, Quia calumniatur verbum Dei et serit impias opiniones; Sicut statim initio apud Evam calumniatus est verbum Dei et extenuavit eius autoritatem, et exemit Evae reverentiam erga verbum Dei. Excitat igitur in Ecclesia et auget falsa dogmata et haereses.

Deinde homicida est, id est, molitur exitium hominibus. Quia enim summa est acerbitas odii ipsius adversus Deum, Ideo conatur nocere hominibus ac praesertim Ecclesiae, ut expleat odium suum adversus Deum. Molitur exitium privatae vitae, affligit valetudinem, inficit aërem, excitat malas tempestates, adfert morbos, pestilentias, corrumpit res nascentes, impellit ad flagitia, pertrahit in prava sodalitia. Deinde etiam in vita politica nocet, excitat crudelitatem adversus Ecclesiam, excitat Tyrannos, ut dilacerent respublicas, ut saeviant in innocentes, ut moveant non necessaria bella; Inflammat inquieta ingenia ad movendas seditiones et turbandas respublicas.

Econtra bonorum Angelorum officia sunt. Primum veraces sunt, hoc est, amant gloriam Dei, et veram doctrinam; Ideo promovent pia studia, et reprimunt Diabolum et impios serentes mala dogmata, sicut interfecerunt Cerinthum. Item sunt ministri ad revelationes, sicut Gabriel mittitur ad virginem Mariam. Item orant pro Ecclesia; Iuxta illud [Matth. 18, 10.]: Angeli eorum vident faciem Patris etc. Deinde sunt custodes Ecclesiae.

Primum impediunt Tyrannos et consilia persecutionis contra Ecclesiam; Sicut testantur multae historiae. Heliseus inquit [2. Reg. 6, 16.]: Plures sunt [71]) nobiscum. Idem testatur historia Ezechiae. Item Angelus educit Petrum ex carcere. Item defendunt pacem publicam, impediunt consilia eorum, qui movere bella conantur; Sicut apud Danielem Angelus inquit, se propugnasse regem Persarum; Item apud Danielem vocantur vigiles in arbore, quae significat regnum. Excubant igitur pro regno.

Privatim defendunt vitam, sicut et Christus testatur, pueris esse additos Angelos custodes, cum inquit: Angeli eorum vident faciem Patris. Et huius officii multa sunt exempla; ut in historia Iacob, Tobiae, Epiphanii; item in puero Cygneo.

Vicissim autem discamus, quid a nobis requirant Angeli, videlicet gratitudinem. Haec est autem vera gratitudo, ut ipsorum virtutes imitemur, hoc est, ut simus veraces, id est, ut agnoscamus, nos Deo curae esse; Agnoscamus nobis tales custodes esse additos, et agamus Deo gratias pro hoc ingenti beneficio. Deinde Angelorum exemplo simus nos quoque *φιλόστοργοι*, temperantes, casti etc. Et ut retineamus Angelos nobiscum, invitemus eos nostra pietate et bonis moribus.

Christus gubernet mentes nostras ad veram pietatem, et restituat Ecclesiae piam et perpetuam concordiam; Amen.

Laus Deo.

68) et *excidit ex* Editt. 12. 13.

68a) Sophocl. Antig. 676 sq. ed. Brunck. Conf. quae Melanthon de hoc Sophoclis loco et de illo Platonis supra p. 547 sq. laudato ad Theophilum, gymnasiarcham Hamburgensem, a. 1536. scripsit, in huius Corp. Vol. III. p. 51.

69) *σώμαϑ'*] Editt. 1. 2. 6. male: *σώμεϑ'*

70) ***Hunc locum addunt*** Editt. 7. 8. 9. 11. 12. 13. 14. et Opp.

71) sunt] Editt. 12. 13. siut

Editionibus Locorum huius *secundae* aetatis supra 231 — 242. descriptis addenda est haecce Feuerlino, Balthasaro et Strobelio ignota, quae in meis libris est:

Loci | commu | nes theologici ex novissi | ma recognitione Philip | pi Melan. | Vna cum latina expositione di | ctionum ac sententiarum | Graecarum. |

Ad Lectorem.

Οὐ θυσίαις ὁ θεὸς μᾶλλον δὴ τέρπεται ἄλλαις
ἢ διδαχῆς μελέτῃ εἰλικρινοῦς τε λόγου
τοὺς δ' οὖν χριστὲ ἄναξ κραδίῃ δέχου ἵλεῳ ὕμνους
ἡμετέρας δ' ἁγίῳ πνεύματι ἄρδε φρένας.

Francofurti ex of | ficina Petri Brubachij. | *Anno* 44. 25 plagg. litt. A, a — z, A sign., 8 foll. num., denuo 185 foll. num., 7 foll. non num. 8° min. (fol. A 1ᵃ Insigne Francofurtanae civitatis exhibet; fol. 2ᵃ — 8ᵇ [A 2ᵃ — 8ᵇ] Mel. Epistola nuncupatoria ad Henricum VIII. Angliae Regem integra; fol. 1ₐ — 185ᵃ [a 1ᵃ — A 1ᵃ] Loci communes theologici, cum 244 annotatt. marginall.; fol. A 1ᵇ — 7ₐ Graeca, quae in hoc libello continentur exposita; fol. A 7ᵃ — 8 Index [locorum ordine alphabetico]; fol. A 8ᵇ vacat). Haec Ed. sine dubio ex *Ed. Hal. Suev. a.* 1539. (*Ed.* 9.) recusa est. Cum hac enim, si paucarum Epistolae nuncup. paginarum partitionem paulo diversam exceperis, in singulis paginis convenit usque ad fol. A 6ᵇ med. Expositionis graecarum dictionum, ubi Ed. 9. Platonis locum graecum integrum, Ed. Francof. vero tantum primas eius lineas affert, 12 lineis sequentibus omissis, quarum loco adscripta sunt: „*etc., quae sequuntur.*" Hac omissione efficitur, ut Expositio gr. dict. in Ed. Francof. iam fol. A 7ᵃ extr., in Ed. Hal. vero demum fol. A 7ᵇ med., atque Index subseq. in illa fol. A 8ₐ, in hac autem fol. A 8ᵇ med. finiatur. Etiam typi (nonnullis in principio Epistolae nuncup. exceptis) plane iidem sunt ac Editionis Hal.; eaedemque annotatt. marginales, et in contextis utraque Editionem 1. sequuntur, loco *De Angelis* ex Editt. 7 — 13. in fine adiuncto.

Sicut inter primae aetatis Editionem a. 1525. et primam secundae aetatis a. 1535. intercedit Enchiridion Locorum, cuius auctor mentionem facit non solum in libello *Brevis discendae theologiae ratio* inscripto (vide supra p. 229 sq.), sed etiam in epistola ad Camerarium data 26. Iul. 1529. (in huius Corp. Vol. I. p. 1084.): sic inter latinarum editionum postremam secundae aetatis a. 1541., quam Ed. 13. signavimus, et primam tertiae aetatis medium tenet locum et quasi transitum ostendit germanica ab ipso Melanthone curata prima editio, a. 1542. quam in sequenti Volumine describemus (vide Maur. Roedigeri dissertationem supra p. 1. nota*) laudatam p. 8.).

D. TERTIA AETAS LOCORUM THEOLOGICORUM AB IPSO MELANTHONE EDITORUM.

Haec tertia aetas, ad quam nunc progredimur, comprehendit editiones, quas auctor inde ab a 1543. usque ad a. 1559. curavit, atque ex iis recusas. Hos ultimos *Locos* elaborandi occasionem praebuerunt disputationes Pontificiorum Eccii, Cochlaei, Gropperi, Latomi aliorumque in Colloquiis *Wormatiensi* et *Ratisbonensi* a. 1540. 1541. variaque illorum scripta hostilia, adversus Protestantium doctrinam edita. Inde, domum redux, publicis praelectionibus *Locos theologicos* retexere instituit Melanthon. Sic referunt Theologi Electorales in suis *Actis Colloquii Altenburg.* fol. 182ᵇ· 319ᵃ· et auctor*) libri „Endlicher Bericht vnd Erklerung der Theologen beider Vniuersitäten, Leipzig vnd Wittenberg," etc. (Wittemberg 1570. 4.) qui fol. E 1ᵃ haec scripsit:

„Vnd als er [Melanthon] vom Reichstage, der Anno 1541. zu Regenspurg gehalten, vnd auch daselbs viel von der Religion gehandelt worden war, wie dieselben Acta im Druck ausgangen bezeugen, wider anheim komen war, hat er dieselben Locos communes wider von newem so bald angefangen zu dictirn, vnd dieselben fast in dreien Jaren gantz vollendet, vnd nachmals etwa in drey Jar vor des Herrn Lutheri tod, im druck ausgeben lassen. Zu dieser widerholung, vernewerung vnd vermerung aber dieses Buchs, haben jm vrsach geben die newe vnd listiglich gescherffte Sophisterey, die Eccius, Gropperus, vnd andere vnsere Widersacher in beiden Colloquijs, zu Worms vnd zu Regenspurg, auff die bahn gebracht hatten, jre Irrthumen vnd Grewel damit zu ferben vnd zu entschüldigen, vnd vnserer Kirchen Lere zu verwerffen. Sonderlich aber haben jn dazu beweget die gifftige vnd scheinbarlich geschminckte Bücher Eccij, Pigij, Latomi, vnd der Clerisey im Stifft Cöln, welche alle zugleich mit grewlichem toben, wie rasende Leute, wider dieser Kirchen Lere vnd Lerer dazumal einstürmeten. Damit nu die jugend besser vnterrichtet würde, solche gescherffte Sophisterey zuuersteben, vnd gerüstet würde, denselben mit guten gewissen gründen vnd Argumenten zu begegnen vnd zu widersprechen, hat Philippus seine Locos communes etwas weitleufftiger handeln vnd ausfüren, vnd diese letzte Edition gleich als einen Schild aus Göttlicher schrifft gehefften zeugnissen zusamen geflochten, neben die Augspurgischen Confession stellen wollen — —."

De anno autem, quo prima huius aetatis editio prodierit, dissentiunt scriptores. Mylius in Chronologia Scriptorum Mel. ad a. 1543. solam eius praefationem in Locos, ipsum vero Locorum postremorum opus demum ad a. 1545. memorat; in Mel. Operum Witebergensium a Peucero editorum Tomo I. Loci inscripti sunt: *Locorum Theologicorum postrema editio, absoluta Wittebergae A.* 1543., in Indice autem, qui huic Tomo praemissus est, legitur: *Locorum Theologicorum postrema editio absoluta A.* 1545.; Auctor libri modo laudati: Endlicher Bericht etc. fol. E 2ᵇ diserte dicit, Editionem postremam a. 1543. prodiisse, cui Theologi Electorales in *Actis* suis *Colloquii Altenburg.* fol. 182ᵇ assentiri videntur; at fol. 319ᵃ primam ultimorum Locorum editionem ad annum 1544. referunt. Balthasar in Hist. Locor. theol. Mel. p. 26. dicit: „Prima editio lucem publi-

*) Reimmannus in Catalogo p. 394. eum nominat Henricum Mollerum, Saxonicorum Theologorum in Colloquio Altenburgensi Notarium, Philippi Hyperaspisten strenuum, Crypto-Calvinianum, Theologorum Ienensium, et Matthiae Flacii, omniumque Flacianorum adversarium acerrimum etc.

eam vidit Wittembergae apud Petr. Seitz. A. MDXLIII. in 8. quo etiam praefatio scripta est," et p. 28. ex loco quodam huius libri infra afferendo colligit extare etiam editionem anni MDXLIV., duas igitur editiones esse iudicat, quarum prior a 1543., altera a. 1544. prodierit, neutram vero ipse vidit, ut ex verbis eius clare intelligitur. Etiam ab Hardtio in Autogr. Luth. etc. Tom. I. eaedem duae afferuntur, scil. p. 449. Loci Theologici, recens recogniti, autore Philippo Mel. Witteb. 1543. 8⁰ et p. 460. Loci Communes Phil. Mel. Witteb. 1544. 8⁰; item a Strobelio in l. Literär Gesch. etc. p. 124. Ed. princeps 1543. (quam vero ipse non vidit), et p. 127. Ed. altera a. 1543 — 1544. (accuratius ab eo descripta, quippe quam ipse possedit). A Feuerlino autem in Biblioth. symbol. ed. Riederer P. I. p. 227. nr. 1317. et in l. Unschuld. Nachrichten a. 1728. p. 195. Ed. a. 1543. recensetur, quae autem sine dubio eadem est, quam illico describam.

Mihi vero persuasissimum est, huius aetatis editionem principem anno 1543. quidem inceptam esse, sed a. 1544. demum prodiisse. Haec sententia hisce argumentis firmatur: 1. Mel. in epist. ad V. Theodorum data 4. Maii 1544. (Corp. V. p. 375.) scribit: „Accedit mihi ad quotidianas occupationes — — labor recudendi *locos Theologicos*, qui nunc eduntur uberiores et nitidiores. Nolo enim novos libros instituere. Has Methodos Scholis necessarias perpolire cupio. Nam iuventuti opus est et Methodo aliqua, et propria explicationis forma, et metis disputationum. Ac mihi testis est Deus, toto hoc decennio et multo ante praecipue me hoc egisse, ut aliqua mediocris doctrinae ὑποτύπωσις talis extaret." — Camerario autem 9. Febr. 1544. (Corp. V. p. 311.) sic scripsit: „Ego, quoniam non video quid agam, nunc quidem melius, editionem quorundam scholasticorum libellorum rursus adorno, *Locorum*, et Dialectices, physica etiam recudere cupio." et in epist. 1. Oct. 1544. ad eundem data (Corp. V. p. 492.): „*Liber locorum theologicorum* ante vestras nundinas edetur, vellem igitur mihi Epigramma Graecum octo aut decem versuum mitti, sine mea laudatione, sed continens adhortationem καὶ παραίνεσιν communem ad discendam doctrinam Christi, et vituperans κύκλωπας, qui contemnunt haec studia." Ad hos epistolarum locos accedit 2. argumentum ex ipso opere petitum. Leguntur enim in omnibus tertiae aetatis editionibus sub finem loci *De ceremoniis humanis in Ecclesia*, verba haecce: „*Nunc agitur annus a natali Christi* 1544." His omnibus probatur, illam editionem, quam Strobelius alteram esse opinatur, potius *principem* esse. Haec sic est inscripta:

LOCI
THEOLOGICI RE-
CENS RECO-
GNITI.
AVTORE PHILIP.
MELANTHONE.
VVITEBERGAE.
ANNO.
1543.

Hic tutulus figuris ligno incisis cinctus est. — (In fine:) *Ex Officina Petri* | *Seitz Anno.* 1544. 58 plagg. litt. α, a — i, A—Z, Aa—Zz, Aaa, Bbb sign., 462 foll. non num., 8⁰ (fol. α 2ᵃ—3ᵇ) Mel. ad pium Lectorem Epistola, in cuius fine leguntur: *Witebergae Anno.* 1543.; fol. α 4ᵃ — 7ᵃ Mel. Praefatio in Locos, inscripta: Loci theologici collecti a Philippo Melanthone; fol. α 7ᵇ — 8ᵇ vacant; fol. a 1ᵃ — Bbb 7ᵃ Locorum pertractatio: *De Deo — De Libertate Christiana*; Clausulâ in fine subiunctâ; fol. Bbb 7ᵇ — 8ᵇ vacant.*) Ex huius Ed. duplici annorum numero, quorum alter in titulo, alter in fine legitur, sine dubio ille error ortus est, duas extare editiones, quarum altera a. 1543., altera a. 1544. prodierit.

Hanc Ed. huius tertiae aetatis principem secutae sunt haece:

2. *Loci* | *theologici re-* | *cens reco-* | *gniti.* | *Avtore Philip.* | *Melanthone.* | *Witebergae. Anno.* | 1545.

Hic titulus et verbis et typis cum titulo Ed. principis omnino congruens iisdem, ac ille, figuris cinctus est. (In fine:) *Witebergae* | *Ex Officina Petri Seitz.* | *Anno M. D. XLV.* 61 plagg. litt. α — δ, A—Z, a—z, Aa — Ll sign., 488 foll. non num., 8⁰ (fol. α 2ᵃ — 3ᵇ Mel. Epist. ad pium Lectorem, Witeb. a. 1543. scri-

---

*) Haec Ed. in Biblioth. acad. Gotting., Ienesi et Tubing., senat. Norimb., atque in meis libris est.

pta; fol. α 4ᵃ — 7ᵃ Praefatio inscripta: Loci theologici collecti a Philippo Melanthone: fol. 7ᵇ — 8ᵇ vacant; fol. β 1ᵃ — δ 1ᵇ Index Locorum, et praecipuorum capitum, quae in singulis locis tractantur; fol. δ 2ᵃ — 8ᵃ Elenchus locorum sacrae Scripturae in hoc libello obiter explicatorum; fol. 8ᵇ vacat; fol. A 1ᵃ — Ll 6ᵇ Locorum: *De Deo.* — *De Libertate Christiana* pertractatio, Clausulâ in fine additâ; fol. Ll 7. 8. alba.) *) In hac Ed. praeter Indices adiectos mutati sunt loci *de libero arbitrio, de peccato originis et actuali* et *de ecclesia,* quas mutationes omnes Editt. seqq. exhibent.

3. *Loci Commu | nes theologici, | iam postremo | recogniti & | aucti, | per Philipprm | Melanchthonem. | Accessit locorum Scripturae obiter declarato- | rum, item rerum ac uerborum in hisce | omnibus memorabilium ge- | minus Index. | Basileae* | 1545. — (In fine:) *Basileae ex Officina Ro | berti Winter, Anno | M. D. XLV.* 51 plagg. litt. A—E, a—z, A—Z sign., 40 foll. non num., 734 pagg. num., ult. fol. non num., 8⁰ (fol. A 2ᵃ — 3ᵇ Mel. ad pium Lectorem Epistola [eadem, quae in duabus praecedent. Editt. legitur], in cuius fine leguntur: *Witebergae, Anno* 1545.; fol. A 4ᵃ — B 1ᵃ med. Locorum Sacrae Scripturae hoc in libello obiter a Philippo explicatorum Elenchus; fol. B 1ᵃ med. — E 7ᵇ Rerum et Verborum Index; fol. E 8 Graecarum dictionum quae obiter inseruntur, explicatio; pag. 1—734. [fol. a 1ᵃ — Z 7ᵇ med.] Loci Theologici collecti a Philippo Melanchthone, exordientes a „Praefatione“ **) [pag. 1—6.] cum 1240 annotatt. marginall.; fol. Z 8ᵃ in superiore dimidia parte exhibet: (25) Errata inter excudendum commissa, subiunctâ Clausulâ; fol. Z. 8ᵇ vacat). ***)

4. *Loci com | mvnes theo- | logici, | nvnc denvo cvm cvra | & diligentia summa recogniti, | multisque in locis copiose | illustrati, | per Philipprm Me- | lanchthonem. | Ad calcem hvivs sacro | sancti operis accessit, locorum scripturae in | hoc explicatorum, itemque capitum totius li- | bri, nec non rerum atque uerborum memora- | bilium trigeminus Index quam dili- | gentissime conscriptus. | Lipsiae | omnia in officina Valen- | tini Papae elaborata, | atqve edita Cal. | Ianvar. An. | M. D. XLVI.* 48½ plagg. litt. A — Z. a — z, Aa—Cc (Cc ½ pl., 4 foll. cont.) sign., 8 foll. non num., 675 pagg. num., 42½ foll. non num., 8⁰ (fol. A 2ᵃ — 3ᵇ Mel. ad p. Lectorem Epist., subscripta: Witebergae, Anno 1543.; fol. A 4ᵃ — 7ᵃ init. Praefatio in Locos, inscripta: „Loci theologici collecti a Philippo Melanchthone“; fol. A 7ᵃ med. — 7ᵇ Graecarum dictionum quae obiter inseruntur explicatio; fol. A 8. Psalmi XXXII. argumentum et paraphrasis metrica; pag. 1—675. [fol. B 1ᵃ — x 2ᵃ] Locorum *De Deo* — *De Libertate Christiana* pertractatio; fol. x 2ᵇ — y 7ᵃ Index locorum et praecipuorum capitum, quae in singulis locis tractantur; fol. y 7ᵇ — z 3ᵃ Elenchus locorum Sacrae Scripturae in hoc libro obiter explicatorum; fol. z 3ᵇ — Cc 3ᵇ med. Rerum et verborum Index; fol. Cc 3ᵇ med. — 4ᵃ med. cont. haec: Typographus ad pium lectorem. En Sacrosanctum hoc opus, pie et studiose Lector, nouis et nitidioribus characteribus expressum. In quo perficiendo etsi nec fides, nec diligentia et cura nobis defuerit, non potuit tamen omnis errandi occasio vitari. Proinde, ea errata, quae inter relegendum passim offendimus, quanquam levia, sub calcem hîc adiecimus, quo facilius suae integritati restituere possis. Deinceps indicantur 32 Errata; fol. Cc 4ᵇ vacat) †). Haec Ed. et chartâ et typis insignis est. — Ex epitheto *Sacrosanctum opus* cognoscitur verecundia, qua hic liber susceptus sit.

5. *Loci com- | mvnes theo- | logici, | nvnc denvo cvm cvra | & diligentia summa recogniti, | multisque in locis copiose | illustrati, | per Philipprm Me- | lanchthonem. | Ad calcem hvivs sacro | sancti operis accessit, locorum scripturae in | hoc explicatorum, itemque capitum totius li- | bri, nec non rerum atque uerborum memora- | bilium trigeminus Index quam dili- | gentissime conscriptus. | Lipsiae | omnia in officina Valen- | tini Papae elaborata, | atqve edita | Anno | M. D. XLVI.* 48½ plagg. litt. A — Z, a — z, Aa — Cc (Cc ½ pl., 4 foll. cont.) sign., 8 foll. non num., 675 pagg. num., 41½ foll. non num., ult. fol. album, 8⁰ (fol. A 2ᵃ — 3ᵇ Mel. ad Lectorem Epist. scripta „Witebergae, Anno 1543.,“ fol. A 4ᵃ — 7ᵃ init. Praefat. in Loc., inscri-

---

*) Haec Ed. in Biblioth. regia Berol., senat. Hamburg. et Norimb., acad. Vratisl. et in meis libris est. — Recensetur a Balthasaro l. l. p. 28 sq. aliisque ibi laudatis.

**) Haec signa „—“ h. l. et in aliis seqq. Editt. indicant, in Editt. h. l. inscriptionem: *Praefatio,* quae in aliis non invenitur, esse praefixam.

***) Haec Ed. in Biblioth. senat. Norimb., acad. Vratisl. et in meis libris est. — Recensetur in Unschuld. Nachricht. a. 1728. p. 195. et a Balthasaro l. l. p. 29.

†) Hanc Ed. ex Biblioth. acad. Lipsiensi in manibus habeo; asservatur etiam in Biblioth. senat. Norimb. et seminarii Wittenberg. et in ducali Guelferbyt. (?) — Recensetur in Baumgartenii Nachricht. von merkw. Büchern Tom. VI. p. 400 sq. et a Balthasaro l. l. p. 29.

pta: Loci theologici collecti a Philippo Melanchthone: fol. A 7^a med. — 7^b Graecarum dictionum quae obiter inseruntur explicatio: fol. A 8. Psalmi XXXII. argum. et paraphr. metrica: pag. 1 — 675. [fol. B 1^a — x 2^a] Locorum *De Deo — De Libert. Christ.* pertractatio: fol. x 2^b — y 7^a med. Index locorum et praecipuorum capitum, quae in singulis locis tractantur: fol. y 7^b — z 3^a Elenchus locorum Sacrae Scripturae in hoc libro obiter explicatorum: fol. z 3^b — Cc 3^b med. Rerum et verborum Index: fol. Cc 4 album)*). In hac Ed. non solum errata praecedentis correcta [quapropter horum catalogus in calce huius Ed. deest], sed etiam nonnulla alia mutata, et loci e S. Script. allati in margine his signis: „ et „ notati sunt [eadem signa ad eiusmodi locos in marg. addita sunt etiam in Editt. Lipsiens. seqq. annorum 1548. 1549. et 1550.]: ex quibus intelligitur, eam minime praecedentis meram repetitionem, sed vere novam esse editionem.

6. *Loci Commu | nes theologici, | iam postremo | recogniti & | aucti, | per Philipprm Melanchthonem. | Accessit locorum tam communium, quàm Scripturae, | obiter declaratorum, rerum quoq; ac uerborum | in his memorabilium, triplex Index. — Basileae, | 1546.* — (In fine:) *Basileae, Anno | Salutis M. D. XLVI. | Mense Martio.* $52^1/_2$ plagg. litt. α, a—z, A—Z, Aa—Ff (Ff $^1/_2$ pl., 4 foll. cont.) sign., 8 foll. non num., 760 pagg. num., 32 foll. non num., ult. fol. album, 8⁰ (fol. α 2^a — 3^b med. Mel. ad Lectorem Epistola Vuittenb. A. 1543. scripta: fol. α 4^a — 8^b med. Locorum S. Scripturae in hoc libello obiter a Philippo explicatorum Elenchus: pag. 1—760. [fol. a 1^a — Bb 3^b] Loci theologici collecti a Philippo Melanchthone, a „Praefatione“ incipientes, cum permultis annotatt. marginall.; in fine additur Erratum; fol. Bb 4^a — Dd 1^b Index locorum, et praecipuorum capitum quae in singulis locis tractantur; fol. Dd 2^a — Ff 3^b Rerum et verborum Index, cui Clausula subiuncta est: fol. Dd 4 album) **). Haec Ed. ex Ed. Viteb. 1545. recusa, propter typorum formam illis Editionis Basil. 1545. simillimam in eadem Roberti Winteri officina excusa esse videtur.

7. *Loci com | mrnes theo- | logici, iam postremò re- | cogniti & aucti, | per Philipprm | Melanchthonem. Accessit locorum tam communium, quàm Scripturae, | obiter declaratorum rerum quoq; ac uerborum | in his memorabilium, triplex Index. | Basileae, 1547.* — (In fine:) *Basileae aprd Io- | annem Oporinum, Anno Salutis | 1547.* 53 plagg. litt. α, a—z, A—Z, Aa—Ff sign., 7 foll. non num., 1 fol. album, 750 pagg. num., 40 foll. non num., ult. fol. album, 8⁰ (fol α 2^a — 3^b med. Mel. Praefatio ad Lectorem Vuittenbergae, Anno 1543. scripta: fol. α 4^a — 7^b Locorum Sacrae Scripturae in hoc libello a Philippo explicatorum Elenchus: fol. 8 album: pag. 1—750. [fol. a 1^a — Aa 7^b med.] Loci theologici collecti a Philippo Melanchthone, a „Praefatione“ exordientes, cum permultis annotatt. marginall.; fol. Aa 8^a — Cc 5^b Index locorum, et praecipuorum capitum, quae in singulis locis tractantur; fol. Cc 6^a — Ff 7^a Rerum et verborum Index; fol. Ff 7^b Clausula typogr.; fol. Ff 8 album) ***).

8. *Loci com- | mrnes theo- | logici, | nrnc denro crm crra | & diligentia summa recogniti, | multisque in locis copiosè | illustrati, | per Philipprm Me- | lanchthonem. | Ad calcem hrirs sacro | sancti operis accessit, locorum scripturae in | hoc explicatorum, itemque capitum totius li- | bri, nec non rerum atque uerborum memora- | bilium trigeminus Index quam dili- | gentissime conscriptus. | Lipsiae | omnia in officina Valen- | tini Papae elaborata, | atqre edita | Anno | M. D. XLVIII.* 51 plagg. litt. A—Z, a—z, Aa—Ee sign., 8 foll. non num., 719 pagg. num., 1 pag. alba, 40 foll. non num., quorum ult. $1^1/_2$ foll. alba, 8⁰ (fol. A 2^a — 4^a med. Mel. Praefatio ad Lectorem Witebergae, A. 1543. scripta: fol. A 4^a med. — 6^b Mel. Praefatio in Locos inscripta: Loci theologici collecti a Philippo Melanchthone: fol. A 7 Graecarum dictionum quae obiter inseruntur, explicatio: fol. A 8. Psalmi XXXII. argum. et paraphr. metrica; pag. 1—719. [fol. B 1^a — z 8^a] Locorum pertractatio: fol. z 8^b vacat: fol. Aa 1^a — Bb 4^a Index locorum et praecipuorum capitum, quae in singulis locis tractantur: fol. Bb 4^b — 8^a med. Elenchus locorum Sacrae Scripturae in hoc libro obiter explicatorum: fol. Bb 8^a med. — Ee 7^a Rerum et verborum Index: fol. Ee 7^b — 8^b alba.) †). Haec Ed. famosa est propter quasdam paragraphos ab auctore in loco *de Libero arbitrio* p. 84. med. —86. med. insertas, scil.

---

*) Haec Ed. in Biblioth. senat. Norimb., regiis Dresd. et Berol. (?), et in meis libris est. — Recensetur a Baumgartenio l. l. p. 401 sq. et Balthasaro l. l. p. 29.

**) Hanc Ed. ex Biblioth. senat. Norimb. in manibus habeo, etiam in Bibl. acad. Tubing. est. — Recensetur a Feuerlino in Biblioth. symbol. Ed. 2. cur. Riederer. P. I. p. 227., a Baumgartenio l. l. p. 403. et Balthasaro l. l. p. 30.

***) Haec Ed. in Biblioth. senat. Norimb., acad. Erlang. et in meis libris est. — Recensetur a Balthasaro l. l. p. 30., Feuerlino l. l. p. 227. et in Bibliotheca Muhliana p. 49.

†) Haec Ed. in Biblioth. regia Stuttgard., ducali Gothana, acad. Vratislav., senat. Norimb. et in meis libris est. — Recensetur a Feuerlino l. l. p. 227., Unschuld. Nachricht. 1728. p. 196., a Balthasaro l. l. p. 30—32. permultisque aliis ibi memoratis.

verba: „*Vidi multos non Epicureos, qui cum essent in aliquo moerore propter suos lapsus — illustrabit hanc copulationem caussarum verbi Dei, Spiritus sancti, et voluntatis.*" In hoc enim additamento p. 85. extr. legitur Erasmica definitio liberi arbitrii: id esse *facultatem se applicandi ad gratiam,* ob quam Melanthon a Flacianis *synergismi* accusatus est. *) Hic locus, Luthero mortuo, ab auctore additus**) repetitur in omnibus Editt., quae hanc subsecutae sunt, etiam in Operum Witeberg. Tomo I. fol. 167. et in latino Corpore doctrinae.

9. *Loci com- | mvnes theo- | logici. | Nvnc denvo cvra | & diligentia summa rocogniti, | multisque in locis copiose | illustrati. | Per Philippvm Me- | lanchthonem. | Witebergae. | Anno | M. D. XLIX.* — (In fine:) *Witebergae.* 61 plagg. litt. A, β, γ, δ, A—Z, a—z, Aa — Ll sign., 488 foll. non num., 8⁰ (fol. A 2ª — 4ª med. Mel. Praefatio ad Lectorem Witeb. A. 1543. scripta; fol. A 4ª med. — 6ᵇ Praef. in Locos, inscripta: Loci theologici collecti a Philippo Melanchthone; fol. A 7. Graecarum dictionum quae obiter inseruntur, explicatio; fol. A 8. Psalmi XXXII. argum. et paraphr. metrica; fol. β 1ª — δ 1ᵇ med. Index locorum, et praecipuorum capitum, quae in singulis locis tractantur; fol. δ 2ª — 8ª Elenchus locorum S. Scripturae in hoc libello obiter explicatorum; fol. δ 8ᵇ vacat; fol. A 1ª — Ll 6ᵇ med. Loci *De Deo — De Libertate Christiana,* subiunctâ Clausulâ; fol. Ll 7. 8. alba)***).

10. *Loci prae- | cipvi theo- | logici, nvnc denvo cvm cvra | & diligentia summa recogniti, | multisque in locis copiosè | illustrati, | per Philippvm Me- | lanchthonem. | Ad calcem hvivs sacro | sancti operis accessit, locorum scripturae in | hoc explicatorum, itemque capitum totius li- | bri, nec non rerum atque uerborum memora- | bilium trigeminus Index quam dili- | gentissime conscriptus. | Lipsiae | omnia in officina Valen- | tini Papae elaborata, | atqve edita | Anno | M. D. XLIX.* 54½ plagg. litt. A—Z, a—z, aa—dd (dd ½ pl., 4 foll. cont.), AA—EE sign., 8 foll. non num., 768 pagg. num., 43 foll. non num., ult. fol. album, 8⁰ (fol. A 2ª — 4ª med. Mel. Praef. ad Lectorem Vuiteb. A. 1543. scripta; fol. A 4ª med. — 6ᵇ Praefatio ad Locos inscripta: Loci theologici collecti a Philippo Melanchthone; fol. A 7. Graecarum dictionum quae obiter inseruntur explicatio, fol. A 8. Psalmi XXXII. argum. et paraphr. metrica; pag. 1—768. [fol. B 1ª — cc 8ᵇ] Locorum pertractatio; fol. dd 1ª — 2ᵇ Additamentum sic inscriptum: „Haec post absolutam hanc operis elaborationem ab Autore descripta, quae insererentur loco de CRVCE, hîc in fine adiecimus, non enim putaximus editionem illorum differendam esse. Haec igitur ad indicatum locum a lectoribus huius libelli adiungentur." †); fol. dd 3ª — 4ᵇ med. In Natalem Salvatoris Hymnus Georgii Sabini; fol. AA 1ª — BB 4ᵇ med. Index locorum et praecipuorum capitum, quae in singulis locis tractantur; fol. BB 5ª — 8ᵇ med. Elenchus locorum Sacrae Scripturae in hoc libro obiter explicatorum; fol. BB 8ᵇ med. — EE 7ᵇ med. Rerum et verborum Index; fol. EE 8 album)††).

11. *Loci prae- | cipvi theo- | logici,* etc. (Idem titulus, ac Ed. Lips. 1549.) *Lipsiae | omnia in officina Valentini Papae elaborata, | atqve edita | Anno | M. D. L.* 54½ plagg. litt. A—Z, a—z, aa—dd (dd ½ pl.), AA—EE sign., 8 foll. non num., 768 pagg. num., 43 foll. non num., ult. fol. album, 8⁰. Haec Ed. singulis foliis omnino eadem continet ac Ed. proxime praecedens. †††)

12. *Loci com | mvnes theolo- | gici, iam postremo | cura ac diligentia summa | recogniti, & locis | aliquot aucti, | Per Philippum Me- | lanchthonem. | Accessit Locorum iam communium, quàm Scri- | pturae, obiter declaratorum, Rerum quoq; | ac Verborum in his memorabi- | lium trigeminus Index. | Basileae, |* 1550. Huius tituli lineae 1—6. 9—12. rubro colore sunt expressae. — (In fine:) *Basileae, | apud Ioannem*

---

*) Hanc ob rem haec Ed. a I. T. Mayero in Diss. de Locis Theol. Ph. Melanchthonis p. 13. dicitur *omnium pessima,* et multorum accusatur errorum, inprimis vero crassioris *synergismi,* ante colloquium Vimariense a. 1553, in colloquio a. 1560. et post illud a. Til. Heshusio, Wigando, Nic. Gallo aliisque.

**) Ex Mel. epistola ad V. Theodorum data 10. Nov. 1544. (Corp. V. p. 522 sqq.) intelligitur ipsi propositum fuisse hoc additamentum iam vivo Luthero Editionibus inserendi. Scribit enim ibi haecce: „Mitto tibi exemplum editionis proximae locorum. Utinam vero accessissent duo loci, quos dictavi, sed addi in hac editione non potuerunt, alter de malo originis, alter de libero arbitrio. Verum addam, si quando recudentur." etc.

***) Hanc Ed. Feuerlino et Balthasaro ignotam ex Biblioth. senat. Norimb. in manibus habeo.

†) Cum hoc augmento articulus *de Cruce* legitur etiam in Theoph. Gervasii *Panoplia Christiana,* Genevae 1588. edita.

††) Haec Ed. in Biblioth. senat. Norimb. et Lipsiensi, ducali Gothana atque in meis libris est. — Recensetur a Balthasaro l. l. p. 33. et Feuerlino l. l. p. 227.

†††) Haec Ed. in Biblioth. acad. Halensi, Vratisl. et Gotting., ducali Gothana, senat. Norimb. atque in meis libris est. — Recensetur in Unschuld. Nachr. 1728. p. 196., a Feuerlino l. l. p. 227. et Balthasaro l. l. p. 33.

Oporinum | anno salutis 1550. 59 plagg. litt. AA, a—z, A—Z, Aa—Cc, aA, bB (1/4 pl., 2 foll. cont.), cC, aa—gg (gg 3/4 pl., 6 foll. cont.) sign., 8 foll. non num., 753 pagg. num., 88 foll. non num., 8° (fol. AA 2ª—4ª Mel. Praef. ad Lectorem Vuittenbergae. A. 1543. scripta: fol. AA 4ᵇ — 5ᵇ Capitum totius huius libri Index: fol. AA 6ª — 7ª init. Graecarum dictionum quae obiter inseruntur, explicatio; fol. AA 7ᵇ — 8ᵇ init. Psalmi XXXII. argum. et paraphr. metrica; pag. 1—753. [fol. a 1ª — Bb 1ª] Loci theologici collecti a Philippo Melanchthone, a »Praefatione« exordientes, cum permultis annotatt. marginall.; fol. Bb 1ᵇ — Cc 7ª Index locorum, et praecipuorum capitum quae in singulis locis tractantur; fol. Cc 7ᵇ vacat; fol. Cc 8ª (32) Errata; fol. Cc 8ᵇ vacat; fol. aA 1ª — cC 8ª Loca Scripturae explicata; fol. cC 8ᵇ vacat; fol. aa 1ª — gg 6ª med. Index rerum et verborum; fol. gg 6ᵇ Clausula typogr., subiunctâ Serie Chartarum).*) In hac Ed. augmentum loci *de Cruce*, quod in Editt. Lips. 1549. et 1550. in calce legitur, neque in contextis insertum est, neque in fine invenitur.

13. *Loci prae- | cipui theo- | logici. | Nvnc denvo cvra et | diligentia summa recogniti, | multisque in locis co- | piosè illustrati. | Cum appendice disputationis | de Coniugio. | Per Philippvm Me- | lanchthonem. | Ad calcem hvivs operis accessit, locorum scripturae in hoc explica- | torum, itemque capitum totius libri, nec non rerum atque uerborum memo- | rabilium trigeminus Index | quam diligentissime | conscriptus. | Lipsiae | omnia in officina Valen- | tini Papae elaborata, | atqve edita | Anno | M. D. LII.* 61 plagg. litt. A—Z, a—z, aa—pp sign., 8 foll. non num., 883 pagg. num., 37 1/2 foll. non num., ult. fol. album. 8° mai. (fol. A 2ª — 3ᵇ med. Mel. Praef. ad Lectorem, Vuiteb. A. 1543. scripta; fol. A 4ª — 6ᵇ Praef. in Locos inscripta: Loci theologici collecti a Philippo Melanch.; fol. A 7. Graecarum dictionum quae obiter inseruntur explicatio; fol. A 8. Psalmi XXXII. argum. et paraphr. metr.; pag. 1—841. [fol. B 1ª — hh 5ª] Locorum *De Deo* — *De Libertate Christiana* pertractatio; p. 842 — 883. [fol. hh 5ᵇ — ll 2ª] De Coniugio; fol. ll 2ᵇ — mm 5ª Index locorum et praecipuorum capitum, quae in singulis locis tractantur; fol. mm 5ᵇ — 8ᵇ Elenchus locorum Sacrae Scripturae in hoc libro obiter explicatorum; fol. nn 1ª — pp 7ª med. Rerum et verborum Index; fol. pp 7ᵇ — 8ᵇ vacant).**) In hac Ed. quae formae typorumque elegantia et magnitudine omnes praecedentes Editt. superat, augmentum loci *de Cruce*, quod Editt. Lips. a. 1549. et 1550. in calce libri exhibent, in fine illius loci, ad quem pertinet, pag. 654—658. additum est, ubi etiam in omnibus seqq. Editt. invenitur. — Appendix *De coniugio*, quae huic et omnibus seqq. Editt. adiecta est, primum a. 1551. separatim prodiit sic inscripta: *De coniugio piae commonefactiones, collectae a Ph. Melanthone. Witteb. ex officina literaria Io. Cratonis A.* 1551. 8.,***) deinde etiam Witteb. 1554. Utraque Ed. orditur ab epist. nuncupat. ad Petr. Medmannum (recusa in huius Corp. Vol. VII. p. 769 sqq.), quae in hac Locorum appendice omissa est. — Denique animadvertas, in huius Ed. et sequentium titulo ante *operis* illud epitheton *sacrosancti*, sine dubio auctoris iussu, esse omissum.

14. *Loci praecipui | Theologici. | nvnc postremò cvra | & diligentia summa recogniti, | multisque in locis copio- | se illustrati. | Cum appendice disputationis | de Coniugio. | Per Philippvm | Melanchthonem. | Accessit, locorum Scripturae toto hoc Opere ex- | plicatorum, itemque Capitum totius libri, Rerum de- | nique et uerborum, memorabilium trigemi- | nus Index, quàm diligentissimè | collectus. | Basileae, per Ioan- | nem Oporinum.* — (In fine:) *Basileae, ex of- | ficina Ioannis Oporini, Anno Salutis | humanae, M. D. LII. Men- | se Nouembri.* 50 plagg. litt. a—z, A—Z, Aa—Dd sign., 702 pagg. num., 49 foll. non num., 8° (pag. 3 — 6. [fol. a 2ª — 3ᵇ] Mel. Epist. ad Lectorem Vuiteb. A. 1543. scripta; p. 7 — 702 med. [fol. a 4ª — X 7ᵇ] Loci theologici collecti a Philippo Melanchthone, qui a »Praefatione« incipiunt, et loco *De coniugio* finiuntur; fol. X 8ª (27) Errata; fol. X 8ᵇ — Z 4ª med. Index locorum et praecipuorum capitum, quae in singulis locis tractantur; fol. Z 4ª med. — Aa 4ᵇ Elenchus locorum S. Scripturae, in hoc libro obiter expli-

---

*) Haec Ed. in Biblioth. senat. Hamburg. et Norimb. atque in meis libris est. — Recensetur a Balthasaro l. l. p. 33.; Feuerlinum haec Ed. latuit.

**) Haec Ed. in Biblioth. senat. Norimb., acad. Ienensi et Vratisl. atque in meis libris est. — Recensetur a Balthasaro l. l. p. 33 sq., Feuerlino l. l. p. 227. et in Unschuld. Nachr. 1728. p. 196.

***) Prius auctoris propositum erat iam huic Ed. „Definitiones" addendi; at ob temporis angustiam pro iis illum de Coniugio. libellum addendum typographo misit, ut ex Mel. epistola ad Ioach. Camerarium data 2. Maii 1552. (Corp. VII. p. 991.) intelligitur. — Hic locus *de Coniugio* legitur quoque in Corpore doctrinae. in Tomo I. Operum Wittenberg. Mel. [at in utraque libror. Mel. collectione non *Locis* proxime additus est, sed *Examen Ordinandorum* sequitur], in Chemnitii Locis Theologicis et in Norimbergensium Dodecade p. 893. cum Durrii Observationibus, in Isagoge ad libros normales Norimb. p. 131.

catorum; fol. Aa 5^a — Dd 7^b med. Rerum et verborum memorabilium Index; fol. Dd 8^a Clausula typogr.; fol. Dd 8^b vacat) *).

15. ***Loci prae- | cipvi theo- | logici. | Nvnc denvo cvra et | diligentia summa recogniti, mul- | tisque in locis copiosè | illustrati, | Cum appendice disputationis | de Coniugio. | Per Philippvm Me- | lanchthonem. | Ad calcem hvivs operis | accessit locorum scripturae in hoc explica- | torum, itemque capitum totius libri, nec | non rerum atque uerborum memo- | rabilium trigeminus Index | quam diligentissime | conscriptus. | Lipsiae | omnia in officina Valen- | tini Papae elaborata, | atqve edita | Anno | M. D. LIII.*** 48 ½ plagg. litt. A—Z, a—z, Aa—Cc (Cc ½ pl., 4 foll. cont.) sign., 8 foll. non num., 687 pagg. num., 34 ½ foll. non num., ult. fol. album, 8^0 (fol. A 2^a — 3^b Mel. Praef. ad Lectorem Vuiteb. A. 1543. scripta; fol. A 4 Psalmi XXXII. argum. et paraphr. metr.; fol. A 5. Graecarum dictionum quae obiter inseruntur explicatio; fol. A 6^a — 8^b med. Praef. in Locos inscripta: Loci theologici collecti a Philippo Melanchthone; pag. 1 — 687 [fol. B 1^a — y 1^a] Loci *De Deo* — *De Coniugio*; fol. y 1^b — z 3^b med. Index locorum et praecipuorum capitum, quae in singulis locis tractantur; fol. z 3^b med. — 6^b Elenchus locorum Sacrae Scripturae in hoc libro obiter explicatorum; fol. z 7^a — Cc 3^b med. Rerum et verborum Index; fol. Cc 4 album) **). Ex hac descriptione apparet, locum *De Coniugio* quidem in hac Ed. exstare, non vero *Definitiones*; quapropter haec sine dubio duarum huius anni Editionum Lipsiensium p r i o r est ***).

16. ***Loci prae- | cipvi theo- | logici. | Nvnc denvo cvra et dili- | gentia summa recogniti, multisque in locis copiose illustrati, | Cum appendice disputationis | de Coniugio. | Per Philippvm Melanch. | His additae svnt recens | Definitiones multarum appellationum, | quarum in Ecclesia usus est, traditae | ab eodem Authore Torgae et | Witebergae, | Anno** 1552 **et** 1553. | **Ad calcem hvivs operis acces- | sit, locorum scripturae in hoc explicatorum, itemque capi- | tum totius libri, nec non rerum atque uerborum memo- | rabilium trigeminus Index quam diligen- | tissime conscriptus. | Lipsiae | omnia in officina Valentini | Papae elaborata atqve | edita. | Anno M. D. LIII.*** 51 ½ plagg. litt. A — Z, a — z, Aa —Ff (Ff ½ pl., 4 foll. cont.) sign., 8 foll. non num., 720 pagg. num., 42 foll. non num., ult. fol. album, 8^0 (fol. A 2^a — 4^a Mel. Praef. ad Lectorem Witeb. A. 1543. scripta; fol. A 4^b — 5^a Psalmi XXXII. argum. et paraphr. metr.; fol. A 5^b — 6^a Graecarum dictionum quae obiter inseruntur explicatio; fol. A 6^b — 8^b Praef. ad Locos inscripta: Loci theologici collecti a Philippo Melanchthone; pag. 1—688. med. [fol. B 1^a — y 1^b] Loci *De Deo* — *De Coniugio*; p. 689—720 med. [fol. y 2^a — Aa 1^b] Definitiones multarum appellationum, quarum in Ecclesia usus est, traditae a Philippo Melanch. Torgae et Witebergae, Anno 1552. et 1553.; fol. Aa 2^a — Bb 5^b med. Index locorum et praecipuorum capitum, quae in singulis locis tractantur; fol. Bb 6^a — Cc 2^a init. Elenchus locorum Sacrae Scripturae in hoc libro obiter explicatorum; fol. Cc 2^a med. — Ff 3^a Rerum et verborum Index; fol. Ff 3^b — 4^b vacant). †) Haec Ed. a praecedente non solum titulo, sed etiam forma et typis paulo minoribus differt. Ex eius novo augmento *Definitiones* etc. inscripto optimo iure argumentamur, hanc duarum huius anni Editionum Lipsiensium esse p o s t e r i o r e m. Hae *Definitiones*, quae in hac Ed. primum prodierunt, etiam in sequentibus Locorum Editt. conservatae, etiam *Corpori doctrinae*, Tomo I. *Operum Witteberg. Mel.* et *Dodecadi Norimberg.* insertae, at in his libris non *Locis* proxime adiunctae sunt, sed *Examen eorum qui audiuntur ante ritum publicae ordinationis* (quod in sequenti huius Corp. Vol. XXII. edemus) sequuntur; praeterea quoque separatim prodierunt sic inscriptae:

Defini- | tiones mvltarvm | appellationvm, quarvm | in Ecclesia vsvs est, | traditae | à | Philippo Melanth. | Torgae et Witeber- | gae, Anno 1552. ***et*** 1553. (Insigne typogr.) ***Witebergae.*** | 1554. — (In fine:)

---

*) Hanc Ed. ex Biblioth. ducali Gothana in manibus habeo, etiam in Biblioth. senat. Norimb. et Stralsund., atque acad. Tubing. est. — Recensetur a Baumgartenio l. l. p. 404. et Balthasaro l. l. p. 34.

**) Hanc Ed. ex Biblioth. senat. Lips. in manibus habeo; etiam in Bibl. senat. Norimb. asservatur. — A F e u e r l i n o l. l. p. 227. post alteram [nr. 1325.] illico afferendam Ed. Lips. 1553. 8. brevissime recensetur sic: nr. 1326. *Ibid. eod. anno alia editio.*, quo auctore memoratur a B a l t h a s a r o l. l. p. 35.: „Aliam eiusdem anni editionem *Lipsiensem* in 8. refert Feuerlinus l. c.“ et a S t r o b e l i o in Lit.-Gesch. der Loci p. 135. nr. 17. sic: „ *Loci — — Lips. ex off. Val. Papae,* 1553. 8. Ist nach der Anzeige Feuerleins in Bibl. symb. P. I. p. 227. n. 1326 von der vorigen etwas verschieden.“ ex quibus elucet, neque Balthasarum, neque Strobelium usque eo, quo hosce libros scripserunt, hanc Ed. conspexisse.

***) A F e u e r l i n o, B a l t h a s a r o et S t r o b e l i o haec Ed. male p o s t alteram huius anni affertur.

†) Hanc Ed. ex Biblioth. Illustr. Comitis Stolbergo-Wernigerodani et acad. Gotting. in manibus habeo, etiam in Bibl. senat. Norimb. et regia Stuttgard. asservatur. — Recensetur a Feuerlino l. l. p. 227., in Unschuld. Nachr. 1728. p. 197., Balthasaro l. l. p. 34. et Strobelio l. l. p. 134. nr. 16.

Vuitebergae excudebant Haeredes | Petri Seitzij. 3 plagg. litt. A — C sign., 24 foll. non num., quorum ult. pag. vacat. 8° min.*) Alia huius libelli Ed. mutata et aucta prodiit a. 1556. inscripta:

Defini- | tiones mvltarvm | appellationvm, quarvm | in Ecclesia vsvs est, | traditae | à | Philippo Melanth. | Torgae et Witeber- | gae, Anno 1552. *et* 1553. | *Witebergae | Excvdbant* (sic) *Hae- | redes Petri Seitzij.* | 1556. 5 plagg. litt. a—d, E sign., 39 foll. non num., ult. fol. album, 8° min.**)

17. *Loci prae- | cipvi theo- | logici. | Nvnc denvo cvra et diligentia | summa recogniti, multisque in locis copiose illustrati. | Cum appendice disputationis de | Coniugio. | Per Philippvm Me- | lanchthonem. | His additae svnt recens defini- | tiones multarum appellationum, quarum in Ec- | clesia usus est, traditae ab eodem Autore | Torgae et Witebergae, | Anno* 1552 *et* 1553. | *Ad calcem hvivs operis acces- | sit, locorum scripturae in hoc explicatorum, itemque capi- | tum totius libri, nec non rerum atque uerborum memo- | rabi- lium trigeminus Index quam diligen- | tissime conscriptus. | Lipsiae | omnia in officina Valentini | Papae elaborata atqve | edita. | Anno M. D. LIIII.* 47 plagg. litt. A—Z, a—z, Aa sign., 8 foll. non num., 656 pagg. num., 39 foll. non num., ult. fol. album, 8° (fol. A 2ª — 4ª med. Mel. Praef. ad Lectorem Witeb. A. 1543. scripta: fol. A 4ᵇ — 5ª Psalmi XXXII. argum. et paraphr. metr.; fol. A 5ᵇ — 6ª Graecarum dictionum quae obiter inseruntur explicatio; fol. A 6ᵇ — 8ᵇ med. Praef. ad Locos inscripta: Loci theologici collecti a Philippo Melanchthone; pag. 1 — 627. [fol. B 1ª — s 2ª] Loci *De Deo — De Coniugio*; p. 628 — 656. med. [fol. s 2ᵇ — t 8ᵇ] Definitiones multarum appellationum etc.; fol. u 1ª — x 4ª Index locorum et praecipuorum capitum, quae in singulis locis tractantur; fol. x 4ᵇ — 8ª med. Elenchus locorum S. Scripturae in hoc libro obiter explicatorum; fol. x 8ª med. — Aa 7ª Rerum et verborum Index; fol. Aa 7ᵇ — 8ᵇ vacant)***).

18. *Loci prae- | cipvi theo- | logici, | nvnc postremo svmma | diligentia recogniti, & aucti, | per Philippvm | Melanthonem. | Cum appendice Disputationis | de Coniugio. | His accesserunt Definitiones Theologicae, | quarum in Ecclesia usus est, | eodem autore. | Ad haec, Locorvm Scriptvrae | toto hoc Opere explicatorum, Capitum item totius | libri, Rerum denique & uerborum memorabi- | lium trigeminus Index, quàm dili- | gentissimè collectus. | Vitebergae | excvdebat Iohannes | Crato, | Anno M. D. LV.* 52¼ plagg. litt. a—z, A—Z, Aa—Ff (Ff 1¼ pl., 10 foll. cont.) sign., 734 pagg. num., 51 foll. non num., 8° (pag. 3—6. [fol. a 2ª — 3ᵇ] Mel. Epist. ad Lectorem Vuitebergae A. 1543. scripta; p. 7 — 702 med. [fol. a 4ª — X 7ᵇ] Loci theologici collecti a Philippo Melanchthone, a »Praefatione« exordientes; p. 703—734 med. [fol. X 8ª — Z 7ᵇ] Definitiones multarum appellationum etc.; fol. Z 8ª — Bb 3ᵇ med. Index locorum et praecipuorum capitum, quae in singulis locis tractantur; fol. Bb 3ᵇ extr. — Cc 5ª med. Elenchus locorum S. Scripturae, in hoc libro obiter explicatorum; fol. Cc 5ᵇ — Ff 10ª init. Rerum et verborum in locis theologicis memorabilium Index; fol. Ff 10ᵇ vacat) †).

19. *Loci praecipui | Theologici, | nvnc postremò | summa diligentia recogniti, et aucti, | per Philippvm | Melanthonem. | Cum appendice Disputationis | de Coniugio., | His accesserunt Definitiones Theologicae, | quarum in Ecclesia usus est, | eodem autore. | Ad haec, locorum Scripturae toto hoc Opere ex- | plicatorum,. Capitum item totius libri, Rerum de- | niq; et uerborum memorabilium trigemi- | nus Index, quàm diligentissimè | collectus. | Basileae, per Io- | annem Oporinum.* 1555. — (In fine:) *Basileae, ex offi- | cina Ioannis Oporini, Anno Salutis | humanae M. D. LV. Men- | se Ianuario.* 51¼ plagg. litt. a — z, A — Z, Aa—Ee (Ee 1¼ pl. 10 foll. cont.) sign., 734 pagg. num., 43 foll. non num., 8° (pag. 3 — 6. [fol. a 2ª — 3ᵇ] Mel. Epist. ad Lectorem Vuiteb. A. 1543. scripta; p. 7—702. med. [fol. a 4ª — X 7ᵇ] Loci theologici collecti a Philippo Me-

*) Haec Ed. ex Biblioth. regia Dresd. mihi ad manus est, etiam in Bibl. senat. Norimb. exstat. — Haec Definitionum Ed. cum iis, quae in illa Locorum Ed. leguntur, omnino congruit.

**) Hanc Ed. ex Biblioth. senat. Norimb. in manibus habeo. — Ad hanc Ed. vel etiam ad Locorum Ed. Lips. 1556. spectant, quae Mel. 17. Mart. 1554. Io. Matthesio (Corp. VIII. p. 241.) scripsit: „Definitiones rursus editurus sum melius illustratas et auctas. Scis quam difficile sit definitiones constituere. Ea in re utinam nos adiutarent nostri Momi, qui tam acuti videri volunt.“ Conf. etiam eius epist. ad Andr. Iunium data 2. Nov. 1558. (Corp. IX. p. 650.), ubi, postquam ad descriptiones personarum divinarum nonnulla adiecit, de definitionibus suis sic iudicat: „Fateor meas descriptiones tenuiores esse, et me velim moneri, quia in tot seculorum scriptoribus paucissimae reperiuntur definitiones; malo igitur aliquas utcunque delineari.“ Strobelius l. l. p. 134 sq. quoque affert, quas laudes Buddeus in *Isagoge* p. m. 345. et Maur. Helingius in praefatione apologetica pro P. Melanchthone, suo *Libello versificatorio* (Norimb. 1590. 8.) praefixa, auctori harum definitionum tribuerint.

***) Haec Ed. in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est. — Recensetur a Balthasaro l. l. p. 35.

†) Hanc Ed. ex Biblioth. senat. Hamburg. in manibus teneo, etiam in Bibl. senat. Norimb. et seminarii Witteberg. est. — Recensetur a Feuerlino l. l. p. 227. et Balthasaro l. l. p. 35.

lanchthone, a „Praefatione“ exordientes; p. 703—704. med. [fol. X 8ª — Z 7ᵇ] Definitiones multarum appellationum etc.; fol. Z 8ª (106) Errata: fol. Z 8ᵇ — Bb 3ª init. Index locorum et praecipuorum capitum, quae in singulis locis tractantur; fol. Bb 3ª med. — Cc 3ª med. Elenchus locorum s. Scripturae, in hoc libro obiter explicatorum; fol. Cc 3ᵇ — 10ᵇ Rerum et verborum in locis Theologicis memorabilium Index, Clausulâ in fine subiunctâ).*)

20. ***Loci prae- | cipvi theo- | logici. | Nvnc denvo cvra et diligen | tia summa recogniti, multisque in locis | copiose illustrati, | Cum appendice disputationis de | Coniugio. | Per Philippvm | Melanchthonem. | His additae svnt recens defini- | tiones multarum appellationum, quarum in Ecclesia | usus est, traditae ab eodem autore Torgae et | Witebergae: Anno*** 1552. ***et*** 1553. | ***Ad calcem hvivs operis acces- | sit, locorum scripturae in hoc explicatorum, itemque capi- | tum totius libri, nec non rerum atque uerborum memo- rabilium trigeminus Index quam diligen- | tissime conscriptus. | Lipsiae | omnia in officina Valentini Papae elaborata atqve | edita, Anno | M. D. LVI.*** 62 plagg. litt. A — Z. a — z, Aa — Qq sign., 8 foll. non num., 888 pagg. num., 43 foll. non num., ult. fol. album, 8⁰ mai. (fol. A 2ª — 3ᵇ med. Mel. Epist. ad Lectorem Vuitenb. A. 1543. scripta; fol. A 4. Psalmi XXXII. argum. et paraphr. metr.; fol. A 5. Graecarum dictionum quae obiter inseruntur explicatio; fol. A 6—8. et pag. 1—840 med. [fol. B 1ª — Hh 4ᵇ] Loci theologici collecti a Philippo Melanchthone, a „Praefatione“ incipientes; p. 840 med. — 888. [fol. Hh 4ᵇ — Ll 4ᵇ] Definitiones multarum appellationum etc.; fol. Ll 5ª — Mm 7ª init. Index locorum et praecipuorum capitum, quae in singulis locis tractantur; fol. Mm 7ª med. — Nn 6ª med. Elenchus locorum S. Scripturae in hoc libro obiter explicatorum; fol. Nn 6ᵇ — Qq 7ª med. Rerum et verborum in locis theologicis memorabilium Index; fol. Qq 7ᵇ — 8ᵇ vacant).**) Haec Ed., quae et formae et typorum magnitudine insignis est, in Definitionibus appellationum varie mutata est e. c. sub vocc. *aeternus pater, notitiae, spes, mansuetudo, regnum Christi, bonum honestum, bona utilia, bonum suave,* inserta quoque definitio *evangelii,* (etiam Tomo I. Operum Witeb. fol. 351. legenda), et in earum fine adiectus est articulus *de Habitibus* paene 4 foll. explens (etiam in Tomo I. Opp. Wit. fol. 358ᵇ obvius). Eaedem mutationes et additiones***) etiam in seqq. Editt. sunt conservatae.

21. ***Loci prae- | cipvi theo- | logici. | Nvnc denvo cvra et diligentia | summa recogniti, multisque in locis | copiose illustrati, | per Philippvm Me- | lanchthonem. | Cum appendice disputationis de | Coniugio. | His accesservnt definitiones | Theologicae, quarum in Ecclesia usus est, | eodem autore. | Ad haec, Locorvm Scriptvrae | toto hoc Opere explicatorum, Capitum item totius li- | bri, Rerum denique & Verborum memorabilium trigeminus Index, quam dili- | gentissime collectus. | Lipsiae | omnia in officina Valentini | Papae elaborata at- | qve edita. | Anno M. D. LVII.*** 47½ plagg. litt. A—Z, a—z, Aa, Bb (Bb ½ pl., 4 foll. cont.) sign., 8 foll. non num., 664 pagg. num., 39 foll. non num., ult. fol. album, 8⁰ (fol. A 2ª — 4ª med. Mel. Praef. ad Lectorem, Witeb. A. 1543. scripta; fol. A 4ᵇ — 5ª Psalmi XXXII. argum. et paraphr. metr.: fol. A 5ᵇ — 6ª Graecarum dictionum quae obiter inseruntur explicatio; fol. A 6ᵇ — 8ᵇ et pag. 1 — 627. [fol. B 1ª — s 2ª] Loci theologici collecti a Philippo Melanchthone, a praefatione exordientes; p. 628 — 664. [fol. s 2ᵇ — u 4ᵇ] Definitiones multarum appellationum; fol. u 5ª — x 8ª Index locorum et praecipuorum capitum, quae in singulis locis tractantur; fol. x 8ᵇ — y 4ª med. Elenchus locorum S. Scripturae in hoc libro obiter explicatorum; fol. y 4ª med. — Bb 3ª med. Rerum et verborum Index; fol. Bb 3ᵇ — 4ᵇ vacant).†) In hac Ed. *Definitiones* novum acceperunt incrementum inter vv. *Malum morale* et *Prophetae* insertis definitionibus *Angeli boni et mali* (etiam in Tomo I. Operum Witeb. fol. 357 sq. obviis), quod etiam in seqq. Editt. (excepta Ed. Lips. 1559.) exhibetur.

22. ***Loci prae- | cipvi theo- | logici. | Nvnc denvo cvra et diligen- | tia summa recogniti, multisque in locis | copiose illustrati. | per Philippvm Me- | lanthonem. | Cum appendice disputationis de | Coniu-***

---

*) Hanc Ed. ex Biblioth. acad. Tubing. in manibus habeo, etiam in Bibl. senat. Norimb. est. — Recensetur a Feuerlino l. l. p. 227. et Balthasaro l. l. p. 35.

**) Hanc Ed. ex Biblioth. senat. Hamburg. in manibus habeo, etiam in Bibl. regia Berolin., acad. Vratislav. et senat. Norimb. est. — Recensetur a Balthasaro l. l. p. 35.

***) Strobelius l. l. p. 137. utrasque demum ad Ed. Lips. a. 1559. affert, quasi in hac primum exhibeantur; at iam in Ed. modo descripta a. 1556. exstant.

†) Haec Ed. in Biblioth. senat. Norimb., acad. Erlang., et in meis libris est. — Recensetur a Feuerlino l. l. p. 227. et Balthasaro l. l. p. 35.

gio. His accesserunt definitio- nes Theologicae, quarum in Ecclesia usus | est, eodem autore. | Ad haec, Locorum Scripturae toto hoc Opere explicatorum, Capitum item totius | libri, Rerum denique et Verborum memorabi- | lium trigeminus Index, quam dili- | gentissime collectus. | Vitebergae | excudebat Iohannes Crato. Anno M. D. LVIII. 53¼ plagg. litt. A—Z, a—z, Aa—Gg (Gg 1¼ pl., 10 foll. cont.) sign., 949 pagg. num. (in quarum 16 prioribus autem numeri omissi sunt), 50½ foll. non num., ult. fol. album, 8⁰ (fol. A 2ᵃ — 3ᵇ Mel. Praef. ad Lectorem Witeb. A. 1543. scripta; fol. A 4. Psalmi XXXII. argum. et paraphr. metr.: fol. A 5ᵃ — 6ᵃ med. Graecarum dictionum quae obiter inseruntur explicatio; fol. A 6ᵇ — 8ᵇ et pag. 17 — 707. med. [fol. B 1ᵃ — y 2ᵃ] Loci theologici collecti a Philippo Melanthone, a praefat. exordientes; p. 708—949. med. [fol. y 2ᵇ — Aa 7ᵃ] Definitiones mult. appellationum etc.: fol. Aa 7ᵇ — Cc 3ᵃ med. Index locorum et praecipuorum capitum, quae in singulis locis tractantur; fol. Cc 3ᵃ extr. — Dd 4ᵇ med. Elenchus locorum s. Scripturae, in hoc libro obiter explicatorum; fol. Dd 5ᵃ — Gg 9ᵇ init. Rerum et verborum in locis theologicis memorabilium Index; fol. Gg 10. album).*)

23. *Loci | Communes Theo- | logici, | nunc postremò | summa diligentia recogniti, et aucti, | per Philippum Melanthonem. Cum appendice Disputationis | de Coniugio. | His accesserunt Definitiones Theologicae, quarum in Ecclesia usus est, | eodem autore. | Ad haec, locorum Scripturae toto hoc Opere ex- | plicatorum, Capitum item totius libri, Rerum de- | niq; et uerborum memorabilium trigemi- | nus Index, quàm diligentissimè | collectus. | Basileae, per Io- | annem Oporinum.* 1558. — (In fine:) *Basileae, Impen- | sis Ioannis Oporini, Anno Salutis | humanae M. D. LVIII. | Mense Martio.* 51½ plagg. litt. a — z, A — Z, Aa—Ff (Ff ½ pl., 4 foll. cont.) sign., 734 pagg. num., 44 foll. non num., ult. fol. album, 8⁰ (p. 3 — 6. [fol. a 2ᵃ — 3ᵇ] Mel. Epist. ad Lectorem Vuiteb. A. 1543. scripta; p. 7 — 702 med. [fol. a 4ᵃ — X 7ᵇ] Loci theologici collecti a Philippo Melanchthone, a »Praefatione« exordientes; p. 703 — 734. med. [fol. X 8ᵃ — Z 7ᵇ] Definitiones mult. appellationum etc.; fol. Z 8ᵃ — Aa 1ᵃ init. Typographi brevis admonitio ad lectorem additis (189) Erratis; fol. Aa 1ᵇ — Bb 4ᵃ init. Index locorum et praecipuorum capitum, quae in singulis locis tractantur; fol. Bb 4ᵃ med. — Cc 4ᵃ med. Elenchus locorum s. scripturae, in hoc libro obiter explicatorum: fol. Cc 4ᵇ — Ff 3ᵇ med. Rerum et verborum in locis Theologicis memorabilium Index, Clausulâ in fine subiunctâ; fol. Ff 4. album)**)

24. *Loci prae- cipui theo- | logici* etc. (Idem Index ac Ed. Viteberg 1558.) *Vitebergae | excudebat Iohannes | Crato. | Anno M. D. LIX.* 53¼ plagg. litt. A — Z, a — z, Aa — Gg (Gg 1¼ pl., 10 foll. cont.) sign., 749 pagg. num. (quarum autem 16 priores numeris carent), 50½ foll. non num., ult. fol. album, 8⁰. Haec Ed. cum Ed. Viteberg. a. 1558. a principio usque ad pag. 720. omnino congruit, inde a pag. 721, usque ad p. 749. singulae pagg. harum Editt. differunt eam ob causam, quod in *Definitionibus* sub v. *Fides* verba: *et accedit ad eum, et invocat eum, clamans Abba Pater*, et *Roman:* 5. et verba extrema: *Item Roman:* 8. *clamans Abba Pater.* atque sub sq. v. *Spes* verba extrema: *Intelliges autem perfecte pro hac phrasi, sine simulatione.*, quae in Ed. Viteb. 1558. p. 721 sq. leguntur, in hac Ed. a. 1559. omissa sunt, et sic uterque articulus abbreviatus est. Seqq. foll. trigemini Indicis, scil. fol. Aa 7ᵇ — Gg 9ᵇ iterum in utraque Ed. omnino consentiunt.***)

25. *Loci prae- | cipui theo- | logici. | Nunc denuo cura et diligentia | summa recogniti, multisque in locis | copiose illustrati. | Cum appendice disputationis de Coniugio. | Per Philippum | Melanchthonem. | His additae sunt recens defini- | tiones multarum appellationum, quarum in Ecclesia | usus est, traditae ab eodem autore Torgae et | Witebergae: Anno* 1552. *et* 1553. | *Ad calcem huius operis acces- | sit, locorum scripturae in hoc explicatorum, itemque capi- | tum totius libri, nec non rerum atque uerborum memo- | rabilium trigeminus Index quam diligen- | tissime conscriptus. | Lipsiae | omnia in officina haeredum Va- | lentini Papae elaborata | atque edita. Anno | M. D. LIX.* 60 plagg. litt. A — Z, a — z, Aa — Oo sign., 8 foll. non num., 858 pagg. num., 42 foll. non num., ult. fol. album, 8⁰ mai. (fol. A 2ᵃ — 3ᵇ Mel. Epist. ad Lectorem Vuiteb. A. 1543. scripta; fol. A 4. Psalmi XXXII. argum. et paraphr. metr.; fol. A 5. Graecarum dictionum quae obiter inseruntur. explicatio; fol. A 6ᵃ — 8ᵇ et pag. 1 — 811. [B 1ᵃ — Ff 6ᵃ] Loci theologici

---

*) Haec Ed. in Biblioth. senat. Lips. et Norimb., seminarii Witteberg. atque in meis libris est. — Recensetur a Balthasaro l. l. p. 36.

**) Hanc Ed. ex Biblioth. acad. Lipsiensi in manibus habeo, etiam in Biblioth. senat. Norimb. est. — Recensetur a Balthasaro l. l. p. 36.

***) Haec Ed. in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est. — Recensetur a Balthasaro l. l. p. 36.

collecti a Philippo Melanchthone, a »Praefatione« [fol. A 6^a — 8^b] incipientes; p. 812 — 858. [fol. Ff 6^b — Ii 5^b] Definitiones multarum appellationum, quarum in Ecclesia usus est, traditae a Philippo Melanchthone, Torgae et Vuitebergae. Anno 1552. et 1553.; fol. Ii 6^a — Kk 8^a init. Index locorum et praecipuorum capitum, quae in singulis locis tractantur; fol. Kk 8^a med. — Ll 7^a med. Elenchus locorum S. Scripturae, in hoc libro obiter explicatorum; fol. Ll 7^b — Oo 7^a med. Rerum et verborum in locis theologicis memorabilium Index; fol. Oo 7^b — 8^b vacant).*) Haec Ed. aeque ac Ed. Lips. a. 1556. formis typisque maioribus impressa in quibusdam ab hac differt. Inter *Definitiones* illae Angelorum bonorum et malorum, quae primum in Ed. Lips. a. 1557. inter vv. *Malum morale* et *Prophetae* insertae exhibentur, in hac Ed. p. 849. omissae sunt. Haec est Locorum huius tertiae aetatis Ed. ultima, quam ipse Melanthon curavit. Sequentes Editt., quae post auctoris mortem prodierunt, duplicis sunt generis; aliae enim universim genuinam libri faciem reddunt, aliae eandem vitiorum multitudine ineptisque mutationibus deformarunt.

26. *Loci | Communes Theo- | logici, | svmma cvra ac di- | ligentia postremùm recogniti, et aucti, | per Philippvm | Melanthonem. | Item Appendix Disputationis | de Coniugio: Ad haec, Definitiones Theologicae, | quarum in Ecclesia usus est, | eodem autore. | Accesserunt praeterea Leonardi Stecke- | lii Bartphensis Scholae apud Vngaros rectoris Annotatio- | nes, in Locos communes, longè doctissimae, | nunquam prius editae. | Item, Locorum Scripturae toto hoc Opere ex- | plicatorum, Capitum item totius libri, Rerum | deniq; & uerborum memorabilium trige- | minus Index, quàm diligentissi- | mè collectus. Basileae, per Ioan- | nem Oporinum.* 1561. — (In fine:) *Basileae ex offi- | cina Ioannis Oporini. Anno Salutis | humanae M. D. LXI. Men- | se Februario.* Ipsorum Locorum Ed. continet $53^1/_4$ plagg. litt. a—z, A—Z, Aa—Gg (Gg $1^1/_4$ pl., 10 foll. cont.) sign., 777 pagg. num., $37^1/_2$ foll. non num., 8⁰ (pag. 3 — 6. [fol. a 2^a — 3^b] Mel. Epist. ad Lectorem Vuiteb. A. 1543. scripta; p. 7 — 734. [fol. a 4^a — Z 7^b] Loci theologici collecti a Philippo Melanthone, a »Praefatione« incipientes; p. 735 — 777 med. [fol. Z 8^a — Cc 5^a] Definitiones mult. appellat. etc.; fol. Cc 5^b — Gg 10^a med. Index trigeminus ille in Editt. praeced. obvius, Clausulâ in fine adiectâ; fol. Gg 10^b vacat). His in calce adiunctae sunt Steckelii annotationes cum hoc proprio titulo:

Annotatio- | nes Locorum commu- | nium doctrinae Christianae Phi- | lippi Melanchthonis, Per | Leonardvm Steckelivm | Bartphensis Scholae Rectorem | conscriptae. | Basileae per | Ioannem Oporinum. | 1561. — (In fine:) 1561. *Mense Ianuario.* $19^1/_2$ plagg., 286 pagg. num., 12 foll. non num., 8⁰ (pag. 2 — 8. Leonardi Steckelii in Locos comm. doctrinae Christianae Praefatio; p. 8 — 24. De Deo [scil. p. 15 — 21. de Filio, p. 21—24. de Spiritu s.]; p. 24 — 30. De Creatione; p. 30—40. De causa peccati; p. 40—47. De libero arbitrio; p. 48 — 58. De peccato [sc. p. 54 — 58. de peccatis actualibus]; p. 58 — 99. De lege [sc. p. 60—86. de decalogo, p. 86—91. de lege naturae, p. 91—99. de usu legis]; p. 99—104. De Evangelio; p. 104—115. De gratia et iustificatione; p. 115 — 133. De sacramentis [sc. p. 118 — 127. de baptismo, p. 127 — 129. de absolutiones ingulorum, p. 129 — 133. de coena Domini]; p. 133 — 138. De sacrificio; p. 138 — 144. De veteri et novo Testamento; p. 144 — 146. De litera et spiritu; p. 146 — 155. De libertate Christiana; p. 155 — 167. De ecclesia; p. 168—178. De praedestinatione; p. 178 — 185. De regno Christi; p. 185 — 190. De resurrectione mortuorum; p. 190 — 205. De bonis operibus; p. 205 — 223. Confutatio argumentorum, quae obiiciuntur contra veram doctrinam De fide iustificante et bonis operibus; p. 224 — 232. De scandalo; p. 232 — 245. De cruce et afflictionibus Ecclesiae Dei; p. 245 — 258. De invocatione Dei; p. 258 — 266. De oeconomia et politia; p. 267—286. De usu seu utilitate locorum communium; seqq. 12 foll. Indicem cont.)**). In huius Corporis Ref. Vol. III. p. 1068. et Vol. V. p. 445. 460. tres leguntur epistolae a Melanthone ad hunc Stoeckelium datae 10. Aug. 1540. atque 19. Iul. et 10. Aug. 1544., in quibus ille appellatur »egregia virtute et prudentia et eruditione praeditus, amicus charissimus.«***)

Hanc Ed. Io. Andr. Detzer a. 1828. reiteravit sic inscriptam: *Loci communes theologici summa cura*

---

*) Haec Ed. in Biblioth. regia Berol., ducalibus Gothana et Guelferbyt., acad. Ienensi, senat. Lips. et Norimb. atque in meis libris est. — Recensetur a Feuerlino l. l. p. 227., Baumgartenio l. l. p. 404 sq. et Balthasaro l. l. p. 36.

**) Haec Ed. perrara in Biblioth. senat. Norimb., acad. Tubing. et in meis libris est. In meo exemplo Steckelii annotationes desiderantur. — Recensetur a Balthasaro l. l. p. 37.

***) Strobelius ad harum epistolarum primam, quam primus typis descriptam edidit in l. *Neue Beytr. zur Litt.* Tom. II, fasc. 2. p. 328—330., h. l. adnotavit haecce: Leonhard Stöckel, ein sehr geschickter Schulmann zu Bartfeld in Ungarn, wird im Jöcher. Gelehrten-Lexikon mit Stillschweigen völlig übergangen. Horanyi Memoria Hungarorum Bd. 3. S. 308. gedenket zwar seiner, aber sehr kurz. Dort werden 3 Schriften von ihm angeführt, dieser Annotatt. Loc. comm. aber nicht gedacht. — In Buchholzers Index Chronologicus (Görlitz 1599. 8.) heißt es ad a. 1560. p. 657.: Leonh. Stöckel 49. die post Philippi obitum, et sicut Philippus obiit die Veneris post Pascha, ita Leonhartus die Veneris post Pentecosten 7. Iunii."

ac diligentia postremum recogniti et aucti per Philippum Melanchthonem, item appendix disputationis de coniugio ad editionem per Ioan. Oporinum Basileae an. MDLXI factam denuo editi ab Ioan. Andrea Detzer. Vol. I. 2 Partes. [P. I. LXVIII et 341 pagg., additis 2 pagg. »Emendanda«, P. II. 363 pagg., additis 2 pagg. »Emendanda«.] *Erlangae sumtibus Caroli Heyderi MDCCCXXVIII.* 8. Quam male autem hic editor officio suscepto functus sit, a Maur. Roedigero in Ephemeridibus litter. Halens. a. 1829. Suppl. num. 13. et 14. atque in dissertatione gratulatoria supra p. 1 sq. nota *) laudata p. 9 sq. demonstratum est. Conf. quae infra ad Ed. Witeberg. a. 1577. in margine infer. afferemus. H. l. sufficiat breviter indicare, quid in hac Ed. exhibeatur. P. I. pag. III sq. cont. Editoris praefationem; pag. V — XVIII. exhibent eam partem Melanthonianae praefationis ad *Locos secundae aetatis*, quae in Mel. Opp. Basil. T. II. p. 441 —444. legitur; p. XIX —XLVI. Index locorum et praecipuorum capitum, quae in singulis locis tractantur; p. XLVII—LXVIII. Elenchus locorum sacrae scripturae in hoc libro obiter explicatorum; p. 1 — 3. Mel. Praef. ad p. lectorem Witt. A. 1543. scr.; p. 4 — 8. Mel. Praef. ad Locos theol.; p. 9 — 341. Loci *De Deo — De eucharistico sacrificio.* (additis Emendandis); P. II. p. 3 — 286. Loci *De poenitentia — De coniugio.* et Definitiones theoll. p. 287 —363. Rerum et verborum in locis theoll. memorabilium index. (additis Emendandis). *)

27. *Loci Commv- | nes Theo- | logici, | svmma cvra ac dili | gentia postremùm recogni- | ti, & aucti, per Philippum Melanthonem. | Item Appendix Disputationis de Coniugio: | Ad haec, Definitiones Theolo- gicae, quarum in Ecclesia vsus | est, eodem autore. | Item, Locorum Scripturae tote hoc Opere ex- plicatorum, Capitum item totius libri, Rerum deniq; | et verborum memorabilium trigemus* (sic) | *Index, quàm diligentissimè | collectus. | Basileae, per Ioan- | nem Oporinum. Anno | M. D. LXII.* Huius tituli lineae 2 — 4. 8. 10. et tres ultimae, atque in lin. 7. nomen *Philippum* rubro colore expressae sunt. — (In fine:) *Basileae, svmptibvs Io- | annis Oporini, Anno Salutis humanae | M. D. LXII. Mense | Augusto.* 54 plagg. litt. a — z. A — Z. Aa—Hh sign., 777 pagg. num. (quarum autem 6 priores numeris carent), 43 ½ foll. non num., 8° min. (fol. a 2ª — 3ᵇ Mel. Epist. ad Lectorem Vuit. 1543. scr.; pag. 7—734. Loci theol. collecti a Phil. Melanthone, a »Praefatione« incipientes; p. 735—777. [fol. Cc 5ª] init. Definitiones theologicae; fol. Cc 5ᵇ — Hh 8ª Index trigeminus, Clausulâ in fine subiunctâ; fol. Hh 8ᵇ vacat). **)

I. G. Heinsius in *Hist. eccles. methodo* Hübneri *conscripta* Tom. V. p. 173. Locorum Ed. *Lipsiensem* a. 1562. affert. Item in Lipenii *Bibliotheca Reali Theolog.* (Francof. 1685. 2 Tomi Fol.) Tom. II. p. 191 allegatur Locorum Ed. *Lipsiensis* 1562. in Fol.; at nescio, an his testibus fides sit habenda. ***)

28. *Loci prae- | cipvi theo- | logici. | Nvnc denvo cvra et diligen- | tia summa recogniti, multisque in locis copiosè illustrati, per | Philippvm Melan- | thonem. | Cum appendice disputationis de | Coniugio. His accesservnt definitio- | nes Theologicae, quarum in Ecclesia usus | est, eodem autore. | Ad haec, Locorum Scripturae | toto hoc Opere explicatorum, Capitum item totius li- | bri, Rerum denique & Verborum memorabili- | um trigeminus Index, quàm diligen- | tissimè collectus. | Vitebergae | excvdebat Iohannes | Crato. | Anno M. D. LXIII.* 53 ¼ plagg. litt. A—Z. a—z, Aa—Gg (Gg 1 ¼ pl., 10 foll. cont.) sign., 749 pagg. num. (quarum autem 16 priores numeris carent), 50 ½ foll. non num., ult. fol. album, 8°. Haec Ed. singulis paginis (perpaucis, scil. p. 726 sq. 730 — 735. exceptis, quae verborum partitione paululum differunt in utraque Ed.) eadem continet ac Ed. Viteberg. a. 1559. supra descripta. †)

29. *Loci prae- | cipvi theo- | logici. | Avtore | Philip. Melanth.* | (Melanthonis effigies) | *Cum Gratia et Priuilegio Caesareae Maiestatis, | et Ducis Saxoniae Electoris etc. | Vitebergae | excvdebat Iohannes | Crato. | Anno M. D. LXIX.* 53 ¼ plagg. litt. A — Z. Aa — Zz. Aaa — Ggg (Ggg 1 ¼ pl., 10 foll. cont.) sign., 749 pagg. num. (quarum 16 priores numeris carent), 42 ½ foll. non num., ult. fol. album, 8°. Haec Ed. cum praecedente a. 1563. in omnibus paginis congruit, exceptis 6, scil. fol. A 2ᵇ — 3ᵇ. 5ª — 6ª, quae verborum partitione paululum differunt. ††)

---

*) Haec Ed. in meis libris est.

**) Hanc Ed. ex Biblioth. Illustr. Comitis Stolbergo-Wernigerodani in manibus habeo, etiam in Bibl. regia Berol., ducali Gothana, acad. Tubing., senat. Norimb. et seminarii Witteberg. exstat. — Recensetur a Feuerlino l. l. p. 227. et Balthasaro l. l. p. 39.

***) Etiam Balthasar l. l. p. 39. utriusque testimonium in dubitationem vocat.

†) Hanc Ed. ex Biblioth. regia Stuttgard. in manibus habeo, etiam in Bibl. senat. Norimb., acad. Vratislav. et seminarii Witteberg. est. — Recensetur a Feuerlino l. l. p. 227. et Balthasaro l. l. p. 39.

††) Haec Ed. in Biblioth. ducali Guelferbyt., senat. Norimb., seminarii Witteberg. et in meis libris est. — Recensetur a Feuerlino l. l. p. 227. et Balthasaro l. l. p. 40.

30. *Loci | theologici | recogniti | per | Philippum Melanthonem |* (Voegelini typogr. Insigne: Arca foederis. cum duobus Cherubim etc.) | *Lipsiae | In officina Voegeliana.* — (In fine:) Idem illud Insigne, subscriptis hisce: *Lipsiae, | in officina Er- | nesti Voegelin | Constantiensis. | Anno | M. D. LXIX.* 54 plagg. litt. A—Z, a—z, Aa—Hh sign., 3 foll. non num., 762 pagg. num., 47 foll. non num., ult. fol. album, 8⁰ (fol. A 2ª — 3ª Mel. Praef. ad Lectorem Vuiteb. A. 1543. scr.; fol. A 3ᵇ et pag. 1 — 720 med. [fol. A 4ª — z 3ᵇ] Loci Theologici collecti a Philippo Melanchthone, a praefat. incipientes [cum loco *De coniugio*]; p. 720 med. — 762. [fol. z 3ᵇ — Bb 8ᵇ] Definitiones theoll.; fol. Cc 1ª — Hh 6ᵇ init. Index trigeminus; fol. Hh 7ª Insigne cum Clausula; fol. Hh 7ᵇ — 8ᵇ vacant). *)

31. *Loci prae- | cipv' theo- | logici. | Avtore | Philip. Melanth. |* (Melanthonis effigies) | *Cum gratia et priuilegio. | Witebergae | excvdebat Iohannes | Crato, | Anno M. D. LXXVII.* 53¼ plagg. litt. A—Z, Aa — Zz, Aaa — Ggg (Ggg 1¼ pl., 10 foll. cont.) sign., 749 pagg. num. (quarum 16 priores numeris carent). 50½ foll. non num., ult. fol. album, 8⁰. Haec Ed. in omnibus quidem pagg. cum praeced. Ed. *Witeberg.* a. 1569. congruit, at vitiorum multitudine ineptisque mutationibus ita depravata est, ut inter Editt., quae paulo post auctoris mortem prodierunt, pessima sit iudicanda. **)

A Lipenio illo loco supra p. 583 sq. indicato memoratur etiam Locorum Ed. *Argentorat.* a 1580.; at iam Strobelius l. l. p. 140. recte iudicavit, Lipenium h. l. *Locos* cum *Corpore doctrinae* etiam Locos continente (vide quae infra de eo dicemus), quod a. 1580. Argentorati prodierit, confudisse, ***) nusquam enim illa Locorum Ed. reperta est. — Etiam Ed. Locorum a. 1586., quam Dornius in Bibliotheca Theol. crit. P. 2. p. 697. affert (teste Balthasaro l. l. p. 41.), valde dubia est.

32. *Loci prae- | cipvi theo- | logici. | Authore | Philip. Melanth. |* (Melanthonis effigies) | *Cum gratia & priuilegio. | Witebergae | Excusi typis M. Simonis Gronenbergij. | M. D. XCIIII.* 53 plagg. litt. A—Z, Aa—Zz, Aaa—Ggg sign., 749 pagg. num. (quarum 16 priores numeris carent), 49½ foll. non num., 8⁰. Haec Ed. eadem exhibet ac Editt. *Witebergenses* proxime praecedentes, at in multarum paginarum partitione ab iis differt. Trigeminus Index orditur fol. Aaa 7ᵇ et finitur fol. Ggg 8ª; fol. Ggg 8ᵇ vacat. †)

33. *Loci prae- | cipvi theo- | logici. | Authore | Philip. Melanth. |* (Melanthonis effigies) | *Cum gratia & priuilegio. | Witebergae | Excusi typis M. Simonis Gronenbergij. | M. D. XCV.* 53 plagg. litt. A—Z, Aa—Zz, Aaa—Ggg sign., 749 pagg. num. (quarum 16 priores numeris carent), 49½ foll. non num., 8⁰. Haec Ed. cum Ed. *Witeberg.* a. 1594. in omnibus pagg. convenit. Ult. pag. aeque ac in illa vacat. ††)

34. *Loci | theologici | recogniti | per | Philippum Melanthonem. |* (Voegelini typogr. Insigne; Arca foederis cum duobus Cherubim etc.) | *Lipsiae | In officina Voegeliana.* sine anni indicio. 54¼ plagg. litt. A—Z, a—z, Aa—Hh (Hh 1¼ pl., 10 foll. cont.) sign., 2 foll. non num., 762 pagg. num., 50 foll. non num., 8⁰ (fol. A 2ª — 3ª Mel. Praef. ad Lectorem Vuitebergae A. 1543. scripta; fol. A 3ᵇ et pag. 1 — 4. [fol. A 4ª — 5ᵇ] Praef. ad Locos inscripta: Loci Theologici collecti a Philippo Melanchthone; p. 5 — 720 med. [fol. A 5ª — z 3ᵇ] Loci *De Deo — De coniugio*; p. 720. med. — 762. [fol. z 3ᵇ — Bb 8ᵇ] Definitiones multarum appellationum, quarum in Ecclesia usus est, traditae a Philippo Melanchthone. Torgae et Vitebergae, Anno 1552. et 1553. (cum augmentis *Angelus bonus. Angelus malus* et *De habitibus*); fol. Cc 1ª — Dd 5ª init. Index locorum et praecipuorum capitum, quae in singulis locis tractantur; fol. Dd 5ª — Ee 6ª Elenchus locorum S. Scripturae, in hoc libro obiter explicatorum; fol. Ee 6ᵇ — Hh 10ᵇ med. Rerum et verborum in locis

---

*) Haec Ed. in meis libris est. — Recensetur in Unschuld. Nachr. 1728. p. 199. et a Balthasaro l. l. p. 40.

**) Haec Ed. in Biblioth. regia Stuttgard., ducali Gothana, senat. Norimb., Orphanotrophei Halens. et in meis libris est. — Recensetur in Unschuld. Nachr. 1728. p. 199., a Feuerlino l. l. p. 227., Baumgartenio l. l. p. 405 sqq. et Balthasaro l. l. p. 40. — Maur. Roedigerus, qui istam Ed. Erlangensem supra p. 583 sq. memoratam cum Ed. Basil. 1561. et seqq. accuratius contulit, in dissert. ibid. laudata p. 9. refert: istam cum hac *Witebergensi* a. 1577. maxime convenire; „nam Emendanda illa utrique Parti istius novae Editionis annexa maximam partem in hac Witeberg. reperiuntur, alia vero singula, quae Ed. Basileensi a. 1561. sunt peculiaria, non conspiciuntur, ita ut editor novus (sicut olim Augusti) exemplum promissum non vidisse credendus sit. Accedit mendorum non indicatorum multitudo, quae ab ipso isto Vitebergensi exemplo absunt etc."

***) Add. Reimmann. Catal. Tom. I. pag. 90.: „Ex uno Scripto ac scriptore interdum (a Lipenio) facti sunt plures —."

†) Hanc Ed. ex Biblioth. ducali Gothana in manibus habeo. etiam in Bibl. senat. Norimb. est. — Haec et seq. Ed. recensentur a Balthasaro l. l. p. 41.

††) Haec Ed. in Biblioth. regia Dresdensi, acad. Vratislav. et in meis libris est

theologicis memorabilium index).*) Hanc Ed. Feuerlinus l. l. p. 227. inter Editt. huius tertiae aetatis primo loco proxime ante Ed. Witeb. 1543. [i. e. 1543 — 1544.] 8⁰ recenset. Hambergerus in epistola ad Feuerlinum, quae in Kohlii Gesammelt. Briefwechsel p. 117 — 123. legitur, iudicat [p. 122.] eam esse Editionis Witeberg. a. 1543. repetitionem. At ex illa descriptione elucet eam certe non ante a. 1557. recusam esse, quoniam non solum duplex augmentum a. 1548. et 1549. atque tractatum *de Coniugio* et *Definitiones*, sed etiam definitiones *Angelorum bonorum et malorum*, quas Ed. Lips. a. 1557. primum exhibet, in hac Ed. Voegeliana reperiuntur. Hanc ob causam Balthasarus eam l. l. p. 36 sq. proxime post Ed. Lips. a. 1559. recenset.**) Strobelius hanc, quod anni indicio caret, l. l. p. 140 extremo loco affert, recteque adnotat eam paene omnino cum Ed. Lipsiensi a. 1569. convenire; utraque enim Ed. eadem exhibet, quamquam multae paginae partitione verborum differunt.

His tertiae aetatis Locorum *Editionibus peculiaribus*, quae a Strobelio l. l. p. 124—140. recensentur, enumeratis reliquum est, ut Librorum Melanthonis *collectiones* afferamus, in quibus *Loci huius aetatis* cum aliis scriptis coniuncti exhibentur.

Exordiamur a *Latino Corpore doctrinae Misnico* seu *Philippico*, quod primum prodiit *Lipsiae a.* 1560. sic inscriptum:

Corpvs | Doctrinae Christianae. | Qvae est svmma orthodoxi et | catholici dogmatis, complectens doctrinam puram & ueram Euangelij Iesu Christi secundum diuina Prophetarum | & Apostolorum scripta, aliquot [libris fideli ac pio studio | explicata, a Reuerendo uiro | D. Philippo Melanthone. | Nvnc edita ad vsvm Ecclesiae | sanctae pvblicvm et privatvm: et ad testimonivm | constantiae atq; consensus confitentis et profitentis ueritatem aeternam doctrinae coelestis, integram | ac sinceram, in Ecclesijs et Scholis regionum Saxonicarum et Misnicarum, subditarum ditioni | Principis Electoris Saxoniae, his totis Annis XXX. ex quo Augustana Confessio oblata | et edita est: Et ad Refvtationem mendaciorum ac | calumniarum maleuolentiae et obtrectationum. | (Voegelini typogr. Insigne: Arca foederis cum duobus Cherubim et Trinitatis symbolis) | *Lipsiae.* | *Cum Gratia & Priuilegio ad decennium.* | *Anno M. D. LX.* — (In fine:) *Lipsiae* | *in officina M. Ernesti* | *Voegelini Constan-* | *tiensis.* | *Anno* | *M. D. LX. Mense* | *Ianuario.* 251 plagg. litt. A—Z. a—z. Aa—Zz. Aaa—Ooo (quarum quaeque 6 foll. complectitur, prima A et ultima Oco exceptis, quae 8 foll. continent) sign., 10 foll. non num., 982 pagg. num., ult. fol. album. Fol. (fol. A 2ª — 4ª med. Praefatio Phil. Melanthonis Anno 1560. die 16. Februarii scripta; fol. A 4ᵇ Catalogus eorum scriptorum, quae hoc libro continentur: I. Confessio Augustana a. 1530. II. Apologia Confessionis. III. Repetitio eiusdem Confessionis, scripta a. 1552. IV. Loci praecipui Theologici. V. Examen eorum, qui audiuntur ante ritum publicae ordinationis, qua commendatur eis ministerium Evangelii. VI. Responsiones ad impios articulos Bavaricae inquisitionis. fol. A 5ª — 6ᵇ init. Admonitio ad lectores; fol. A 7ª — 8ª Symbolum Apostolicum. Symb. Nicenum. Symb. Athanasii; fol. A 8ᵇ vacat; fol. B 1ª Ad lectores; fol. B 1ᵇ — 2ᵇ Praefatio ad Caesarem Carolum V.; pag. 1 — 308. [fol. B 3ª — d 6ᵇ] cont. Confess. Augustanam eiusque Apologiam [utramque ex Ed. variata a. 1542.] et Confess. doctrinae Saxonicarum Ecclesiarum scriptam 1551.; pag. 309 — 749. [fol. e 1ª — Ss 5ª] cont. *Locos tertiae aetatis* [*ex Ed. Lips. a.* 1556. aut 1559. *recusos*] inscriptos: *Loci praecipvi theologici*, scil. p. 309 sq. Mel. Epist. ad Lectorem Vuiteb. a. 1543. script., p. 311. incipiunt: Loci theologici collecti a Philippo Melanchthone a »Praefatione«, p. 315—749. med. Loci *De Deo* — *De Libertate Christiana*: p. 750. alba; p. 751 — 862. med. Examen ordinandorum, in cuius parte extrema, p. 837 — 862. [aeque ac in omnibus huius libelli Editt. peculiaribus] legitur *De coniugio* tractatus, cui p. 862. med. — 889. init. adiunctae sunt *Definitiones multarum appellationum* etc. [quae etiam in Examinis Editt. a. 1556 et seqq. inveniuntur]; p. 890. alba; p. 891—959. Responsiones ad impiosa rticulos Bavaricae inquisitionis; p. 960—969. med. Refutatio erroris Serveti et Anabaptistarum; p. 970—982. Responsio de controversia Stancari, in cuius fine Clausula typogr. legitur. Haec Ed. princeps Indice caret.***)

Hoc latinum *Corpus Doctrinae Christianae* septies, quod scio recusum est. Has Editt. accuratius describam in eo Volumine, quod Confessionem Augustanam etc. continebit. Hoc loco haec brevior earum recensio sufficiat:

---

*) Haec Ed. in Biblioth. ducali Guelferbyt. et in meis libris est.

**) Contra Feuerlini et Hambergeri de hac Ed. iudicia Balthasar p. 28. etiam hoc affert argumentum, quod Voegelinus a. 1543. nondum *Lipsiae* habuerit officinam.

***) Haec Ed. rarissima in Biblioth. regia Dresdensi, Ecclesiae Marianae et Orphantrophei Halensis, et in meis libris est. — Recensetur cum seqq. Editt. a Feuerlino l. l. p. 4., Balthasaro l. l. p. 37. 39 sq. et Strobelio in l. Lit.-Gesch. etc. p. 273—278.

2. *Corpvs* | *Doctrinae Christianae* | etc. (cum Voegelini Insigni typogr.) *Lipsiae.* | *Cum Gratia et Priuilegio ad decennium.* | *Anno M. D. LXI.* — (In fine:) *Lipsiae.* | *In officina Ernesti Voegelini* | *Constantiensis.* 266 plagg. litt. *α*, A—Z, a—z, Aa—Zz, Aaa—Sss sign., quarum *α* et Ooo 8 foll., ceterarum quaeque 6 foll. complectuntur; 10 foll. non num., 982 pagg. num., 25 foll. non num. (quorum 24 Indicem cum Clausula cont.) Fol. *) — Pag. 309 — 749. exhibent *Locos*; p. 837. med. — 862. med. tract. *De Coniugio*, p. 862 med. — 889. *Definitiones mult. appellat.* etc., utrasque *Examini* annexas.

3. *Corpvs* | *Doctrinae Christianae.* | etc. (c. eod. Insigni) *Lipsiae.* | *Cum Gratia* etc. | *Anno M. D. LXI.* — (In fine:) *Lipsiae* | *In officina Ernesti* | *Voegelini Constan-* | *tiensis.* 55½ plagg. litt. A—Z, a — z, Aa — Kk (Kk½ pl.) sign., 11 foll. non num., 865 pagg. num., ult. pag. alba, 8⁰ mai. **) — Pag. 299—672. cont. *Locos*, p. 744. med. — 788. tract. *De coniugio* et *Definitiones.*

4. *Corpvs* | *Doctrinae Christianae.* | etc. (c. eod. Insigni) *Lipsiae.* | *Cum Gratia* etc. | *Anno M. D. LXIII.* — (In fine:) *Lipsiae.* | *In officina Ernesti Voegelini* | *Constantiensis.* 266 plagg. litt. *α*, A—Z, a—z, Aa—Zz, Aaa—Sss sign., quarum *α* et Ooo 8 foll., ceterarum quaeque 6 foll. complectuntur; 10 foll. non num., 982 pagg. num., 25 foll. non num. (quorum 24 Indicem cont.) Fol. ***) — Pag. 309—749. *Loci;* p. 837 med. — 889. Tr. *de coniugio* et *Definitiones.*

5. *Corpvs* | *Doctrinae Christianae.* | etc. (c. eod. Insigni) *Lipsiae.* | *Cum Priuilegio Pr. Aug. Elect. D. Sax.* | *Anno M. D. LXIIII.* — (In fine:) *Lipsiae* | *In officina Ernesti* | *Voegelini Constan-* | *tiensis.* 55½ plagg. litt. A — Z, a — z, Aa — Kk (Kk½ pl.) sign., 11 foll. non num., 865 pagg. num., ult. pag. alba, 8⁰ mai. †) — Pag. 299—672. *Loci.* p. 744. med. — 788. *De coniugio* et *Definitiones.*

6. *Corpvs* | *Doctrinae Christianae.* | etc. (c. eod. Insigni) *Lipsiae.* | *Cum Priuilegio* etc. | *Anno M. D. LXV.* — (In fine:) *Lipsiae* | *In officina Ernesti* | *Voegelini Constan-* | *tiensis.* 55½ plagg. litt. A — Z, a — z, Aa — Kk (Kk ½ pl.) sign., 11 foll. non num., 865 pagg. num., ult. pag. alba, 8⁰ mai.††) — Pag. 299—672. *Loci*, p. 744 med. — 788. *De coniugio* et *Definitiones.*

7. *Corprs* | *Doctrinae Christianae.* | etc. cum Melanthonis effigie circulis inclusa. *Lipsiae.* | *Cum Priuilegio* etc. | *Anno M. D. LXXII.* — (In fine:) *Lipsiae* | *Iohannes Rhamba excudebat* | *Anno* | *M. D. LXXII.* 57 plagg. litt. A—Z, a—z, Aa—Ll sign., 11 foll. non num., 888 pagg. num., ult. fol. album. 8⁰ mai. †††) — Pag. 303—689. *Loci*, p. 761. extr. — 807. *De coniugio* et *Definitiones.*

8. *Corprs* | *Doctrinae Christianae.* | etc. (In hoc titulo verba, quae in praecedentt. Editt. inter *ad usum Ecclesiae sanctae publicum et priuatum* atque *et ad refutationem calumniarum* omissa etc. leguntur, sunt. (Melanthonis effigies lineis rectis inclusa) *Argentorati.* | *Excudebat Theodosius Richelius.* | *Anno M. D. LXXX.* 58½ plagg. asterisco * et litt. A—Z, Aa—Zz, Aaa—Mmm (Mmm ½ pl.) sign., 10 foll. non. num., 849 pagg. num., 32½ foll. non num. Indicem cont., ult. fol. album. 8⁰ mai. *†) — Pag. 288 — 657. *Loci*, p. 729 med. — 772. *De Coniugio* et *Definitiones.*

Altera librorum Mel. collectio, quae *Locos tertiae aetatis* exhibet, est Pars prima Operum Mel. cura **Casp. Peuceri** Witebergae editorum, sic inscripta:

Omnivm Opervm Re- | *verendi Viri Philippi Me-* | *lanthonis,* | *Pars Prima,* | *in qva qvae scripta contineantvr* | *sequens pagina indicat.* | *Additus est ad finem copiosus Index rerum & explicationum* | *praecipuarum.* | (Melanthonis effigies) | *Cum Gratia et Priuilegio ad annos quindecim.* | *Wittebergae* | *Excvdebat Iohannes* | *Crato.* | *Anno M. D. LXII.* 232 plagg. litt. A—Z, Aa—Zz, Aaa—Zzz, Aaaa—Hhhh sign., quarum ex-

---

*) Hanc Ed. ex Biblioth. Ecclesiae Marianae Halensis in manibus habeo, etiam in Bibl. regia Dresd. est.

**) Haec Ed. ex Biblioth. Ecclesiae Marianae Halensis et regia Dresdensi mihi ad manus est. etiam in Bibl. senat. Norimb. asservatur.

***) Hanc Ed. ex Biblioth. Orphanotrophei Halensis in manibus teneo.

†) Haec Ed. in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est.

††) Haec Ed. in Biblioth. Ecclesiae Marianae Halens., senat. Hamburg. et Norimb. atque in meis libris est.

†††) Haec Ed. in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est.

*†) Haec Ed. in Biblioth. acad. et Ecclesiae Marianae Halensis, regia Dresdensi, senat. Norimb. et in meis libris est.

trema 8 foll., ceterarum quaeque 6 foll. complectuntur: 8 foll. non num., 442 foll. num., 14 foll. non num., Fol. Huius Partis fol. A 2^a — 6^a continent Casp. Peuceri Epist. dedicatoriam ad Maximilianum Regem Bohemiae: fol. A 6^b Mel. effigiem: fol. B 1^a — 2^a Mel. Praefationem A. 1560. die 16. Febr. scriptam: fol. B 2^b Ex Praef. Lutheri in T. I. Opp. suorum locum et Mel. Epist. ad Lectorem; fol. 1^a — 147^a [fol. B 3^a— Cc 5^a] Catechesin, Augustanae Confessionis editiones primam et postremam atque Confessionem doctrinae Ecclesiarum Saxonicarum: fol. 147^b — 306^a [fol. Cc 5^b — Ggg 2^a] *Locos tertiae aetatis* [ex Ed. *Viteb.* 1559 recusos] sic inscriptos: *Locorvm Theologicorvm postrema editio absolvta Vitebergae Anno M. D. XLIII.*, scil. fol. 147^b — 148^a init. Mel. Epist. ad Lectorem Vitebergae A. 1543. scriptam; fol. 148^a med. — 149^a med. Mel. praefatio in Locos inscripta: Loci theologici collecti a Philippo Melanthone; fol. 149^a med. — 306^a med. Locos *De Deo* — *De Libertate Christiana*; fol. 306^b — 345^a Examen Ordinandorum, cuius extrema pars fol. 306^b med. — 345. tract. *De coniugio* exhibet; fol. 345^b — 350^a med. Responsionem de controversia Stancari. fol. 350^a med. — 359^b *Definitiones multarum appellationum* etc.; fol. 360^a — 387^b Responsiones ad impios articulos Bavaricae inquisitionis; fol. 388^a — 442^b [Ffff 6^b] Enarrationem Symboli Niceni priorem; fol. Gggg 1^a — Hhhh 8^b Indicem.

Haec Pars recusa est 1580. sic inscripta:

Operrm omnivm Re- | verendi Viri Philippi Me- | lanthonis, | ***Pars Prima,*** | etc. (Idem titulus ac Ed. praeced. cum eadem auctoris effigie) *Cum Gratia et Priuilegio.* | ***Witebergae*** | ***Excvdebant Haeredes*** | ***Iohannis Cratonis.*** | *Anno M. D. LXXX.* Fol. Haec Ed. et foliorum numero et scriptorum ordine cum Ed. principe omnino convenit, ab eaque tantum eo differt, quod fol. A 6^b, in illa Melanthonis effigiem exhibens, hic vacat. *)

Loci duabus his Collectionibus, et *Corpori Doctrinae* et *Operibus Viteberg.* inserti utroque gaudent augmento anni 1548. in loco *De libero arbitrio* et anni 1549. in loco *De cruce*, verbis tamen saepius differunt eorum textus, utrobique sensum nonnunquam fundentes vel falsum, vel intellectu difficilem. Quare ad genuina *Locorum* verba sensumque cognoscenda, opus est veterum editionum collatione. — *Definitiones*, quae in *Opp. Viteb.* post *Responsionem de controversia Stancari* sequuntur, non ubivis conformes sunt editionibus *Corporis doctrinae.* Quemadmodum etiam in Tr. *de Coniugio* observantur dissensiones. Pro *obsequiis*, P. I. *Oper.* fol. 341^a in Ed. Lips. 1560. *Corp. doctr.* p. 850. legitur *consequiis.* Et pro *quadriennio* in *Corp. doctr.* p. 853. P. I. *Oper.* [Ed. alt. 1580.; non vero Ed. principis] fol. 342^a miro compendio habet: 40.**)

His Editt. et peculiaribus, et iis, quae in Collectionibus librorum Mel. inveniuntur, quas omnes, nulla excepta, in Manibus habeo, descriptis, (aeque ac in Editt. Locorum primae et secundae aetatis) hunc earum catalogum addo, ut uno obtutu conspiciantur:

I. Editt. Vitebergenses et Lipsienses quae vivo Melanthone prodierunt		II. Editt. ex illis recusae
Nr. 1. Ed. *Viteb.* 1543—1544. 8.	ex hac recusa	Nr. 3. Ed. ***Basil.*** 1545. 8.
— 2. Ed. ***Viteb.*** 1545. 8.	ex hac recusae	— 6. Ed. ***Basil.*** 1546. Mart. 8. — 7. Ed. ***Basil.*** 1547. 8.
— 4. Ed. ***Lips.*** 1546. 8. prior		
— 5. Ed. ***Lips.*** 1546. 8. altera		
— 8. Ed. ***Lips.*** 1548. 8.		
— 9. Ed. ***Viteb.*** 1549. 8.	ex hac recusa	— 12. Ed. ***Basil.*** 1550. 8.
— 10. Ed. ***Lips.*** 1549. 8.		
— 11. Ed. ***Lips.*** 1550. 8.		
— 13. Ed. ***Lips.*** 1552. 8.	ex hac recusa	— 14. Ed. ***Basil.*** 1552. Nov. 8.

*) Utraque Ed. huius Partis I. Opp. Viteberg. in meis libris est.

**) Haec refert Balthasarus l. l. p. 38 sq.

Nr. 15. Ed. *Lips.* 1553. 8. prior — 16. Ed. *Lips.* 1553. 8. altera.	ex hac recusae	Nr. 19. Ed. *Basil.* 1555. Ian. 8. — 23. Ed. *Basil.* 1558. Mart. 8. (vel ex Ed. 14. repetitae additis *Definitionibus*)
— 17. Ed. *Lips.* 1554. 8. — 18. Ed. *Viteb.* 1555. 8. — 20. Ed. *Lips.* 1556. 8. — 21. Ed. *Lips.* 1557. 8. — 22. Ed. *Viteb.* 1558. 8.	ex hac recusi	Loci in Editt. *Corporis doctrinae* 1560—1580.
— 24. Ed. *Viteb.* 1559. 8.	ex hac recusi	Loci in Editt. Partis I. *Operum Viteberg.* 1562. 1580. — 28. Ed. *Viteb.* 1563. 8. — 29. Ed. *Viteb.* 1569. 8. — 30. Ed. *Lips.* 1569. 8. — 31. Ed. *Viteb.* 1577. 8. — 32. Ed. *Viteb.* 1594. 8. — 33. Ed. *Viteb.* 1595. 8. — 34. Ed. *Lips.* s. a. 8.
— 25. Ed. *Lips.* 1559. 8.	ex hac recusae	— 26. Ed. *Basil.* 1561. Febr. 8. — 27. Ed. *Basil.* 1562. Aug. 8.

Hae Editt. omnes incipiunt a Melanthonis *epistola ad pium lectorem Witebergae* 1543. *scripta* (in huius Corp. Ref. Vol. V. recusa p. 499—501. inter epistolas anni 1544., quoniam Ed. princeps Locorum tertiae aetatis hoc demum anno prodiit*)). — Hanc epistolam in Editt. 1. 2. 4. 5. 8—11. 13. 14. 18. 19. 23. 26. 27. 30. 34., in Corpore Doctrinae et Operibus Viteberg. proxime sequitur auctoris *Praefatio in Locos* inscripta: „Loci theologici collecti a Philippo Melanchthone,“ cui inscriptioni autem in pluribus Editt. et in Corp. additur vox: „Praefatio“ (id quod in descriptione praecedente ubique indicavimus signis „—“ huic voci adscriptis). — Praefationem in Locos in Editt. 1. 3. 6. 7. 12. 14—34., in Corp. et Opp. subsequuntur *Loci ipsi: De Deo — De Libertate Christiana*, ad quos in Editt. 13—34. accessit tract. *De coniugio* et in Editt. 16—34. praeterea *Definitiones theologicae*.

In permultis autem Locorum Editt. haec series varie interrupta est additamentis quibusdam interpositis, cuiusmodi inveniuntur haecce:

1. Index locorum et praecipuorum capitum, quae in singulis locis tractantur *(Ind. I.)*;
2. Elenchus locorum Sacrae Scripturae in hoc libello obiter explicatorum *(Ind. II.)*;
3. Rerum et verborum in locis theologicis memorabilium Index *(Ind. III.)*;
4. Capitum totius huius libri Index *(Ind. Cap.)*;
5. Graecarum dictionum, quae obiter inseruntur, explicatio *(Gr.)*;
6. Psalmi XXXII. argumentum et paraphrasis metrica *(Ps.)*;
7. In Natalem Salvatoris Hymnus Georgii Sabini *(Hymn.)*.

Ut lector uno obtutu conspiciat, in quibus Editt. Locorum haec additamenta inveniantur et quomodo in iis disposita sint, hanc addimus tabulam, in qua Epistolam ad Lectorem siglo *Ep.*, Praefationem in Locos siglo *Pr.*, Locos ipsos siglo *Lo.*, et illa additamenta siglis intra uncinos ibi adscriptis notabimus:

---

*) Hanc sententiam meae, quam supra p. 563 sq. proposui, congruam. Bretschneiderus in Prolegomenis huic epist. p. 499. praemissis indicat hisce verbis: „Quanquam autem praefationi adscriptus est annus 1543., tamen dubio caret, librum anno 1544. prodiisse. Anno 1543. enim, ut ex epistolis intelligitur, nulla nova editio locorum theol. prodiit, quod factum esse Strobelius quidem putavit, sed in errorem inductus per annum 1543. praefationi adscriptum. Verum vel numerus 1543 pro 1544. est error typographi, vel, quod longe praefero, putandum, typographum anno 1543. parasse quidem novam editionem, initiumque factum esse ab inscriptione et praefatione, laborem autem a Melanthone illo anno desertum esse, quia interim constituerat, librum retexere. — Nisi fallor, ex epistola ad Meienburgium d. d. 14. Oct. h. a. coniicere licet Melanthonem voluisse quidem praefationem mutare, sed eam ipso absente cum inscriptione typis descriptam esse.“

Ep. — Pr. — Lo. (sic Ed. 1., Corp., Opp. Viteb.)
Ep. — Pr. — Ind. I. et II. — Lo. (sic Ed. 2.)
Ep. — Ind. II. et III. — Gr. — Pr. — Lo. (sic Ed. 3.)
Ep. — Pr. — Gr. — Ps. — Lo. — Ind. I. II. III. (sic Editt. 4. 5. 8. 13.)
Ep. — Ind. II. — Pr. — Lo. — Ind. I. et III. (sic Editt. 6. 7.)
Ep. — Pr. — Gr. — Ps. — Ind. I. et II. — Lo. (sic Ed. 9.)
Ep. — Pr. — Gr. — Ps. — Lo. — Hymn. — Ind. I. II. III. (sic Editt. 10. 11.)
Ep. — Ind. Cap. — Gr. — Ps. — Pr. — Lo. — Ind. I. II. III. (sic Ed. 12.)
Ep. — Pr. — Lo. — Ind. I. II. III. (sic Editt. 14. 18. 19. 23. 26. 27. 30. 34.)
Ep. — Ps. — Gr. — Pr. — Lo. — Ind. I. II. III. (sic Editt. 15—17. 20—22. 24. 25. 28. 29. 31—33.)

His praemissis ad ipsorum Locorum, qui in Editt. huius tertiae aetatis pertractati sunt, recensionem progredimur. Catalogus eorum, qualis in Editt. primae et secundae aetatis perhibetur, in Ed. 1. huius aetatis atque in Corp. et Opp. omnino deest, in Editt. 2. 4—34. autem locorum series optime intelligitur ex illo, quem *Ind. I.* signavimus, Indice. Sunt enim in omnibus Editt. pertractati *hi viginti quatuor loci:*

I. De Deo.
II. De creatione.
III. De causa Peccati.
IV. De viribus humanis et libero arbitrio.
V. De Peccato.
VI. De lege divina.
VII. De Evangelio.
VIII. De gratia et iustificatione.
IX. De bonis operibus.
X. De discrimine veteris et novi Testamenti.
XI. De discrimine peccatorum mortalis et venialis.
XII. De Ecclesia.
XIII. De Sacramentis.
XIV. De Praedestinatione.
XV. De regno Christi.
XVI. De resurrectione mortuorum.
XVII. De Spiritu et litera.
XVIII. De calamitate seu cruce et de veris consolationibus.
XIX. De Invocatione.
XX. De Magistratibus politicis et dignitate rerum politicarum.
XXI. De ceremoniis humanis in Ecclesia.
XXII. De mortificatione carnis.
XXIII. De Scandalo.
XXIV. De libertate christiana.

quorum extremo, ut iam supra diximus, in Editt. 13—34. tract. *De coniugio* annexus est, cui in Editt. 16—34. etiam *Definitiones theologicae* additae sunt.

Ex his locis nunc Strobelio (l. l. p. 142—157.) duce, sed brevius, singula auctoris dicta afferemus.

In primi loci capite *De Filio* Serveti errores refutans, etiam de nonnullis adversariis dicit, »qui narrationem Iohannis (de λόγῳ) accommodabant ad exemplum hominis architecti: ut in architecto est idea futuri operis, quae non est persona, sed propositum et cogitatio in architecti mente, sic in conditore Deo dixerunt fuisse ideam et propositum, quod se patefacere voluerit per conditionem mundi, et per Doctorem excellentem Christum, traditurum doctrinam salutis, et editurum testimonia de Deo. Hanc cogitationem seu hoc propositum dixerunt fuisse ipsum Patrem, et de hac cogitatione aiunt in Genesi scriptum esse: Dixit Deus, i. e. decrevit, proposuit, et in Iohanne: Omnia per ipsum facta sunt, i. e. omnia condita sunt per hanc architecti cogitationem, seu per sermonem iubentem, ut res fieret.« — Paulo post refert doctrinam *De communicatione idiomatum* i. e. »de praedicatione proprietatum quae de utraque natura communiter, sed in concreto dicuntur, videlicet ut intelligantur proprietates personae tribui.«

In eiusdem loci capite *de Spiritu sancto* laudat Ioelis prophetae dictum: »Effundam de spiritu meo super omnem carnem,« addens: »Quia inquit, meo, testatur Deus non mitti creatam agitationem, sed aliquid essentiae Dei. Necesse est autem personam esse distinctam, quae est aliquid Dei, et tamen non est Pater. Fugiamus autem studium cavillandi, et formas receptas gravi et vera autoritate retineamus.«*)

In loco *de libero arbitrio* dicit: »Cum in natura hominis reliquum sit iudicium et delectus quidam rerum, quae sunt subiectae rationi aut sensui, reliquus est etiam delectus externorum operum civilium. Quare voluntas humana potest suis viribus sine revocatione aliquo modo externa legis opera facere. Haec est libertas voluntatis, quam Philosophi recte tribuunt homini.« — Tum ait: »hanc ipsam libertatem efficiendae civilis iustitiae saepe vinci naturali imbecillitate, saepe impediri a Diabolo.« — „Non possunt homines legi Dei satisfacere. — Voluntas humana non potest sine Spiritu S. efficere spirituales affectus, quos Deus requirit.« quam sententiam firmat variis Scripturae S. dictis.

*) Vide horum verborum interpretationem in Ioh. Henr. Balthasaris Programmate, quo Corporum doctr. Sax. et Pomeranici dicta quaedam explicat et vindicat. Gryphisw. 1744. 4.

His locis allatis in Ed. 1. fol. g 6ª sic pergit: »Neque haec eo dicuntur, ut laqueos iniiciamus mentibus, aut deterreamus homines a studio obediendi aut credendi, aut ne conentur. — In hoc exemplo videmus coniungi has causas, Verbum, Spiritum S. et voluntatem, non sane otiosam, sed repugnantem infirmitati suae.« Haec quamquam in Editt. secundae aetatis iam leguntur (vide supra p. 576. med.), tamen multis displicuerunt, non quidem illo tempore, quo haec Ed. prodiit, sed multo demum post Lutheri mortem. In Ed. 2., in qua h. l. plura mutata sunt, illa verba non leguntur. In hac enim fol. G 6 b scripsit: »Sciendum est autem Spiritum S. efficacem esse per vocem Evangelii auditam seu cogitatam ut Gal. 3. dicitur. Ut promissionem Spiritus S. accipiamus per fidem ac saepe dictum est. Cogitantes de Deo oportere ordiri a verbo Dei, non quaerere Deum sine suo verbo. Cumque ordimur a verbo, h i c c o n c u r r u n t t r e s c a u s a e bonae actionis, Verbum Dei, Spiritus sanctus et humana voluntas assentiens nec repugnans verbo Dei. Posset enim excutere, ut excutit Saul sua sponte, sed cum mens audiens ac se sustentans non repugnat, non indulget diffidentiae, sed adiuvante iam Spiritu S. conatur assentiri, in hoc certamine voluntas n o n e s t o t i o s a.«

In Ed. 8. pag. 84. med. — 86. med. quinque paragraphos in hoc loco addidit, scilicet verba: »Vidi multos non Epicureos, qui cum essent in aliquo moerore propter suos lapsus, disputabant — cum acquiescunt animi in filio Dei, monstrato in promissione, illustrabit hanc copulationem caussarum verbi Dei, Spiritus sancti et voluntatis« (quae infra in contextis legantur), in omnibus seqq. Editt. conservata, propter quae auctor a Flacianis *synergismi* accusatus est. Melanthon a Brentio aliisque a. 1555. et in Colloquio Wormatiensi a. 1557. de hoc augmento interrogatus respondit, se non in gratiam *Synergistarum* haec scripsisse, nec voluntatem hominis intelligere sibi relictam; sed contra homines, peccati et conscientiae morsus ac stimulos non sentientes, sed securos, naturalique impotentia ad negligentiam abutentes, et sine verbo raptum exspectantes irresistibilem, vel, Manichaea opinione, quosdam homines absolute ad aeternum exitium destinatos, ideoque illorum conversionem simpliciter impossibilem esse, sibi persuadentes, disseruisse de universali obligatione ad usum mediorum salutis spontaneamque poenitentiam, et de possibili illius exercitio per et post gratiam praevenientem atque trahentem, ex Ioh. 3, 44. 45. Apoc. 3, 20. Act. 2, 37. 41. Inde plurimi quoque Melanthonis amici verba eius vel approbarunt, vel excusarunt, hoc praeterea urgentes, quod multa in *his Locis* improbata iam legantur in *Locis mediis* ipsisque *ultimis* a Luthero visis et approbatis, definitionem quoque *liberi arbitrii* sic explicantes: *Liberum arbitrium* (seu voluntas hominis, appetens bonum in genere, qua homo differt a bruto,) gratia praeveniente illuminatum novisque viribus instructum, excitatum et a Spiritu S. adiutum, *est facultas applicandi se ad gratiam.)**

Locus *de bonis operibus* ab auctore uberius subtiliterque explicatus est. In eius principio scribit: »Plane igitur et clare dico, obedientia nostra h. e. iustitia bonae conscientiae seu operum, quae Deus nobis praecepit, necessario sequi reconciliationem debet.« In huius loci pertractatione quinque quaestiones proponit atque dissolvit: 1. *Quae opera sint facienda?* 2. *Quomodo fieri possint?* 3. *Quomodo placeant?* 4. *Cur facienda sint?* 5. *Quid sit discrimen peccatorum?* In explicatione quartae quaestionis dicit: »Multae sunt caussae, necessitas, dignitas, praemia.« Necessitas est multiplex: mandati, debiti, retinendae fidei [quae verba a multis improbata sunt] et vitandi poenas.« — *De praemiis* inter alia haec scripsit: »In reconciliatis bona opera cum placeant fide propter mediatorem, m e r e n t u r praemia spiritualia et corporalia in hac vita et post hanc vitam.« — Deinde refutat, quae Catholici de bonis operibus contra monuerunt.

In loco *de baptismo* ostendere studet, baptismum infantium non esse recentem, sed iam antiquitus exstitisse, id quod trium Patrum, scil. O r i g e n i s, C y p r i a n i et A u g u s t i n i testimoniis firmat. Praeterea, ut huius baptismi necessitatem demonstret, haec affert argumenta: 1. Christi dictum: Talium est regnum coelorum — ergo infantes per baptismum sunt inserendi Ecclesiae. 2. Infantes nascuntur cum peccato — ergo impertiendum est eis ministerium remissionis peccatorum. 3. Ad quos pertinet promissio, ad eosdem pertinet et signum. 4. Mandatum de baptismo est universale. — Anabaptistis, qui contra dicunt, infantes fide carere, eamque ob causam eorum baptismum esse inanem, sic respondet: »Verissimum est, in omnibus adultis requiri poenitentiam et fidem, sed de infantibus hoc satis est tenere. Spiritus sanctus per baptismum eis datur, qui efficit in eis novos motus, novas inclinationes ad Deum pro ipsorum modo.«

In loco *de coena Domini* primum loquitur de causis, cur promissionibus semper additae sint externi ritus. H. l. tres ab eo proponuntur: 1. Commonefactio de voluntate Dei aut ad commonefaciendos singulos, et excitandam et confirmandam fidem in nobis. 2. Propagatio memoriae ad posteritatem, aut ut memoria passio-

---

*) Vide B a l t h a s a r i Hist. Locor. Theol. Mel. p. 32. eiusque Historiam Libri Torgensis P. V. p. 10. et al., in qua fusius haec aliaque in horum *Locorum* artic. *de libero arbitrio* improbata exposuit. Conf. etiam in l. Endlicher Bericht der Theologen etc. fol. E 1 ea, quae locum supra p. 561 sq. allatum proxime sequuntur; et illa, quae supra p. 567—570 diximus.

nis et resurrectionis Christi perpetuo propagetur hoc ritu. 3. Conservatio publicorum congressuum et coetuum in Ecclesia, aut ut sit nervus publicae congregationis, in qua Ecclesia Dei ostendat se seiunctam esse a caeterarum gentium opinionibus. His praemissis explanat hosce quatuor locos: 1. Quomodo sit instituta, et quod adsit Christus. 2. Quibus prosit manducatio, et de vero usu cum poenitentia et fide. 3. Qui sint admittendi. 4. De abusu et profanatione Sacramenti.

De primo horum locorum scribit tantum haecce: »Nec est inane spectaculum, sed Christus revera adest dans per hoc ministerium suum corpus et sanguinem manducanti et bibenti. Sicut et veteres scriptores loquuntur. Cyrillus inquit in Iohanne: unde considerandum est, Christum non solum per dilectionem in nobis esse, sed etiam naturali participatione, id est, adesse non solum efficacia, sed etiam substantia. Et Hilarius ait: De naturali enim in nobis veritate quae dicimus, nisi ab eo didicimus, stulte et impie diceremus. Ipse enim inquit: Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Et deinceps: Haec accepta et hausta efficiunt, ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit. Non imaginemur esse memoriam hominis mortui, ut sunt spectacula de Hercule aut similia. Abiiciamus has profanas cogitationes, ac hoc testimonio commonefacti credamus vere Christum pro nobis factum esse victimam, ac mortuum, sed revera etiam resuscitatum iam regnare et adesse suae Ecclesiae, et in hoc ministerio vere nos sibi tanquam membra adiungere.«

Cum hac explicatione, quae in omnibus huius aetatis Editt. legitur, conferantur ea, quae in *Confessione doctrinae Saxonicarum Ecclesiarum* (Viteb. 1553. 8. p. 35.) de hac re dicit: »Docentur, inquit, etiam homines, Sacramenta esse actiones divinitus institutas, et extra usum institutum res ipsas non habere rationem Sacramenti; sed in usu instituto in hac communione vere et substantialiter adesse Christum, et vere exhiberi sumentibus corpus et sanguinem Christi. Christum testari, quod sit in eis, et faciat eos sibi membra, et quod abluerit eos sanguine suo, sicut et Hilarius inquit: Haec accepta et hausta efficiunt, ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit.« Praeter haec Strobelius l. l. p. 152 seq. ea affert, quae Melanthon in *Examine eorum qui audiuntur ante ritum publicae ordinationis*, quod primum Viteb. 1554. 8. prodiit, et in *Responsionibus ad impios articulos Bavaricae inquisitionis*, Viteb. 1559. 8. editis, de natura coenae sacrae scripsit, atque his tandem p. 154—157. annectit librorum de controversia coenae Domini scriptorum catalogum, cui addatur, quae in huius Corp. Ref. Vol. IX. p. 1088 seqq. de sacra coena leguntur.

Denique moneo lectorem, ut legat quae Galle l. l. p. 302 sqq. et H. Heppe Geschichte des deutschen Protestantismus in den Iahren 1555—1581. I. Band. Die Geschichte des deutschen Protestantismus von 1555 — 1562. enthaltend (Marburg 1852. 8.) de Melanthonis doctrina et historia reformationis huius tertiae aetatis disseruerunt.

Ex his Prolegomenis elucet, Locos huius tertiae aetatis *quater et quadragies* prodiisse: A. *quater et tricies* seorsim octonis: 1) *Vitebergae* 1543 — 1544., 2) *Viteb.* 1545., 3) *Basileae* 1545., 4) *Lipsiae* 1546., 5) *Lips.* 1546. iterum, 6) *Basileae* 1546., 7) *Basil.* 1547., 8) *Lipsiae* 1548., 9) *Vitebergae* 1549., 10) *Lipsiae* 1549., 11) *Lips* 1550., 12) *Basileae* 1550., 13) *Lipsiae* 1552., 14) *Basileae* 1552., 15) *Lipsiae* 1553., 16) *Lips.* 1553. iterum; 17) *Lips.* 1554., 18) *Vitebergae* 1555., 19) *Basileae* 1555., 20) *Lipsiae* 1556., 21) *Lips.* 1557., 22) *Vitebergae* 1558., 23) *Basileae* 1558., 24) *Vitebergae* 1559., 25) *Lipsiae* 1559., 26) *Basileae* 1561., 27) *Basil.* 1562., 28) *Vitebergae* 1563., 29) *Viteb.* 1569., 30) *Lipsiae* 1569., 31) *Vitebergae* 1577., 32) *Viteb.* 1581., 33) *Viteb.* 1595., 34) *Lipsiae* s. a.; B. *decies* coniunctim cum aliis libris, scilicet *octies* in *Corpore Doctr. Christ.*: 1) *Lipsiae* 1560. Fol., 2) *Lips.* 1561. Fol., 3) *Lips.* 1561. 8., 4) *Lips.* 1563. Fol., 5) *Lips.* 1564. 8., 6) *Lips.* 1565. 8., 7) *Lips.* 1572. 8., 8) *Argentorati* 1580. 8., et *bis* in Parte I. *Operum Viteberg.*: 1) *Vitebergae* 1562. Fol., 2) *Viteb.* 1580. Fol.

Harum Editt. 34 *particulares* solis numeris, quas iis adscripsi, signabo: *Editt.* 1 — 34.; *Corporis* Editt. autem: *Corp.* 1—8., ei *Operum Viteberg.* Editt.: *Opp.* 1. 2.

Hosce vero *Locos tertiae aetatis* non ex Ed. principe, sicuti in Locis primae et secundae aetatis factum est, sed ex ea, quae ipsius auctoris extrema est, nempe Editione Lipsiensi anni 1559. (*Ed.* 25.) recudendos curabimus,*) ut lector hosce tales accipiat, quales Melanthonis manu extrema editi sunt. Quapropter annotationes criticae in his Locis multo minus *posteriorum* Editt. (ut in Locis primis et mediis), sed maxima ex parte *priorum* Editt. varietatem exhibebunt. In harum autem Editt. collatione iterum valde adiutus sum Maur. Roedigeri labore, qui etiam huius aetatis Editt. duodeviginti**) diligentissime contulit earum-

*) Idem suadet Censor Halensis in Ephemerid. litter. Hal. anni 1829. Suppl. num. 13. p. 99. 102.

**) Scilicet Editt. 1. 2. 5. 8. 10. 11. 13. 16—18. 20—22. 24. 25. et Corp. 1. 2. 4.

que varietatem in exemplo suo *Corporis doctr. christ.* (Lips. 1563. Fol.), quod nunc in meis manibus est, in margine adnotavit. — Scripturae sacrae locos ab auctore in hisce Locis allatos in ipsis contextis versuum (aut capitum versuumque) numeris intra uncinos additis accuratius indicabo.

LOCI PRAECIPUI THEOLOGICI.

NUNC DENUO CURA ET DILIGENTIA SUMMA RECOGNITI, MULTISQUE IN LOCIS COPIOSE ILLUSTRATI, CUM APPENDICE DISPUTATIONIS DE CONIUGIO.

PER PHILIPPUM MELANTHONEM.

PHILIPPUS MELANTHON PIO LECTORI S. D.

Prodest firma et perspicua testimonia de singulis articulis doctrinae Christianae, ordine distributa, velut in tabella habere proposita, ut cum disputant animi secum, aut anguntur, sententiae certae in conspectu sint, quae trepidantes erudiant, erigant [1]), confirment, consolentur. Haec enim sunt exercitia fidei piis et necessaria, et non ignota, de quibus Propheta [Ps. 118, 105.] inquit: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Ad hunc usum domesticum initio mihi hos locos institui, et cum viderem his turbulentis temporibus interdum aliqua explicatione opus esse, addidi interdum aliquas descriptiones, aut partitiones. Haec cum postea circumferrentur in manibus multorum, recognoscenda et augenda fuerunt. Non ambitione, non φιλονεικίᾳ, non aemulatione, non ut sererem rixas, haec et institui et collegi, sed primum ut me ipsum erudirem, deinde ut aliquorum qui haec legebant, honesta et pia studia adiuvarem. Sed de voluntate mea nihil dicam amplius, quam quod Deo probatam [2]) esse spero, ac meae conscientiae testimonium antefero criminationibus Eccii, Cochlei, Alfonsi [3]), et multorum, qui illis applaudunt. Cum autem re ipsa cognoverim, explicationem dogmatum Ecclesiae propter multas caussas opus esse difficillimum, et quamquam necessarium est, tamen plenum esse ingentium periculorum, attente audivi interpretes eruditos καὶ θεοδιδάκτους, et mediocri cura et solicitudine inquisivi Ecclesiae doctrinam, et conatus sum res veras, quanta potui perspicuitate recitare. Non gigno novas opiniones, nec aliud maius scelus esse in Ecclesia ei sentio, quam ludere fingendis novis opinionibus, et discedere a Prophetica et Apostolica scriptura, et consensu vero Ecclesiae Dei. Sequor autem et amplector doctrinam Ecclesiae Witebergensis, et coniunctarum, quae sine ulla dubitatione consensus est Ecclesiae catholicae Christi, id est, omnium eruditorum [4]) in Ecclesia Christi. Vult autem Paulus, esse iudicia doctrinae in Ecclesia, ut veritas servetur incorrupta, et non temere labefactetur concordia: Et agnosco ipse meorum scriptorum maciem et squalorem. Quamquam igitur proprie et plane loqui studeo, tamen fieri potest, praesertim in tanta mole rerum, et in tanta brevitate, ut interdum aliquid dictum sit obscurius aut parum commode. Ideo non defugio iudi-

1) erigant] Ed. 1. typogr. errore: erigent.

2) probatam] Editt. 18—20. 23. 25—27. probatum

3) Strobelius Lit.-Gesch. p. 125. putat esse Alfonsum Virvesium, Episcopum Canariensem, concionatorem in aula Caroli V. Imperatoris, qui scripsit „Philippicas Disputationes XX adversus Lutherana dogmata per Phil. Melanchthonem defensa complectentes summatim disputationes nuper Augustae ac deinde Ratisbonae habitas,“ cuius libri editio altera prodiit Coloniae ex offic. Melch. Novesiani 1545. 4. (55 plagg.). Reimmanus in Catalogo biblioth. theol. p. 476. affert tertiam Ed. Colon. 1546., et hocce addit iudicium: „Auctor — a candore laudandus prae caeteris et lenitate animi, quae tanta est in his disp., ut in coronide conqueratur, a Monachis quibusdam apud inquisitores Hispanos haereseως Lutheranae crimen in se esse coniectum. — Ge. Fr. Stieberus in Hist. Theologiae dogmaticae Ed. 2. p. 157. de hoc Alphonso refert haecce: „Alphonsus Hispanus integrum librum his Locis opposuit, et invectivas illas inscripsit Philippicas. Is dicit Philippum idem esse Luthero, quod Torquatus apud Ciceronem Epicuro, quia eius dogmata propriis et accommodatis verbis illustret, et methodica explicatione faciat ita perspicua et firma, ut plus noceat regno Pontificio, quam reliqua omnia Lutheranorum scripta.“

4) eruditorum] Editt. 1. 2. 6. 7. eruditiorum

cia Ecclesiarum nostrarum. Nam has censeo vere esse Dei Ecclesiam, et vera animi pietate eas veneror, nec me ab eis seiungam, meaque dicta, scripta et facta, earum iudicio permitto. Saepe etiam optavi alios, qui antecellunt eruditione et iudicio, communicato consilio, et collatis sententiis de rebus ipsis, et de formis loquendi, gravi autoritate tale aliquod opus condere, quod ordine praecipuas materias doctrinae Ecclesiasticae complecteretur. Dicerem hanc rem curae esse debere piis et sapientibus Principibus, praesertim in tanta temporum confusione. Sed videmus Ecclesiam non regi humanis consiliis. Oro igitur Deum aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut propter Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, quem voluit esse pro nobis victimam, *καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην*, Ecclesiam sibi colligat, regat et servet, et docentium et discentium mentes gubernet, studia adiuvet, et ad veritatem et concordiae amorem multos flectat. Id cum Christus in agone suo precatus sit, nostra vota et nostros gemitus ad huius nostri Pontificis petitionem adiungamus, qui dixit [Ioh. 17, 17.]: Pater sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas. Ne sinas extingui lucem veritatis, id est, Evangelii tui. Et addit [ibid. vs. 21.]: Sint unum, sicut et nos unum sumus. Primum nobiscum coniuncti sint, deinde inter sese sint concordes, et consulant paci verae [5]) Ecclesiae, iustis officiis. Hortor et scholasticum gregem, ut cogitent, qua in statione a Deo collocati sint, et sciant se Ecclesiae Dei seminaria esse. Nam ex hoc numero Filius Dei regnans ad dextram aeterni Patris, ac dona dans hominibus, videlicet pastores et doctores, sumit Evangelii ministros, quos praeparari vult in scholis. Hos esse custodes librorum Propheticorum et Apostolicorum, et verorum dogmatum Ecclesiae voluit. Quare diligentiam et fidem in re omnium maxima, Deo, Ecclesiae, et posteritati praestemus, veritatem inquiramus, amemus, tueamur, et ad posteros incorruptam transmittamus. Witebergae, Anno M. D. XLIII. [6])

LOCI THEOLOGICI COLLECTI A PHILIPPO MELANTHONE.

PRAEFATIO. [7])

Ita conditi sunt homines a Deo, ut numeros et ordinem intelligant et in discendo multum utraque re, numeris et ordine, adiuventur. Quare in artibus tradendis singulari cura monstratur ordo partium et indicantur initia, progressiones et metae. Hanc explicandi formam in Philosophia vocant Methodum, sed haec in iis artibus, quae demonstrationibus extruuntur, aliter quam in doctrina Ecclesiae instituitur. Nam demonstrativa methodus progreditur ab iis, quae sensui subiecta sunt, et a primis notitiis, quae vocantur principia. Hic in doctrina Ecclesiae tantum ordo quaeritur, non illa methodus demonstrativa. Nam haec doctrina Ecclesiae non ex demonstrationibus sumitur, sed ex dictis, quae Deus certis et illustribus testimoniis tradidit generi humano, per quae immensa bonitate se et suam voluntatem patefecit.

Ac ut in Philosophia quaeruntur certa et discernuntur ab incertis, et caussae certitudinis sunt Experientia universalis, Principia et Demonstrationes; ita in doctrina Ecclesiae certitudinis caussa est revelatio Dei, et considerandum est, quae sententiae a Deo traditae sint. Ut certa est cuilibet sano haec sententia: Bis quatuor [8]) sunt octo, [8]) est enim naturalis notitia ut principiorum; ita sint certi nobis et immoti articuli fidei, comminationes et promissiones divinae, ita certum sit, agenti poenitentiam remitti peccata propter filium Dei, exaudiri se et fieri haeredem [9]) vitae aeternae. Sed caussae certitudinis diversae sunt. Sententiam de numeris mens suo iudicio videt. At articuli fidei certi sunt propter revelationem, quae certis et illustribus testimoniis

---

5) verae] Ed. 1. vere

6) Hanc Epistolam ad lectorem in Ed. 25. aeque ac in Editt. 15—17. 20—22. 24 28. 29. 31—33. subsequuntur *Psalmus XXXII. (argumentum et paraphrasis metrica)* atque *Graecarum dictionum, quae obiter inseruntur, explicatio;* in Ed. 12. Epistolam proxime sequitur *Index Capitum*, hunc denique illa *Graec. dict. explicatio* et *Psalmus;* in Ed. 3. Epistolam subsequuntur *duo Indices* et *Graecar. dict. explicatio;* in Editt. 6. 7. Epistolam sequitur *unus Index* (vide harum Editt. descriptionem praemissam et tabulam supra p. 595 sq. propositam). Haec hoc quidem loco omittimus.

7) Hanc inscriptionem praecedenti addunt Editt. 3. 6. 7. 12. 14. 18—20. 23. 25—27., Corp. 1—8.: in ceteris sola praecedens legitur.

8) quatuor . . octo] Editt. 1—3. habent: 4 . . 8

9) haeredem] Editt. 22. 24. 28. 29. 31—33. haereditatem

Dei confirmata est, ut resuscitatione mortuorum et multis aliis miraculis. Sed quia res sunt [10]) extra iudicium humanae mentis positae, languidior est assensio, quae fit, quia mens movetur illis testimoniis et miraculis, et iuvatur a Spiritu sancto ad assentiendum.

Etsi autem Philosophia docet dubitandum esse de his, quae non sunt sensu comperta, nec sunt principia, nec sunt demonstratione confirmata, ut hic licet dubitare seu *ἐπέχειν*, an sola nubis cavitas sit caussa, cur Iris sit arcus; tamen doctrinam Ecclesiae a Deo traditam sciamus certam et immotam esse, etiamsi nec sensu deprehenditur, nec nobiscum nata est, ut principia, nec demonstrationibus invenitur, sed caussa certitudinis est revelatio Dei, qui est verax.

Quare illam dubitationem philosophicam seu *ἐποχὴν* nequaquam admittamus ad doctrinam Ecclesiae a Deo traditam. Haeret alioqui in mentibus in hac naturae humanae corruptione ingens confusio dubitationum de Deo, quibus repugnandum est et opponendae sunt sententiae a Deo traditae. Non alenda est hic aut laudanda dubitatio, sed sit fides certa assensio, *ἔλεγχος*, [11]) id est, certitudo, qua mens convicta divinis testimoniis firmissime amplectitur vocem divinam de rebus non apparentibus, ut loquitur Epistola ad Hebraeos.

Haec praefari necesse est, ut initio cogitemus res certas, firmas et immotas in Ecclesia doceri, sicut inquit Filius Dei [Marc. 13, 31.]: Coelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt. Deinde etiam cogitemus, fidem esse firmam assensionem, amplectentem integram Evangelii doctrinam, non esse, ut in Academia Arcesilae, ludos ambiguos opinionum et disputationum, [12]) sicut multa petulantia ingenia et multi superbi homines semper iudicarunt, iudicant et iudicabunt, quorum blasphemias punit Deus et praesentibus et aeternis suppliciis.

Nunc de ordine partium doctrinae aliquid praefandum est. Ipsi libri Prophetici et Apostolici optimo ordine scripti sunt, et articulos fidei aptissimo ordine tradunt. Est [13]) enim historica series in libris Propheticis et Apostolicis, ordiuntur a prima rerum creatione et conditione Ecclesiae, et deinceps omnium temporum series a conditione rerum usque ad Cyri Monarchiam continetur in his [14]) libris Propheticis. In hac serie multae narrantur instaurationes Ecclesiae, et insperguntur narrationibus doctrina legis et promissio Evangelii. Deinde Apostoli testes sunt de Christo exhibito, nato, crucifixo, resuscitato. Haec sunt historica. Et in concionibus Christi continentur articuli fidei, explicatio Legis et Evangelii. Accedunt et Pauli disputationes, qui ut artifex instituit disputationem in Epistola ad Romanos de discrimine Legis et Evangelii, de Peccato, de Gratia seu Reconciliatione, qua restituimur ad vitam aeternam.

Etsi autem hunc ordinem animadvertenti non multum opus est commentariis aut nostris libellis aut similibus, tamen quia vult Deus in Ecclesia vocem docentium sonare, ut dicitur de ministerio Evangelii Ephes. 4., non frustra labor docendi suscipitur. Non gignimus novas res seu materias, ut Hesiodus aliud tradidit, quam patres Sem, Iaphet; et Haeretici res novas comminiscuntur non traditas ab Apostolis, sed pii interpretes acceptas a Deo sententias in Prophetica et Apostolica narratione bona fide recitant. Et quia rudes non ubique genus sermonis intelligunt, non statim vident ordinem rerum, commonefaciendi sunt voce interpretum de genere sermonis et de rerum ordine. Et quia multae corruptelae subinde excogitatae sunt et excogitabuntur, pii Pastores et Doctores sunt testes verae sententiae certa autoritate acceptae et refutatores falsarum interpretationum. Propter has caussas Deus ministerium Evangelii et studia in templis et in scholis sua ope servat et subinde restituit, ut simus custodes librorum Propheticorum et Apostolicorum et testes verae interpretationis, et refutemus omnes opiniones pugnantes cum doctrina tradita per Prophetas, Christum et Apostolos, nec extinguatur lux Evangelii, ac ut Eph. 4. [vs. 14.] dicitur, ne Ecclesiae tanquam ventis agitatae et dissipatae, amissa veritate, implicentur variis erroribus, ut saepe accidit. Ethnici, amissa luce doctrinae patrum, horrendis et variis furoribus agitati sunt, mactarunt humanas hostias, coluerunt priapos, prostituerunt coniuges et virgines, ut idola placarent. Sic [15]) quam varia genera furorum fuerunt in Marcionis et Manichaei secta, quantum blasphemiarum, libidinum, seditionum! Quam varii furores nunc sunt Anabaptistarum, qui multum habent contagii Manichaeorum! Ab Ario furores Mahometici orti sunt. Quales furores sunt in invocatione mortuorum et cultu statuarum, in venditione Missarum, in defensione legis de coelibatu et multis aliis, quae defendunt Eccius, Pygius et similes parasiti Pontificum!

Haec exempla furorum omnium aetatum considerent pii, et commonefacti voce recte docentium amplectantur utraque manu et toto pectore libros Propheticos et Apostolicos a Deo traditos,

---

10) sunt *abest ab* Editt. 17. 21. 22. 24. 28. 29. 31.

11) ἔλεγχος] Editt. 1—16. et ἐλεγχος

12) disputationum] Ed. 22. dissipationum

13) Est] sic omnes Editt. praeter Ed. 25., quae habet: Etsi

14) his *abest ab* Editt. 1—14.

15) Sic] Editt. 22. 24. 28. 29. 31., Opp. 1. 2. Sed

et adiungant enarrationes et testimonia purioris Ecclesiae, ut Symbola Apostolicum et Nicenum, ut lucem Evangelii retineant, nec in furores tales incidant, quales, ut dixi, sequuntur extincta luce Evangelii. Qui vero pio studio legent Propheticos et Apostolicos libros et Symbola, et quaerent purioris Ecclesiae sententiam, facile iudicabunt, quibus humanis enarrationibus deinde adiuvari possint, et intelligent, quid utilitatis afferant piorum explicationes recte et dextre scriptae et ex fontibus sumpta testimonia. Hos, si voluntates erunt piae, in hoc studio et hac diiudicatione Deus reget Spiritu sancto, ne Diaboli praestigiis fallantur, sed flectantur ad agnoscendas, amplectendas et retinendas veras sententias. Sicut Paulus [Philipp. 2, 13.] inquit: Deus est, qui, cum effecerit, ut velitis, efficiet etiam, ut perficiatis. Cum accenderit voluntatem, ut pio studio quaerat veritatem, adiuvabit etiam eam, et gubernabit, ut labor sit nobis et aliis felix.[16])

[I.]

DE DEO.

Ideo conditum est genus humanum ac deinceps ideo redemptum est, ut sit imago et templum Dei Deum celebrans. Vult enim Deus agnosci et celebrari, et fulsisset illustris et firma notitia Dei in mentibus hominum, si natura hominum mansisset integra: nec deinde, postquam recepti sunt in gratiam Adam et Heva, aliud est maius ac melius opus hominis, quam vera Dei agnitio, invocatio ac[17]) praedicatio, ut Psal. 149. [vs. 1.]: Laus eius in Ecclesia Sanctorum. Et Psal. 118.[18]) [vs. 17.] Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini. Sit igitur prima et summa cura hominis veram de Deo doctrinam discere, sicut et primum praeceptum hoc officium praecipue postulat. Sed humanae mentes in hac corruptione naturae in magna et tristi caligine vagantur quaerentes, an sit providentia et quae sit Dei voluntas. Et quanquam esse Deum et praecipere obedientiam iuxta discrimen honestorum et turpium impressum humanis mentibus et regulariter punire atrocia scelera atrocibus suppliciis in hac vita, multa illustria et firma testimonia ostendunt, tamen horrenda dubitatione cruciantur animi, quia vident saepe opprimi pariter bonos et malos ingentibus calamitatibus.

Et quanquam utcunque mens humana agnoscit Deum punire sontes, tamen de reconciliatione nihil novit sine revelatione divinae promissionis. Ideo, cum poenis obruimur, aut disputant homines casu eas accidere, aut mirantur, cur Deus hanc infirmam naturam tantis miseriis oneret. Pericles putat casu vel ex materiae contagiis principaliter oriri pestilentiam Atticam, non agnoscit poenam esse divinam. Oedipus agnoscit se a Deo puniri, sed prorsus nihil scit de remissione peccatorum.

Cum igitur tantae sint tenebrae humanae mentis, agnoscamus ingens beneficium esse, quod Deus sese patefecit ipse clara voce et certis testimoniis inde usque ab initio post conditum genus humanum et post conditam Ecclesiam suam; quod tradidit sua voce legem et promissionem reconciliationis, et addidit ingentia miracula, ut servationem in diluvio, deletionem Sodomorum, eductionem populi Israël ex Aegypto et multas resuscitationes mortuorum.

His illustribus testimoniis quaeramus Deum patefactum, et seiungamus nos ab Ethnicis et omnibus ignaris Evangelii, et in nostra invocatione cogitemus, quem Deum invocemus, ubi et cur se Deus patefecerit; non vagemur animis, ut Ethnici aut qui ad statuas currunt, non negligenter aut frigide cogitemus de patefactione Dei, sed agnoscamus esse ingens beneficium et certum testimonium, quod velit nobis opitulari. Sic deducit nos ad patefactionem Paulus 1. Cor. 1. [vs. 21.]: Cum mundus Deum sapientem non nosset per sapientiam, placuit Deo per stultam praedicationem salvos facere credentes, id est: Quia vagantur animi et intuentes hunc pulcerrimum ordinem in creaturis sapientissime institutum et nos de opifice commonefacientem, tamen dubitant, an sit providentia, an recipiamur a Deo, exaudiamur, iuvemur, edita est vox Evangelii, qua se Deus patefecit, et tamen hanc quoque maxima pars hominum ut fabulosam deridet. Sed aliqui amplectuntur, hi discunt recte agnoscere, et recte invocare Deum, et donantur aeterna vita, iustitia, gloria etc.

Sic Christus deducit nos ad patefactum Deum. Cum peteret Philippus monstrari Patrem, graviter obiurgat eum et ab illa speculatione revocat ac inquit [Ioh. 14, 9.]: Qui videt me, videt Patrem. Non vult vagabundis speculationibus quaeri Deum, sed vult oculos nostros defixos esse in hunc exhibitum Filium et invocationem dirigi ad hunc Deum aeternum Patrem, qui se patefecit misso hoc Filio et dato Evangelio et qui propter hunc Filium Mediatorem recipit nos et exaudit. Ita semper Deus ab initio procedens ex sua arcana sede propter salutem nostram et sese patefaciens ac familiariter no-

16) Inter hanc *Praefationem* et sequentes *Locos* in octo Editt. alia quaedam interserta sunt, scil in Ed. 2. *duo Indices*, in [illegible] 4. 5. 8. [illegible] 11. 1[illegible]. *Graecarum dictionum, quae obiter inseruntur, explicatio* et *Psalmus XXXII.*, in Ed. 9. praeter *Graec. dict. explicationem* et *Psalmum* etiam *duo Indices* [illegible] Editt. descriptionem praemissam [illegible] p. 595 sq. propositam).

17) [illegible] 3. 6. 7. et

18) [illegible] Hebr. textum): Editt. 1—12. [illegible] 117. [illegible] LXX. et Vulg.).

biscum colloquens tradidit aliquod verbum ac [19]) testimonium, ad quod alligavit mentes hominum ita, ut hunc vere esse Deum aeternum conditorem statuerent, qui se patefecerat hac voce et hoc testimonio. Sic in primo praecepto alligat populum ad verbum, quod sonuit in monte Sina, et ad eductionem ex Aegypto [Ex. 20, 2.]: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Complectitur omnia miranda facta in eductione, quae fuerunt testimonia praesentiae Dei. Hic idem Deus dedit promissiones de Mediatore, propter quem inde usque ab initio Patres exaudiri se sciebant. Ita alligata erat eorum invocatio ad hunc Deum, qui se in eductione ex Aegypto patefecerat et dederat promissiones de Mediatore, ut David inquit [Ps. 109, 1.]: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, Tu es Sacerdos in aeternum etc. Ita nos iam exhibito, crucifixo et resuscitato Christo et Evangelii luce agnita hoc ipsum testimonium nobis proponamus, in hunc Filium intueamur, ac discamus haec duo, Quis sit Deus et quae sit voluntas eius, et nostram invocationem ab Ethnica, Turcica, Iudaica prudenter et ardenter seiungamus. Praecipue enim duabus gravissimis quaestionibus differt vera invocatio a falsa: quaestione de essentia et quaestione de voluntate. Turci etsi dicunt se invocare unum Deum, conditorem Coeli et Terrae, tamen a vero Deo aberrant, quia negant hunc esse Deum, qui misit Filium Mediatorem; non igitur recte invocant. Est enim aeterna et immota regula Ioan. 5. [vs. 23.]: Qui non honorat Filium, non honorat Patrem. Primum igitur Turci de essentia Dei errant, quia fingunt sibi suum Deum, qui non sit Pater Iesu Christi.

Secundo errant de voluntate, cum promissiones ignorent et negent Filium esse Mediatorem, manent in perpetua dubitatione, nec possunt statuere se recipi a Deo et exaudiri. Qui vero manent in ea dubitatione, non invocant, sed fugiunt Deum et ruunt vel in contemptum Dei vel in aeternas desperationes et [20]) in blasphemias.

Econtra [21]) Ecclesia Dei affirmat hunc esse Deum conditorem rerum, qui se patefecit misso hoc Filio et dato Evangelio et editis testimoniis ingentibus, quae recensentur in historia Prophetica et Evangelica. Ita primum de essentia Dei iudicat non ex humanis imaginationibus, sed ex verbo Dei certis testimoniis tradito. Deinde de voluntate certo scimus Filium Dei Mediatorem constitutum esse mirabili et inenarrabili consilio, et certo recipi et exaudiri nos petentes propter hunc Mediatorem. His discriminibus initio consideratis, quae quidem in invocatione quotidie cogitanda sunt, rectius intelligetur, quomodo quaerendus, agnoscendus et invocandus sit Deus, quam ex otiosis speculationibus, quas multi cumularunt sine modo in commentariis Longobardi.

Ut autem descriptionem aliquam Dei teneamus, conferam duas: alteram mutilam Platonis, alteram integram, quae in Ecclesia tradita est et ex baptismi verbis discitur. Platonica haec est: DEUS EST MENS AETERNA, CAUSSA BONI IN NATURA. Quanquam autem haec Platonica descriptio adeo erudite composita est, ut difficile sit iudicare parum exercitatis, quid desit, tamen quia nondum ita describit Deum, ut se [22]) patefecit ipse, requirenda est alia illustrior et propior descriptio. Verba [23]) sunt haec: Deum esse mentem aeternam, id est, essentiam spiritualem, intelligentem, aeternam, caussam boni in natura, id est, veracem, bonam, iustam, omnipotentem conditricem bonarum rerum omnium et totius ordinis in natura et humanae naturae ad certum ordinem, id est, ad certam obedientiam. Haec omnia complexus est Plato. Sed hae [24]) sunt adhuc humanae mentis cogitationes, quae etsi verae et eruditae sunt et ex firmis demonstrationibus natae, tamen addendum est, qualem se Deus ipse patefecerit. Sit igitur haec altera descriptio:

Deus est essentia spiritualis, intelligens, aeterna, verax, bona, pura, iusta [25]), misericors, liberrima, immensae potentiae et sapientiae, Pater aeternus, qui Filium imaginem suam ab aeterno genuit, et Filius imago Patris coaeterna, et Spiritus sanctus procedens a Patre et Filio, sicut patefacta est [26]) divinitas certo verbo, quod Pater aeternus cum Filio et Spiritu sancto condiderit et servet coelum et terram et omnes creaturas, et in genere humano condito ad imaginem suam et certam obedientiam elegerit sibi Ecclesiam, ut ab ea haec una et vera divinitas patefacta certis testimoniis et per verbum traditum Prophetis et Apostolis agnoscatur, invocetur et colatur iuxta verbum illud divinitus traditum, et damnentur omnes cultus, qui fingunt alios Deos, et haec vera divinitas [27]) in vita aeterna celebretur.

Haec descriptio propius recitat, quis sit Deus, et deducit nos ad patefactionem divinam, sicut in Ecclesia semper haec doctrina tradita est. Primum

19) ac] Editt. 1—10. 12. et

20) et *abest a* Corp. 2. 4.

21) Econtra] Editt. 1. 3. Econtra vero

22) se] Editt. 1. 3. 6. 7. sese

23) Verba] Editt. 1. 3. typogr. errore: Vera

24) hae] Ed. 22. haec

25) iusta, *abest ab* Editt. 1. 3.

26) patefacta est] Editt. 1. 3. 6. 7. est patefacta

27) divinitas] Editt. 1. 3. male: divinitus

caput Genesis testatur Deum esse essentiam intelligentem, ait enim: Dixit Deus. Constat autem dicere esse intelligentis essentiae, non brutae, et esse bonam essentiam, puram, iustam et liberrimae voluntatis testatur creatio hominis, cui ad imaginem divinam condito impressit Deus notitias, quae praecipiunt bona, iusta et ordinata, et addidit libertatem voluntatis, etsi haec bona post lapsum primorum parentum deformata sunt. Praeterea quod sit essentia aeterna et omnipotens, creatio ipsa testatur, de qua dicitur [Genes. 1, 1.]: In principio creavit Deus coelum et terram.

Personae vero tres, etsi in eodem capite obscurius monstrantur, tamen paulatim clarius revelatae sunt. Pater dicens genuit Verbum, quod est imago aeterni Patris. Et de Spiritu sancto expresse dicitur: Et spiritus Domini ferebatur super aquas. Sed postea Patribus et prophetis exhibita est doctrina illustrior. David et Iesaias clare supra Angelos et omnes creaturas collocant Messiam et Deum nominant, ut Psalm. 2. [vs. 7.] Filius meus es tu etc. Et Psalm. 45. [vs. 12.] Et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Deus tuus, et adorabis ipsum. Et Iesaias 9. [vs. 6.]: Parvulus natus est nobis, et Filius datus est nobis, et vocabitur nomen eius Deus fortis, pater aeternae vitae.

Tandem in novo Testamento clarissime patefactae sunt tres personae, ut in baptismo Christi Pater inquit: Hic est filius meus dilectus. Filius conspicitur palam stans in flumine. Spiritus sanctus vero manifesta specie insidet Filio. In hanc revelationem intueamur, et nostras cogitationes de Deo et invocationem nostram ab Ethnica, Turcica, Iudaica seiungamus, et hunc aeternum Patrem, qui se ibi patefecit misso Filio suo Iesu Christo et ostenso Spiritu sancto, invocemus una cum Filio et Spiritu sancto conditorem rerum et opitulatorem. Haec saepe cogitanda sunt inter invocandum. Quomodo autem personae discernendae sint, postea dicetur; prius enim aliquo modo reliqua pars descriptionis declaranda est.

Dixi creaturas conditas esse a Patre, Filio et Spiritu sancto, id quoque passim in veteri et novo Testamento traditum est, ut Ioan. 1. [vs. 3.] de Verbo: Omnia per ipsum facta sunt. Et de Spiritu sancto: Spiritus Domini fovebat aquas. Semper igitur regula teneatur infixa menti, creationem rerum et conservationem opera esse totius Trinitatis, aeterni Patris, Filii et Spiritus sancti.

Postremo in descriptione Dei fit mentio Ecclesiae, ut mentes nostrae sint alligatae ad hunc Deum, qui se patefecit in Ecclesia, et sciant hunc vere esse conditorem rerum, qui se dato hoc suo verbo certis testimoniis ab initio mundi patefecit. Sciant item sic de eo sentiendum esse, sicut [28]) se patefecit. Ethnici et Turci se quoque iactitant invocare [29]) illum Deum, qui condidit coelum et terram, sed falso id iactitant, quia vagantur animis, nec volunt audire conditorem se patefacientem verbo suo et misso filio. Aberrant ergo a vero conditore et fingunt sibi conditores suis speculationibus. Quare in omni cogitatione de Deo et omni invocatione mentes intueantur Christum missum in carne, crucifixum et resuscitatum, et statuant hunc vere esse Deum conditorem, qui hunc Filium misit et dedit Ecclesiae suae Evangelium.

Percurri utcunque particulas descriptionis, in quibus hoc quoque sciamus, has virtutes, quas Deo tribuimus, in eo non esse accidentia, ut in homine seu angelo sapientia, iustitia, bonitas sunt accidentia et res mutabiles; sed sicut potentia Dei non discernenda est ab essentia nec aliud est, sic non sunt aliae res sapientia, veritas, iustitia, bonitas Dei, sed sunt ipsa essentia, quae est quiddam vivum per se [30]) subsistens, intelligens, aeternum, omnipotens, bonum, iustum.

Hanc Dei descriptionem ut teneret Ecclesia in conspectu et ob oculos distinctam ab Ethnicis opinionibus, commendavit eam nobis Christus in prima et notissima ceremonia: Ego baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, id est: Ego hac mersione mandato Christi testificor te recipi a Deo creatore omnium rerum, Patre aeterno, Filio eius Iesu Christo et Spiritu sancto, quem Deum agnosces placatum esse per Iesum Christum Filium aeterni Patris et hac fiducia invocabis, qui te Spiritu sancto reget et vivificabit ad vitam aeternam, sicut promissiones divinae pollicentur [Ioel 2, 28.]: Effundam de meo Spiritu super omnem carnem etc. Et Christus inquit Ioan. 14. [vs. 16.] Ego rogabo patrem, et alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis.

Quare de Deo cogitantes sive in docendo sive in invocando, Baptismi doctrinam et testimonium nobis proponamus, nec tantum de numero speculemur, sed de caussis, cur Filius missus sit, de promissione reconciliationis, de gubernatione miranda sanctorum, qui a Christo defenduntur contra diabolum et Spiritu sancto mirabiliter vivificantur. Etsi enim diabolus, qui est homicida, mirabilibus insidiis oppugnat singulos, ut avulsos a Deo evertat; tamen Christus econtra propugnat oves suas, quamlibet imbecilles et aerumnosas, sicut inquit [Ioh. 10, 27.]: Oves meae vocem meam audiunt, et nemo rapiet eas de manu mea. Simul ergo de admirandis beneficiis Dei propter Filium donatis cogitemus, quoties verba Baptismi recitamus.

---

28) sicut] sic omnes Editt. excepta Ed. 25., quae habet: sicuti

29) se quoque iactitant invocare] sic Editt. 1 — 17. 19. 21—24. 26—34., Opp. 1. 2.; Editt. 18. 20. 25., Corp. 1.: se quoque iactitant se invocare; Corp. 2—8.: quoque iactitant se invocare

30) se] Editt. 1—9. 12. sese

Testimonia de unitate Dei.

Una est aeterna essentia divina, iuxta descriptionem positam, aeternus Pater, Filius imago patris, et Spiritus sanctus. Ac personae discernuntur, quoties divinitas intra sese describitur. Sed cum opponitur creaturis, mentio fit unius aeternae essentiae, ut Deut. 6. [vs. 4.] Audi, Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est. Ac pii observent appellationem. Dixi discernendam esse invocationem Ecclesiae ab Ethnica. Ideo populus Israel peculiarem appellationem Iehova tribuit Deo, ut discernat Deum verum conditorem, qui se in hoc populo patefecit, ab idolis et commenticiis numinibus Ethnicorum. Deut. 4. [vs. 35.]: Ut scias, quod Dominus est Deus, et non est alius praeter eum, id est, Hic Deus patefactus in hoc populo Israël solus est Deus. Deut. 32. [vs. 39.] Videte, quod ego sim solus et non est alius praeter me. Ies. 44. [vs. 6.]: Haec dicit Dominus, rex Israël et redemptor eius, Dominus exercituum: Ego sum primus et novissimus, et praeter me non est Deus. Ies. 45. [vs. 5.]: Ego sum Deus, et non est ullus praeterea, praeter me non est Deus; Ego Deus, et non est alius, formans lucem et creans tenebras. Item: Non est alius Deus praeter me, Deus iustus et salvans non est praeter me. Convertimini ad me, et salvi eritis, omnes fines terrae, quia ego sum Deus, et non est alius. 1. Cor. 8. [vs. 4.]: Scimus, quod nihil est idolum in mundo et quod nullus est alius Deus nisi unus. Nam etsi sunt qui dicantur [31]) dii sive in coelo sive in terra, sicuti sunt dii multi et domini multi; nobis tamen unus est Deus pater, ex quo omnia, et nos in illo; et unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, et nos per eum. Eph. 4. [vs. 6.]: Unus Deus et pater omnium, qui super omnes et per omnia.

DE TRIBUS PERSONIS DIVINITATIS.

In hoc articulo necesse est constitui, quid vocabulum Personae significet. Primum igitur trado hanc definitionem convenientem huic articulo: Persona, ut Ecclesia in hoc articulo loquitur, est substantia individua, intelligens et incommunicabilis. Satis constat veteres scriptores Ecclesiae solitos haec duo vocabula discernere, οὐσίαν et ὑπόστασιν, et dicere unam esse οὐσίαν, id est, essentiam aeterni Patris, Filii et Spiritus sancti, sed tres ὑποστάσεις, id est, tres vere subsistentes, non commenticios, non caducos, non confusos, sed distinctos seu singulares intelligentes. [32]) Pro hac voce Latini usi sunt nomine Personae, et quanquam Graeca vox ὑπόστασις est illustris, tamen, [33]) quia ingeniorum petulantia saepe conturbat recte dicta, rixae etiam de vocabulo ὑπόστασις ortae sunt. Cesserunt igitur Graeci et Latinos secuti coeperunt etiam hoc loco dicere tria πρόςωπα. Sed nos omissis [34]) rixis vocabulorum Ecclesiae sententiam fideliter retineamus, et verbis iam in Ecclesia usitatis et receptis sine ambiguitate utamur. Lusit homo fanaticus Servetus de vocabulo Personae et disputat olim Latinis significasse habitum aut officii distinctionem, ut dicimus Roscium alias sustinere personam Achillis, alias sustinere personam Ulyssis, seu alia est persona consulis, alia servi, ut [35]) Cicero [35a]) inquit: Magnum est in republica tueri personam principis. Et hanc veterem significationem vocabuli sycophantice detorquet ad articulum de tribus personis divinitatis. Sed has impias praestigias fugiamus et execremur, et sciamus in hoc articulo aliter loqui Ecclesiam, et personam dici substantiam individuam, intelligentem et incommunicabilem. Ac prodest in hac cogitatione saepe mente intueri baptismum Christi, ubi tres personae illustri discrimine monstrantur. Pater sonat hanc vocem: Hic est filius meus dilectus. Filius stans in flumine conspicitur, et Spiritus sanctus specie visibili demittitur. Ad hanc monstrationem accommodentur et firma testimonia, quae narrant, quis et qualis sit Filius, quis [36]) et qualis sit Spiritus sanctus.

Primum ergo hoc discrimen teneatur: Pater aeternus est persona non nata, sed quae genuit ab aeterno Filium imaginem sui. Filius est imago Patris genita ab aeterno a Patre; qui postea certo tempore in utero Mariae assumpsit humanam naturam, ut infra dicetur. Spiritus sanctus est agitator procedens a Patre et Filio, et mittitur ad sanctificandas mentes, id est, novam lucem, iustitiam et vitam Deo placentem et aeternam, accendendam in his, qui fiunt haeredes vitae aeternae. Sunt itaque tres personae divinitatis, immensae, coaeternae, ὁμοούσιοι, pater Domini nostri Iesu Christi, Filius, qui dicitur λόγος et imago aeterni Patris, et Spiritus sanctus. Nec sunt plures personae divinitatis.

Etsi autem omnes angelicae et humanae mentes obstupescunt admiratione huius arcani, quod Deus Filium genuit et quod a Patre et Filio procedit sanctificator spiritus, tamen sic sentire ne-

31) dicantur] Editt. 1—7. 9. 12. dicuntur

32) singulares intelligentes.] Editt. 1. 3. singulares et intelligentes.

33) tamen] Ed. 2. typogr. errore: men

34) omissis] Editt. 22. 24. amissis

35) ut] Editt. 1. 3. 6. 7. et

35a) Cic. Orat. Philipp. VIII. 10, 29.

36) quis] Editt. 1. 3. 6. 7. et quis

cesse est, quia, ut toties iam dictum est, de Deo sentiendum est, sicut se patefecit. Ethnici vagabantur animis quaerentes Deum suis speculationibus: At Ecclesia agnoscit Deum aeternum et omnipotentem conditorem talem, sicut se patefecit; et quanquam haec arcana non penitus perspicimus, tamen in hac vita Deus inchoari vult hanc agnitionem et invocationem [37]) nostram a falsa discerni, et revelationem certis testimoniis in verbo suo proposuit, in quo, ceu foetus in alvo materno nutrimentum attrahens umbilico et cotyledonibus, nos quoque sedemus inclusi et attrahimus agnitionem Dei et vitam ex verbo Dei, ut eum invocemus, sicut se patefecit.

DE FILIO.

Sic autem describitur Filius. Ioan. 1. [vs. 1.] nominatur *λόγος*. In Epistola ad Coloss. [1, 15.] nominatur imago Dei. In Epist. ad Hebraeos [1, 7.] vocatur splendor gloriae, id est, effigies seu imago substantiae Patris; ac loqui textum de natura divina Filii manifestum est, quia inquit, Omnia per eum condita esse. In Symbolo dicitur: Lumen de lumine. Harum appellationum collatio declarat eas. Filius dicitur imago et *λόγος*. Est igitur imago cogitatione Patris genita, quod ut aliquo modo considerari possit, a nostra mente exempla capiamus.

Voluit enim Deus in homine conspici vestigia sua, et si hominis natura retinuisset primam lucem, speculum esset divinae naturae minus obscurum. Nunc in hac caligine tamen aliqua notari vestigia possunt. Mens humana cogitando mox pingit imaginem rei cogitatae, sed nos non transfundimus nostram essentiam in illas imagines, suntque cogitationes illae subitae et evanescentes actiones. At pater aeternus sese intuens gignit cogitationem sui, quae est imago ipsius, non evanescens, sed subsistens communicata ipsi essentia. [38])

Haec igitur imago est secunda persona, et conveniunt appellationes. Dicitur *λόγος*, quia cogitatione generatur. Dicitur imago, quia cogitatio est imago rei cogitatae. Dicitur splendor gloriae, quod Graece significantius scriptum est *ἀπαύγασμα*, id est, ab alia luce splendor editus. Sic Filius est splendor a luce paterna editus; sicut in Symbolo legitur: Lumen de lumine. Item: Effigies substantiae patris, id est, imago non evanescens, sed subsistens communicata essentia.

Ut igitur in natura hominum Filium dicimus genitum de substantia Patris, similem Patri; Ita secunda persona Filius dicitur, quia de substantia Patris natus est et est eius imago. Proprietas ergo discernens Filium a ceteris personis haec est, genitum esse et imaginem esse. Et fit illustris discrimen, cum addimus, hanc secundam personam assumpsisse certo tempore humanam naturam in alvo Mariae. Pater enim non assumpsit humanam naturam, nec Spiritus sanctus assumpsit humanam naturam, sed Filius est Christus, id est, promissus redemptor, una persona duabus naturis mirabiliter unitis, scilicet illa aeterna Patris imagine seu *λόγῳ* et natura humana. Nam verbo unionis in hoc articulo communis consuetudo Ecclesiae utitur.

Mira sunt haec et longe supra omnem creaturarum captum posita. Sed scimus haec arcana Ecclesiae patefacta esse, ut Deum recte invocemus et caussas cogitemus huius mirandi beneficii, quod Deus aeternus [39]) foedere sibi naturam humanam copulavit. Vere igitur eam curat ac diligit, et hunc filium misit, ut esset redemptor et iram adversus peccata placaret, ut postea saepius dicendum est.

Tertia persona, Spiritus sanctus, dicitur procedere a Patre et a Filio. Haec proprietas huic tertiae personae tribuitur. Tribuitur et haec proprietas, quod sit persona, quae mittitur in corda renascentium, id est, qua persona Pater et Filius accendunt novam lucem, novos motus Deo placentes, iustitiam et vitam in cordibus renascentium. Et revera tunc adest Spiritus sanctus in cordibus, cum ea regit, movet et accendit, ut 1. Cor. 3 [vs. 16.] dicitur: Templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis. Haec gubernatio et sanctificatio vocatur actio specialis Dei. Ut autem Filius nascitur cogitatione, ita Spiritus sanctus procedit a voluntate Patris et Filii; voluntatis enim est [40]) agitare, diligere, sicut et cor humanum non imagines, [41]) sed spiritus seu halitus gignit.

Testimonia.

Matth. ultimo [28, 19.]: Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Hic nominatim tres personas recenset et tribuit eis parem potentiam et honorem. Voluit enim Christus in hac prima ceremonia complecti summam Evangelii. Quare simul et testificatur recipi nos a Deo, et docet, quis sit Deus, quem Deum invocemus, et quid nobis donet. Ego baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, id est: Ego testificor

---

37) et invocationem] Editt. 1. 3. et vult invocationem

38) non evanescens ... essentia.] Editt. 1. 3. et huic imagini communicat suam essentiam.

39) aeternus] Editt. 1—7. 9. 12. aeterno

40) enim est] Editt. 1. 3. est enim

41) imagines] sic omnes Editt., excepta Ed. 25., quae habet: imaginem.

te recipi a Patre aeterno et a Filio et a Spiritu sancto, ut misericordia et potentia horum libereris a peccato et a morte aeterna, et doneris iustitia et vita aeterna. Invocabis igitur non ut Ethnici aberrantes a vero Deo, qui se patefecit, sed hunc statues esse Deum conditorem rerum, qui se hoc verbo certis testimoniis ab initio mundi patefecit, tecum in baptismo foedus facit, affirmat se esse Patrem Domini nostri Iesu Christi, et constituisse Filium placatorem, et mittere Spiritum sanctum ad inchoandum[42]) in te iustitiam et vitam aeternam.

Agnoscis summam Evangelii erudite comprehensam esse in verbis Baptismi et ostendi, quis sit Deus: Ego baptizo te in nomine, id est, in invocatione, item in mandato. Item in agnitionem et invocationem Patris et Filii et Spiritus sancti. Invoco Patrem, Filium et Spiritum sanctum, super te testificans te recipi, te exaudiri etc. Haec est sententia verborum baptismi.

Cumque verba illa profiteantur Patrem esse Deum, esse omnipotentem, esse invocandum, et ad huius honoris societatem addantur Filius et Spiritus sanctus, necesse est parem potentiam esse. Cumque par sit potentia, sunt *ὁμοούσιοι*. Praeterea constat Patrem et Filium Christum personas distinctas esse; quare et nomine Spiritus sancti persona distincta significatur. Nam si Spiritus tantum significaret ipsum Patrem agitantem aut moventem res, bis nominasset[43]) Patrem et esset otiosa *ταυτολογία*. In hanc sententiam et Basilius prudenter et graviter ratiocinatur ex hoc dicto Christi: Patrem et Filium et Spiritum sanctum *ὁμοουσίους* esse; Baptizari nos oportet, sicut accepimus, credere autem, sicut baptizamur, glorificare autem, sicut credimus Patrem et Filium et Spiritum sanctum.

Sed quia passim sparsae sunt in scriptis Propheticis et Apostolicis probationes, quarum aliae de Filio tantum loquuntur, aliae de Spiritu sancto, colligenda erunt primo testimonia de Filio. Est autem praecipua probatio in primo capite Ioannis, quem quidem ferunt eo scripsisse Evangelium suum, quod Ebion et deinde Cerinthus[44]) sparserant Iudaicam opinionem et detraxerant Christo divinam naturam ac finxerant eum tantum habere humanam naturam.

Priusquam autem ad Ioannem accedo, ponam duas rationes sumptas ex scriptura, quae meo iudicio utiliter et docent et consolantur pios.

Prima[45]): Necesse est fateri Christum esse natura filium Dei, Quia Evangelium discernit filios adoptionis a filio Christo. Ioannes enim vocat Christum unigenitum Filium, Ioan. 1. [vs. 14.] Vidimus gloriam eius tanquam unigeniti a Patre. Porro cum haud dubie sit natura filius, necesse est in eo divinam naturam esse substantialiter. Quicquid autem est extra personam Patris, in quo est divina natura, id necesse est personam esse. Ita Paulus[46]) [Col. 2, 9.] inquit de Christo: In quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter, id est, qui Christus est persona divina, quasi diceret,[47]) habitare in eo divinitatem, non tantum ut in Davide, effective, separabiliter; sed ita, ut ipsa Christi *ὑπόστασις* sit divina. Nam Graeci *σῶμα* dicunt, ut nos vulgo personam.

Secunda ratio. Universa scriptura Prophetica et Apostolica magno consensu praecipit Christum adorari et invocari, ac iubet in eum confidere; ergo tribuit ei potentiam infinitam, quod ubique adsit, corda inspiciat, exaudiat, quod det iustitiam et vitam aeternam. Necesse est igitur in Christo divinam naturam esse.

Extant autem clara testimonia de invocando Christo et de fiducia in Christum. Matth. 11. [vs. 28.]: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Ioan. 3. [vs. 36.]: Qui credit in Filium, habet vitam aeternam. Ies. 11. [vs. 10.]: In die illa radix Iesse stabit in signum populorum,[48]) gentes ipsum deprecabuntur. Psal. 45. [vs. 12.]: Et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Deus tuus, et adorabunt eum. Psal. 72. [vs. 5.]: Et timebunt eum, donec erunt Sol et Luna. Item: Deprecabuntur coram ipso semper. Act. 7. [vs. 58.]: Domine Iesu, suscipe spiritum meum. 1. Thess. 3. [vs. 11.]: Ipse Deus et pater noster, et Dominus noster Iesus Christus, dirigat viam nostram ad vos. 2. Thess. 2. [vs. 16.]: Ipse Dominus noster Iesus Christus, et Deus et pater noster, qui dilexit nos et dedit consolationem aeternam et spem bonam in gratiam, confirmet vos. Genes. 48. [vs. 16.]: Deus Abraham, et Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris illis.

In his et similibus testimoniis dicitur de invocatione perpetua Christi, etiam cum non versatur cum hominibus visibiliter. Quare haec adoratio non potest intelligi, ut Iudaei cavillantur, de externa significatione honoris, quae praesenti velut regi tenenti civile imperium exhibetur; sed concionantur hae sententiae de Messia exaudiente, opitulante et

---

42) inchoandum] Editt. 1—7. 9. 12. inchoandam

43) nominasset] Ed. 22. typ. errore: nominasse

44) De Ebione et Cerintho conf. Euseb. hist. eccl. lib. III. cap. 77. et 78.

45) Prima] sic Editt. 1 — 16. 19. 23. 26. 27.; ceterae Editt.: Primo

46) Ita Paulus] Editt. 1. 3. 6. 7. 12. Ita et Paulus

47) quasi diceret] sic Editt. 20. 25—27., Corp. 1—8.; Editt. 3. 6. 7. 12. 29. quasi dicat; ceterae Editt. habent scriptionis compendia: q. d.

48) populorum,] Editt. 1. 3. populi,

servante Ecclesiam suam ubique terrarum et omnibus temporibus. Haec propria sunt naturae omnipotentis. Utile est igitur hanc doctrinam in Prophetis de invocatione Messiae considerare. Et apparet Patres, Prophetas ac alios pios veteris Testamenti divinitatem Messiae ipsa invocatione professos esse, et nos dicta illa non solum erudiunt de natura Filii, sed etiam consolantur et ad invocationem exuscitant.

Semper ergo sit in conspectu haec ratio, cum de invocatione Christi toties praecipiatur. Fatendum est in Christo esse naturam divinam, quia invocatio absentis, qui non conspicitur visibiliter, tribuit omnipotentiam. Sentit enim illum videre motus cordium omnium hominum ubique terrarum. Hic et Ecclesiae exemplum meminerimus, quae saepe repetit precationem, *χριστὲ ἐλέησον*. Haec precatio est professio divinitatis Christi.

Nunc ad Ioannem accedo, qui descripturus naturas in Christo orditur a divina: In principio erat *λόγος*. Sic vocat Filium Dei, qui postea assumpsit humanam naturam, ut ibi inquit: Et verbum caro factum est. Primum autem de illa natura loquens, quae fuit ante incarnationem, affirmat *λόγον* esse aeternum, quia inquit fuisse ante creationem et ait: Omnia per illum facta esse.

Et hunc *λόγον* nominat Deum inquiens: Et verbum erat Deus. Nam Graecus articulus testatur *λόγον* collocandum esse loco subiecti et Deum loco praedicati. Nec ambiguitas est hîc in appellatione Dei. Narratio enim instituta est ad descriptionem de essentia divina. Ideo intelligatur nomen Dei non de officiis divinis, quae gerunt homines, (ut alibi [Ioh. 10, 34. ex Ps. 81, 6.] dicitur: Ego dixi, dii estis,) sed propriissime de aeterna, omnipotente, intelligente, bona essentia, conditrice, sicut et postea Ioannes affirmat: Omnia per hunc *λόγον* esse condita; dicit ergo *λόγον* esse aeternum Deum et conditorem.

Hoc testimonium firmum esse bonae mentes intelligunt, quae acquiescunt in voce Evangelii et non accersunt cavillationes et corruptelas Evangelii. Sed astuti quidam et impii, ut Samosatenus et postea Photinus et recens Servetus, scelerate eludere et corrumpere ausi sunt dictum Ioannis ac contenderunt *λόγον* non significare personam, sed sicut in homine cogitationem hominis aut sermonem non dicimus esse personam, sed qualitatem aut motum [49]) transeuntem; Ita voluerunt in Ioanne intelligi *λόγον* non esse personam, sed cogitationem seu propositum Patris, quod sit ipse Pater, sicut dicimus mentem aut bonitatem Patris esse ipsum Patrem.

Denique narrationem Ioannis accommodabant ad exemplum hominis architecti: ut in architecto est idea futuri operis, quae non est persona, sed propositum et cogitatio in architecti mente, sic in conditore Deo dixerunt fuisse ideam et propositum, quod se patefacere voluerit per conditionem mundi et per doctorem excellentem Christum, traditurum doctrinam salutis et editurum testimonia de Deo. Hanc cogitationem seu hoc propositum [50]) dixerunt fuisse ipsum patrem, et de hac cogitatione aiunt in Genesi [cap. 1.] scriptum esse: Dixit Deus, id est, decrevit, proposuit; et in Ioanne [1, 3.]: Omnia per ipsum facta sunt, id est, Omnia condita sunt per hanc architecti cogitationem seu per sermonem iubentem, ut res fieret.

Quod vero Ioannes inquit [1, 14.], Verbum caro factum est, sic corruperunt, tandem iuxta id propositum natum esse ex virgine Christum, atque ita Ioannem exorsum esse inquiunt, ut moneret Evangelium non esse inventum humanum, sed aeternum Dei propositum fuisse, mittere hunc doctorem Christum et per eum edere testimonia doctrinae.

Haec sycophantica corruptela, quia alludit ad humanum exemplum, propter concinnitatem impiis ingeniis blanditur et saepe magnas ruinas traxit; ideo firma testimonia colligenda sunt, quae ostendunt oportere hic *λόγον* intelligi personam; Estque praecipua in narratione Ioannis controversia, an *λόγος* hic significet personam, sicut Ecclesia Dei Catholica semper sensit et defendit. Nam et tunc, cum Samosatenus tumultuaretur, convenerunt senes Episcopi Antiochiam ex vicinis regionibus, qui discipulos Apostolorum audierant et Samosatenum refutarunt ac damnatum eiecerunt ex Ecclesia.

Ad eam cognitionem profectus Gregorius Neocaesariensis Episcopus senex, cuius doctrinam Ecclesia eius temporis purissimam esse iudicavit, reliquit scriptam confessionem multo ante Nicenam Synodum. Haec confessio extat lib. 7. Eusebii pag. 173. [51]) Unus Deus pater verbi viventis, sapientiae subsistentis, et imaginis suae integer integrae geni-

49) motum] sic omnes Editt. exceptis Editt. 25—27., quae exhibent: modum

50) seu hoc propositum] sic Editt. 1. 3.; cett. Editt.: seu propositum

51) Haec Gregorii confessio non legitur in graeco textu historiae ecclesiasticae Eusebii, sed in iis, quae Ruffinus interpres capiti 28. libri VII. huius historiae addidit hisce verbis: „Sed et ingenii sui nobis in parvo maxima monimenta dereliquit [scil. Gregorius]. In Ecclesiasten namque mataphrasin idem Gregorius magnificentissime scripsit, et catholicae fidei expositionem breviter editam dereliquit. Quam pro aedificatione ecclesiarum sociare commodum his duxi. Gregorii martyris et episcopi necessaria fides: Unus deus pater" etc. Ab his verbis orditur ipsius confessio. Haec et quae sequuntur, inveni in Historia ecclesiastica latine, interprete Ruffino. Fol. s. l. et a. (Ed. Seculi XV.: Argentorati, excud. Henr. Egge-

tor, Pater filii unigeniti; unus Dominus solus ex solo, imago Patris, verbum efficax, Filius sempiternus ex sempiterno; unus Spiritus sanctus ex Dei substantiam habens, qui per Filium apparuit, sanctificans, per quem Deus super omnia et in omnibus cognoscitur.

Hanc confessionem non solum eo recitavi, quia illustre testimonium continet veteris et purioris Ecclesiae, sed etiam quia diserte tradit discrimina personarum. Filium ait esse imaginem; Spiritum sanctum ait esse sanctificatorem, per quem Deus cognoscitur, id est, inchoantem novam lucem in cordibus, ut 2. Cor. 3. [vs. 18.] dicitur: Transformamur in eandem imaginem tanquam a Domini spiritu.

Quod autem in narratione Ioannis λόγος significet personam, primum, ex illa ipsa narratione ostenditur, quia postea dicit Ioannes de Christo: In mundo erat, et mundus per ipsum factus est. Constat autem mundum non esse conditum per humanam naturam Christi; ergo necesse est in Christo nato ex virgine et esse et manere alteram naturam conditricem cum patre.

Sic et alibi similia dicta ostendunt in Christo duas esse naturas. Col. 1. [vss. 16 sq.] Omnia per ipsum et in ipsum [51a]) condita sunt et ipse est ante omnia, omnia consistunt per ipsum. Et Hebr. 1. [vs. 2.]: Per Filium, quem posuit haeredem omnium, per quem et secula fecit, qui est fulgor claritatis et effigies substantiae eius ferens, omnia verbo potentiae suae. Haec dicta manifeste testantur esse et manere in Christo divinam naturam conditricem cum Patre. Quare λόγος non significat propositum seu cogitationem extra Christum, nec significat vocem transeuntem, sed naturam manentem in Christo, conditricem cum Patre. Est igitur λόγος persona.

Sic et in Epistola Ioannis [1. ep. 1, 1.] dicitur: Quod erat ab initio, quod audivimus, quod vidimus, quod manus nostrae contrectaverunt, [52]) verbum vitae, id annuntiamus. Hic quoque testatur in ipso Christo nato ex virgine esse et manere verbum illud, quod initio fuit. Item ostendunt infra plura testimonia, quae de divina natura in Christo loquuntur, ut, Priusquam Abraham natus est, ego sum.

Piae mentes, quae sciunt de Deo, sicut se patefecit, sentiendum esse, cum videant haec testimonia Evangelii perspicua esse, agnoscunt hanc sententiam constantissime amplectendam esse, quod in Christo sit natura divina et quod λόγος in hac narratione personam significet, et intuentes haec testimonia Filium Dei invocant.

Nunc et veterum scriptorum dicta quaeramus, qui fuerunt ante Nicenam Synodum, de quibus Servetus perfidiose fucum facit lectoribus, citat mutilata dicta ex Irenaeo et Tertulliano, quasi velint λόγον non esse personam seu ὑπόστασιν, antequam Christus nascitur [53]) ex virgine; sed manifestam iniuriam utrique facit. Nam Tertullianus adversus Praxeam expresse movet hanc quaestionem, an λόγος sit natura subsistens seu (ut nunc dicimus) persona, et respondet affirmans esse personam seu ὑπόστασιν, et hanc sententiam longa oratione exponit, in qua haec sunt verba: Quaecunque ergo substantia sermonis fuit, illam dico personam et illi nomen Filii vindico et eum Filium agnosco et secundum a Patre defendo.

Irenaeus etiam aperte affirmat λόγον fuisse personam, antequam assumpsit humanam naturam. Sic enim inquit cap. 2. lib. 3.: Ostenso manifeste, quod in principio λόγος existens apud Deum, per quem omnia facta sunt, qui et semper aderat humano generi, hunc novissimis temporibus secundum praefinitum tempus a Patre unitum suo plasmati passibilem hominem factum misit.

Affirmat et Origenes περὶ ἀρχῶν diserte λόγον personam esse: Nemo putet, inquit, nos ἀνυπόστατον quiddam dicere, cum Dei sapientiam nominamus. Et postea: Si ergo semel recte receptum est unigenitum filium Dei sapientiam eius esse substantialiter subsistentem. Idem postea affirmat, cum disputat de incarnatione. Sed illustriora sunt testimonia et firmiora Gregorii Neocaesariensis et Irenaei, quae supra citavi.

Redeo autem ad Ioannem, qui cum inquit: Verbum caro factum est, primum testatur Patrem et Verbum non esse eandem personam; Pater enim non induit humanam naturam; nam discernit se a Filio dicens: Hic est Filius meus dilectus. Deinde cum dicitur, Verbum fit caro, personam intelligi necesse est. Nam ut supra ostendi, in Christo nato ex virgine manet natura divina conditrix. Est igitur λόγος persona. Item, si λόγος tantum esset cogitatio, quae est ipse Pater, haec cogitatio non fieret caro. Nam Pater non fit caro, nec de voce transeunte dici potest, quod fiat caro, praeterit [54]) enim et

---

steyn, teste Lud. Hainio, qui hanc Ed., quae in Biblioth. acad. Hallensi asservatur, in Repertorii bibliograph. Vol. I. P. II. p. 327. nr. 6708. recenset) fol. 87ª (vel pag. 173.) col. 1., in qua vero Ed. hoc caput, quod in Eusebii Editt. Valesiana aliis queduodetricesimum est, inscriptum est: Capitulum xxiiii. Ergo verisimillimum est, Melanthonem hanc Ed., quacum pagina h. l. laudata congruit, in manibus habuisse. — De illo Gregorio Neocaesariensi conf. etiam Socratis Hist. Ecclesiast. lib. IV. cap. 27.

51a) ipsum] Editt. 26. 27., Corp. 1—8. ipso

52) contrectaverunt] sic Editt. 20. 25—27., Corp. 1—8.; cett. Editt.: contrectarunt

53) Christus nascitur] Editt. 1. 3. nascitur Christus

54) praeterit] Editt. 18. 19. 22—24., Opp. 1. 2.: praeteriit

evanescit; at λόγος manet in Christo nato ex virgine.

Sunt igitur in Christo nato ex virgine Maria duae naturae, λόγος et humana natura, sic unitae, ut Christus sit una persona. Est enim usa Ecclesia hoc vocabulo uniendi, cuius sermonem nos quoque sequimur. Quod enim veteres interdum usi sunt vocabulo permiscendi, id prudenter intelligendum est, ne confusio naturarum cogitetur. Origenes, etsi similitudinem huius coniunctionis propriam afferri posse negat, tamen comparat eam ferro ignito. Sicut ignis penetrat ferrum et undique ei miscetur, Sic λόγος assumens humanam naturam lucet in ea tota, et natura humana velut accensa lumine λόγῳ unita est.

Satis clare refutavimus Samosateni, Photini et Serveti furorem, cum constituimus oportere λόγον personam intelligi. Deinde facilis est Arii refutatio, qui concedit λόγον significare personam apud Ioannem, at postea pugnat hanc personam non esse natura Deum; Sed Ioannes firmissime refutat Arium, cum affirmat expresse λόγον esse Deum, et ne in vocabulo Dei sit ambiguitas, attribuit λόγῳ, quod per eam personam omnia condita sint. Ergo cum sit persona conditrix et omnipotens, vere Deus est natura, non tantum nuncupatione.

Adiuvatur autem utraque refutatio, Samosateni et Arii, sequentibus testimoniis, quae ostendunt in Christo nato ex virgine duas esse et manere naturas, divinam conditricem rerum et humanam.

Ioan. 20. [vs. 28.] Thomas vocat Christum aperte Deum inquiens: Dominus meus et Deus meus, quod usitata Hebraica phrasi dictum est, qui iungitur nomen Dei proprium discernens invocationem veram ab Ethnica, ut Psalm. 19. [vs. 8.] Nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus. Mira igitur et nova lux fuit in Thoma tribuente Christo veri Dei nomen et agnoscente in eo non tantum humanam naturam esse, sed etiam divinam. Rom. 9. [vs. 5.]: Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Et ne quis cavilletur nomen Dei hîc metaphorice usurpari, addantur testimonia, quae tribuunt Christo ea, quae sunt propria naturae divinae, scilicet, creare, vitam reddere mortuis, sanctificare, exaudire, dare vitam aeternam et similia. Ioan. 5. [vs. 17. 21.]: Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Quae ille facit, et Filius similiter facit. Item: Sicut Pater exuscitat mortuos et vivificat, sic et Filius, quos vult, vivificat. In hac concione clare affirmat Christus se una cum Patre creare, sustentare creaturam, servare Ecclesiam, reddere vitam mortuis, quae sine ulla dubitatione sunt omnipotentis naturae propria. Ioan. 10. [vs. 28.]: Ego vitam aeternam do eis, et nemo rapiet eas ex manu mea. Ioan. 14. [vs. 13.]: Quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam. Hic aperte testatur se et exaudire et facere ea, quae petimus, quorum utrumque proprium est divinae et immensae naturae. Ioan. 15. [vs. 5.]: Sine me nihil potestis facere. Haec sententia testatur Christum adesse, protegere, iuvare, gubernare invocantes, quae sunt Dei propria. Matth. 18. [vs. 20.]: Ubicunque sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Adesse ubique, exaudire et opitulari ubique, propria sunt divinae naturae. Ioan. 20. [vs. 22.]: Christus dat Spiritum sanctum, quod etiam solius divinae naturae proprium est. Ioan. 10. [vss. 17 sq.]: Ego pono animam meam et rursus sumam eam. [Ioan. 6. [vs. 40.]: Ego suscitabo eum in novissimo die. Item [vs. 62.]: Si videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius. Ioan. 8. [vs. 58.]: Priusquam Abraham natus est, ego sum. Hic testatur se fuisse antequam assumeret humanam naturam. Ioan. 17. [vs. 5.]: Glorifica me, Pater, apud te ea gloria, quam habui apud te, antequam esset mundus. Col. 1. [vs. 16.]: Omnia per ipsum et in ipsum [55]) condita sunt et omnia per eum consistunt. Est ergo in Christo natura divina conditrix rerum. Ideo postea in cap. 2. [vs. 9.] dicitur: In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, quasi dicat: in aliis habitat Deus spiritu suo, novam lucem et novos motus accendens, sed in Christo habitat non solum spiritu, sed etiam ita, ut [56]) personali unione humana natura divinae unita sit. Nam ut nos dicimus nunc usitate personas, ita veteres Graeci dixerunt σώματα. Ad Hebr. 1. [vs. 2.]: Quem posuit haeredem omnium, per quem et secula fecit, qui est fulgor gloriae et effigies substantiae eius sustentans omnia etc. Act. 7. [vs. 58.]: Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Haec petitio tribuit Christo, quod morientium animas custodiat et rursus coniungat animas et corpora. 1. Thess. 3. [vs. 11.]: Ipse Deus et Pater noster, et Dominus noster Iesus Christus dirigat viam nostram. 2. Thess. 2. [vs. 16.]: Ipse Dominus noster Iesus Christus, et Deus et Pater noster confirmet vos.

Ex veteri Testamento.

Ierem. 33. [vs. 16.]: Et hoc est nomen, quod vocabunt eum Dominus iustificator noster. Hîc tribuit Christo nomen Dei proprium et affirmat esse iustificatorem, ergo tribuit ei gloriam, quae soli Deo competit. Item, iustificare, tollere peccatum et iram Dei et reddere iustitiam et vitam aeternam, nemo potest nisi Deus. Etsi autem Iudaei hoc testimonium veteratorie eludunt, tamen facilis est eo-

---

55) ipsum] Editt. 26. 27., Corp. 1—8. ipso

56) etiam ita, ut] sic Editt. 1. 3. 6. 7. 12.: cett. Editt.: etiam ut

rum refutatio. Clare dicit Propheta, ipsum Messiam vocandum, id est, invocandum esse hac fide, quod ipse sit Deus, iustificator noster. Appellatio ad hanc ipsam personam Messiae pertinet. Ies. 7. [vs. 14.]: Vocabitur nomen eius Emanuel, id est, nobiscum Deus. Sed firmius est, quod sequitur cap. 9. [vs. 6.]: Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater vitae perpetuae. Hic quoque Iudaei cavillantur vocabulum EL, sed certum est hac voce significari Deum, et praestigias eorum refutat ipse textus, qui sequitur: Pater vitae perpetuae. Cum Christus sit auctor et donator vitae perpetuae post hanc vitam, (sicut inquit [Ioh. 10, 28.]: Ego vitam aeternam do eis,) necesse est eum natura Deum esse. Mich. 5. [vs. 1.]: Egressus eius ab initio ante dies mundi. Hoc testimonium quanquam breve est, tamen affirmat Messiam fuisse ante conditionem mundi. Est igitur aeternus ac Deus. Ideoque patres eum ab initio norunt, et sciverunt eum adesse Ecclesiae, sicut ostendit dictum Iacob supra [57]) citatum; et Daniel cum eo colloquitur et perterrefactus confirmatur et nova luce et vita ab eo perfunditur. Et 1. Cor. 10. [vs. 4.] dicitur affuisse populo in deserto. Bibebant ex spirituali comitante eos petra, petra autem erat Christus. Psalm. 45. [vs. 12.]: Et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Deus tuus. Hîc proprium Dei nomen tribuit regi Messiae. Estque dulcis promissio. Etsi Ecclesia in hac vita deformatur ingentibus aerumnis et adhuc est imbecillis, tamen rex Messias eam amat et formosam esse pronuntiat. Hac promissione piae mentes luctantes cum imbecillitate sua se sustentent.

Psalm. 72. [71.] dicit Messiam sempiterum esse et semper adorandum. [Ps. 71, 17.]: Fuit nomen eius semper, ante Solem manebit nomen eius, et benedicentur in eo omnes gentes. Item: Timebunt eum, donec erit Sol et Luna. Adoratio tribuit divinitatem. Certum est enim dici de perpetua adoratione, qua invocatur Messias etiam non conspectus oculis, nec dicitur tantum de gestu, quo praesentibus regibus honos tribuitur. Describitur ibidem et aeternitas: Ante Solem erat [58]) nomen eius, id est, antequam Sol conditus est, erat hic Filius. Nam Hebraicus Psalmus hîc insigni verbo usus est significans haud dubie natum esse Filium ante conditionem Solis.

Psalm. 110. [vs. 1.] Dixit Dominus Domino meo. Inde Christus argumentatur se non tantum esse filium Davidis, sed Dominum quoque. Iam in eodem regno politico et eadem natura filius seu successor nunquam est dominus patris aut avi regis, ut Augustus nequaquam est Dominus Iulii Caesaris. Quare Messiae regnum erit non politia peritura, sed aeterna vita et iustitia aeterna, et in Christo erit divina natura reddens vitam aeternam. Sicut et reliqua membra Psalmi docent, quae omnia complectenda sunt. [vs. 4.:] Tu es sacerdos in aeternum. Ait esse perpetuum sacerdotem ducentem nos ad Patrem et dantem vitam aeternam. [vs. 1.:] Sede a dextris meis, id est, regnato pari potentia cum aeterno patre. Cum autem potentia sit infinita, necesse est in Christo divinam naturam esse.

Psalm. 2. [vs. 7.] Ego hodie genui te. Hoc de solo Christo dicitur. Sicut et [59]) a Ioanne [1, 18.] Christus vocatur unigenitus Dei filius, id est, non adoptione, sed natura filius. Est autem natura filius is, in quem substantia patris propagata est.

Quodsi obiicitur, Naturam divinam non pati, non mori, Christum autem mortuum esse; usitata, vera et necessaria responsio est: Cum in Christo duae naturae sint, quaedam propria uni naturae non impediunt, quo minus adsit altera natura. Propria autem sunt haec humanae naturae, lacerari membra, pati, mori. Ideo Petrus diserte dixit, Christum passum esse carne. Et Irenaeus erudite et pie inquit pagina 185. Christum crucifixum et mortuum esse requiescente verbo, ut crucifigi et mori posset, id est, natura divina non est quidem lacerata aut mortua, sed fuit obediens Patri, quievit, cessit irae aeterni Patris adversus peccatum generis humani, non est usa sua potentia, non exeruit [60]) suas vires. Si expendes dictum Irenaei, intelliges pie declarari naturarum discrimina et simul illustrari magnitudinem irae Dei adversus peccatum effusae in Christum et admirandam humilitatem Filii quiescentis et obedientis Patri nec exerentis suam potentiam.

Convenit autem hoc dictum ad illud Philipp. 2. [vs. 6.]: Qui cum esset in forma Dei, id est, sapientia et potentia aequalis Patri, non rapuit aequalitatem Dei, id est, cum missus esset, ut obediret Deo in passione, non fecit contra vocationem, non est usus sua potentia contra suam vocationem, sed se ipsum exinanivit, id est, non exeruit potentiam suam, et humiliavit se formam servi accipiens, id est, induens cum humana natura mortalitatem, habitu inventus ut homo, id est, affectibus, pavore, tristitia, dolore. Teneatur ergo discrimen naturarum, sed simul illud sciatur, propter unionem personalem veras esse has propositiones: Deus est passus, crucifixus, mortuus; non cogites humanam naturam solam esse redemptricem, et non totum

57) Vide supra p. 618. (Genes. 48, 16.)

58) erat] Editt. 1—3. 6. 7. 9. erit

59) et *abest ab* Editt. 22. 24. 28., Opp. 1. 2.

60) exeruit] Ed. 22. exerit

Filium Dei. Nam etsi [61]) natura divina non laceratur, non moritur, tamen scias vere hunc ipsum Filium coaeternum Patri redemptorem esse. Ideo traduntur regulae in hac doctrina de communicatione idiomatum, id est, de praedicatione proprietatum, quae de utraque natura communiter, sed in concreto dicuntur, videlicet ut intelligantur proprietates personae tribui.

Diligentia digna est piis, propter concordiam loqui cum Ecclesia et non sine eruditis caussis. Ecclesia vetus alios modos comprobavit, alios reiecit. Fugiamus autem studium cavillandi, et formas receptas gravi et vera auctoritate retineamus. Haec propositio non est vera: Natura divina est humana. Sed haec est vera: Deus est homo, Verbum est homo, Christus est homo, Christus est Deus, Deus est natus ex virgine, passus; quia haec persona, in qua unione personali unita est humanae naturae divina, nascitur, crucifigitur. Hanc loquendi formam in concreto vocant communicationem idiomatum, id est, praedicationem, in qua proprietates naturarum personae recte attribuuntur, ut Filius Dei sit redemptor, non tantum natura humana sit redemptrix. Item verae et receptae sunt hae propositiones: Verbum factum est caro, Verbum factum est homo, Deus incepit esse homo. Econtra vero reiectae sunt hae propositiones: Verbum est creatura, Christus est creatura, Christus incepit esse, Christus factus est. Prudenter enim vitata est ambiguitas et vitatae sunt insidiae. Nam Ariani sic loquentes non de natura humana [62]) Christi assumpta loquebantur, sed alteram naturam in Christo priorem humana contendebant ex nihilo conditam esse, non esse imaginem aeterni Patris genitam de substantia eius, ὁμοούσιον et coaeternam Patri.

Verbum est homo, recepta est, quia intelligitur verbum assumpsisse humanam naturam. Verbum est creatura, reiecta est, quia non intelligitur assumptio alterius naturae, sed praedicatum significat λόγον esse creatum, quod falsum est. Haec recensui, ut moneam studiosos, ut in loquendo diligentiam adhibeant dignam piis mentibus ac orthodoxae Ecclesiae sermonem imitentur.

Est et illa responsio tenenda: Quaedam dicta de essentia loquuntur, quaedam de officiis. Ariani citabant hoc dictum [Ioh. 14, 28.]: Pater maior me est. Quod manifeste loquitur de discrimine mittentis et missi, non de essentia. Cum enim Iudaei accusarent Christum, quod doceret contra auctoritatem Dei, necesse fuit Christo allegare auctoritatem Patris, a quo affirmat se missum esse et traditam sibi doctrinam et mandatum docendi, ac Patrem maiorem esse dicit tanquam mittentem, fontem doctrinae, approbatorem et defensorem huius doctrinae et Ecclesiae suae. Filius missus hic subit crucem et Ecclesia plena est infirmitatis, sed de Patre clamat Christus: Pater maior me est, is mecum operatur, defendet hanc doctrinam et Ecclesiam suam.

Ita alibi [Ioh. 17, 5.] dicitur: Pater, glorifica me. Hoc dictum tam poterat citari ab Arianis, quam alterum, sed facit discrimen officiorum, non loquitur de essentia: Nunc missus subiectus sum cruci et servio meae vocationi, Deinde vero gloriam mihi restitue, quam ante mundi constitutionem apud te habui. At hoc dictum de essentia loquitur Ioan. 1. [vs. 1.]: Verbum erat Deus.

Saepe locum habet et haec responsio, quam certe in Prophetis animadverti necesse est. Alia dicta loquuntur de regnante Christo ut [Ioh. 5, 19.]: Quae pater facit, haec et Filius similiter facit. Alia dicta de humiliato et patiente Christo loquuntur, ut [Matth. 27, 46.]: Deus, quare dereliquisti me? Non dicitur de essentia, sed illius temporis obedientia describitur, in qua iram Dei adversus humani generis peccata in Filium effudit. Et regula tenenda est, Filium Dei assumpsisse humanam naturam integram, incorruptam, habentem omnes vires et appetitiones naturae proprias et ordinatas; item non vitiosam, sed tamen passibilem sine peccato et mortalem. Quas infirmitates assumpsit volens propter nos, ut fieret victima. Sic ad Hebr. 4. [vs. 15.] dicitur: Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, sed tentatum per omnia, secundum similitudinem sine peccato.

Etsi igitur Christus videbat Patrem et erat beatus, tamen humana natura habuit suas appetitiones, sed ordinatas. Et haec [63]) saepe recitantur: Esurit, sitit, laetatur, irascitur, dolet, lacrimat, conflictatur ingenti moestitia, sicut ipse inquit [Matth. 26, 38.]: Tristis est anima mea usque ad mortem. Et quia motus cordis in moestitia pellit, ut omnes experimur, tantus in Christo motus est, ut sanguis expellatur ac sudor esset similis guttis spissi et concreti sanguinis; nam id significant θρόμβοι. Talem resolutionem nemo alius sustinere potuisset. Hi affectus in Christo non fuerunt simulati, sed veri [64]) et ingentes motus.

Nec cogitemus Christum fuisse lapidem aut Stoicum, sed vere laetatus est, vere conflictatus moerore, et illa ingens moestitia in agone multas caussas habuit, non tantum formidat lacerationem corporis, sed sentit maius onus, scilicet iram Dei adversus peccata generis humani, quam scit in sese effundi, perinde ac si ipse sese omnibus horrendis

61) etsi] Editt. 1—17. 19. 21. 23. 26. 27. etiamsi

62) natura humana] Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2.: humana natura

63) haec] Editt. 1—14. 19. 23. hae

64) veri] Editt. 1. 2. typothetae errore: vere

sceleribus polluisset. Doluit item magnam partem generis humani perituram esse spreto hoc beneficio Dei. Isti ingentes dolores a nobis nec intelligi nec sustineri possunt. Sed tamen Ecclesiam aliquid de his tantis rebus cogitare necesse est, quae ideo onerata est cruce, ut agnoscant magnum quiddam esse iram Dei adversus peccata.

Cum igitur praecipua ira effusa sit in Filium, moestitiam fuisse ingentem necesse est, qua doluit Deum offensum esse a genere humano, et luctatus est cum tentatione de abiectione. Ideo et Angelus mittitur ad eum confirmandum. Haec cogitanda sunt, ut aliquo modo magnitudinem peccati inde aestimemus et Christo gratias agamus, quod poenam pro nobis subiit, et simul pro nobis factus est deprecator, et hac cogitatione fidem, invocationem et timorem excitemus.

Quod vero disputant, an fuga mortis in Christo fuerit vitiosa, cum pars inferior non obtemperaverit superiori; Primo respondeo lacerationes in carne naturaliter efficere dolores etiam sine peccato, item aliquas moestitias in corde et voluntate naturales esse, quae in Christo sine vitio fuerunt, doluit, sed non, ut nos, inordinate.

Deinde supra illum naturalem dolorem est in Christo sensus irae Dei adversus peccatum generis humani, agnoscit et dolet Deum vere et horribiliter offensum esse propter peccata generis humani, et luctatur cum tentatione de abiectione. Quanquam igitur in hac lucta est quaedam trepidatio, quia universaliter natura supra vires onerata gemit, tamen dissimilis est haec trepidatio seu hic gemitus in Christo et in ceteris hominibus. Christus fert terrores sine indignatione adversus Patrem, et agnoscit esse obediendum Patri. Ideo haec trepidatio est sine peccato et non est vitiosa. At in ceteris hominibus cum fuga existit fremitus adversus iudicium Dei, et in his, qui non eluctantur confugientes ad victoriam Christi, accedunt horrendae blasphemiae. Nec addam longiorem disputationem; nam pios suae aerumnae ad harum rerum cogitationem deducent. Nos tamen commonefieri utile est, et collatio similium agonum in Psalmis et Prophetis haec aliquo modo declarat.

Quod vero de pugnantia dicunt, beatum, cum sit in excellenti laetitia, non simul esse in magna consternatione; respondendum est fuisse certum tempus passionis, quo non ita fulsit illa gloria beatitudinis, ut alio tempore. Fuit enim tempus destinatum ad hunc agonem, in quo Christus vere fieret victima, requiescente Verbo, ut inquit Irenaeus. Hac temporum distinctione contenti simus. Alii quaerunt alias responsiones, de quibus iudicium relinquo lectoribus.

DE SPIRITU SANCTO.

Nomen Spiritus in genere significat agitationem aut naturam seu vim agitantem, et observanda est varietas in ipsis scriptis Propheticis et Apostolicis, nec temere omnia dicta miscenda sunt, in quibus reperitur vocabulum Spiritus. Saepe significat ventos, saepe vitam hominis, saepe motus seu impetus hominum creatos tum bonos tum malos. Hic significat essentiam spiritualem, id est, vivam, intelligentem, incorpoream, efficacem [Ioh. 4, 24.]: Deus est Spiritus. Estque hoc loco nomen commune Patri et aliis personis. Delectus igitur adhibendus est in testimoniis colligendis, ac prudenter iudicandum, ubi proprie loquatur scriptura de Spiritu sancto, quem praedicat Evangelium dari per Christum, ut sanctificet ac vivificet corda nostra, et quem Ecclesia agnoscit personam esse divinam, vivificantem et sanctificantem. Idque confirmandum est, Spiritum sanctum esse personam. Nam multi impii et audaces homines in dissidiis Ecclesiasticis contenderunt Spiritum sanctum non esse personam, sed tantum significare agitationem creatam in hominibus aut certe significare ipsum Patrem potentem seu agitantem sine alia persona.

Sed huic impio sophismati Ecclesia vera opponit testimonia in scripturis tradita, quorum primum et maxime illustre est revelatio divinitatis, facta in baptismo Christi, ubi clare discernuntur tres personae. Pater inquit [Matth, 3, 17]: Hic est Filius meus dilectus. Est igitur alia persona Patris, alia [65]) Filii. Descendit autem Spiritus sanctus in specie columbae. Iam si Spiritus sanctus esset agitatio in animis creata, non appareret peculiari specie corporali, aut si esset ipse Pater, non discerneret Spiritum sanctum, inquit autem: Super quem videris Spiritum sanctum.

Sic et in Pentecoste apparet Spiritus sanctus peculiari specie corporali. Hae patefactiones non sunt frustra factae, imo sunt excellentia beneficia Dei, in quibus Deus se patefecit Ecclesiae et testificatus est Spiritum sanctum esse personam.

Ad haec testimonia adiungatur dictum de Baptismo: Ego baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, id est, testificor te recipi a Deo, quem super te invoco, Patrem, Filium et Spiritum sanctum. Cum autem ad Spiritum sanctum dirigatur invocatio, sicut ad Patrem et Filium, necesse est eum personam esse et non motum seu agitationem creatam in homine. Nequaquam enim docet Christus invocare motum aut agitationem creatam in homine. Cum igitur invocatio pariter ad Spiritum sanctum, ut ad Patrem et Filium, dirigatur, haec sententia docet non solum personam esse Spiritum sanctum, sed etiam omnipotentem, exaudientem et salvantem. Haec enim omnia complectitur invocatio, quae parem honorem tribuit Patri

65) alia] Editt. 22. 24. 28. 29. 31. male: alii

et Filio et Spiritui sancto. Est igitur tertia persona Spiritus sanctus, ac discernitur a Patre et Filio, ut supra dixi, quia procedit a Patre et Filio, et mittitur in corda, quae voce Evangelii regenerantur, ut nova luce agnoscant et invocent Deum, et inchoetur in eis vita aeterna, dum fide consolationem concipiunt.

Ioan. 14. [vs. 16.:] Rogabo patrem, et alium Paracletum dabit vobis. Cum ait, alium, discernit a Patre et Filio hunc Paracletum. Non igitur significat Spiritus ipsum Patrem agitantem, non enim esset alius; nec significat agitationem creatam, non enim mitteretur a Filio, si esset Pater agitans aut tantum agitatio creata a Patre. At Christus inquit Ioan. 15. [vs. 26.] Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritus [66]) veritatis, qui a Patre procedit: A se inquit mitti Spiritum sanctum. Non est igitur aut Pater agitans aut tantum agitatio creata a Patre.

Sunt et haec personae propria: Alius Paracletus, qui docebit vos, et quae audiet, loquetur. Si Spiritus significaret agitationem creatam, esset doctrina, non doctor alius a Patre et Filio, audiens et accipiens.

Sic et Paulus 1. Cor. 12. [vs. 11.] clare discernit Spiritum sanctum a donis creatis, auctorem ab effectibus: Omnia, inquiens, haec efficit unus et idem Spiritus.

Eodem modo loquitur Rom. 8. [67]) [vs. 16.:] Ipse Spiritus dat testimonium spiritui nostro. Discernit hic quoque moventem et consolantem Spiritum sanctum a consolatione, qua cor erigitur et vivificatur.

Eodem modo loquitur 2. Cor. 3. [vs. 18.:] Transformamur tanquam a Domini spiritu. Ubi etiam effectorem discernit a creata in nobis luce, ut ibi inquit, id est, a clara et firma notitia, id est, firma fide et invocatione.

Eodem loco expresse dicit, Spiritum esse Dominum, id est, Deum; nam cum inquit, Dominus est Spiritus, articulus tribuit nomini Spiritus locum et intellectum subiecti. Et sic Basilius eum locum citat.

Quod autem Spiritus sanctus fuerit, antequam carnem induit Filius Dei, perspicue testatur Petrus, cum inquit de prophetis [1. ep. 1, 11]: Spiritus Christi in eis praedicens Christum passurum esse. Hîc diserte vocatur Christi spiritus, qui fuit in Prophetis. Eodem igitur Spiritu sancto et Patres et Apostoli et pii deinceps, hoc est, omnes electi omnibus temporibus sanctificati sunt.

Idque multo illustrius docent verba Iesaiae 59. [vs. 21.:] Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, dicit Dominus, deinceps et in sempiternum. Eundem Spiritum ait esse in Iesaia et in tota Ecclesia ad omnem aeternitatem. Non igitur tantum post resurrectionem Christi effusus est in pectora sanctorum Spiritus sanctus, sed semper eodem Spiritu sancto omnes electi sanctificati sunt. Et quidem dictum Iesaiae dulcissimam doctrinam et consolationem proponit, Affirmat semper mansuram esse Ecclesiam Dei, et ibi mansuram, ubi sonat vox Evangelii, et cum ea voce efficacem esse Spiritum sanctum. Et Zach. 7. [vs. 12.] dicitur: Verba, quae misit Dominus exercituum in Spiritu sancto per manum Prophetarum priorum. Hoc dicto etiam utrumque affirmatur, et gubernatos esse Spiritu sancto Prophetas et verbum Dei non esse inanem sonitum, sed adesse Spiritum sanctum et ea voce movere et accendere mentes, quod firmissime statuendum est piis, ut sciant vere Deum efficacem esse per verbum suum in mentibus credentium et in eis accendere vitam aeternam, ut Gal. 3. [vs. 14.] dicitur: Ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem, ut infra rursus dicam.

Ita et Iesaias cap. 63. [vs. 11.] affirmat Spiritum sanctum fuisse ductorem et gubernatorem Moysi et populi in diserto. Quo dicto significat semper adesse Spiritum sanctum in Ecclesia Dei. Sic Christus clare dicit Ioan. 14. [vs. 16.] Dabit vobis alium Paracletum, ut maneat vobiscum in sempiternum, Spiritum veritatis. Verba Iesaiae haec sunt: Ubi est, qui eduxit eos de mari cum pastore gregis sui; ubi est, qui posuit in eo Spiritum sanctum suum, qui eduxit dextra Moysen brachio maiestatis suae, qui scidit aquas ante eos? Et deinde addit: Spiritus Domini ductor eius fuit.

Haec dicta ostendunt doctrinam de Spiritu sancto extitisse in Ecclesia Patrum et prophetarum. Ideo etiam veteres hoc dictum in Genesi intellexerunt de Spiritu sancto, qui est persona divinitatis. Et Spiritus Domini ferebatur super aquas. Sic enim ait Basilius: Sive quod verius est et enarratum ab iis, qui ante nos fuerunt, loquitur de Spiritu sancto Dei, quia scriptura hoc observat, ut cum ait, Spiritus Dei, intelligat Spiritum sanctum, qui est divinae Trinitatis tertia persona. Ac si hoc modo intelliges dictum Moysi, maiorem capies utilitatem. Quomodo enim ferebatur super aquas? Narrabo tibi sermonem Syri cuiusdam, qui ait, Vocem hîc positam significare idem, quod fovere vitali calore, sicut avis incubans fovet ova. Hactenus Basilius. Sed testimonia ex novo Testa-

66) Spiritus] Editt. 16. 17. 21. 22. 24. 28., Opp. 1. 2. Spiritum

67) 8.] Editt. 22. 24. 28., Opp. 1. 2. male: 7.

mento recitata illustriora sunt. Hoc vero dictum in Genesi quoquo modo expones, tamen significat foveri [68]) Ecclesiam incubante, docente et accendente in ea lucem et invocationem Spiritu sancto. Id firmissima fide tenendum est, sicut in Actis cap. 2. [vss. 33 sq.] dicitur, Christum [69]) sedere ad dextram patris, ut det Spiritum. Idem in dicto illo traditur: Ascendit, dat dona hominibus. Hac igitur fide petamus, ut filius Dei nos regat Spiritu sancto suo.

Recensui testimonia, quae personam esse Spiritum sanctum convincunt, quibus addam et illud 1. Ioan. 5. [vs. 7.:] Tres sunt, qui testimonium perhibent in coelo, Pater, λόγος et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt. Quod diserte inquit, Testimonium perhibent, admonet nos de patefactione Dei, ut Deum sic [70]) agnoscamus, ut se patefecit. Testificatur Deus de sese, quis et qualis sit, verus Deus, conditor rerum, conservator et opitulator. Testificatur et de doctrina sua et de voluntate erga nos, et affirmat tres esse in coelo, qui testimonia ediderunt.

Teneantur ergo testimonia discernentia personas. Pater se patefecit [71]) et discernit, cum clamat: Hic est Filius meus dilectus. Item Ioan. 12. [vs. 18.:] Et glorificavi et glorificabo. Filius de Patre, de sese et de Spiritu sancto testificatur in doctrina sua, quam miraculis et sua ipsius resurrectione confirmavit. Spiritus sanctus discernitur, quia peculiari specie effunditur in Christum et Apostolos, et testificatur postea in invocatione, confessione, miraculis, fortitudine tolerandi supplicia etc. Non igitur frustra Ioannes testimonii mentionem facit; sed ideo sic loquitur, ut nos admoneat, ut ita agnoscamus Deum, sicut se patefecit, et ipsa testimoniorum editione nos confirmemus.

Etsi autem novi Testamenti dicta sunt magis perspicua, tamen his congruunt testimonia Prophetarum. Significata est persona divina dicto Ioel [2, 28.]: cum ait Deus: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem. Quia enim inquit, meo, testatur non mitti creatam agitationem, sed aliquid essentiae Dei. Necesse est autem personam esse distinctam, quae est aliquid Dei, et tamen non est Pater. Quanta autem misericordia, quantus amor est erga genus humanum, quod Deus hunc amoris ignem transfundit [72]) coessentialem ipsi.

Collegit Basilius [73]) et testimonia multorum, quorum ante ipsius aetatem in Ecclesia praecipua fuit auctoritas, quod meminisse utile est. Confirmantur enim pii, cum audiunt doctrinam certis testimoniis verae et purioris Ecclesiae traditam esse, sicut de Ecclesia audienda scriptum est [Iudic. 14, 18.]: Nisi vitula mea arassetis, non invenissetis.

At inter cetera hoc dictum Eusebii Palaestini citat: Sanctum Deum lucis conditorem per salvatorem nostrum Iesum cum Spiritu sancto invocantes. Haec verba ostendunt veteres diserte tres personas in invocatione complexos esse, et ea forma loquendi de Filio usos esse, ut animi simul de Mediatoris intercessione et de promissionibus commonefierent. Huc pertinet etiam testimonium, quod recitamus in Symbolo: Credo in Spiritum sanctum. Ut enim supra dicitur, Credo in Deum Patrem et in Iesum Christum, (qua forma sermonis personas alloquimur et [74]) ab eis bona petimus, et fiducia auxilii Patris et Filii acquiescimus;) ita cum hic dicitur, Credo in Spiritum sanctum, persona intelligatur, et petamus, ut hic παράκλητος mittatur in corda nostra, regat et ducat nos in tantis vitae periculis, sicut duxit Moysen per mare rubrum, ut inquit Iesaias.

Hactenus veram et salutarem doctrinam de personis recensui, et quia dixi testimonia verae Ecclesiae non negligenda esse, legant pii etiam historias, videant, in quibus Synodis haec doctrina fideliter defensa et illustrata sit. Antiochena refutavit Samosatenum. Nicena condidit Symbolum Nicenum, et praecipue illustravit sententiam de duabus naturis in Christo. Constantinopolitana defendit hunc articulum, Spiritum sanctum esse personam procedentem a Patre et Filio. Ephesina damnavit Nestorium, qui finxerat, non unitas esse duas naturas in Christo, sed λόγον assistere Christo, sicut amicus amico adest. Chalcedonensis damnavit Eutychen, qui confundebat naturas et fingebat humanam conversam in divinam, ut cum ex aqua factum est vinum, nec fuisse duas naturas unitas. Hae sunt praecipuae Synodi, quarum iudicia meminerimus et amplectamur.

Econtra etiam in historiis consideremus, qui furores saepe exorti sint contra veram de essentia Dei doctrinam. Marcion et Manichaei finxerunt duos Deos pariter aeternos pugnantes inter sese, bonum et malum; ac bonum vocarunt lumen, malum tenebras; et bonas naturas dixerunt a bono conditas esse, materiam vitiosam a malo.

Haec portenta refutare discamus. Unus est enim conditor omnium rerum, et quidem bonus, ut supra dictum est in definitione Dei, et Ies. 45. [75])

68) foveri] sic Editt. 1—7. 9. 12.; ceterae Editt.: moveri

69) dicitur, Christum] Editt. 1—7. 9. 12.; dicitur Christus

70) sic *abest ab* Editt. 22. 24. 28. 29. 31—33., Opp. 1. 2.

71) patefecit] Ed. 20., Corp. 1—8, patefacit

72) ignem transfundit] Editt. 1—7. 9. 12. ignem in nos transfundit

73) Basilius De spiritu sancto cap. 8.

74) in Iesum Christum — alloquimur et *omittunt* Corp. 2. 4.

75) 45.] Editt. 22. 24. 28., Opp. 1. 2. male: 46.

[vss. 6 sq.] dicitur: Praeter me non est Deus alius formans lucem et creans tenebras seu [76]) corpora obscura, dans pacem et creans malum, id est, corpora nocentia.

Fugiamus etiam portenta Valentinianorum, qui finxerunt innumerabiles Deos seu nomina tantum allegorice cumulantes, (ut Hesiodus cumulat Chaos, Noctem, Erebum, Saturnum, Iovem et alios,) seu re ipsa putantes esse innumerabiles aeternos Deos, quia mirum videtur unum aliquem in aeterna solitudine cogitare. Semper ab initio mundi Diabolus et sparsit et sparget horribiles furores, ut verum Deum contumelia afficiat et humanae imbecillitati insultet. Adversus illos furores tradidit nobis Deus certam doctrinam per Patres, Prophetas, Christum et Apostolos, hac luce vult Ecclesiam regi, nec alias opiniones admittere. Ut foetus in matre sedet circumdatus alvo, sic nos verbo Dei inclusos esse sciamus, donec quasi editi in aeterna vita palam cernemus Deum; interim Deo gratias agamus, quod se nobis patefecit, et reverenter illi patefactioni assentiamur.

Sciamus non plures esse personas divinitatis, quam tres: Unum esse coaeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi; unum Filium, imaginem aeterni Patris Iesum Christum; unum Spiritum sanctum; et has tres personas tamen ὁμοουσίους esse, et simul omnia condidisse, et discrimina discamus, ut supra recitavimus, ac beneficia propria cuiusque personae intelligamus. Quia enim Deus sic se patefecit, vult ita agnosci et discerni personas. Pater fons est omnium beneficiorum. Sed Filius proprie est Mediator et Reconciliator, et factus est pro nobis victima, cum naturam humanam assumpsisset. Spiritus sanctus mittitur in corda credentium, ut novam lucem, iustitiam et vitam aeternam accendat, ut vocat eum Zacharias [12, 10.] Spiritum gratiae et precum, id est, testificantem in nobis, nos receptos esse in gratiam, et moventem cor, ut hoc credat et statuat; item impellentem ad invocationem, quia iam exaudiri nos credimus.

Haec doctrina de tribus personis in invocatione quotidie proferatur, in qua certe hoc primum omnium ardentissime petendum est, ut Deus pectora nostra regat, ut recte de ipso sentiamus ac vere eum invocemus, nec ab eo aberremus, ut Ethnici, recentes Iudaei, Mahometistae, haeretici, Marcion, Manichaei, Valentiniani, Samosateni, Ariani et alii fanatici. Teneatur ergo certa aliqua et vera forma, cuius recitatio nos de vera doctrina admoneat.

Omnipotens, aeterne et vive Deus, aeterne Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te patefecisti immensa bonitate et clamasti de Filio tuo, Domino nostro Iesu Christo, hunc audite; Conditor omnium rerum et conservator et opitulator cum Filio tuo coaeterno, Domino nostro Iesu Christo, regnante tecum et patefacto in Ierusalem, et [77]) Spiritu sancto tuo effuso in Apostolos, sapiens, bone, misericors, iudex et fortis; qui dixisti: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat; et dixisti: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te; miserere mei propter Iesum Christum filium tuum, Dominum nostrum, quem voluisti pro nobis esse victimam *καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην*, et sanctifica, rege, iuva, accende cor et animam meam Spiritu sancto tuo, ut te vere agnoscam et invocem, tibi vere credam, gratias agam et obediam, rege et serva Ecclesiam tuam, sicut promisisti inquiens: Hoc est foedus meum cum eis, Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent ab ore seminis tui in aeternam. Semper luceat in nobis Evangelium tuum, et rege et confirma corda nostra Spiritu sancto tuo, ne in furores Epicureos aut fanaticos ruam, guberna studia Ecclesiae, et defende politias, quae praebent hospitia Ecclesiis.

In tali invocatione quotidie de essentia Dei, de patefactione, de beneficiis, de promissionibus cogitemus. Simul enim hac cogitatione et erudimur de personis et accenditur fides et segregatur invocatio nostra ab Ethnica, Iudaica et Turcica, quod fieri necesse est. Nam invocatio nulla placet Deo, nisi fiat cogitatione et fiducia Christi Mediatoris, ut scriptum est [Ioh. 16, 23.]: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo (id est, me nominato, me monstrantes Intercessorem), dabit vobis. Item [Ioh. 14, 6.]: Nemo venit ad Patrem nisi per me, Experiemur autem hanc veram invocationem in Evangelio traditam non esse irritam.

Ac intueantur mens et oculi in testimonia patefactionis illustria, ut in Baptismum Christi, in Christum resuscitantem mortuos et post resurrectionem familiari conversatione se ostendentem multis, et in Spiritus sancti missionem. Haec visibilia testimonia ideo exhibita sunt, ut Ecclesiam doceant et confirment, et quia exhibita sunt, vult ea Deus aspici et cogitari. Non tantum propter Baptistam tunc se patefecit divinitas, sed hoc testimonio voluit Deus confirmari universam Ecclesiam eius temporis et posteritatis. Imo et Angelos illud admirandum spectaculum Dei prodeuntis ex latebris suis, et se Ecclesiae suae ostendentis erudit. [78]) Haec testimonia cum cogitabimus, accendetur lux in cordibus, ut firmius statuant, vere adesse Deum, et re-

---

76) tenebras seu] Editt. 1'—9. 12. tenebras, id est, corpora, in quibus sunt tenebrae, seu

77) et *abest ab* Editt. 1. 3. 6. 7. 12.

78) erudit] Editt. 1. 3. 6. 7. erudiit

cipere nostras preces ac opitulari, sicut promisit. Hanc enim fidem ad precationem afferri necesse est.

Pie etiam hac forma utemur directa ad Mediatorem, quae etiam complectitur tres personas:

Iesu Christe, Fili Dei vivi, crucifixe pro nobis et resuscitate, qui regnas ad dextram Patris, ut des dona hominibus. et constitutus es interpellator pro nobis, miserere mei, et intercede pro me apud aeternum Patrem tuum, et sanctifica me Spiritu sancto tuo, sicut promisisti inquiens: Non relinquam vos orphanos etc.

Pie et hac forma utimur: Spiritus sancte, effuse in Apostolos, quem promisit nobis Filius Dei, redemptor noster, ut accendat in nobis veram agnitionem et invocationem Dei, sicut scriptum est: Effundam super vos Spiritum gratiae et precum; exuscita in cordibus nostris verum timorem Dei, et veram fidem et agnitionem misericordiae, quam nobis aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi propter Filium promisit, sis nobis Paracletus in omnibus consiliis et periculis, et accende mentes nostras, ut vera obedientia Patrem Domini Iesu Christi et Filium eius, redemptorem nostrum, et te perpetuo celebremus.

Si hoc modo in invocatione cogitabimus de personis et [79]) beneficiis, proficient mentes et eruditione et pietate. Ceterum illud sciant studiosi, appellationes potentiae et virtutum communes esse omnibus personis, videlicet nomina sapientiae, bonitatis, iustitiae, misericordiae, fortitudinis, puritatis. Nec sunt hae virtutes distinctae res ab ipsa essentia. Sicut potentia Patris est Pater, sic iustitia Patris est Pater, sic iustitia Filii est Filius. Et considerandum est, quomodo haec nomina in scriptis Propheticis usurpentur, et adhibenda est diligentia proprie et recte loquendi.

[II.]

DE CREATIONE.

Voluit Deus innotescere et se conspici. Ideo et condidit omnes creaturas et miram artem adhibuit, ut convinceret nos, non extitisse res casu, sed esse aeternam mentem, architectatricem, bonam, iustam, spectantem hominum facta et iudicantem. Quanquam autem haec consideratio universae naturae admonet nos de Deo, (ut postea rursus dicam;) tamen nos referamus initio mentem et oculos ad omnia testimonia, in quibus se Deus Ecclesiae patefecit, ad eductionem ex Aegypto, ad vocem sonantem in Sinai, ad Christum resuscitantem mortuos, et resuscitatum ac ascendentem in coelum, ad vocem aeterni Patris de Christo sonantem: Hunc audite, ad missionem Spiritus sancti. Haec testimonia edita et proposita sunt, ut nos in hac naturae imbecillitate magis perspicue erudiant, convincant et confirment; ideo semper defixae sint mentes in horum testimoniorum cogitationem et his confirmatae articulum de creatione meditentur, deinde considerent etiam vestigia Dei impressa naturae.

Est autem articulus de Creatione Gen. 1. et alibi saepe expressus, quod videlicet Deus aeternus, Pater Domini nostri Iesu Christi, una cum Filio coaeterno et Spiritu sancto condiderit ex nihilo coelum et terram, angelos et homines et omnia reliqua corpora. Sic de Filio dicitur Ioan. 1. [vs. 3.:] Omnia per ipsum (scilicet Filium) facta sunt. Et de Spiritu sancto creante dicitur Psal. 32. [80]) [vs. 6.] Verbo Domini coeli firmati sunt, et Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Quod autem res ex nihilo conditae sint, docet haec sententia [vs. 9.]: Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt, id est, dicente seu iubente Deo res exortae sunt. Non igitur ex materia priore extructae sunt, (ut Stoici duo aeterna fingebant, mentem et materiam;) sed Deo dicente, cum res non essent, esse coeperunt, et cum Ioannes inquit, Omnia, per ipsum facta esse, refutat Stoicam imaginationem, quae fingit materiam non esse factam. Haec de articulo creationis in Ecclesia moneri necesse est.

Sed nondum satis dictum est de hoc tanto articulo. Infirmitas humana, etiamsi cogitat Deum esse conditorem, tamen postea imaginatur, ut faber discedit a navi extructa et relinquit eam nautis, ita Deum discedere a suo opere, et relinqui creaturas tantum propriae gubernationi. Haec imaginatio magnam caliginem offundit animis et parit dubitationes.

Alii, ut Stoici, fingunt Deum alligatum caussis secundis, nec quicquam aliter posse fieri, quam ut caussae secundae cient; alii, ut Epicuraei, omnia casu volvi et confundi. Uterque error magnos [81]) tumultus in humanis mentibus excitat. Quoties in periculis sumus, quae superant humana consilia, movemur cogitatione caussarum naturalium, ut arbitremur malum immedicabile esse, quia arbitramur naturam sic ferri sine Deo.

Adversus has dubitationes confirmandae sunt mentes cogitatione vera articuli de creatione, ac statuendum est, non solum conditas esse res a Deo, sed etiam perpetuo servari ac sustentari a Deo rerum substantias. Quotannis foecundat Deus terram, procreat fruges ex terra, impertit vitam vi-

79) et] Editt. 1—7. 9. 12. et de

80) 32.] Editt. 22. 24. 28., Opp. 1. 2. male: 22.

81) magnos] Editt. 18. 22. 24. typ. errore: magnus

ventibus. Haec rerum sustentatio seu conservatio usitata appellatione vocatur actio Dei generalis, quae tamen non ita alligat eum caussis secundis, ut nihil faciat aliter, quam ut caussae secundae cient. Sed Deus est liberrimum agens, servat sui operis ordinem, et tamen multa propter homines mitigat. Cedit natura rerum precibus Moysi, Eliae, Elisaei, Iesaiae et omnium piorum, sicut Christus inquit Matth. 21. [vs. 22.] Omnia, quae petetis, credentes accipietis, Si dicetis monti huic, iacta te in mare, fiet. Item [Psalm. 54, 23.]: Iacta curas tuas in Deum, et ipse te enutriet.

Adest Deus suae creaturae, sed non adest ut Stoicus Deus, sed ut agens liberrimum, sustentans creaturam et sua immensa misericordia moderans, dans bona, adiuvans aut impediens caussas secundas. De hac distinctione admoneri pios necesse est. Teneantur ergo testimonia, quae docent adesse Deum naturae rerum et gubernatorem eius et moderatorem esse, ut in periculis nostris non frangamur cogitationibus Epicureis aut Stoicis, non cogitemus casu nos opprimi adversis aut fatalem ordinem caussarum immutabilem esse, nec res secundas ad casum, aut tantum ad physicas caussas referamus, sed Deum agnoscamus vere largiri bona et moderari naturam. Act. 17. [vs. 28.] In ipso vivimus, movemur et sumus, id est, per ipsum datur, sustentatur et fovetur vita nostra. Hebr. 1. [vs. 3.] Ferens omnia verbo potentiae suae. Col. 1. [vs. 17.] Omnia per eum consistunt. 1. Tim. 6. [vs. 13.] additur descriptio Dei: Qui vivificat omnia. 1. Tim. 4. [vs. 10.] Speramus in Deo vivo, qui est salvator omnium hominum, maxime fidelium, id est, omnibus benefacit, fovens vitam, gignens fruges, servans genus humanum, ut inde sibi colligat Ecclesiam, maxime vero iuvans Ecclesiam, in qua non solum corpora fovet, sed etiam largitur aeterna bona. 1. Tim. 6. [vs. 17.] In Deo vivente, qui praebet nobis abunde omnia ad fruendum. Matth. 10. [vs. 29.] Duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet[82]) super terram sine Patre vestro; vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Psal. 103. [vs. 27.] Omnia a te expectant,[83]) ut des eis escam in tempore suo, dante te illis colligent, aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate, avertente te faciem turbabuntur, auferes spiritum eorum, et deficient et in pulverem suum revertentur. Emitte spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae. Psal. 144. [vs. 15.] Oculi omnium in te sperant, et tu das escam illis in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam et imples omne animal benedictione. Psal. 32. [vs. 13.] De coelo respexit Dominus, videt omnes filios hominum, fingit sigillatim corda eorum, intelligit omnia opera eorum. Psal. 146. [vs. 8.] Qui operit coelum nubibus et parat terrae pluviam; qui producit in montibus foenum; qui dat iumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum. Psal. 35. [vs. 7.] Homines et iumenta iuvabis, Domine. Peculiares promissiones Ecclesiae de vita, victu et defensione corporum multae factae sunt, quae etiam testantur Deum adesse creaturis, sustentare nos et moderari caussas naturales. Psal. 32. [vs. 18.] Beneplacitum est Domino super timentes eum, ut eruat a morte animas eorum et alat eos in fame. Psal. 33. [vs. 10.] Non est inopia timentibus eum. Psal. 36. [vs. 19.] Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur. Oseae 2. [vss. 8 sq.] Et nescivit haec, quod ego ei frumentum dederim; Ideo rursus auferam frumentum meum. Idem docent benedictiones et maledictiones. Deut. 28. [vs. 11.] Abundare te faciet Dominus fructu terrae tuae. Item [vs. 23.]: Erit coelum aeneum. Deut. 30. [vs. 20.:] Ipse est vita tua et longitudo dierum tuorum.[84]) Et Prov. 3. [vs. 33.] Egestas a Domino in domo impii, habitacula autem iustorum benedicentur. Prov. 10. [vs. 22.] Benedictio Domini divites facit. Psal. 126. [vs. 1.] Nisi Dominus aedificaverit domum, frustra laborat, qui aedificat eam. Hîc clare affirmat secundas caussas irritas esse, nisi a Deo iuventur. Psal. 99. [vs. 3.] Scitote, quod Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, et non ipsi nos; nos autem populus eius et oves pascuae eius, id est, non nascimur casu, non vivimus tantum caussis secundis, nostris consiliis et viribus, sed Deo vivificante et servante.

Postremo idem docet precatio Dominica, quae a Deo petere iubet panem quotidianum. Confitemur ergo Deum largiri victum, et terram non esse foecundam, nisi Deo iuvante.

Collegi mediocrem acervum testimoniorum, quae enarrant articulum de Creatione ac affirmant Deum adesse creaturis sustentatorem et moderatorem, et refutant opiniones Epicureas et Stoicas. Quia enim promittit Deus piis et invocantibus bona et minatur poenas impiis, constat eum libere agere nec alligatum esse caussis secundis, sed multa mitigare propter pios, multa exasperare propter impios. Sicut exempla ostendunt. Propter idolorum cultus triennium[85]) non pluit regnante Achab, sed redditae sunt pluviae Elia petente. Talibus testimoniis confirmandae sunt mentes in invocatione. Non enim possunt a Deo petere victum et vitae defen-

82) cadet] Editt. 22. 24. 28. 30., Opp. 1. 2. cadit

83) expectant] Editt. 22. 24. 28—34. Opp. 1. 2. expectent

84) Deut. 30. — tuorum. *absunt ab* Editt. 1. 3.

85) triennium] Editt. 1. 3. 6. 7. triennio

sionem, si fascinatae Epicureis aut Stoicis opinionibus sentiant, aut casu omnia ferri, [86]) aut Deum non moderari secundas caussas. Imo ideo eripit Deus fruges hominibus, quia putant eas naturali quadam vi nasci, etiamsi Deus eas non foveat, nec reverenter utuntur dato munere, nec timent datorem, ut monet Oseae dictum, quod supra citavi.

Mens humana convincitur demonstrationibus, ut fateatur hunc mundum a Deo conditum esse. Sed Deum adesse moderatorem, etsi huius sententiae etiam quaedam habet argumenta, ut poenas atrocium scelerum, tamen hoc obscurius est. Quia igitur difficilior est assensio, divinis testimoniis fides in animis excitanda et confirmanda est, ut Deum invocare et serio ab eo petere et expectare bona possimus, ut praecipit[87]) [Ps. 49, 15.]: Invoca me in die tribulationis et eripiam te. Item [Ps. 36, 15.]: Commenda Domino viam tuam, et ipse faciet.

Postquam autem mens confirmata est vera et recta sententia de Deo et de Creatione ac praesentia Dei in creaturis et moderatione caussarum secundarum ex verbo Dei et illustribus testimoniis, in quibus se Deus generi humano peculiariter patefecit, ut in eductione populi ex Aegypto, in resuscitatione mortuorum et aliis mirandis factis Prophetarum, Christi et Apostolorum; tunc etiam utile et iucundum est aspicere opificium mundi et in eo vestigia Dei quaerere et demonstrationes colligere, quae testantur hunc mundum non extitisse casu nec volvi casu, sed esse Deum mentem aeternam, conditricem rerum. Ideo enim tota natura condita est, ut Deum monstret. Et si humanae mentes primam lucem retinuissent, hae notitiae de Deo multo fuissent illustriores. Nunc multis dubitationibus conturbantur. Sed bonis mentibus utile est tenere aliquas demonstrationes, quae ostendunt esse Deum; Sicut et Paulus ad aspiciendum mundi opificium nos deducit, Rom. 1. [vs. 20.] et in Actis [17, 28.] inquit, Adeo prope adesse Deum, paene ut manibus contrectari possit. Recitabo igitur breviter aliquas demonstrationes, quarum cogitatio ad disciplinam et confirmandas honestas opiniones in mentibus utilis[88]) est.

Prima ab ipso naturae ordine sumitur, id est, ab effectibus monstrantibus opificem. Impossibile est ordinem perpetuum in natura casu ortum esse et casu manere, aut tantum a materia ortum esse. Praecipuae [89]) partes in natura sunt ordinatae, ut manet ordo perpetuus motuum coelestium, ita, [90]) ut ex homine homo, ex bove bos nascatur, foecunditatis terrae, perennitatis fluminum, naturalium notitiarum in mentibus humanis. Ergo natura non extitit casu, sed a mente aliqua orta est, quae ordinem intelligit.

Secunda a natura mentis humanae. Bruta res non est caussa naturae intelligentis; mentes hominum habent aliquam caussam, quia homo non habet esse per sese, sed incipit et aliunde oritur; Ergo necesse est aliquam intelligentem naturam caussam esse mentis humanae. Necesse est igitur esse Deum.

Tertia a discrimine honestorum et turpium et aliis notitiis naturalibus, ordinis et numerorum. Impossibile est discrimen honestorum et turpium in mente casu aut a materia ortum esse, item notitias ordinis et numerorum fortuitas esse. Ergo necesse est [91]) aliquam mentem architectatricem esse. Et hae duae rationes omnium maxime sunt illustres. Estque dignum consideratione, quod humana mens, et illa lux menti insita praecipuum de Deo testimonium est in natura, et quidem inter notitias naturales haec quoque est, quod sit Deus, sicut Paulus inquit, Deus ipsis manifestavit, id est, Deus indidit humanae menti hanc notitiam, quod sit Deus, et simul indidit ratiocinationes illas ex effectibus.

Quarta: Notitiae naturales sunt verae: Esse Deum naturaliter omnes fatentur; Ergo haec notitia vera est. Haec minor esset illustrior, si natura non esset corrupta, sed confirmanda est ceteris argumentis, quae recitavi.

Quinta apud Xenophontem sumitur a terroribus conscientiae. [91a]) Constat homicidas et alios perpetratis magnis sceleribus horribiles animorum cruciatus sustinere, etiamsi nulla humana iudicia metuant. Est igitur aliqua mens, quae hoc iudicium in animis ordinavit, quae probat recte facta et improbat secus facta.

Sexta a politica societate. Politica societas non est concursus hominum fortuitus, sed certo ordine et iure consociata multitudo; nec posset humana ope tantum retineri, sed experientia testatur aliquo numine ad poenam rapi eos, qui violant hunc ordinem, ut homicidas, incestos et tyrannos; Ergo est aliqua mens aeterna, quae dedit hominibus intellectum ordinis, ut politicam societatem colant; Item, quae sua ope servat et defendit.

Septima est erudita, sumpta a serie caussarum efficientium. Non est processus tn infinitum in [92]) caussis efficientibus; Ergo necesse est resistere in una prima caussa. Hanc rationem Physici dilu-

86) ferri] Editt. 21. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. fieri

87) praecipit] Editt. 21. 22. 24. 28. 30. 34., Opp. 1. 2. praecepit.

88) utilis] Editt. 1. 3. 8. 10. 11. 13. utile

89) Praecipuae] Editt. 18. 20. 25. Praecipue

90) coelestium, ita,] Editt. 1—9. 12. coelestium, specierum, ita,

91) est *omittit* Ed. 22.

91a) Haec fortasse spectant ad Xenoph. Memorab. Socr. I. 4, 16.

92) in *omittunt* Corp. 2. 4.

cide explicant. Nam si esset progressus in infinitum, nullus esset ordo caussarum et nullae caussae necessario cohaererent.

Octava a caussis finalibus. Omnes res in natura destinatae sunt ad certas utilitates. Hanc distributionem finium impossibile est aut extitisse casu aut casu manere, sed necesse est consilio architecti factam esse.

Nona a futurorum eventuum significationibus. Certo monstrantur futuri eventus, non[93]) modo per prodigia, quae gentes movebant, quorum alia alias caussas habent, sed multo magis per vaticinia in Ecclesia, ut Balaam, Iesaias, Ieremias, Daniel praedixerunt mutationes et successiones regnorum. Necesse est igitur aliquam mentem esse praevidentem eas mutationes et praemonstrantem.

Haec argumenta non solum testantur esse Deum, sed etiam sunt indicia providentiae, quod Deus respiciat homines, puniat atrocia scelera et aliquibus opituletur, ut foecunditas terrae indicat Deum hominum vitae consulere. Poenae sceleratorum indicant Deum postulare, ut colamus iustitiam. Praedictiones etiam de imperiis, item quod mittuntur Heroici viri, ut restituant politias et artes, indicant Deum curare politias. Haec sunt perspicua et semper moverunt bonas mentes.

Possent[94]) et multa alia vere quidem colligi, sed quia sunt obscuriora, relinquo. Non frustra indita est homini legis notitia, qua Deus vult se coli. Esset autem frustra indita, nisi iudicium aliquod esset, in quo discrimen erit bonorum et malorum. Sed haec alibi[95]) explicanda sunt. Nos ad primam admonitionem redeamus, videlicet, Assidue mentibus atque oculis intuenda esse illa peculiaria testimonia, in quibus se Deus Ecclesiae patefecit, ut in eductionem populi Israël ex Aegypto, in resuscitationem mortuorum et miracula cetera, quae per Prophetas, Christum et Apostolos facta sunt, et deinde addamus verbum per hos traditum, et statuavere hanc esse Dei voluntatem, quae in eo verbo proposita est, et discernamus Philosophiam seu naturales notitias ab Evangelio, id est, a promissione gratuita remissionis peccatorum donandae propter Filium Dei, ut suo loco dicitur de discrimine Legis et Evangelii.

[III.]

DE CAUSSA PECCATI ET DE CONTINGENTIA.

Semper omnes sapientes mirati sunt, cum tantus sit ordo naturae in plurimis rebus, unde in genere humano tanta sit confusio, tantum scelerum et calamitatum, morbi et mors. Ac Philosophi partim in materia, partim in voluntate humana caussas collocant, partim ad fatum transferunt, quod dicunt esse necessariam connexionem primae caussae et omnium secundarum, Physicarum et voluntatum. Et Manichaei ex corrupta Philosophia orti horribiles furores contumeliosos in Deum et perniciosos moribus excitaverunt de duobus diis, bono et malo, et de necessitate, nec leviter quassata est Ecclesia illis vetustis temporibus hac quaestione de caussa mali et de Contingentia. Est autem piae mentis reverenter de Deo sentire ac[96]) loqui, et sententias veras, pias, honestas, comprobatas gravibus iudiciis piorum in Ecclesia, utiles moribus, retinere, nec curiositate ac[97]) studio argutiarum quaerere infinitos labyrinthos disputationum.

Estque haec vera et pia sententia, utraque manu et verius toto pectore tenenda, Deum non esse caussam peccati, nec velle peccatum, nec impellere voluntates ad peccandum, nec approbare peccatum. Sed vere et horribiliter irasci peccato, ut toties suo verbo, assiduis poenis et calamitatibus mundi, comminatione aeternae irae declarat. Imo iram adversus peccatum maxime ostendit filius Dei, qui apparuit, ut victima fieret pro peccato et ostenderet Diabolum esse auctorem peccati, et sua morte iram ingentem Patris placaret.

Non igitur Deus caussa est peccati, nec peccatum est res condita aut ordinata a Deo, sed est horribilis destructio operis et ordinis divini.

Sunt autem caussa[98]) peccati voluntas Diaboli et voluntas hominis, quae averterunt se libere sua sponte a Deo nec volente nec approbante illam aversionem, et haeserunt vagantes extra ordinem in obiectis contra mandatum Dei, ut Evae voluntas avertens se a voce Dei et vagata extra ordinem haesit in pomo.

Etsi autem homines acuti multa hic inextricabilia colligunt, tamen nos omissis praestigiis disputationum veram sententiam, quam dixi, toto pectore amplectamur, et teneamus testimonia de ea tradita divinitus, etiamsi non possumus omnes argutias, quae opponuntur, extricare. Testimonia autem haec sunt.

Gen. 1. [vs. 31.] Vidit Deus omnia, quae fecerat, et erant valde bona, id est, Deo placentia, ordinata, congruentia ad ordinem in mente divina, et ad certos usus profuturos homini condita. Psalm. 5. [vs. 5.] Non Deus volens iniquitatem tu es, id est, Deus vere, et non simulate odit peccatum.

---

93) non *omittunt* Editt. 18. 20. 25.

94) Possent] Editt. 21. 22. 24. 28. 29. 31—33., Opp. 1. 2. Possunt

95) Vide infra locum *De peccatis actualibus*.

96) ac] Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. et

97) ac] Editt. 1—9. 12. aut

98) caussa] Editt. 1—15. 19. caussae

Ioan. 8. [vs. 44.] Quando mendacium loquitur Diabolus, ex propriis loquitur, quia mendax est et pater mendacii. Pater, id est, primus fons et caussa mendacii. Discernit autem Christus mendacium a substantia, quasi dicat: Substantiam quidem habet Diabolus aliunde acceptam. Nam omnes Angeli a Deo creati sunt, quorum aliqui postea lapsi sunt. Habet autem proprium quiddam Diabolus, non a Deo acceptum, videlicet mendacium, id est, peccatum, quod libera voluntas Diaboli peperit. Neque haec inter se pugnant, ut postea longius dicemus, substantiam a Deo conditam esse et sustentari, et tamen voluntatem Diaboli et voluntatem hominis caussas esse peccati; quia voluntas abuti libertate sua potuit seque a Deo avertere.

Zach. 8. [vs. 17.] Malum ne cogitetis in cordibus vestris, et iuramentum mendax ne diligatis; Omnia enim haec sunt, quae odi, dicit Dominus. Cum igitur non sit simulatum odium peccati in voluntate divina, nequaquam sentiendum est Deum velle peccatum.

1. Ioan. 2. [vs. 16.] Concupiscentia carnis non est ex Patre, sed ex mundo est.

1. Ioan. 3. [vs. 8.] Qui facit peccatum, ex Diabolo est; quia ab initio Diabolus peccat, id est, primus auctor peccati est Diabolus.

Rom. 5. [vs. 12.] Per hominem intravit peccatum in mundum, id est, peccatum non est res condita a Deo, sed homo sua libertate se a Deo avertit, et excussit dona Dei, et illam suam destructionem propagavit in posteritatem.

Nec figurae illae verborum in sermone Hebraico pugnant cum sententia, quam dixi: Indurabo cor Pharaonis, et similes. Certum est enim Hebraica phrasi significare eas permissionem, non voluntatem efficacem, ut: Ne nos inducas in tentationem, id est, ne sinas nos induci, seu[99]) ne sinas nos labi et ruere, cum tentamur.

Praeterea et hoc moneri studiosos utile est, quid proprie sit peccatum, ut discernantur res conditae a Deo et peccatum, quod est conturbatio seu confusio ordinis divini. Ideo recte dicitur: Peccatum est [100]) defectus seu privatio, ut Dialectici loquuntur.

De Originali facilis est declaratio. Id enim est in mente tenebrae, hoc est, non habere illustrem notitiam et firmum assensum de providentia, comminationibus et promissionibus divinis; Et in voluntate est aversio, id est, sine metu, fiducia, dilectione Dei esse, et in corde sine obedientia esse, quae congruebat legi naturae, sed vagis et errantibus inclinationibas ferri extra ordinem contra Deum. Haec mala esse defectus non obscurum est, nec sunt res conditae a Deo, sed horribilis destructio humanae naturae. Non est igitur caussa peccati Deus, qui etsi iuvat et conservat propagationem substantiae, tamen servat talem massam, qualis nunc est, ut si faber poculum non ex auro, sed ex plumbo faciat, ac ipsi destructioni vere et horribiliter Deus irascitur; misit enim Filium ad hanc iram placandam et ad sanandam vulnus naturae. Intelligi igitur potest, Deum nec caussam esse vitii nobiscum nascentis, nec velle id malum, nec approbare. Hic autem cavillatio diluatur: Cum defectus nihil sit, id est, non sit res positiva, cur irascitur Deus nihilo? Respondendum est: Magnum discrimen est inter nihil privativum et nihil negativum. Quia nihil privative intellectum requirit subiectum et est in illo subiecto quaedam destructio, propter quam subiectum reiicitur, ut ruinae aedificii sunt destructio in illa mole seu partes dissipatae; Ita vitium originis est ipsarum partium hominis inquinatio et confusio, quam Deus odit et propter quam subiecto irascitur. In morbo nihil significat privationem, quia manet subiectum, et est in subiecto confusio aliqua. At equus Alexandri iam nihil est negative.

Haec mediocris explicatio sufficiat, quae et vera est, et saepe cogitata discentibus aliquid lucis affert, nec quaerantur subtiliores disputationes et inextricabiles labyrinthi. Geometrica pingi et oculis subiici possunt; Haec vero, de quibus hic dicimus, non ita pingi et oculis subiici possunt, sed attenta consideratione paulatim magis intelligentur. Dolet saucius aspiciens vulnus, et scit vulnus non esse nihil negative, sed esse partes laceratas. Ita Paulus dolet, videns Neronis scelera et vitia, quae agnoscit non esse nihil negative, sed operis divini teterrimas ruinas. Cum in tali consideratione discemus, quid sit malum seu defectus seu privatio, agnoscemus peccatum non esse extenuandum. Ut ordo in opere Dei, videlicet in homine, est res a Deo condita et ei placens et servans hominem, ac propterea dicitur ingens bonum; Ita econtra ruinae illae sunt confusio ordinis, non a Deo condita, sed facta a Diaboli et hominis voluntate, estque a Deo reiecta et exitialis Diabolo et homini. Ideo ruinae illae seu destructio seu confusio vocatur malum, id est, non congruens ad mentem divinam, displicens Deo et exitiale Diabolo et homini.

Haec declaratio aliquid lucis affert sequenti declarationi de peccato actuali, de quo multorum sunt intricatae quaestiones, sed hic quoque facile est intelligere defectus, si intuearis non solum facta, sed mentem regentem facta. Eva comedens pomum non regitur luce Dei, illud non regi luce Dei, et voluntatem a Deo aversam esse, defectus esse, non obscurum est; etsi interim accedunt motus externi et interni, qui sunt res positivae,

99) seu *abest ab* Editt. 18. 20. 25.

100) est] Editt. 1—3. 6. 7. 9. 12. esse

etsi sunt motus errantes et quaedam ordinis confusio, ut si navis sine velis et remis varie iactetur ventis et procellis. Haec imago utcunque declarat illos defectus. Ut autem, donec manet navis, manent motus aliqui: ita, donec vivit homo, quocunque modo aliqui motus, quamlibet errantes et confusi, manent. Nec propterea Deus est caussa peccati. Etsi enim sustentat aliquantisper naturam, tamen defectus illi in mente non efficiuntur ab ipso, et voluntas libera Evae proprie et vere erat caussa suae actionis, ac sponte se avertit a Deo.

Constituta autem hac sententia, quod Deus non sit caussa peccati, nec velit peccatum, sequitur Contingentiam esse, hoc est, non omnia, quae fiunt, necessario fieri. Quia enim peccatum ortum est a voluntate Diaboli et hominis, nec factum est Deo volente, sic erant conditae voluntates, ut possent non peccare. Est autem caussa contingentiae nostrarum actionum libertas voluntatis. Et hoc loco de Contingentia humanarum actionum loquimur, non de ceterarum rerum motibus, de quibus in Physicis disseritur.

Deinde concedendum et hoc est: Quod scriptura Apostolica tribuat homini etiam nunc post lapsum libertatem aliquam deligendi ea, quae sunt subiecta rationi, et faciendi externa opera mandata lege Dei. Ideo enim iustitia Legis dicitur iustitia carnis, quia viribus huius naturae externa illa disciplina utcunque praestari potest, ut dicit Paulus [1. Tim. 1, 9.]: Lex est iniustis posita, id est, ad cohercendos non renatos et puniendos contumaces. Item [Gal. 3, 24.]: Lex est Paedagogus. Ac nisi haec libertas aliquo modo reliqua esset in natura, nulla utilitas esset Legum et Imperiorum et totius civilis gubernationis. Manet igitur aliqua libertas, quae, ut dixi, fons est Contingentiae.

Quod vero dicitur Deus determinare contingentia, discrimen tenendum est. Aliter determinat Deus ea, quae vult, aliter illa, quae non vult; Aliter, quae a sola ipsius voluntate pendent, aliter, quae partim ipse facit, partim voluntas humana.

Praevidet Deus delicta Saulis, sed non vult ea, nec impellit voluntatem eius, sed permittit, ut voluntas Saulis ita grassetur, et non impellit, ut secus agat; Interim tamen decernit, ubi Saulem repressurus sit. Haec igitur praevisio non affert necessitatem, nec mutat in voluntate hominis modum agendi, qui adhuc in natura reliquus est, hoc est, hanc libertatem, quae adhuc reliqua est.

Nec illud obstat contingentiae aut libertati, quod Deus sustentat naturam. Nam interim tamen voluntas Evae erat caussa suae actionis, quia libertas fuerat donum in Creatione inditum generi humano, et sustentatio divina non impediebat illud donum. Sic iam quantum est libertatis, non impeditur sustentatione divina, sed sic sustentat Deus Saulem, qualis est, et Saulis voluntas est proprie caussa malae actionis.

Quod vero hic dicta quaedam obiiciuntur, ut Ierem. 10. [vs. 23.] Scio, Domine, quod non est hominis via eius, nec est viri dirigere gressus suos; Etsi infra in titulo de libero arbitrio haec dicta explicanda erunt, tamen et hic breviter monendus est lector: Aliud est loqui de electione voluntatis, aliud de eventu seu successu. Vult Pompeius bellum adversus Caesarem, et libere vult, sed eventum aliae multae caussae regunt, non sola voluntas Pompeii. Dictum igitur Ieremiae doctrinam et dulcissimam consolationem continet. Via hominis, id est, gubernatio privata et publica mandata homini, seu vocatio, non potest sustineri solis viribus humanis; Non potest mens omnia pericula prospicere et cavere, saepe hallucinatur, ut errat Iosias bellum Aegypto inferens. Ac multa sunt tristia errata omnium sapientum, ut Cicero exclamat: O me nunquam sapientem. Multi lapsus accidunt, qui pariunt difficultates inexplicabiles humanis consiliis, et unus lapsus saepe ingentem ruinam trahit, ut Davidis adulterium. Deinde etiam bonis consiliis et in bonis caussis saepe non respondet eventus. Possunt et subito magnae calamitates accidere, quae summos ex suo fastigio deiiciunt, ut vere dicitur [1]):

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu, quae valuere, ruunt.

De his tantis impedimentis, de infirmitate humana et inconstantia rerum humanarum, quae multas habet arcanas caussas, concionatur Ieremias, et simul docet confugere ad Deum, et ab ipso petere et expectare gubernationem et auxilium.

Hic igitur promissiones tenendae sunt [Matth. 10, 20.]: Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri coelestis, qui in vobis est. Item [Ioh. 14, 18.]: Non relinquam vos orphanos. Item [Philipp. 2, 13.]: Deus est, qui efficit, ut velitis et perficiatis. Item [Luc. 11, 13.]: Quanto magis dabit Spiritum sanctum petentibus. Item Psalm. 36. [1a]) [vs. 23.] A Domino gressus hominis dirigentur etc. His promissionibus freti petamus et expectemus auxilium a Deo, et agnoscamus salutaria agi non posse, nisi Deo nos iuvante, ut inquit Christus [Ioh. 15, 5.]: Sine me nihil potestis facere. Et Baptista [Ioh. 3. 27.]: Non potest sibi homo sumere quicquam, nisi datum sit ei de coelo.

Pompeius, Brutus, Antonius et alii multi magna conati sunt, sed Deus alios provexit. Etsi igitur haec dicta concionantur de auxilio Dei in bonis et salutaribus actionibus, tamen non est inde

---

1) Ovid. Epist. ex Ponto IV, 3, 35 sq.

1a) 36.] Editt. 1—15. 19.: 38.

ratiocinandum, prorsus nullam esse libertatem electionis humanae. Ac multo minus hoc sequitur, Omnia bona et mala necessario et a Deo fieri. Quare dictum Ieremiae dextre intelligatur, quod videlicet solis humanis consiliis et viribus non possint salutaria effici.

Discamus magnum et ingens donum Dei esse, iuvari nos, ut simus organa Dei salutaria in omni administratione, nec deserti simus pestes generis humani, ut Pharao, Nero, Manichaeus et similes, et quotidie nos hoc dictum Christi, Sine me nihil potestis facere, exuscitet, ut ardentibus votis precemur, ut a Deo regamur. Perspicuum est autem non sequi hinc, Deum esse caussam efficacem peccati. [2] Imo Ecclesia Dei, cum sciat Deum vere, serio et horribiliter odisse libidines Neronis, nequaquam dicet eas aut necessario accidisse aut volente Deo accidisse.

Obiiciuntur et haec dicta: Eph. 1. [vs. 11.] Electi secundum propositum eius, qui facit omnia secundum consilium voluntatis suae. Et 1. Cor. 12. [vs. 6.] Idem est Deus agens omnia in omnibus. Haec dicta certum est in illis ipsis locis, ubi ponuntur, tantum loqui de Ecclesia et de salutaribus actionibus, quas Deus excitat et regit in Ecclesia sua; nec loqui de universali rerum sustentatione seu de singulis omnium animantium motibus. Dextre igitur intelligantur haec dicta, nec a nativa sententia transferantur in peregrinam.

Hoc monet Paulus, non humanis consiliis aut viribus servari et regi Ecclesiam, sed mirandis Dei operibus. Servatio Noë in diluvio, defensio populi in Aegypto et in deserto, res gestae Moysi, Iosuae, Samuelis, Davidis et aliorum piorum fuerunt et sunt opera Dei in illis excitata ad iuvandam Ecclesiam et ad propagationem verae doctrinae.

Quare haec dicta consolationes sunt, quae testantur adesse Deum membris Ecclesiae suae et opitulari suis in periculis et aerumnis. Adiuvat Deus proeliantem Davidem, adiuvat morientem Laurentium, ne abiiciat confessionem fractus metu. His igitur dictis et promissionibus nos confirmemus, ac regi nos petamus, sicut saepe clamat Propheta: Dirige me in veritate tua et doce me etc. Omnia agis in Ecclesia tua salutaria, sis in me quoque, ut in membro tuae Ecclesiae, efficax, fac me organon salutare et vas misericordiae etc. Ac horum dictorum explicatio multis aliis similibus lucem affert.

Postremo et illud addendum est, Recte dici, necessitatem esse duplicem. Alia necessitas nuncupatur absoluta, cum videlicet res aut propositio simpliciter necessaria est, ac poni oppositum prorsus impossibile est et destructio omnium rerum; ut hae propositiones sunt necessariae necessitate absoluta: Deus est, Deus est essentia, intelligens, aeterna, immensae sapientiae, potentiae, iustitiae, bonitatis, volens iusta, casta, non volens pugnantia cum sua mente, iniustam crudelitatem, incestas libidines etc.

Sed alia est necessitas consequentiae, quae est earum rerum aut propositionum, quae possent se natura sua aliter habere, sed fiunt necessariae, vel propter praecedentes caussas, vel quia determinatae sunt. Et in his magna sunt discrimina. Aliter Deus determinat bona, quae vult, cuiusmodi multa expressit, ut mortui certo die resuscitabuntur; haec est necessaria, necessitate consequentiae. Aliter determinat mala, quae non vult, cum videlicet metas constituit, nec sinit grassari ulterius malos. Sic fit necessaria: Pharao persequetur Israëlitas; haec non est sua natura necessaria, sed revera contingens. Ac fieri oppositum non esset [3] impossibile, sed quia sic evenit, dicitur necessaria, necessitate consequentiae. Haec puerilis distinctio non est inutilis, et saepe traditur in scholis, ut consideremus, qui eventus vere pendeant et oriantur a voluntate Dei, qui aliunde oriantur.

Hic etiam [4] de Physica necessitate dicendum est, ut ignis necessario calefacit, sol necessario movetur. Sed hanc Physicam necessitatem doctrina Ecclesiae etiam ait esse necessitatem consequentiae. Sic movetur sol, quia Deus hunc ordinem instituit, et mutare potest, ut ostendunt historiae Iosuae et Ezechiae. Haec alias [5] copiosius traduntur.

Recitavi praecipuas materias, quae in hac quaestione agitari solent, quibus diligenter consideratis studiosi dextre de hac tota controversia iudicare poterunt, et satis perspicue intelligent, nequaquam Stoicas opiniones in Ecclesiam invehendas esse. Quomodo enim invocabit Deum is, qui omnia necessario evenire statuit? Deinde et moribus perniciosum est illud, quod in Tragoedia dicitur: Fati ista culpa est, Nemo fit fato nocens. Sicut et Zenonis servus dicebat se iniuste plecti, quia fato coactus esset peccare. Tales igitur sermones et opiniones fugiamus. Plato honestius loquitur, cuius haec sunt verba in secundo libro πολιτειῶν: Omni contentione pugnandum est, ne quis in civitate, quam bene regi volumus, vel dicat, vel audiat, seu senex seu iuvenis, seu in poëmate seu in alia narratione, Deum caussam alicui [5a] esse malorum. Quod

2) peccati *abest ab* Editt. 1. 3.

3) esset] Editt. 22. 24. typ. errore: esse

4) etiam] Corp. 2. 4. male: enim

5) Scil. in libellis Physices et Dialectices.

5a) alicubi] Corp. 1—8 alicubi

neque sancte ita dici potest, neque utile est civitati, [6] nec secum consentit in explicatione.

Adiiciam explicationem usitati argumenti, ut mihi videtur, piis mentibus utilem. Obiicitur enim: Secunda caussa non agit sine prima: Secunda, ut voluntas Evae, est proprie caussa peccati, ergo etiam prima. Hac obiectione scio ingenia interdum perturbari, et ex ea perturbatione labi in absurdas opiniones. Etsi autem responsio quaedam tenuis et subtilis traditur ad elabendum, tamen aliam crassiorem et magis conspicuam tradam, quae sumpta est ex hoc fundamento: Quod Deus adest creaturis, non ut Stoicus Deus, alligatus caussis secundis, ut moveat simpliciter, sicut movent secundae, sed ut agens liberrimum, sustentans naturam et suo consilio aliter agens in aliis.

Ut in corporalibus, etsi sustentat naturam, tamen contra ordinem iussit aliquando solem regredi, impedivit pluvias toto triennio ac postea subito dedit largum imbrem, fecit foecundas anus; Ita quotidie sciamus multa in corporalibus fieri praeter vim secundarum caussarum, et tamen Deus eas sustentat. Multi liberantur variis periculis, in morbis, in acie, in aqua, ubi secundae caussae eos destituunt. Ut igitur invocatio vere fieri possit, cogitemus Deum sic adesse suo opificio, non, ut Stoici fingunt, alligatum secundis caussis, sed sustentantem naturam et multa suo liberrimo consilio moderantem.

Sic agit Deus cum voluntate, sustentans et iuvans ordine agentem, sed non iuvans ruentem contra ordinem, etsi eam sustentat. Sic enim condidit voluntatem Evae, ut esset liberum agens, quod posset tueri ordinem aut deficere. Sit igitur haec crassa solutio: Secunda caussa non agit sine prima, scilicet sustentante. Hoc universaliter verum est, sed non semper adiuvante; Non enim adiuvat prima effectum, quem non vult. Est igitur voluntas Evae immediata caussa sui actus, cum avertit se a Deo.

Nec eodem modo Stoicus et Christianus hanc propositionem intelligunt: Secunda caussa non agit sine prima; quia Stoici cogitant similem copulationem in omnibus, seu bonis seu malis, ut est copulatio essentialis maris et feminae in procreatione. Sed Christianis necesse est discernere bona et mala: Secunda non agit sine prima, scilicet sustentante; sed multa facit prima caussa praeter secundas, quia est agens liberum. Et secunda libera, ut voluntas Evae vitiose agit sine prima adiuvante, quia talis facultas est libertas. Haec sit explicatio perspicua, non nimis tenuis.

Alii sic dicunt: Secunda non agit sine prima positivum quiddam efficiens; Secunda, ut voluntas Evae, agit aliquid delinquens. Hic respondent: Agit non positive, sed aberrans ac deficiens. Haec solutio, si per priorem exponatur, erit planior, et eam esse sententiam huius obscurae solutionis, consentaneum est, ut copulatio primae et secundae caussae talis cogitetur, qualem Deus libere agens vult esse, non ut nos copulationem maris et feminae cogitamus.

Difficiles sunt hae disputationes, ideo nos de Deo cogitantes referamus mentem et oculos ad patefactionem Dei, ut eum sic agnoscamus, sicut se patefecit, et sic statuamus, Deum libere adesse et opitulari invocantibus, sicut promisit: Prope est Dominus omnibus invocantibus eum.

Haec dicta de singulari actione et auxilio inculcentur animis. Nam illa obscura disputatio de generali sustentatione non potest penitus perspici, sicut nec creatio intelligi potest. Et in summa teneatur haec propositio: Adest Deus suo operi, non ut Stoicus Deus, sed vere ut liberum agens, sustentans creaturam et multa moderans.

[IV.]

DE HUMANIS VIRIBUS SEU DE LIBERO ARBITRIO.

Valla et plerique alii detrahunt [7]) voluntati hominis libertatem ideo, quia fiant omnia decernente Deo. [8]) Haec imaginatio orta ex Stoicis disputationibus deducit eos ad tollendam contingentiam bonarum et malarum actionum, imo omnium motuum in pecudibus et elementis. Dixi autem supra, non esse in Ecclesiam invehendas illas Stoicas opiniones, nec defendendam esse necessitatem fatalem omnium, sed aliquam contingentiam concedendam. Non necesse fuit Alexandrum interficere Clitum.

Nec miscenda est disputatio de determinatione divina quaestioni de libero arbitrio. Nam cum de voluntate hominis et de ceteris humanis viribus quaeritur, tantum de humana infirmitate disseritur, non de omnibus motibus in tota natura. Nos ipsos, mentis nostrae caliginem, et voluntatis et cordis imbecillitatem consideremus. Hanc doctrinam de nostris morbis proponit Ecclesia, non ut Stoicas

6) est civitati.] Editt. 1. 3. est dictum civitati.

7) alii detrahunt] Editt. 1. 3. alii non recte detrahunt

8) *Pro seqq.* Haec imaginatio — quid et quantum facere voluntas possit, Editt. 1. 3. *ea, quae sunt in* Editt. secundae aetatis, pag. 373. lin. 11. usque ad p. 374. lin. 18. nostrae Editionis, *ita exhibent:* Atque ita in universum tollunt — quantum praestare humana voluntas possit. *Haec, quae l. l. legantur, ne integrum locum hic repetamus, eo tantum ab illis* Editt. secundae aetatis *differunt, quod pro* admiscentur (p. 373. lin. 26.) *in* Editt. 1. 3. *legitur* commiscentur.

opiniones serat, non ut mentes implicet perplexis et inextricabilibus disputationibus; sed ut monstret nobis beneficia filii Dei, qui missus est, ut destruat opera Diaboli, qui triste vulnus fecit in humana natura.

Monendi sunt autem rudiores, ut a Physicis sumant distinctiones et appellationes partium hominis, et conferant eas ad phrasin Prophetarum et Apostolorum.

In homine est pars cognoscens ac[9]) iudicans, quae vocatur mens, vel intellectus, vel ratio, in hac parte sunt notitiae. Altera pars appetens vocatur voluntas, quae vel obtemperat iudicio vel repugna, tet sub voluntate sunt appetitiones sensuum seu affectus, quorum subiectum et fons est cor, qui interdum congruunt, interdum pugnant cum voluntate. Est sub voluntate et loco motiva. Harum explicatio copiosior sumatur a Physicis.

Vocantur [10]) autem liberum arbitrium Mens et Voluntas coniunctae. Aut vocatur liberum arbitrium facultas voluntatis ad eligendum ac expetendum ea, quae monstrata sunt, et ad reiiciendum eadem, quae facultas in natura integra longe praestantior fuit, nunc multipliciter impedita est, ut postea dicemus. Sed iam declaro appellationem communissime. Liberi arbitrii erat, quod Fabricius noluit aurum a Pyrrho oblatum accipere, aut[11]) quod Antigonus noluit aspicere allatum Pyrrhi interfecti caput. Ceterum in sermone Prophetarum et Apostolorum haec vocabula sunt, Mens et Cor, quae ambo sumuntur pro intellectu et voluntate vere, non simulate aliquid volente, hoc est, Complectuntur iudicium et appetitiones veras, non simulatas, non externum opus tantum. Extant autem longae disputationes de vocabulo Liberi arbitrii, quae ab attentis facile diiudicari possunt. His omissis de re dicemus.

Cum enim dubitatur, an voluntas humana sit libera, quod[12]) quaeritur in Ecclesia, an et quatenus voluntas humana possit obedire Legi Dei: de hac quaestione iudicari non potest, nisi magnitudo peccati, quod nobiscum nascitur, seu naturalis infirmitas consideretur; Item, nisi sciamus Lege Dei postulari non tantum externa civilia facta, sed perpetuam et perfectam totius naturae humanae obedientiam, iuxta illud: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde etc. Nam si natura hominis non esset[13]) corrupta peccato, haberet clariorem et firmiorem de Deo notitiam, non dubitaret de voluntate Dei, haberet verum timorem, veram fiduciam, denique praestaret obedientiam integram Legi, hoc est, in natura hominis esset lux firmius statuens de Deo, et essent motus omnes consentientes Legi Dei. Nunc autem natura hominis oppressa morbo originis plena est dubitationum de Deo, nec vere timet Deum, nec vere confidit ei, nec ardet dilectione, et multae flammae sunt vitiosorum affectuum. Cum igitur manifestum sit, naturam hominis nequaquam satisfacere legi Dei, quaeritur, quid et quantum facere voluntas possit.[8])

Primum igitur respondeo: Cum in natura hominis reliquum sit iudicium et delectus quidam rerum, quae sunt subiectae[14]) rationi aut sensui, reliquus est etiam delectus externorum operum civilium; Quare voluntas humana potest suis viribus sine renovatione aliquo modo externa Legis opera facere. Haec est libertas voluntatis, quam Philosophi recte tribuunt homini. [15]) Nam et Paulus discernens iustitiam carnis a spirituali, fatetur non renatos habere delectum aliquem et facere aliqua externa Legis opera, manus a caede, a furto, a raptu continere, et hanc vocat iustitiam carnis.

Imo hanc disciplinam etiam non renatis praecipit Deus, et eius violationem tristissimis poenis in hac vita regulariter punit, ut ostendunt supplicia homicidarum et incestorum. Ideo dicitur [1. Tim. 1, 9.]: Lex posita est iniustis, id est, ad coercendos non renatos et ad puniendos contumaces. Item [Gal. 3, 24.]: Lex est paedagogus, id est, coercens et docens, et quidem additur (in Christum): quo praeconio disciplina honorifice ornata est. Etsi enim disciplina non meretur remissionem peccatorum, nec est iustitia, qua coram Deo iusti dicimur, tamen res necessaria est, ut de Christo interim doceri possimus; Nec est efficax Spiritus sanctus in contumacibus, qui perseverant in delictis contra conscientiam. Sed de caussis, cur necessaria sit disciplina, postea[16]) dicemus; Nunc hoc tantum ostendimus ex illis testimoniis, quae loquuntur de iustitia carnis esse aliquem delectum, id est, libertatem in non renatis, ad externa Legis opera facienda.

---

9) ac] Editt. 2. 4—17. 19. 21—24. 28—34., Opp. 1. 2. et

10) Vocantur] Editt. 21. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. Vocatur

11) aut] Editt. 21. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. et

12) quod] Editt. 2. 4 — 9. 12. hoc; Editt. 20. 25., Corp. 1 — 8. quo

13) esset] Ed. 22. typ. errore: esse

14) subiectae] Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. obiectae

15) *Pro seqq.* Nam et Paulus — viva membra Ecclesiae. Editt. 1. 3. *ea, quae in* Editt. secundae aetatis pag. 374. lin. 26. usque ad p. 375. lin. 33. nostrae Ed. *leguntur, ita exhibent:* Nam hanc etiam sacrae literae — motus spirituales concipere, quos Deus approbat. *(hoc enim verbum* approbat *pro* requirit *cum* Editt. 8. 11—13. illius aetatis *exhibent; praeterea inscriptio:* Testimonia de humanis viribus, seu de libero arbitrio., *quam* p. 375. lin. 28 sq. *ex* Ed. 11. et Opp. *in* nostram Ed. *suscepimus, ab* Editt. 1. 3. huius tertiae aetatis *abest.)*.

16) Vide loci VI. *De lege divina,* articulum: *De usu legis.* Conf. etiam loci XVII. *De Spiritu et Litera* pars extrema.

Sed tamen hic sciendum est, hanc ipsam libertatem duabus caussis valde impediri, videlicet ab infirmitate, quae nobiscum nascitur, et a Diabolo. Nam quia vitiosi affectus in hominibus sunt acres stimuli et magna animorum incendia, homines saepe obediunt illis contra consilium mentis, etiam cum possent se cohibere, si anniterentur, ut Medea inquit [17]): Video meliora proboque, Deteriora sequor. Et Paulus inquit Eph. 2. [vs. 2.] Diabolum efficacem esse in impiis. Hic quoque disciplinae rectionem in tota vita multipliciter impedit ac impellit multos, ut ruant caeci et furentes in tristissima mala. Sicut de Saule et de Iuda manifeste scribitur: intravit in eum Satanas. Et illi magni furores in cultu idolorum, saevitia Tyrannorum et bellorum civilium, ut cum Xanthii et alii multi suas civitates ipsi accenderunt, et sese et coniuges et parvos liberos in ignem coniecerunt, sunt manifesta opera Diaboli. Est ingens igitur imbecillitas generis humani, ut omnium temporum historiae et quotidiana experientia docet, in qua tantum horribilium miseriarum cernitur, ut sapientes Ethnici omnes valde mirati sint, unde tantum sit in hac praestanti natura confusionum et tristissimorum casuum. Sed tamen inter haec impedimenta manet aliquis delectus, aliqua libertas in mediocriter sanis, regendi externos mores.

Secundo. Sed in Ecclesia Dei non tantum dicitur de externis moribus, sed de integra Legis impletione in corde. Mens in non renatis plena est dubitationum de Deo, corda sunt sine vero timore Dei, sine vera fiducia, et habent impetus ingentes contra Legem Dei. Denique natura humana oppressa est peccato et morte, nec magnitudo huius mali conspicitur humano iudicio, sed in verbo Dei revelato. Hic certum est, homines non habere libertatem deponendi hanc pravitatem nobiscum nascentem aut deponendi mortem. Haec magna et praecipua generis humani mala intueamur, cum extenuatur libertas voluntatis. Non potest voluntas exuere nascentem nobiscum pravitatem, nec potest Legi Dei satisfacere, quia Lex Dei non tantum de externa disciplina et de umbra operum concionatur, sed postulat integram obedientiam cordis, ut Lex dicit [Deuter. 6, 5.]: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et omnibus viribus etc.

Iudicat et damnat Lex peccatum in natura hominis, non tollit. Et sicut mortem abiicere non possumus, ita pravitatem nascentem nobiscum, quae pugnat cum Lege Dei, non possumus [18]) exuere. Haec mala agnoscenda sunt, ut e regione beneficia Christi conspiciantur, qui tollit peccatum et mortem, et instaurat naturam humanam. Dixi iam de praecipuis malis, quae non potest tollere voluntas humana. Eatenus igitur voluntas est captiva, non libera, scilicet ad tollendam naturae pravitatem et mortem.

Tertio de actionibus spiritualibus quaeritur. Nam ab initio mundi viva membra Ecclesiae fuerunt et sunt, quae reguntur non solum humanis viribus aut humana diligentia, sed in quibus Spiritus sanctus accendit motus spirituales, agnitionem Dei, timorem, fidem, dilectionem et alias virtutes, in aliis magis, in aliis minus excitatas. [19]) Rident haec Philosophi et Pelagiani, sed tamen verissimum est, effundi spiritum sanctum in corda credentium. Sicut in Zacharia [12, 10.] dicitur: Effundam super domum David Spiritum gratiae et precum. Et sciamus amplissimam consolationem nobis proponi, quae in tanta nostra imbecillitate semper in conspectu nobis esse debet.

Ingens et inenarrabile beneficium Dei est, quod promittitur nobis auxilium Spiritus sancti. Sicut Christus inquit [Luc. 11, 13.]: Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus? Nisi iuvaremur Spiritu sancto, multo tristiores lapsus et atrociores confusiones morum acciderent, ut fuerunt et sunt Ethnici et Anabaptistici furores. Haec autem sententia tenenda et vera est; Voluntas humana non potest sine Spiritu sancto efficere spirituales effectus, quos Deus postulat, scilicet verum timorem Dei, veram fiduciam misericordiae Dei, veram dilectionem Dei, tolerantiam et fortitudinem in afflictionibus, in adeunda morte, ut superarunt mortem ingenti robore Stephanus, Laurentius, Agnes [20]) et alii innumerabiles.

Testimonia colligenda sunt, et ut refutentur Pelagiani, et ut nos ipsos accendamus ad petendum auxilium Spiritus sancti; Item, ut discamus eos, qui non reguntur Spiritu sancto, non esse viva membra Ecclesiae. [15])

Rom. 8. [vs. 14.] Qui ducuntur spiritu Dei, hi sunt filii Dei. Item [vs. 9.]: Si quis spiritum Christi non habet, is non est Christi.

Hae duae sententiae satis perspicuae sunt et plane testantur [21]) haeredes vitae aeternae donari et regi Spiritu sancto. Et certum est spiritum Dei in his dictis non significare rationem, sed Spiritum sanctum a Deo patre et Domino nostro Iesu

17) Apud Ovid. Met. VII, 19.

18) possumus] Editt. 22. 24. 28. possum

19) excitatas] Corp. 1. 2. 4. male: excitatis

20) Agnes] Editt. 2. 6. 7. 9. 12. Agne

21) *Sqq.* haeredes — — congruentes legi Dei.] Editt. 1. 3. *pro his, ea, quae in* Editt. secundae aetatis pag. 375. lin. 36—41. nostrae Editionis *leguntur, exhibent*: opus esse spiritu sancto, ut obedire possimus. Constat autem nomine spiritus sancti significari non rationem humanam, sed spiritum dei efficacem in animis nostris.

Christo procedentem et [22]) missum in corda piorum et accendentem agnitionem Dei per Evangelium et motus congruentes Legi Dei. [21])

1. Cor. 2. [vs. 14.] Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei. Significat enim ψυχικὸς homo viventem vita naturali, hoc est, sensu et ratione naturali sine Spiritu sancto. Sic enim eo loco discernit Paulus animalem a spirituali. Quanquam enim homini naturaliter impressa est [23]) notitia quaedam Legis divinae, tamen accedunt magnae dubitationes de providentia, et multo tristior dubitatio est de Evangelio, an recipiamur, an exaudiamur, de quibus tenebris suum quisque cor consulat, an vere statuat Deum irasci peccatio, an vere statuat se recipi, exaudiri, iuvari in afflictionibus. In hac consideratione securi et otiosi animi, aut fugientis Deum, intelligitur dictum Pauli: Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei, id est, non vere statuit Deum irasci peccato, nec sentit iram, nec vere timet Deum, ut David committens adulterium nondum sentit iram Dei, sed postea sentit, rursus accensus a Spiritu santo. Item, Saul fugit Deum, non invocat, non statuit se iuvari a Deo, non confidit Deo. [25])

Ioan. 3. [vs. 5.] Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest intrare in regnum Dei. Ioan. 6. [vs. 44.] Nemo potest venire ad me, nisi quem pater traxerit. [24]) Item [Ioh. 13, 5.]: Sine me nihil potestis facere.

[25]) Et Ies. 59. [vs. 20.] Veniet Sion redemptor iis, qui redeunt ab iniquitate in Iacob. Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui in sempiternum. Haec verba dulcissimam Ecclesiae descriptionem continent, ac docent, quae sit et ubi sit Ecclesia, et quae habeat propria beneficia Dei. Ille coetus est Ecclesia, qui sonat Evangelium traditum Prophetis et Apostolis, et ibi [26]) sunt viva membra Ecclesiae, habentia Spiritum sanctum, et haec habet propria beneficia, verbum Dei, remissionem peccatorum, Spiritum sanctum et vitam aeternam.

Sciendum est autem, Spiritum sanctum efficacem esse per vocem Evangelii auditam, seu cogitatam, ut Gal. 3. [vs. 14.] dicitur: Ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Ac saepe dictum est, cogitantes de Deo oportere ordiri a verbo Dei, non quaerere Deum sine suo verbo. Cumque ordimur a verbo, hic concurrunt tres caussae bonae actionis, verbum Dei, Spiritus sanctus et humana voluntas assentiens, nec repugnans [26a]) verbo Dei. Posset enim excutere, ut excutit Saul sua sponte; Sed cum mens audiens ac se sustentans non repugnat, non indulget diffidentiae, sed adiuvante etiam Spiritu sancto conatur assentiri, in hoc certamine voluntas non est otiosa.

Veteres dixerunt: Praecedente gratia, comitante voluntate, bona opera fieri. Sic et Basilius inquit: *μόνον θέλησον, καὶ θεὸς προαπαντᾶ*, Tantum velis, et Deus praeoccurrit. Deus antevertit nos, vocat, movet, adiuvat, sed nos viderimus, ne repugnemus. Constat enim peccatum oriri a nobis, non a voluntate Dei. Chrysostomus inquit: *ὁ δὲ ἕλκων, τὸν βουλόμενον ἕλκει.* Sicut et in illo ipso loco Ioannis dicitur: Omnis, qui audit a Patre et discit, veniet ad me. Discere iubet, id est, audire verbum, non repugnare, sed assentiri verbo Dei, non indulgere diffidentiae.

Haec sunt perspicua, si in veris doloribus, in vera invocatione experiamur, qualis sit lucta voluntatis, quae si se haberet ut statua, nullum prorsus certamen, nulla lucta, nulli angores essent in sanctis. Cum autem sit certamen ingens et difficile, voluntas non est otiosa, sed languide assentitur, et nisi promissionibus et exemplis inter invocandum subinde commonefieret ac iuvaretur a Spiritu sancto, rueret in desperationem.

[27]) Vidi multos non Epicureos, qui, cum essent in aliquo moerore propter suos lapsus, disputabant, quomodo sperem me recipi, cum non sentiam in me transfundi novam lucem et novas virtutes? Praeterea si nihil agit liberum arbitrium, interea, donec sensero fieri illam regenerationem, de qua dicitis, indulgebo diffidentiae et aliis vitiosis affectibus. Haec Manichaea imaginatio horribile mendacium

---

22) et] Editt. 2. 4—9. 12. ac

23) *Sqq.* notitia — — confidit Deo.] Editt. 1. 3. *pro his exhibent ea, quae in* Editt. secundae aetatis p. 375. lin. 47. usque ad p. 376. lin. 3. nostrae Ed. *exstant:* notitia de Deo, tamen haec adeo obscurata est, ut non satis assentiatur ei animus, sed dubitet, an Deus curet nos, an puniat, an velit ignoscere, exaudire. Et haec dubitatio efficit, ne vere timeant animi Deum etc.

24) traxerit.] Editt. 1. 3. [= Editt. secundae aetatis p. 376. lin. 7. 8.] traxerit; et erunt omnes docti a Deo.

25) *Pro seqq.* Et Ies. — — et placet obedientia propter Christum. *(quae sunt verba extrema huius loci)* Editt. 1. 3. *ea, quae in* Editt. secundae aetatis pag. 376. lin. 9. usque ad huius loci finem pag. 378. lin. 8. nostrae Editionis *leguntur, exhibent:* Haec testimonia satis plane docent — — Sed haec suo loco copiosius exponam. *(ab illis, quae l. l. in contextis leguntur,* Editt. 1. 3. tertiae aetatis *eo tantum differunt, quod pro* de tota vita (pag. 377. lin. 3.) *exhibent:* de moribus (= Editt. 8. 11—13. secundae aetatis. vide illic notam 65.). — Ex his annotatt. 8. 15. 21. 23. 25. elucet, in Editt. 1. 3. integrum locum *De libero arbitrio* talem exhiberi, qualis in Editt. secundae aetatis legitur.

26) ibi] Corp. 1. 2. 4. ubi

26a) repugnans] Ed. 22. typ. errore: repugnas

27) *Seqq.* Vidi multos — — sancti et voluntatis *absunt ab* Editt. (1.) 2. (3.) 4—7. 9. (Ad hunc locum spectant, quae supra p. 567—570. ad Ed. 8. et p. 597 sq. diximus.)

est, et ab hoc errore mentes abducendae sunt, et docendae, agere aliquid liberum arbitrium. Pharao, Saul, non coacti, sed volentes et libere repugnant Deo, toties tam illustria testimonia suae praesentiae ostendenti.

Nec admittendi sunt Manichaeorum furores, qui fingunt aliquem esse numerum hominum, quos vocant ὑλικοὺς καὶ χοϊκοὺς, qui converti non possint. Nec fit conversio in Davide, ut si lapis in ficum verteretur; sed agit aliquid liberum arbitrium in Davide, cum audivit obiurgationem et promissionem, volens iam et libere fatetur delictum. Et agit aliquid eius voluntas, cum se sustentat hac voce: Dominus abstulit peccatum tuum. Cumque conatur se hac voce sustentare, iam adiuvatur a Spiritu sancto, iuxta illud Pauli [Rom. 1. 16.:] Evangelium est potentia Dei ad salutem non repugnanti, id est, non contemnenti promissionem, sed assentienti et credenti. Item: Evangelium est ministerium Spiritus. Item: Ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem.

Si tantum expectanda esset illa infusio qualitatum sine ulla nostra actione, sicut Enthusiastae et Manichaei finxerunt, nihil opus esset [28]) ministerio Evangelico, nulla etiam lucta in animis esset. Sed instituit Deus ministerium, ut vox accipiatur, ut promissionem mens cogitet et amplectatur, et dum repugnamus diffidentiae, Spiritus sanctus simul in nobis sit efficax.

Sic igitur illis, qui cessationem suam excusant, quia putant nihil agere liberum arbitrium, respondeo: Imo mandatum Dei aeternum et immotum est, ut voci [29]) Evangelii obtemperes, ut Filium Dei audias, ut agnoscas Mediatorem. Quam tetra sunt haec peccata, nolle aspicere donatum generi humano Mediatorem Filium Dei? Non possum, inquies. Imo aliquo modo potes, et cum te voce Evangelii sustentas, adiuvari te a Deo petito, et scito Spiritum sanctum efficacem esse in ea consolatione. Scito velle Deum hoc ipso modo nos convertere, cum promissione excitati luctamur nobiscum, invocamus et repugnamus diffidentiae nostrae et aliis vitiosis affectibus.

Ideo veteres aliqui sic dixerunt: Liberum arbitrium in homine facultatem esse applicandi se ad gratiam, id est, audit promissionem et assentiri conatur et abiicit peccata contra conscientiam. Talia non fiunt in Diabolis. Discrimen igitur inter Diabolos et genus humanum consideretur. Fient autem haec illustriora considerata promissione. Cum promissio sit universalis, nec sint in Deo contradictoriae voluntates, necesse est in nobis esse aliquam discriminis caussam, cur Saul abiiciatur, David recipiatur, id est, necesse est aliquam esse actionem dissimilem in his duobus. Haec dextre intellecta vera sunt, et usus in exercitiis fidei et in vera consolatione, cum acquiescunt animi in [30]) filio Dei monstrato in promissione, illustrabit hanc copulationem caussarum, verbi Dei, Spiritus sancti et voluntatis. [27])

Praeterea si de tota vita piorum loquamur, etsi est ingens imbecillitas, tamen aliqua est libertas voluntatis, cum quidem iam a Spiritu sancto adiuvetur et agere aliquid in externis lapsibus cavendis possit. Cum Ioseph resisteret illecebris adulterae, concurrebant hae caussae: Verbum Dei et Spiritus sanctus movens mentem, ut verbum ardentius cogitaret; Mens cogitans, quanta ruina secutura esset, si Diabolo obtemperaret, videlicet amissio donorum, aeterna ira Dei, poenae in hac vita et futura, praeterea multi lapsus et multa scandala. His cogitationibus mota voluntas assentiebatur, et confirmabat eam languentem Spiritus sanctus, et flammas in corde reprimebat, et excitabat timorem Dei et fidem, quae [31]) acquiescebat in Deo, adibat pericula et petebat gubernationem et exitus bonos. Hic voluntas non erat otiosa, sed repugnabat ipsa illecebris, et mandabat oculis et pedibus, ut vitarent occasionem [32]) lapsuum. Haec exempla declarant caussas bonarum actionum.

Ideo autem haec omnia dicta sunt, ut fiat utrumque videlicet, Spiritus sancti auxilium amplificetur et acuatur nostra diligentia, sicut Christus inquit [Luc. 11, 13.]: Dabit Spiritum sanctum petentibus, non ait aspernantibus, otiosis, repugnantibus, petulanter ruentibus ex aliis sceleribus in alia. Et alio loco inquit [Matth. 25, 29.]: Habenti dabitur, et a non habente etiam id, quod habet, auferetur. Et Paulus iubet cavere, ne frustra gratiam acceperimus.

Saepe multumque repetas animo dictum Christi: Dabit Spiritum sanctum petentibus, et diligenter cogita, quantum munus promittat, et quoties quam ardenter iusserit petere. Petite, inquit [Ioh. 16, 24.], et accipietis. Hoc si faciemus, proficere nos experiemur. Accendetur enim fides ad petendum, et animadvertemus nos propter diffidentiam negligentius petere. Diffidentia autem alitur, quia negligimus cogitationem huius praecepti et huius promissionis Christi.

Quarto. Consideranda est et querela de obiectis et successibus extra nos; aliud est enim de illis loqui, aliud loqui de electione voluntatis in re, quam pro-

---

28) esset] Editt. 22. 24., Opp. 1. esse

29) voci] Editt. 22. 24. 28., Opp. 1. voce

30) in *omittunt* Editt. 22. 24.

31) quae] Ed. 8. typ. errore: qui

32) occasionem] Editt. 2. 4—17. 19. occasiones

spicit. Multa enim accidunt homini inextricabilia humano consilio, quae non tantum a nobis oriuntur, ut cum David pellitur in exilium scelere filii. Item multi sunt errores humani in deliberatione, ut cum[33]) Iosias putat se recte facere, quod bellum infert Aegyptio.

De his periculis concionantur multa dicta in Prophetis, ut Ierem. 10. [vs. 23.] Scio, Domine, quod non est hominis via eius, et viri dirigere gressus suos. Viam intelligit vocationem, de qua manifestum est non posse prospici omnia pericula, et eventus ac successus non esse[34]) in nostra potestate. Vocatur Moyses, ut ducat populum ex Aegypto, sed nequaquam praevidet totos[35]) quadraginta annos in locis desertis tantam multitudinem vagaturam esse, ubi deerant[36]) aquae et frumentum, et propter peccata populi et propter seditiones gubernationem fore inquietam, et sciebat se successus non habere in manibus, sed a Deo regendos esse. Ideo inquit Ieremias [10, 23.], Viam hominis non esse in nostra potestate, id est, vocationem non posse regi tantum humanis consiliis seu humana diligentia, nec felicem esse gubernationem, nisi Deus adiuvet.

Sic et Baptista inquit [Ioh. 3, 27.]: Non potest sibi homo quicquam sumere, nisi datum sit ei de coelo. Ezechias est felix in gubernatione, quia a Deo adiuvatur. Achas non est felix, quia non adiuvatur a Deo. Antonius vult solus dominari, sed non erat ei datum de coelo, sed dabatur Augusto. Haec dicta non tollunt libertatem voluntatis, quod ad electionem attinet in his, quae praevisa sunt; sed loquuntur de obiectis extra nos et de eventibus, ad quos concurrunt aliae plures caussae praeter nostram voluntatem, ut sola Pompeii voluntas non potest esse caussa victoriae.

Quanquam igitur est aliqua libertas in electione, tamen interim et haec impedimenta consideremus, ut discamus deponere nostri fiduciam et petere auxilium a Deo. Valde multa accidunt homini inextricabilia humanis consiliis. De his discamus precationem Iosaphat, 2. Paral. 20. [vs. 12.] Cum ignoramus, quid faciendum sit, oculi nostri ad te, Domine, respiciunt. Et Christus ideo inquit [Ioh. 14, 18.]: Non relinquam vos orphanos. Item [vs. 16.] Dabo vobis Spiritum paracletum etc. Adest Deus et inextricabilia expedit et sanat errata; sicut inquit Psalmus [144, 18.]: Prope est Dominus invocantibus eum in veritate. Item [ibid. vs. 14.]: Allevat Dominus omnes, qui corruunt. Item [Ps. 36, 5.]: Commenda Domino viam tuam, et ipse faciet.

Et Paulus inquit [Philipp. 2, 13.]: Deus, qui efficit, ut velitis, efficiet etiam, ut perficiatis, ut ipsi grata fiant. Haec admonitio et consolatio semper animis inculcanda est: Es magistratus, gubernas Ecclesiam aut iuventutem, aut familiam, praevidebis quaedam et haec recte administrabis mediocri diligentia, sed scito, in eo ipso successus bonos secuturos esse, si te Deus adiuvet, ut dicitur [Ps. 126, 1.]: Nisi Dominus aedificaverit domum etc. Praeter haec etiam multa pericula accident improvisa, quae non poteris discutere, haec a Deo discuti petas; Incident et errata quaedam, haec sanari petas, ut mirando modo correxit Deus erratum Ionae. Haec impedimenta libertatis quotidie experimur.

Sed ideo de hac quaestione confusiora sunt iudicia, quia homines magna ex parte tanquam ebrii sine disciplina, sine diligentia, sine ullis exercitiis fidei et invocationis vivunt. Tales quomodo possunt discernere gradus actionum aut discrimina obiectorum?

Pauli est, ne accersat sciens corruptelas doctrinae per ambitionem[37]) vel avaritiam. Haec aliquo modo sunt in potestate eius. Sed ut sit vocatio felix et efficax, solius Dei donum est. Est et hoc Dei donum, ne ignarus vel errore implicetur corruptelis doctrinae aut aliis vitiis, ideo magna cura orat, se a Deo regi et iuvari.

Nunc dicam de dicto Ecclesiastici [15, 14.]: Deus reliquit hominem in manu consilii sui. Amplissima laus est, si cum[38]) aliqua moderatione intelligatur. Certe nunc in hac naturae infirmitate multa sunt impedimenta libertatis.

Primum naturae corruptio, propter quam notitia de Deo, in mentibus nostris obscura est, et voluntas et cor a Deo aberrant, nec habent acrem sensum timoris Dei, nec ardent fiducia et dilectione Dei, et rapiuntur multis vitiosis motibus.

Secundum impedimentum est Diabolus, qui horribili odio Christi obiicit occasiones, quibus implicat homines variis laqueis et peccatis, et admissas flammas cupiditatum auget, ut in Cain, Saule, Iuda et aliis.

Tertium impedimentum est in hac vitae confusione moles ipsa negotiorum et periculorum, in quibus quotidie multa improvisa et inextricabilia praeter opinionem hominum offeruntur, ut David non praevidit seditionem filii. Et vulgo dicitur: Nescis, quid vesper serus vehat.

33) cum *abest ab* Editt. 18. 20. 22. 24. 28 — 34., Corp. 1 — 8., Opp. 1. 2.

34) esse] Editt. 22. 24., Opp. 1. 2. est

35) totos] Editt. 22. 24. toto

36) deerant] Editt. 18. 20. 25—27., Corp. 1. 2. 4. deerunt

37) doctrinae per ambitionem] Editt. 2. 6. 7. 9. doctrinae, vel ambitionem

38) cum] Editt. 2. 6. 7. 9. sine

Cum igitur tanta sint impedimenta libertatis in hac corruptione naturae, illa gloriosa oratio: Deus reliquit hominem in manu consilii sui, non est sine aliqua interpretatione accipienda. Vera est quidem haec laus libertatis de integra natura. Tunc fuisset homo in manu consilii sui, id est, non fuisset impedita libertas, nec naturae tenebris et pravitate, nec a Diabolo, nec a negotiorum fluctibus, sed electio et facultas recte agendi fuisset liberrima. Nunc vero in hac imbecillitate interiores motus congruentes Legi Dei non accenduntur sine Spiritu sancto; imo etiam exterior disciplina saepe impeditur, ut supra dictum est. Quare si quis contendit dictum Ecclesiastici de praesenti natura accipiendum esse, necesse erit addi magnam restrictionem, videlicet: Deus reliquit hominem in manu consilii sui, scilicet, ut per sese ruere possit ad malum et adiutus a Spiritu sancto recte facere possit; nam et tunc voluntas non est otiosa, nec habet se ut statua, ut Ioseph experitur, qui ipse luctatur secum, nec imprimitur ei motus spiritualis ut statuae. Fit autem voluntas adiuvante Spiritu sancto magis libera, id est, circumspectius et constantius agens, et ardentius invocans Deum.

Postremo hic recitanda sunt duo dicta Hieronymi, quae saepe citantur et indigent interpretatione. Alterum est: Anathema sit, si quis dixerit, Deum impossibilia praecepisse. Quaecunque fuit occasio huius dicti, certe illi, qui citant et inculcant, ostendunt se non cogitare caussas, cur Lex Dei lata sit. Politica sapientia iudicat, leges ferri tantum ideo, ut fiant. At lex Dei lata est praecipue ob hanc caussam, ut extet iudicium Dei adversus peccatum, Deus vult conspici iram suam, et voce Legis ostendit nobis peccata nostra. Iustum erat diligi Deum ex toto corde; quia igitur tales non sumus, iudicat et accusat nos Lex et iram nobis denuntiat. Altera deinde caussa est, ut inchoëtur Lex Dei in his, qui iam agnoscunt Mediatorem, et reconciliati sunt, et in his inchoatur adiuvante Deo.

Itaque cum audis hanc vocem, Lex est impossibilis, non consulenda est politica sapientia, nec cogitandum de disciplina externa, sed negat Paulus tolli iram Dei per Legem, negat et Legi satisfieri in hac imbecillitate naturae.

Item Rom. 3. [vs. 20.] Non iustificabitur ex operibus Legis omnis caro. Hic fatetur fieri opera. Est ergo, quod ad illa externa opera attinet, Lex possibilis, sed negat propter haec opera hominem iustum esse aut Legi satisfactum esse. Non enim auferunt peccatum et iram Dei, vel tenebras in mente et aversionem a Deo in voluntate et corde.

Etsi igitur offenduntur viri politici, cum Lex Dei dicitur impossibilis, tamen id dictum verum est de hac corrupta natura, et necesse est sic docere Ecclesiam, ut discrimen legis Dei, quae iudicat interiora peccata, et legum humanarum, quae tantum loquuntur de externa disciplina, conspiciatur; Item ut magnitudo beneficiorum Christi agnoscatur, qui ideo tollit peccatum, quia Lex non tollit; Ideo est Mediator, ut propter ipsum simus iusti, quia lege non sumus iusti; Ideo donat nobis Spiritum sanctum, ut in tanta infirmitate tamen inchoetur Lex, et fiant aliqua salutaria nobis et aliis, et reprimatur Diabolus insidians universo generi humano.

Nunc et alterum dictum consideretur: Anathema sit, si quis dicit, Legem posse fieri sine gratia. Brevitas huius dicti etiam postulat explicationem. Nam gratia non tantum intelligatur de auxilio Spiritus sancti, sed utrumque complectamur, gratuitam imputationem, quae fit propter Christum, et auxilium Spiritus sancti. Primum enim oportet operibus praelucere agnitionem Christi et fidem in Christum.

Sic ergo primum intelligatur gratia: Lex Dei fit per gratiam, id est: Quia fide propter Christum recepti sumus et facti membra Christi, certo iam placemus Deo, perinde ac si Legem integre faceremus. Haec est ingens bonitas, ita sepeliri peccatum et nos indignos recipi.

Deinde intelligatur gratia etiam de auxilio, quo multipliciter opus est. Mentes sunt accendendae luce vera et retinendae in verbo Dei. Motus fidei in corde excitandi sunt, movendae etiam mentes sunt, ut suscipiant salutaria nobis et aliis, ut David movebatur ad exitiosa, cum suo aliquo humano consilio cogitasset de numerando populo. Semper igitur petamus, ut et Deo placentia et utilia nobis et Ecclesiae faciamus. Ac neutrum fieri potest, nisi Deo nos adiuvante et gubernante. Certum est autem, velle eum nobis adesse et opem ferre, cum petimus, ut Christus clare inquit [Luc. 11, 13.]: Quanto magis Pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

Haec si in vita experiremur, multo clarius intelligi doctrina posset. Sed quia pauci petunt auxilium, imo quadam desperatione fugientes Deum quaerunt humana consilia; Ideo non perveniunt ad agnitionem harum promissionum et beneficiorum Christi. Quare hanc ignaviam et diffidentiam excutiamus, et agnoscentes magnitudinem nostrarum miseriarum et periculorum excitemus nos ad veram invocationem. In hac sentiemus promissiones Dei veras esse, sicut dicitur [Ioh. 16, 24.]: Petite, et accipietis. Item [Ps. 144, 18.]: Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate.

Ut autem iam in dicto Hieronymi utrumque complexi sumus, Lex fit per gratiam, id est, imputatione propter Christum et auxilio Spiritus sancti; Nam etiam cum inchoata est obedientia, tamen adhuc procul absumus a perfectione Legis, sed pla-

cemus propter Christum: Ita utrumque complectamur in hoc dicto: Lex per fidem stabilitur; Primum imputatione, quia propter Christum accipimus reconciliationem, sine qua lex tantum vox est damnationis; Deinde, quia fide accipitur Spiritus sanctus, et inchoatur et placet obedientia propter Christum. [25])

[V.]

DE PECCATO.

[39]) Etsi omnes gentes vident horrendam confusionem, vitia et calamitates tristissimas generis humani, ac sentiunt onus peccati, tamen sola Ecclesia Dei docet, et unde sit et quid sit peccatum, et audit verbum Dei de ira divina et de poenis praesentibus et aeternis. Et quanquam sapientia humana docet regere mores, improbat et punit facta contra rationem, tamen non agnoscit hoc, quod est proprium in peccati ratione, videlicet reatum coram Deo seu iram Dei. Videt Alexander se turpiter fecisse, cum interfecit Clitum, et dolet propterea, quod contra naturae iudicium fecit, sed non dolet, quod Deum offenderit, non dolet se reum esse coram Deo. Sed Ecclesia monstrat iram Dei, et docet longe maius malum esse peccatum, quam putat humana ratio. Nec arguit Ecclesia tantum externas actiones, pugnantes cum Lege Dei aut ratione, sicut Philosophia, sed arguit radicem et fructus, interiorem caliginem mentis, dubitationes de voluntate Dei, aversionem voluntatis humanae a Deo et contumaciam cordis contra Legem Dei. Arguit et ignorationem et contemptum filii Dei. Haec sunt tristia et atrocia mala, quorum magnitudo enarrari non potest. Ideo Christus inquit [Ioh. 16, 8.]: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, eo quod non credunt in me, et de iustitia, eo quod vado ad Patrem, et de iudicio, eo quod princeps mundi iam iudicatus est.

Haec est concio prorsus aliena a politicis iudiciis. Ideo dicit argui mundum a Spiritu sancto, voce Evangelii, non humanis et civilibus iudiciis, et argui de hoc peccato, videlicet de contemptu filii Dei, quod Evangelium et beneficia Christi aspernentur homines, nec accedant [40]) ad Deum fiducia filii Dei, sed maneant in perpetuis dubitationibus et fugiant Deum, aut fingant cultus et idola horribili audacia.

Deinde inquit [Ioh. 16, 8.]: Etiam arguet mundum de iustitia. Nam sapientes putant iustitiam esse qualemcunque disciplinam, seu obedientiam universalem, ut vocant, iuxta leges. Sed longe aliam iustitiam affert Evangelium. Nam disciplina illa humana nec peccatum nec mortem tollit, sed iustitia coram Deo, qua Deus nos reputat iustos, acceptos et haeredes vitae aeternae, abolet peccatum et mortem, sicut inquit: Haec est meus transitus ad Patrem, id est, mea pro vobis oblatio et satisfactio, et transitus ad regnum, in quo pro vobis sum perpetuus Mediator, sanctifico et vivifico vos ad vitam aeternam, tollo peccatum et mortem. Hic transitus ad Patrem, et hoc regnum Christi iustificat nos.

Tertio addit De iudicio. Mundus semper movit et movebit ingentia certamina contra hanc doctrinam, et damnavit et damnabit Filium Dei, et Diabolus incitat sua organa ad blasphema iudicia et crudelitatem, sicut haereses, blasphemiae et saevitia omnium temporum ostendunt. Sed hi furores Diaboli non delebunt Ecclesiam. Semper enim confirmabit Spiritus sanctus Ecclesiam, ut opponat se impiis iudiciis, et vincet [41]) Ecclesia tandem, quia Diabolus condemnatus est; Quare eius iudicia et furores Deus confundit.

Cum igitur Spiritus sanctus voce ministerii Evangelici arguit mundum, et ostendit, unde et quid sit peccatum et quantum malum sit, necesse est audire Spiritum sanctum docentem, nec intelligi beneficia Christi possunt, si ignoretur, quid sit peccatum. Imo propter hanc ipsam caussam Deus et voce ministerii et ingentibus calamitatibus concionatur Ecclesiae, ut agnoscamus iram adversus peccatum, et confugiamus ad Filium Mediatorem. Et Christus doctrinae summam in Ecclesia ita comprehendit [Luc. 24, 47.]: Ite praedicantes poenitentiam ad remissionem peccatorum in nomine meo. Complectitur autem agnitionem peccati, id est, pavores, qui existunt agnita ira Dei adversus peccatum. Et Paulus in Epistola ad Romanos praecipue hoc agit, ut hos tres locos declaret, quid sit peccatum, quid Lex efficiat, quid gratia Christi sit et efficiat. Sciamus igitur doctrinam horum locorum oportere perspicuam, sinceram et explicatam in Ecclesia extare.

Usitatum est autem in docendo a definitionibus ordiri; quare et peccati definitio primum constituenda erat. Sed video scriptores, qui ediderunt quaestiones in Longobardum, non tradidisse unam communem definitionem, convenientem peccato originis et peccato actuali, fortassis quia ita cogitarunt, non posse tradi communem definitionem; quia peccatum

---

39) *Pro seqq.* Etsi omnes gentes — — Mihi non displicet retineri Anshelmi descriptionem. *in* Editt. 1. 3. *eadem leguntur, quae exhibent* Editt. secundae aetatis pag. 378. lin. 10—48. nostrae Ed.: Christus complexus est — — His enim appellationibus docendi causa utendum est.

40) nec accedant] Editt. 2. 4. 6. 7. 9. 12. nec accedunt; Editt. 5. 8. 10. 11. 13—16. 19. ne accedant

41) vincet] Corp. 1—8. vincit

actuale facit reos propter nostrum factum, at originale reos tenet tum propter alienum lapsum. tum propter nostram immuditiem, quae nascitur nobiscum.

Deinde fingunt ipsi et hoc, Legem Dei tantum actualia peccata damnare. quod falsum esse constat ex septimo capite ad Romanos.

Nominis ratio in Scripturis manifesta est, peccatum proprie significare quiddam reum ac damnatum a Deo, nisi fiat remissio. Haec generalis descriptio convenit peccato originis et actuali. Sed quia tantum fit mentio relationis, scilicet reatus, quaerit mens etiam id, propter quod homo reus est. Ideo hac definitione utor, et optarim extare aliquam in Ecclesia, multorum doctorum et piorum iudiciis compositam: Peccatum est defectus vel inclinatio vel actio pugnans cum Lege Dei, offendens Deum, damnata a Deo, et faciens reos aeternae irae et aeternarum poenarum, nisi sit facta remissio. In hac definitione genera sunt defectus et inclinatio, quae congruunt ad malum originis. Actio comprehendit omnia actualia interiora et exteriora.

Differentia communis est, pugnans cum Lege Dei. Nam Lex non tantum concionatur de actionibus, ut dicunt adversarii, sed etiam damnat tenebras, defectus et pravas inclinationes in natura hominis, ut Rom. 7. Paulus acerrime contendit.

Deinde addita sunt propria, damnata a Deo, offendens Deum et faciens reos irae et poenarum etc. Hanc proprietatem Ecclesia[42] praecipue inculcat. Nam ratio intelligit vitia contra Legem Dei esse, sed iram Dei postea negligit. Praecipua [43] igitur haec proprietas consideranda est, quoties nominatur peccatum, ut sciamus intelligi quiddam reum et damnatum a Deo.

Sumpta est autem haec definitio ex his verbis: Maledictus qui non manet in omnibus, quae scripta sunt in Lege. Peccatum definit inobedientiam maledictam a Deo. Et intelligatur inobedientia non tantum actualis, sed universa, quae est in natura hominis adversus Deum. Est autem atrox additio, dici maledictum a Deo, id est, quiddam, quod Deus iratus reiicit et propter quod creaturam abiicit in horribiles poenas.

Congruunt etiam cum hac definitione verba Pauli Rom. 1. Revelatur ira Dei de coelo super omnem impietatem etc. Et Rom. 7. inquit Paulus: Per Legem peccatum fit excellenter peccatum, id est: Lex monstrat iram Dei, qua agnita intelligimus nostram immuditiem non esse leve malum, sed esse quiddam reum, damnatum, maledictum a Deo, quod comitantur horribiles poenae. Quoties ergo nominatur peccatum, discernatur haec appellatio in Ecclesia a Philosophica appellatione vitii; Nam Ecclesia concionatur de iudicio et de ira Dei.

42) Ecclesia] Editt. 2. 6. 7. 9. 12. 22. 24. 28—34. Ecclesiae

43) Praecipua] Editt. 2. 4—14. 19. 26. 27. Praecipue

Si quis imaginatur, peccatum originis tantum esse reatum propter lapsum Adae sine pravitate in nobis, errat. Si quis autem contendit, nascentes esse reos et propter Adae lapsum et propter pravitatem nobiscum nascentem, non impedio, quo minus addat eam particulam definitioni, quod peccatum sit tum reatus propter Adae lapsum, tum defectus vel inclinatio vel actio pugnans cum Lege Dei etc. Sed nolo tenuissime omnia limare. Hoc constat, propter Adae lapsum posteritati deesse eam lucem, quae fulsit in natura integra, et rectitudinem voluntatis et cordis, ac propter haec mala nascentes esse reos non dubium est.

Constituta autem definitione peccati in genere, deinde de speciebus dicatur, de originali et actuali, nec seramus λογομαχίας et cavillationes verborum, sed res necessarias in Prophetica et Apostolica scriptura et testimoniis certis scriptorum veterum traditas retineamus, quas si alii melius explicant, libenter ipsorum sermone utamur. Non enim de verbis pugnamus, sed res necessarias exponimus. Mihi non displicet retineri Anshelmi descriptionem.[39])

DE PECCATO ORIGINIS.

[44])Peccatum originis est carentia iustitiae originalis debitae inesse. Sed haec descriptio brevis et obscura indiget longiore enarratione. Necesse est enim quaeri, quid significet iustitia originalis.

44) *Pro seqq.* Peccatum originis est — — et magnitudine calamitatum utcunque aestimare ea debebat. *in* Editt. 1. 3. ***sunt ea, quae in*** Editt. secundae aetatis pag. 379. lin. 2. usque ad p. 385. lin. 22. nostrae Ed. ***habentur, non omissis iis, quae ibi addunt*** Editt. 11—13. et Opp.. ***hoc modo***: De peccato originis ideo multae — — inter vitium illud pugnans cum lege Dei et reatum. (*in quibus* Editiones 1. 3. *ab illis* Editt. secundae aetatis *tantum hisce tribus locis differunt, **quod*** 1. ***pro*** Haec si in loco dicantur. (*pag.* 379. *lin.* 12. *nostrae Ed.) exhibent :* Haec cum in loco dicuntur: ***deinde*** 2. ***pro*** Nos igitur contra sic sentimus. Peccatum originis non tantum esse imputationem seu reatum, sed etiam naturae hominis corruptionem, quae fit, ne possimus vere obedire legi Dei et sine peccato esse. ***(pag.*** 379. ***lin. antepenult.*** usque ad ***p.*** 380. ***lin.*** 3. ***nostrae Ed.) habent haecce:*** Nos igitur contra sic sentimus: Peccatum originis non esse solam imputationem seu reatum sine tenebris in mente et aversione voluntatis adeo et contumacia cordis.; ***denique*** 3. ***pro*** Peccatum originis est reatus, quo — Ea pravitas continet horribiles defectus et pravas inclinationes. (***pag.*** 383. ***lin.*** 39—47. ***nostrae Ed.) exhibent haec:*** Peccatum originis est carentia iustitiae originalis, id est, reatus propter lapsum Adae, et pravitas secuta lapsum, Hoc est tenebrae in mente, aversio in voluntate, et contumacia cordis, id est, homines sunt rei et propter lapsum Adae et propter eam pravitatem, quae secuta est.

Ideo addi hanc declarationem necesse est: Iustitia originalis fuit acceptatio humani generis coram Deo, et in ipsa natura hominum lux in mente, qua firmiter assentiri verbo Dei poterat, et conversio voluntatis ad Deum, et obedientia cordis congruens cum iudicio Legis Dei, quae menti insita erat.

Haec omnia complexam esse iustitiam originis, intelligi potest ex hoc dicto: Homo conditus est ad imaginem et similitudinem Dei, quod interpretatur Paulus, ac docet, imaginem Dei esse mentem agnoscentem Deum et voluntatem liberam, iustam et congruentem cum Lege Dei, sicut Eph. 4. [vs. 24.] dicitur: Conditus homo in iustitia et sanctitate vera. Veram sanctitatem vocat omnes virtutes, vero corde relatas ad hunc finem, ut Deo obedientia praestaretur, ut Deus diligeretur et celebraretur. Postquam igitur constitutum est, quid significet iustitia originalis, deinde opposita[45]) privatio utcunque declarari potest.

Peccatum originis est carentia iustitiae originalis, id est, est in natis ex virili semine amissio lucis in mente et aversio voluntatis a Deo et contumacia cordis, ne possint vere obedire Legi Dei, secuta lapsum Adae, propter quam corruptionem nati sunt rei et filii irae, id est, damnati a Deo, nisi fuerit facta remissio. Si quis vult addere, natos etiam propter lapsum Adae reos esse, non impedio. Revera autem perpetua Ecclesiae sententia est, Prophetarum, Apostolorum et scriptorum veterum. Peccatum originis non tantum esse imputationem, sed in ipsa hominum natura caliginem et pravitatem, ut dixi. Idque copiosius declarabo in testimoniis, et congruent Augustini, Hugonis et Bonaventurae dicta ad hanc sententiam, etiamsi alii recentiores magis profani nonnihil discesserunt a veteri sententia, et inextricabiles cavillationes finxerunt. Sed Hugo praeclare dicit, Peccatum originis esse ignorantiam in mente et inobedientiam in voluntate.

Testimonia.

Postquam tradita est definitio, testimonia addamus, quae affirmant, omnes homines nascentes ex virili semine afferre secum peccatum, ut sciant pii,[46]) hanc doctrinam non ex disputationibus recentium scriptorum natam esse, sed vere traditam a Spiritu sancto per Prophetas et Apostolos.

Estque proprius locus huius doctrinae in 5. cap. [vs. 12.] ad Romanos: Unius delicto omnes mortui sunt, ergo alii sunt rei propter Adae lapsum. Et ne intelligatur ceteros reos tantum esse sine aliqua propagatione corruptionis, addit: Mors pervasit in omnes, quia omnes peccaverunt. Hebraica phrasis est, Peccaverunt, id est, rei sunt et habent peccatum, rem malam et damnatam. Si tantum actualia delicta essent peccata, unusquisque tantum reus esset sui facti. Nunc cum clare dicat, nos reos esse propter Adae delictum, testatur aliud quoddam in natura peccatum esse praeter actualia delicta. Et ne id peccatum intelligatur tantum imputatio seu reatus, verborum pondera observanda sunt. Omnes peccaverunt, id est, in omnes propagatum est malum, quod est peccatum.

Item: Peccatum regnavit, Mors regnavit, id est, homines oppressi sunt ira Dei, sunt sine luce divina et ruunt in horribiles furores et aeternum exitium. Sicut Rom. 3. [vs. 23.] dicitur: Omnes carent gloria Dei, id est, ea gloria, quam Deus iudicat esse gloriam et qua vivificat.

Sed multo clarius ex septimo et octavo Capite ad Romanos discimus, Peccatum originis non tantum esse imputationem seu servitutem, qua ad mortem obligati sumus, sed etiam in ipsa natura hominis propagatum malum. Rom. 7. [vs. 23.] Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae. Vocat enim legem membrorum quiddam in nobis repugnans Legi Dei, videlicet defectus et pravas inclinationes.

Et Rom. 8. [vs. 7.] Sensus carnis inimicitia est adversus Deum. Nam Legi Dei non subiicitur, nec subiici potest. Haec est tristis et horribilis descriptio generis humani. Nam verba clare ostendunt, non dici de actuali malo tantum, sed etiam de malo[47]) haerente in ipsa natura, quod vocat inimicitiam adversus Deum. Quid atrocius dici potest, quam naturam hominis inimicam esse Deo? hoc est, circumferre secum assidue caliginem et dubitationes de Deo, securitatem negligentem Deum, diffidentiam fugitantem Deum, et multiplicem contumaciam. Haec arcana mala non intelligunt securi et profani, sed Ecclesia in contritione aliquo modo ea cognoscit.

Eph. 2. [vs. 3.] Eramus natura filii irae, sicut et ceteri. Hebraica phrasis est, Filii irae, id est, rei seu damnati. Affirmat ergo et posteros Abrahae et ceteros homines damnatos esse non tantum propter actualia delicta, sed etiam propter naturae malum, quod ex ipsa propagatione nobiscum afferimus, non accersimus exemplo. Et quale sit hoc naturae malum, declarant sententiae, quas citavi ex septimo et octavo capite.

45) opposita] Corp. 2. 4. opposite

46) pii, *abest ab* Editt. 18. 20. 22. 24. 25. 28—34.. Corp. 1—8., Opp. 1. 2.

47) etiam de malo] Editt. 2. 4. 6. 7. 9. 12. etiam malo

Ioan. 3. [vs. 5.] Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest intrare in regnum Dei. Cum necessaria sit regeneratio, manifestum est, veterem naturam ream et immundam esse.

Addantur et Prophetarum dicta, Psal. 50. [vs. 7.] Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. Deplorat enim non matris peccatum, sed suum. Ego ita conceptus sum, ut statim, cum formarer in mea massa, ac in me ipso[48]) fuerit peccatum, id est, non reatus tantum, sed mecum nascens aversio a Deo et prava inclinatio. Testatur ergo, in hominibus peccatum esse, quod nascentes secum afferunt.

Gen. 8. [vs. 21.] Cogitatio humani cordis mala est a pueritia. Affirmat non tantum consuetudine accersi delicta, sed in ipso corde pravitatem esse haerentem in pueris iam nascentibus. Nam verba sunt magis illustria in Hebraica lectione: Opificium humani cordis, seu πλάσμα, seu fabricatio, est mala, id est, massa ipsa cordis corrupta aut certe omnes motus seu impetus, seu ὁρμαὶ in corde sunt res malae, id est, aversae a Deo.

Sic et Psalmus [24, 7.] peccata iuventutis vocat totam illam molem, quam pueri nascentes afferimus, caliginem in mente, aversionem a Deo in voluntate et contumaciam cordis.

Ierem. 17. [vs. 9.] Perversum est humanum cor super omnia et miserum et inscrutabile, id est, aversum a Deo et plenum dolorum, qui inde oriuntur, quod humanae mentes ignorant et fugiunt Deum; quae mala quanta sint, nemo satis intelligit.

Haec dicta ostendunt, congruere Prophetarum et Apostolorum dicta. Sed brevitas quasi praetervolat aures hominum, praesertim cum in hac caligine nostra et securitate non videamus magnitudinem nostrae miseriae, homines otiosi, ebrii voluptatibus aut elati gloria, leviter curant iram Dei et sibi ipsi blandientes extenuant haec mala, dubitationes de Deo, neglectionem Dei, fiduciam suae sapientiae ac potentiae, superbiam, ambitionem et alias flammas cupiditatum. Ideo hae breves conciones parum movent animos, quae tamen universam doctrinam de peccato et de caussis humanarum calamitatum continent. Nam vetus docendi consuetudo fuit, talibus brevibus sententiis tanquam gnomis includere insignes articulos doctrinae, quas Ecclesia in[49]) ministerio Evangelii evolvere et explicare debet, ut aliquo modo ostendat amplitudinem rerum, quae in eis continentur. Sicut breve dictum est [Gen. 3, 15.]: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Sed Ecclesia explicans videt aliquo modo, quantas res contineat. Ita et de hoc articulo, de peccato et de caussis calamitatum humanarum traditae sunt multae breves γνῶμαι, quae summam eruditissime complexae sunt, in quibus verborum proprietas et pondera diligenter considerentur.

Expende quaeso, quam apte congruant Ieremiae et Pauli dicta [Rom. 8, 7.]: Sensus carnis inimicitia est adversus Deum; nam Legi Dei non subditur, nec potest subdi. Plana et perspicua sententia est, quae affirmat in homine esse et in hac mortali vita manere quiddam negligens aut fugiens Deum et irascens ei, et quod vicissim Deus improbat, ac declaratio addita est. Haec infirma natura, inquit, non potest subiici legi Dei, nunquam ei satisfacit, semper languet dubitatione, securitate, diffidentia et variis flammis cupiditatum. Quid potest autem tristius dici, quam in homine esse inimicitiam adversus Deum? Sed hanc[50]) sepelit in credentibus Mediator Dominus noster Iesus Christus, ut suo loco dicetur. Non potest verbis explicari amplitudo dicti Paulini. Sed cogitatio immoretur, et nos ipsos intueamur, agnoscamus et deploremus nostras sordes et quaeramus Evangelium de Mediatore.

Nunc conferas dictum Ieremiae [17, 9.]: Perversum est cor hominis super omnia et miserum et inscrutabile. Primum nominatur perversum, id est, aversum a Deo. Hoc prorsus cum Paulo congruit, qui ait, cor esse inimicum Deo. Nam aversum esse, est non regi luce Dei, vexari dubitationibus, non agnoscere iram et misericordiam, non habere timorem Dei, fiduciam et dilectionem, amare sese, delectari et confidere nostra sapientia, fingere opiniones de Deo et habere impetus vagos, aberrantes a Lege Dei, ambitionem, cupiditatem vindictae et alias flammas. Deinde defectuum poenae describuntur, cum ait: Miserum seu plenum dolorum. Cor spoliatum luce et consolatione Dei opprimitur doloribus, desperatione, moestitia aeterna. In his poenis implicita sunt multa horribilia peccata, et tantum est mali, ut a nobis aut aliis creaturis non satis intelligi magnitudo possit.

Eadem est sententia dicti [Ps. 115, 2.]: Ego dixi in excessu meo, id est, in consternatione seu pavore meo, Omnis homo mendax est,[51]) id est, cum territus sum agnitione mearum sordium et irae Dei, agnovi omnes homines esse mendaces, id est, non recte de Deo sentire, dubitare de Deo, nec iram satis metuere, nec satis confidere misericordiae.

Recensui testimonia et breves explicationes attigi, ut commonefacerem lectorem, ne eludi ea propter brevitatem sinat, sed retineat simplicem et nativam sententiam adversus Pelagianos et multos alios leves spiritus. Pelagiani universam doctrinam

48) ac in me ipso] Editt. 2. 6. 7. 9. 12. ac me ipso

49) in *abest ab* Editt. 8. 10. 11. 13 — 34., Corp. 1 — 8., Opp. 1. 2.

50) hanc] Editt. 22. 24. 28., Opp. 1. 2. haec

51) est. *prius abest ab* Editt. 2. 4—12.

de peccato originis negant, nomine etiam sublato. Recentes, ut Occam et multi alii, nomen retinent peccati originalis, sed rem extenuant. Negant illa mala esse res pugnantes cum Lege Dei, caliginem in mente, contumaciam in voluntate et corde, quae vocatur concupiscentia. Sed aperte refutantur Pauli testimonio Rom. 7. [vs. 23.] et 8. [vs. 7.] ut infra rursus dicam. Ipsi haec mala tantum poenas vocant peccati originis, cum simul sint poenae primi lapsus et peccata in singulis nascentibus. Ut igitur tota res magis fiat perspicua, caussas et effectus recitabo.

Caussae efficientes primum lapsum sunt Diabolus et voluntas Adae et Evae assentiens Diabolo ac avertens se sua libertate a mandato Dei.

Dicuntur autem et efficientes caussae, quae merentur aliquid. Sic Adam et Eva sunt caussae efficientes, qui sibi et posteris meriti sunt reatum et hos ipsos defectus seu pravitatem, quae lapsum secuta est, excussa luce Dei. Postquam enim primi parentes deliquerunt, amiserunt firmam illam notitiam Dei, quae mentibus insita fuerat, et rectitudinem voluntatis et convenientiam cordis cum Lege Dei; et quales ipsi post lapsum erant, tales procrearunt.

Ubi est peccatum originis? In anima et in potentiis sentientibus et earum organis; quia in mente est caligo, in voluntate aversio a Deo, amor nostri inordinatus et multiplex, prava inclinatio, et in corde contumacia contra rectum iudicium mentis. Ita loco morbi, ut sic dicam, seu subiecto monstrato, quod vocant materiam in qua, propius aspici malum potest.

De formali eruditis facile est iudicium, etsi indocti varie de hac quaestione tumultuantur. Non volo autem serere *λογομαχίας* in Ecclesia, sed plane et sine sophistica et sine perplexitate exponam veram sententiam. Recte eruditi sciunt universaliter formale peccati esse reatum seu condemnationem personae, quae est rea. Sed haec relatio alicui malo accidit. Quaerendum est ergo fundamentum proximum huius relationis seu, ut vocant, materiale propinquum. Est autem fundamentum huius reatus ipsum in homine vitium nobiscum nascens, quod vocant vel defectus vel pravas inclinationes vel concupiscentiam. Nam his appellationibus omnibus eadem mala significantur, seu potius magna confusio malorum. Intelligenda est enim concupiscentia non de appetitionibus in natura conditis, sed de *ἀταξίᾳ* omnium appetitionum. In his vitiis scit Dialecticus suum quoddam formale esse, proprium vitii, scilicet defectum rectitudinis aberrantem a Lege Dei seu *ἀταξίαν*.

Ignorationem Dei, dubitationes, esse sine timore Dei, sine dilectione, manifestum est defectus esse. Est et defectus *ἀταξία* in amore nostri, quod videlicet conturbato ordine Saul magis amat sese quam Deum. Sic et de aliis pravis inclinationibus iudicetur. Hanc *ἀταξίαν* omnium appetitionum scriptores vocarunt concupiscentiam.

Estque prudenter discernenda *ἀταξία* ab ipsis appetitionibus, quales a Deo conditae sunt, ut infra copiosius dicam. Cum igitur quaeritur, quod sit formale peccati originis, recte respondetur, reatus. Deinde vero quaerendum est fundamentum huius relationis. Id vero est, ut dixi, ipsum vitium nobiscum nascens, quod est malum pugnans cum lege Dei, quod cum sit magna confusio malorum, perinde ac si quis dicat multos morbos simul esse, facile intelligi potest, formale harum confusionum esse defectus. Insuper autem accedit reatus, cum peccatum non est remissum. Sed cum remissum est, manet tamen in hac vita adhuc confusio illa magna ex parte, manent igitur defectus, qui sunt eius confusionis formalia.

Haec plana sunt et nihil continent perplexitatis. Monachi inerudite omiserunt reatum. et dixerunt, formale peccati esse defectum, et hunc tolli in renatis, ac manere materiale, quod intelligebant appetitiones ipsas conditas a Deo, quae sunt res bonae. Sed quid dicerent, non intellexerunt. Cum enim morbi maneant, scilicet dubitationes, [52]) negligentiae, contumaciae, facile intelligi potest, defectus manere. Nam illa nomina morborum, qui manent, significant defectus.

Incipit Spiritus sanctus sanare naturam, sed non subito totus morbus tollitur. Ut Samaritanus in cap. 10. [vs. 34.] Lucae saucium non subito curat, sed primum vulneribus vinum infundit, ut cruorem abluat, deinde infundit balsamum, ut mitiget dolorem, et glutinari vulnus incipiat, postea obligato vulnere aegrum imponit iumento, et curari eum deinceps in diversorio mandat; Ita Christus nos suo corpori imponit, quia peccatorum nostrorum poenas sustinuit, et vulneribus nostris infundens Evangelium deinde ea obligat, tegit et remittit peccata nostra. Sed morbos tamen adhuc in Ecclesia vult curari assiduis exercitiis crucis et invocationis. Haec imago ostendit, in remissione peccati originis tolli reatum, sed non subito sanari vulnera. Ut autem vulneris formale est partium laceratio, quae debebant esse continuae, ita et in hac pravitate mentis, voluntatis et cordis lacera iones quaedam sunt, ut ita dicam, profecto tristes et saevae, quarum formalia Dialecticus satis intelligit esse defectus seu privationes seu *στερήσεις*, videlicet *ἀταξίας* aberrantes a Lege Dei.

De finali caussa hoc loco cum dicitur, poenae recensendae sunt et effectus. Poenae peccati ori-

---

52) dubitationes] Corp. 2—8 dubitationis

ginis sunt mors corporis et aliae ingentes calamitates, quae ex humana ignorantia et omnium virium fragilitate oriuntur: item ira Dei et aeterna damnatio. Sicut Paulus inquit [Ephes. 2, 3.]: Eramus natura filii irae. Item tyrannis Diaboli, qui imbecilles naturas horribiliter impellit, ut ex aliis malis in alia ruant, ut Oedipus ignarus fit interfector patris, postea ignarus ducit matrem uxorem; hinc nati filii de regno dimicant et mutuis vulneribus interficiuntur; pater effossis oculis pellitur urbe et postea absorbetur hiatu terrae. Tam tetra accidunt homini, cum non defenditur adversus grassantem Diabolum. Nec quisquam est hominum, qui non aliquem insignem et dirum morsum Diaboli sentiat, unde discenda est haec sententia: Serpens insidiabitur calcaneo eius. Sed rursus discamus promissionem, Conteri caput serpentis a Domino nostro Iesu Christo.

Sunt poenae[58]) primi lapsus multiplex ignorantia humana et haec contumacia appetitionum, quam vocant concupiscentiam. Sed haec simul et poena est primi lapsus et in nascentibus peccatum ipsum, id est, quiddam reum et damnatum a Deo. Nec recte hanc inclinationem pravam, quam vocant fomitem, tantum poenam Monachi esse dixerunt. Haec recitatio caussarum et effectuum studiosos adiuvabit, ut sine perplexitate doctrinam Ecclesiae de peccato originis intelligant.

Nunc admonendus est lector de quibusdam dictis: Nihil est peccatum, nisi sit voluntarium. Haec sententia de civilibus delictis tradita est. Nam iudicio forensi puniuntur tantum voluntaria delicta, ut fortuita caedes non punitur a praetore. Sed non transferendum est hoc dictum ad doctrinam Evangelii de peccato et ad iudicium Dei.

Augustinus argute inquit, et peccatum originis voluntarium esse, quia eo delectamur. Sed haec interpretatio arguta longius recedit ab illa praetoria sententia. Dexterius est non miscere intempestive politicas sententias et Evangelium. Satis est igitur hoc respondere, sententiam illam loqui de forensi iudicio.

Iactatur et hoc dictum: Naturam bonam esse. Id verum est, quatenus reliquum est opus Dei. Sed natura hominis horribiliter laesa et contaminata est. Sicut pingit imago vulnerati Luc. 10. Spoliati sumus donis naturae integrae, id est, firma Dei notitia, sapientia, iustitia, et insuper haec reliqua natura vulnerata est, scilicet, prava concupiscentia, morte et variis malis animae et corporis.

Discernantur autem ea, quae sunt opera Dei reliqua in homine, a per se vitiosis, ut notitia numerorum est res bona, quia a Deo insita est homini. Sic sentiendum est de omnibus veris notitiis suo ordine. Est igitur res bona et notitia Legis naturae. Etsi enim post lapsum Adae coepit esse obscurior, et assensio conturbatur dubitationibus, tamen quantum eius lucis reliquum est, res bona est et Dei opus. Artes igitur et leges verae inde extructae res bonae sunt. At interim accedunt multae dubitationes, an Deus curet nos, an puniat, an exaudiat, an velit opitulari, recipere nos, dare nobis aeternam gloriam etc. Hae dubitationes sunt per se vitiosae, quia sunt mala pugnantia cum Lege Dei.

Sic duplices sunt affectus: Alii praecepti Lege Dei, ut amor sobolis, coniugum, parentum; Alii prohibiti Lege Dei, ut contemptus Dei, fremitus adversus Deum, invidia, amare coniugem alterius.

Etsi autem in hac corruptione naturae etiam affectus praecepti Lege Dei contaminantur et fiunt per accidens vitiosi, quia non reguntur dilectione Dei, sicut saepe propter liberos delinquunt homines adversus Deum, tamen ipsa *φιλοστοργία* a Deo mandata est, et manere in renatis et purior fieri debet. Abraham ardenter amat filios Ismaël et Isaac, sed tamen antefert mandatum Dei.

Non igitur imaginandum est, ex homine omnes affectus tollendos aut omnes eodem modo damnatos esse, ut fanatici Anabaptistae iactitant Stoicam *ἀπάθειαν*. Imo nulla est vita sine motu, sine appetitione, sine aliquibus affectibus, et Lex Dei praecipit de affectibus: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde etc. Diligas proximum sicut te ipsum. Et Rom. 1. [vs. 31.] inter atrocia crimina recensetur *ἀστοργία*.

Fuissent igitur in natura integra affectus, sed ordinati et puri, amor Dei, parentum, sobolis, coniugum, fratrum et aliorum hominum, laetitia in agnitione Dei et suo ordine in usu creaturarum, odium adversus Diabolum, et erit in vita aeterna laetitia ingens in contuitu Dei, et amor Dei et omnium coelestium. Ita fuerunt in Christo veri affectus, sed ordinati et puri, amor Dei, amor matris, discipulorum, amicorum, laetitia, dolor, ira, ut Marc. 3. [vs. 5.] dicitur: Circumspexit iratus; Et de misericordia significanter dicitur, viscera Christi mota esse; Et de ingenti moerore dicitur Matth. 26. [vs. 38.] Tristis est anima mea usque ad mortem. Fatendum est ergo affectus a Deo in natura hominum conditos esse, quos et ipsos Deus voluit esse imagines et signa suae voluntatis. Vere diligit nos Deus, sicut natura homo diligit sobolem, vere misericordia afficitur nostri Deus, cum videt lapsos in aeternam miseriam, quam ipse intelligit; Sicut nos natura afficimur misericordia calamitosae sobolis. Sicut inquit Christus [Ioh. 3, 16.]: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret pro nobis. Et Ioannes inquit [1. ep. 4, 16.]: Deus caritas est, id est, plenus vera dilectione erga nos, non volens perditionem. Et Paulus ad Titum 3. [vs. 4.] Apparuit bonitas et *φιλανθρωπία* Salvatoris nostri. Ita voluit Deus

53) Sunt poenae] Editt. 2. 4—7. 9. 12. Sunt et poenae

στοργάς nobis impressas de sua voluntate monitrices esse.

Quare diligenter considerandae et recte regendae sunt. Nunc enim post lapsum temere vagantur et contaminantur, quod eo magis dolendum est, quia datae fuerant, ut nos de voluntate Dei commonefacerent. Sed tamen a prohibitis affectibus discernendae sunt στοργαί, a contemptu Dei, a fremitu adversus Deum, ab invidia, laetitia in scelere, ut laetantur in vindicta Herodias, Fulvia etc., et ab aliis furoribus, qui enumerari non possunt. Ac sciendum est, affectus Lege Dei prohibitos per se vitiosos et extinguendos esse.

Haec de dicto usitato, quod ait, naturam esse bonam, respondi, ut discernantur res conditae et depravatio non condita. In Achille ira Heroica est res bona, quia vere opus Dei est, sed contaminatur, quia non regitur agnitione Dei, et implicata est fiducia sui, nec praelucent invocatio et fiducia Dei. Hi defectus non sunt levia peccata, ideo etiam bona res contaminata reiicitur et fit rea.

Econtra similis ira in Davide purior est, in quo accedunt agnitio, timor, invocatio, fiducia Dei. Sic sciamus in renatis manere στοργάς, sed rectius eas regi et revocari in ordinem et intra metas suas, et reddi puriores. Reliquum est, ut de quaestione usitata dicatur, an post baptismum recte dicatur, peccatum esse in infantibus, seu concupiscentiam esse peccatum; Item, an recte dicatur, in renatis adultis esse peccatum. Respondeo de renatis adultis, omnes concedere coguntur reliqua esse peccata. Quare Ioannes dicit [1. ep. 1, 8.]: Si dicemus, quod peccatum non habeamus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. Fatentur ergo multas flammas cupiditatum in renatis esse, quos ideo dicunt esse peccata, quia simul rapiant aliquam voluntatis consensum subitum, quem saepe difficile est excutere. Etsi autem haec fatentur, tamen extenuant haec ipsa mala, et profitentur se tantum loqui de actualibus peccatis, quae negant esse sua natura mortalia. Et radicem harum actionum, scilicet, morbum nascentem, qui reliquus est in renatis, id est, pravam inclinationem, dicunt prorsus non esse peccatum, nec esse malum pugnans cum lege Dei.

Cogita autem, quanta audacia sit negligere haec mala, scilicet, dubitationes de Deo, securitatem negligentem iram Dei, diffidentiam fugientem Deum, et alias multas pestes, quae etiamsi non semper conspiciuntur, tamen adsunt et saepe erumpunt, ut in calamitate prorsus mergitur Cato in tenebras et negat esse providentiam. Saul irascitur Deo tam duriter punienti. Haec peccata agnoscenda sunt, non obscuranda, ut discamus repugnare et petere auxilium adversus ea.

Ideo sic respondemus: In baptismo tolli peccatum, quod ad reatum seu imputationem attinet, sed manere morbum ipsum, qui est malum pugnans cum Lege Dei, dignum morte aeterna, nisi remitteretur, ut dicitur [Ps. 31, 1.]: Beati quorum tecta[54]) sunt peccata. Nec de nomine peccati litigamus, rerum dissensio est. Adversarii contendunt, hunc morbum, qui reliquus est in renatis, non esse malum pugnans cum Lege Dei. Hunc errorem taxari necesse est. Sunt autem perspicua Pauli testimonia Rom. 7. et 8. Clare inquit Paulus, In membris legem esse pugnantem cum lege mentis et cum Lege Dei. Haec testimonia nullis praestigiis eludi possunt.

Sed adversarii multas falsas hypotheses ponunt. Primum de caligine mentis et de vitiis in voluntate nihil dicunt. Deinde concupiscentiam tantum intelligunt de sensibus et intelligunt eam esse appetitionem naturalem, cum deberent eam intelligere ἀταξίαν appetitionum et simul complecti caliginem mentis et malae voluntatis. Tertio et hanc hypothesin falsam addunt, quod Lex Dei tantum damnet actualia peccata. Haec opinio transformat Legem Dei in Philosophiam, quae tantum de nostra disciplina loquitur. Postea hae hallucinationes obscurant doctrinam de gratia. Fingunt enim, hominem iustum esse propter legis impletionem, et amittunt lucem doctrinae de fide.

Sed tota doctrina Prophetarum et Apostolorum clamat, homines non satisfacere Legi Dei, et in omnibus haerere peccatum, ac monstrat Mediatorem, propter hunc ait nos recipi et iustos pronuntiari fiducia ipsius. Agnoscenda est igitur nostra miseria, ut Christi beneficia intelligantur.

Sed haec dissensio non potest dirimi iudiciis hypocritarum. Semper hypocritae a vera Ecclesia de hac quaestione dissenserunt et dissentient; quia ratio humana sine luce divina non cernit, quantum malum sint haec interiora peccata, etsi ex ingenti confusione vitae et magnitudine calamitatum utcunque aestimare ea debebat.[44])

DE PECCATIS ACTUALIBUS.

[55]) Originale malum est, ut dixi, caligo in mente, aversio voluntatis a Deo, contumacia cordis adver-

---

54) tecta] Corp. 2. 4. typ. errore: recta

55) *Pro seqq.* Originale malum est — — Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me. [*verb. extrem. huius loci*] *in* Editt. 1. 3. *sunt ea, quae in* Editt. secundae aetatis pag. 385. lin. 24. usque ad p. 388. lin. 35. nostrae Ed. *exstant, hoc modo:* Peccatum actuale significat fructus — — omnes affectus tanquam per se vitiosos et malos damnant. *Tribus vero locis* Editt. 1. 3. *ab iis, quae illic in contextis leguntur, differunt:* 1) *pro* affectus, cogitata, dicta, facta [*p.* 385. *lin.* 25. *nostrae Ed.*] *exhibent:* affectus et facta — 2) *pro* Themistocle [*p.* 385. *lin.* 44.] *habent:* Aristide — 3) *pro* Requirit autem — — apud Hesiodum et alios de poenis delictorum. [*p.* 386. *lin.* 18. —

sus legem Dei. Haec mala non vocantur actiones, sed ex eis oriuntur actualia peccata interiora et exteriora. in mente assiduae dubitationes, blasphemiae, in voluntate securitas et neglectio, Dei diffidentia, admiratio sui, anteferre nostram vitam et voluntates[56]) mandato Dei; deinde ingens confusio et moles vitiosorum affectuum. Nec imaginemur otiosam rem esse malum originale. Nam etsi pauci quidam homines honesta disciplina frenantur, tamen in animis esse magnas dubitationes et multos motus a Deo aberrantes et varie ruentes contra Legem Dei, manifestum est, sicut Ieremias [17, 9.] inquit: Pravum est cor hominis et aerumnosum et inscrutabile.

Itaque semper cum malo originali simul sunt actualia peccata, quae in non renatis omnia sunt mortalia. Estque tota persona cum his fructibus damnata, sicut inquit Ioannes [3, 36.]: Qui non

---

p. 387. *lin.* 14.] *exhibent ea, quae p.* 386. *nota* 76. *ex* Editt. 11—13. et Opp. Basil. *afferuntur:* Est autem haec disciplina — — ut disciplinam iudicemus magnopere necessariam esse. *Praeterea* Editt. 1. 3. *ab illis* Editt. secundae aetatis *differunt hocce augmento illis verbis extremis* tanquam per se vitiosos et malos damnant. *subiuncto:* Scio de definitionibus peccati saepe disputari inter doctos. Nam vulgata definitio, quae sic recitatur, Peccatum est cogitatum, dictum aut factum contra legem Dei, loquitur tantum de actuali, et est angusta ac tenuis, nihil addit de eo, quod est in peccati ratione tristissimum, videlicet de ira dei seu de reatu. Ideo saepe optavi extare definitionem pleniorem et communem peccato originis et actuali. Ac etiam num opto multos eruditos communi consilio et consensu scholis integram et firmam definitionem proponere. Moyses definitionem in his verbis tradit: Maledictus homo qui non manet in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit. Vult igitur peccatum esse, quicquid est in natura rationali contra legem dei, idque vocat maledictum, id est quiddam, a deo reiectum et damnatum, offendens deum, et commerens iram dei et poenas. Haec verba quadrant ad utrumque, ad originale et actuale peccatum. Nam cum ait lex, Diligas dominum deum tuum ex toto corde et omnibus viribus, certe iudicat et damnat etiam originale, hoc est, in mente caliginem de deo, in voluntate aversionem a deo, in corde contumaciam vagantium et errantium appetitionum contra legem dei.

Hinc aliquando definitionem exstruxi his verbis. Peccatum est defectus seu inclinatio seu actio contra legem dei offendens deum et commerens aeternas poenas, nisi fuerit facta remissio. Defectus et inclinatio quadrant ad originale, actio ad omnia actualia interiora et exteriora. Agnoscit autem studiosus partes definitionis, genera. differentiam et proprium. Genera sunt defectus, inclinatio et actio. Differentia communis est, pugnans cum lege dei. Propria sunt, offendens deum et commerens aeternam iram ac poenas, nisi fuerit facta remissio. Ecclesia multo tristius de peccato loquitur, quam philosophi de vitio, qui agnoscunt vitium esse malum et confusionem quandam contra naturam seu contra legem divinam impressam mentibus humanis. Sed tamen nihil dicunt de ira dei. alii dubitant respici a deo hominum facta, alii dicerent indignam esse mutabilitatem in deo, nolle peccatum ac rursus remittere. Denique philosophia non deducit nos ad agnitionem irae dei. Dolebat Alexander Clitum a se interfectum esse, sed movebatur facti turpitudine, quam mens etiam ignara dei utcunque intelligit, quia caedes est quiddam contra naturam, aut movebatur hominum de se iudiciis, non intuebatur iram dei. At in peccato illud ipsum praecipuum seu formale est, ut vocant, reum et abiectum esse a deo, sicut Paulus Rom. 7. inquit: Per legem peccatum fit excellenter reum, id est, cum lex ostendit iram dei, existunt pavores, in quibus agnoscimus deum vere irasci peccato, non esse otiosum numen, ut securae mentes imaginantur, sed esse iudicem et vindicem semper aspicientem nos et punientem peccata, et servantem confugientes ad filium mediatorem dominum nostrum Iesum Christum.

Si cui autem non placet haec definitio, quam ex Moysi verbis extructam esse dixi, hunc oro, ut mihi et aliis tradat magis propriam. Non amo λογομαχίας. De rebus magnis disserimus, de peccato, de lege dei, de gratia, de fide, de quibus vel silentium est in scriptis monachorum, vel diluta doctrina falsis opinionibus.

Ac definitione peccati constituta non difficilis est explicatio huius quaestionis: an post baptismum in infantibus sit peccatum? Manet certe malum pugnans cum lege dei, sed remissum. Ita de adultis quaerunt, an sit peccatum reliquum in renatis in hac vita. Respondent in eis actualia multa esse, quae vocant venialia, quia nemo est sine vitiosis motibus, et plerumque rapitur simul voluntas, ut adsentiatur, alias ardentius, alias levius, de his tantum interpretantur dictum Iohannis: Si dixerimus nos non habere peccatum, nos ipsos decipimus. Aiunt tales in renatis naevos esse actuales. Sed negant morbum nobiscum natum esse malum pugnans cum lege dei. Haec extenuatio ingentis mali taxanda est. Non sunt enim levia vitia, caligo in mente, quae parit horribiles dubitationes, et securitas in voluntate et amor nostri inordinatus et in corde contumacia. Haec mala agnoscit et deplorat Paulus Rom. 7. Et cum nominat peccata, facilis est explicatio, si quis de definitione peccati, quam recensui, dextre cogitet. Ludunt Sophistae, cum dicunt vocari peccata κατὰ μετάληψιν, id est, concupiscentiam tantum poenam esse primi lapsus, non malum pugnans cum lege dei, cui deus vere irascitur, nisi cum remittit. At in Pauli sermone diserte hoc exprimitur, id malum pugnare cum lege dei. Non est igitur ambiguitas in sermone Pauli.

In mente Pomponii Attici tenebrae de deo et neglectio dei et contumacia cordis sunt mala pugnantia cum lege dei, quibus deus vere irascitur, et quantae pestes sint, ostendunt hinc nati furores, dubitationes de providentia, vagari voluntatem sine timore dei, sine fiducia dei, quaerere sine ordine praesidia humana et voluptates. Haec tanta mala extenuare magna coecitas est. Ideo necesse est commonefieri Ecclesiam dei.

Nam in renatis manent reliquiae huius morbi, qualis est in Attico, et morbus non est otiosus, sed gignit assiduas dubitationes et pravos adfectus. Haec sunt mala pugnantia cum lege dei, quibus deus irasceretur, nisi iam renatos recepisset. Sunt igitur remissa et tecta peccata. Ac habent renati initia lucis, fidei, timoris, dilectionis, et repugnant pravis motibus. Nec tamen extenuant morbum, sed agnoscunt et deplorant suam immunditiem, et petunt condonationem, seque fide assidua sustentant, et, quia metuunt imbecillitatem, regi se a spiritu sancto orant, intuentur vitae regulam, verbum dei, et suae vocationis officia considerant et se iustis laboribus exercent et vitant occasiones lapsuum.

Ex hac commemoratione facile potest iudicari de controversia: an sit reliquum peccatum in renatis in hac vita. Veram et piis necessariam doctrinam tradimus, et quae prorsus nihil absurdi continet. Ac facilis et expedita est explicatio dextre constituta definitione peccati, quod eo toties iam monui, quia vidi confusius de hac controversia disputari Wormaciae non constituta definitione.

56) voluntates] Editt. 2. 4—15. 19. voluptates

credit in Filium, manet ira Dei[57]) super eum. Etsi igitur sunt magnae virtutes Aristidis, Fabii, Pomponii Attici et similium, tamen sciamus in eis et malum originale mansisse et corda fuisse plena dubitationum et multorum vitiosorum affectuum, et defuisse agnitionem Christi, et nullam fuisse veram invocationem Dei.

Deinde et hoc consideremus, plurimos summos viros, in quibus fuit excellens virtus, tamen pollutos esse insignibus flagitiis, qua ex re intelligi potest, fuisse eos in potestate Diaboli, ut quanta turpitudo fuit in moribus Herculis, Themistoclis, Pausaniae, Alexandri et multorum aliorum, cum initio fuissent modestissimi. Haec exempla commonefaciant nos, ne extenuemus Christi agnitionem, sicut multi faciunt, qui Ethnicos in coelum tollunt; Imo eo magis timeamus iram Dei, cum illos videmus reiectos esse et varie ac horribiliter contaminatos, cum tamen in eis fuerint multae excellentes virtutes. Nec contemnamus filium Dei, nec fingamus homines sine filio Dei salvatos esse, nec conculcemus sanguinem filii Dei. Haec de non renatis praefati sumus, in quibus omnia actualia peccata sunt mortalia, sicut originale,

Sed cum de reconciliatis dicitur, postea discernuntur venialia et mortalia, ac venialia peccata vocantur ipsum malum originale et actualia multa interiora pugnantia cum Lege Dei, quibus tamen renati repugnant, et multa peccata ignorantiae et omissionis. Nec extenuemus haec mala, ut Sententiarii finxerunt veniale peccatum esse quiddam praeter Legem Dei, non contra Legem Dei. Hic error necessario taxandus est. Nam haec, quae vocantur venialia, sunt ingentia mala pugnantia cum lege Dei, quae essent sua natura mortalia, id est, propter quae damnaretur homo aeterna ira, nisi propter filium Dei reconciliatis condonata essent. Necesse est autem discernere peccata, quae in renatis in hac vita manent, ab illis peccatis, propter quae amittuntur gratia, Spiritus sanctus et fides. Est igitur actuale mortale in labente post reconciliationem actio interior vel exterior pugnans cum lege Dei, facta contra conscientiam; talis enim actio facit reum aeternae irae. Quod enim aliqui imaginantur electos[58]) ruentes contra conscientiam non effundere Spiritum sanctum, manifestus est error et necessario reprehendendus. Nec de peccato iudicantes scrutemur electionem, sed intueamur verbum Dei nobis traditum, ut voluntatem Dei monstret, et expavescamus agnoscentes iudicium Dei propositum in verbo et in exemplis, nec confirmemus in stultis securitatem et coecitatem

Adam et Eva erant electi, et tamen re vera amiserunt Spiritum sanctum in lapsu aversi a Deo, et facti sunt rei aeternae irae. Sicut Paulus inquit [Rom. 5, 18.]: Per unius peccatum in omnes homines pervenit condemnatio.

Et Deut. 9. [vs. 20.] Adversus Aaron valde iratus est Dominus, ut deleret eum, sed pro eo deprecatus est Moyses. Non eludamus tristissima verba Spiritus sancti, cum ait, Deum valde iratum fuisse, nec fingamus Deum saxeum et Stoicum. Etsi enim aliter irascitur Deus, aliter homo, tamen vere sentiamus fuisse iratum Aaroni, nec Aaronem fuisse tunc in gratia, sed reum aeternarum poenarum. Horrendus lapsus erat Aaronis, qui metu cesserat furiosis, qui Aegyptium cultum instituebant. Hoc exemplo moniti non confirmemus securitatem, sed agnoscamus electos et renatos posse horribiliter labi, sed lapsos iram Dei debere agnoscere et rursus ad Deum converti, nec magnitudine lapsuum deterreamur, quo minus redeamus ad Deum. Nam gratia exuberat supra peccatum, ut suo loco dicendum est. Et haec Aaronis historia testatur, agentibus poenitentiam magna et atrocia peccata remitti. Sic de Davidis, Salomonis et Manassis lapsibus sentiendum est.

Et Ioannes clare inquit [1. ep. 3, 8.]: Nemo vos decipiat; qui facit iustitiam, iustus est; qui facit peccatum, ex Diabolo est.

Et Eph. 5. [vs. 6.] Propter haec venit ira Dei super inobedientes.

Manifestum est igitur, electos et renatos posse amittere gratiam, ac discernenda esse peccata, quae manent in omnibus renatis in hac vita nec excutiunt Spiritum sanctum, ab aliis lapsibus, propter quos amittitur gratia.

Ac Paulus discrimen tradidit Rom. 8. [vss. 13 sq.] Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si vero actiones carnis spiritu mortificabitis, vivetis. Fatetur esse in sanctis actiones carnis, id est, multas vitiosas inclinationes, dubitationes, securitatem, diffidentias, errantes confidentias, pravos affectus. Sed his ait repugnandum esse spiritu, id est, spiritualibus motibus, invocatione Dei, timore, fide, tolerantia spirituali intuente Deum, castitate intuente Deum. Et manent in gratia renati, etiamsi sunt in eis illi vitiosi affectus, si tamen repugnant et fide agnoscunt condonationem propter Christum. Sed si non repugnant, ait morituros esse.

Ut autem intelligi possit, qui sint non repugnantes, gradum constituit, videlicet delinquentes contra conscientiam, hoc est, eos, qui scientes et volentes indulgent aut etiam obtemperant in externa actione vitiosis illis motibus et flammis. Quare diligenter docendi sunt homines de hoc discrimine, ut caveant lapsus contra conscientiam et ut lapsi rursus ad Deum convertantur.

---

57) Dei *abest ab* Editt. 10. 11. 13—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2.

58) electos] Corp. 2. 4. typ. errore: electus

Ac Stoicae illae disputationes execrandae sunt, quas servant[59]) aliqui disputantes, omnia peccata paria esse, electos semper retinere Spiritum sanctum, etiam cum lapsus atroces admittunt. Etsi autem nolo rixas de vocabulis serere, tamen utile est admonere studiosos, quod usitate nominant peccatum mortale, dici posse peccatum regnans seu dominans. Cum enim Paulus inquit Rom. 6. [vs. 12.] Non regnet peccatum in mortali corpore vestro, prorsus hoc ipsum discrimen peccatorum tradit, de quo hic dictum est. Fatetur in renatis esse peccatum, sed non regnans, non dominans, donec retinet fidem et bonam conscientiam, id est, donec non obtemperant peccato, sed repugnant. At si regnet, affert aeternum exitium, et emphasis vocabuli ostendit atrocitatem et afficaciam peccati.

Dominatur peccatum, cum reatus non remissus est, sed accendit iram Dei et hominem a Deo avellit, et homo desertus a Deo impellitur sua infirmitate et a diabolo, ut ex aliis malis in alia ruat, et cumulet[60]) scelera et poenas, ut Saul, cum fuisset donatus Spiritu sancto et ornatus pulcherrimis virtutibus et insignibus victoriis, succubuit primis flammis aemulationis, quas initio reprimere facile erat, sicut Aaron repressit aemulationem adversus fratrem. Dominari igitur peccatum coepit, cum Saul indulgeret, id est, reatus manet, et accenditur ira Dei, expellitur et conturbatur Spiritus sanctus, et mens deserta a Deo fit imbecillior et magis cedit affectui, et diabolus auget furorem, sequuntur caedes Sacerdotum et clades publicae multae, donec tandem exercitu amisso Saul interficitur et ruit in aeternas poenas. Haec imago tristissima saepe intuenda est, ut cogitemus magnitudinem irae Dei adversus peccatum.

Omnes historiae plenae sunt tristissimorum exemplorum, quae cum legimus vel audimus, veniat in mentem, his exemplis nos doceri, quid sit peccatum dominans.

Rex Anabaptisticus movet seditionem praetextu religionis, falso iactat divinos afflatus, indulget libidinibus, interficit coniuges, tandem captus laceratur candenti ferro. Haec sunt exempla dominantis peccati.

Ac videtur appellatio vetustior esse. Nam et Psal. 118. [al. 119. vs. 133.] dicitur: Gressus meos dirige, ne dominetur in me omnis iniquitas. Quae verba nobis in quotidiana precatione usurpanda erant, et simul cogitandum, quam horrenda res sit dominans peccatum. Gressus meos dirige, ne dominetur mihi peccatum, ne fiam vas irae, ne reiiciar ut Cain, Saul, Iudas, Achab, Oedipus, Atreus, Thyestes, Nero et aliae pestes generis humani.

Arbitror autem ex Moyse sumptam appellationem dominationis. Nam Gen. 4. [vs. 7.] dicitur: Si bonus fueris, eris acceptus; sin autem malus, peccatum tuum quiescet, donec revelabitur. Sub te sit appetitus tuus, et tu domineris ei. Haec concio Legis diligenter consideranda est. Continet enim doctrinam de tribus insignibus articulis. Primum tradit discrimen iustitiae interioris et sacrificiorum. Sacrificia ita placent, si es bonus, id est, sacrificia, si mens sit impia, non placent Deo. Secundo concionatur de venturo iudicio et describit securitatem mundi, cum ait: Peccatum quiescet, id est, non agnoscetur, non incutiet terrores, donec mens opprimitur sensu irae Dei, et poenis. Sic securissime indulgent furoribus suis Nero, Caligula et infinita multitudo hominum, donec veniunt poenae. Est autem haec concio universalis, quare docet restare universale iudicium. Cum enim impiorum scelera in hac vita non puniantur,[61]) necesse est restare aliam vitam et aliud iudicium, in quo omnia punientur. Ita in hac prima concione doctrina de venturo iudicio tradita est. Tertio praecipitur de inchoata obedientia [Genes. 4, 7.]: Sub te sit appetitus tuus, et tu domineris ei.

Cum antea de iudicio Dei dixisset, quaeri potest: Quid igitur faciam, cum intus accensa sit prava cupiditas? Hic respondet, ac primum legem proponit, praecipit, ut repugnemus vitiosis affectibus. Sed non satis est legem nosse, scire etiam oportet, an diligentia illa coërcendi affectus Deo placeat, et quomodo in tanta imbecillitate reprimi Diabolus et vinci naturalis imbecillitas possit. Haec discuntur collata promissione [Gen. 3, 15.]: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Sicut non dubium est, patres contulisse promissonem ad hanc concionem legis et docuisse filios, unde sit orta affectuum contumacia, et quod reconciliatio propter semen venturum promissa sit, et quod propter illud Deus imbecillitati nostrae opitulaturus sit et repressurus[62]) Diabolum.

Sicut Ioannes eruditissime interpretatus est promissionem, inquiens [1. ep. 3, 8.]: Filius Dei venit, ut destruat opera Diaboli, id est, ut liberet nos a peccato et iuvat nos, ut Deo obedire possimus, ac defendat nos contra Diabolum. Imo tandem prorsus aboleat peccatum et mortem, et restituat iustitiam et vitam aeternam. Ita Patres doce-

---

59) servant] Editt. 2. 4—12. serunt

60) cumulet] Ed. 22. errore typ.: cumulat

61) Cum enim impiorum scelera in hac vita non puniantur,] sic Editt. 20. 25. 29—34., Corp. 1—8.; Editt. 2. 6. 7. 9. 12. 19. Cum non omnium impiorum scelera in hac vita puniantur; Editt. 4. 5. 8. 10. 11. 13—18. 21—28., Opp. 1. 2. Cum non impiorum scelera in hac vita puniantur

62) repressurus] Editt. 2. 6. 7. 9. reprehensurus

bant non modo Legem, ut coercerentur affectus, sed etiam proponebant doctrinam, quomodo in tanta imbecillitate praestari obedientia possit, quomodo placeat Deo, quae omnia significantur verbo Dominandi. Non enim sine auxilio Mediatoris dominari possumus, id est, liberari a reatu, et vincere Diabolum et imbecillitatem nostram.

Ideo ad hanc doctrinae partem adiungenda sunt, quae in Evangelio de remissione peccatorum, de fide, de auxilio Spiritus sancti dicuntur; Sicut alias doctrina de nova obedientia copiosius explicatur, unde cum summa rei ad haec loca Genesis confertur, fiunt et haec brevia dicta illustriora. Haec de vocabulo Dominantis peccati monuisse satis est. Illud etiam alias copiose dicitur, Affectatam ignorantiam et affectatam omissionem etiam esse peccata mortalia. Statim ab initio edita est promissio de venturo liberatore, cuius memoriam conservare omnes Gentes oportuit. Postea saepe propagata est inter Gentes. Deinde Evangelium multis illustribus testimoniis sparsum est in toto orbe terrarum, et sonuit vox de coelo: Hunc audite. Nemo igitur excusatus est ignorantia Evangelii, imo hoc peccatum praecipue arguit Spiritus sanctus, sicut inquit Christus [Ioh. 16, 8 sq.]: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me. 55)

[VI.]

DE LEGE DIVINA.

Lex Dei est doctrina a Deo tradita, praecipiens, quales nos esse et quae facere, quae omittere oportet, et requirens perfectam obedientiam erga Deum ac pronuntians irasci Deum et punire aeterna morte non praestantes perfectam obedientiam. Haec definitio ex ipsa lege Dei et multis concionibus Christi sumpta est. Continet enim Lex praecepta et promissiones, quibus addita est conditio impletae Legis; item comminationes. Praecepta concionantur de integra obedientia [Matth. 22, 37.]: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus. Item [ibid. vs. 39.]: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Item [Exod. 20, 17.]: Non concupisces. Comminatio ait: Maledictus qui non permanet in sermonibus Legis huius, nec eos opere perficit. Item Matth. 25.[63] [vs. 41.] Discedite a me maledicti in ignem aeternum etc.

Hic primum monere necesse est, ingens et infinitum discrimen esse inter leges humanas et divinam. Sed ut non poterat populus videre fulgentem Moysi faciem, ac velatam aspiciebat, ita omnium hominum mentes atque oculi procul aspiciunt Legem Dei, nec intelligunt, quale iudicium sit, sed utcunque doctrinam de externis operibus esse existimant, sicut de Phocylidis aut Theognidis praeceptis cogitant. Sed plures caussae sunt et maiores traditae et revelatae Legis divinae, ut infra dicetur. Non sic aspiciamus Legem Dei, ut tabulas decemvirales Romanas, quae ante multa secula cum sua curia et nostris perierunt. Sed Lex Dei est regula aeterna et immota mentis divinae et iudicium adversus peccatum, quod impressum est humanis mentibus et saepe Dei voce praedicatum,[64] de quo dicit Christus [Matth. 5, 17.]: Non venit solvere Legem, sed implere etc.

Hoc igitur discrimen consideretur. Humanae leges tantum postulant aut vetant externa opera.

Philosophia docet aliquanto amplius, videlicet actionem honestam esse non tantum externum aut simulatum opus, sed in mente rectum iudicium et in voluntate liberam electionem seu προαίρεσιν ad recte faciendum, inquit, accedere[65] oportere. Moderationem igitur quandam interiorem affectuum et actionum[66] postulat, quae proprie vocantur[67] ἠθική. Non autem accusat naturalem immunditiem, nec iudicat[68] illa summa vitia pugnantia cum prima tabula, dubitationem de Deo, cor vacans metu et dilectione Dei, diffidentiam et similes morbos in natura hominis haerentes.

At Lex Dei non tantum requirit externa facta, aut illam diligentiam frenandorum affectuum, de qua Philosophi loquuntur, sed praecipit, ut natura integre obediat Deo, firmam de Deo notitiam habeat, verum et perpetuum timorem, firmam fiduciam Dei, ardentem amorem. Quia vero natura hominis non est talis, vox Legis est iudicium Dei damnans peccatum in natura nostra. Hoc sentit Paulus inquiens [Rom. 7, 14.]: Lex est spiritualis, id est, non est tantum politica sapientia, praecipiens de externis actionibus in vita civili, sed est longe alia doctrina flagitans spirituales motus, firmam de Deo notitiam, ardentem et perfectam dilectionem, ut dicit Lex [Deut. 6, 5.]: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde.

Sed Monachi de Lege Dei, ut de civili disciplina locuti sunt, dixerunt Legi Dei satisfieri per hanc disciplinam civilem seu Philosophicam, id est, per exteriora opera et qualemcunque conatum voluntatis, etiamsi in mente dubitationes, in voluntate

---

63) 25.] Editt. 1—16. 19. 23. male: 24.

64) voce praedicatum] Editt. 1. 3. 6. 7. voce rursus praedicatum

65) accedere] Editt. 1. 3. esse

66) actionum] Editt. 22. 24. 28. 30. 34. actionem

67) vocantur] Editt. 1—7. 9. 12. vocatur

68) iudicat] Editt. 1—12. indicat

et corde multae pravae inclinationes manent. Et docuerunt eas dubitationes et pravas inclinationes non esse peccata.

Ideo affinxerunt homines iustos esse et Deo placentes propter opera, quia arbitrabantur Legi Dei satisfieri, non docuerunt, homines iustos esse, id est, reconciliatos Deo et placentes fide propter Mediatorem Christum. Sed hos Pharisaicos errores de Lege refutat Paulus, affirmat Legi Dei hanc infirmam naturam hominum non posse satisfacere, nec placari iram Dei, nec tolli peccatum per opera Legis, sed missum esse filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut tollat peccatum et donet nobis iustitiam et vitam aeternam, ut suo loco copiosius dicemus.

DIVISIO LEGUM.

Primum recensentur hae species: Lex divina, Lex naturae, Leges humanae. Leges divinae sunt, quae a Deo traditae sunt quocunque tempore, et extant scriptae passim in Moyse et libris Evangelii. Lex naturae, ut infra dicam, est notitia naturalis de Deo et de morum gubernatione seu discrimine honestorum et turpium, divinitus insita humano generi, sicut notitia numerorum divinitus humanis mentibus insita est. Ideo congruit cum ea parte Legis Dei, quae dicitur Moralis, ut infra ostendam. Prius enim discernendae sunt species Legis divinae.

Etsi enim [69]) inde usque ab initio mundi sonuerunt in Ecclesia Dei vox Legis et vox promissionis gratiae, tamen certo consilio cum constituta est politia Israëlitica, Lex Dei promulgata est. Voluit enim Deus publico et manifesto testimonio instaurare notitiam illam, quam mentibus humanis in creatione indidit, ut suum iudicium adversus peccatum ostenderet. Quia vero [70]) tota politia constituebatur, non tantum leges de singulorum moribus propositae sunt, sed etiam additae sunt leges forenses et ceremoniae.

Tres igitur partes sunt legis Mosaicae universae: Leges morales, Ceremoniales et Forenses seu iudiciales. Estque diligenter haec distinctio consideranda, quia etiamsi politia Moysi iam deleta est, tamen discrimen legum considerari necesse est. Ceremoniae Mosaicae et forenses leges nec mandatae sunt caeteris Gentibus nec obligant nos, et fuerunt ad tempus isti populo Israël traditae, ut politia ad tempus certum duratura erat, ut esset locus certus, in quo Christus nasceretur et se patefaceret, concionaretur, fieret victima et palam inchoaret vitam aeternam.

69) Etsi enim] sic Editt. 18—20. 23. 25—27., Corp. 1—8.; ceterae Editt.: Etsi

70) vero] Editt. 22. 24., Opp. 1. 2. vere

Sed est alius gradus legum, quae vocantur Morales, quae sunt aeterna Dei sententia [71]) et regula nec mutantur temporibus. Semper ab aeterno voluit Deus hanc propositionem: Creatura diligat et timeat Deum, Creatura rationalis sit casta. Sunt autem leges morales, quae praecipiunt de agnitione Dei in mente et de obedientia cordis erga Deum et de virtutibus erga homines, ut de iustitia, castitate, veritate, temperantia. Praecipuae autem legum moralium simul in una parva tabella miro consilio Dei comprehensae sunt, quae tabella vocatur Decalogus. Ideo usitatum est nominare Decalogum, quando Legem moralem significare volumus, quod dextre et sine λογομαχία intelligendum est. Sunt igitur leges morales, et quae in Decalogo continentur, ut infra eum enarrabimus, et Decalogi repetitiones et explicationes, ubicunque in scriptis Propheticis et Apostolicis leguntur. Hae [72]) cum sint aeternae regulae mentis divinae, semper sonuerunt in Ecclesia, etiam ante Moysen, et semper mansurae sunt, et ad omnes gentes pertinent. Multa sunt autem naturalia in forensibus et ceremoniis, quae etiam sunt perpetua, ut Lex, quae prohibet incestas consuetudines, Levit. 18. [vss. 6 sqq.] quia ad virtutes pertinet sanguinis reverentia. Et clare inquit Deus, deleri Cananaeos propter incestas libidines. Cum igitur Gentes ante promulgatam Moysi legem accusentur propter haec flagitia, certum est ea aeterna Dei Lege et naturali iudicio damnari.

EXPOSITIO DECALOGI.

Utilissima et saluberrima est meditatio Decalogi; continet enim doctrinam tam copiosam et sublimem, ut nunquam satis perspici, nunquam exhauriri possit. Quo magis insania illorum detestanda est, qui fingunt posse Legi Dei satisfieri, imo addunt, posse amplius et meliora fieri etc. Hae voces non sunt humanae, sed sparsae a Diabolo, qui hoc sarcasmo illudit humano generi lapso ex sua dignitate et puritate. Cum enim Deus ostendit in hac Lege, ad quid condita sit humana natura, unde lapsi simus, in quas miserias ac tenebras deciderimus, Diabolus quasi illudens nobis sparsit voces ironicas extenuantes legem Dei. Sciant igitur pii hos errores Pharisaeorum et Monachorum non esse leves, et petant a Deo, ut nostris cordibus velum detrahatur, quod impedit, ne legem Dei propius aspiciamus, quam serio cogitemus esse vocem Dei longe maiora continentem, quam ut totam complecti possimus.

71) sententia] Ed. 25., Corp. 1—8. essentia

72) Hae] Editt. 22. 24. 28—34.. Opp. 1. 2. Haec

[93] **Primum autem haec quatuor de Lege cogitanda sunt.**

Primum, Lex admonet, ad quid condita fuerit natura humana, et qualis fuerit hominis dignitas et puritas, in qua conditus est. Talis enim futura erat humana natura, qualem hic Lex describit, plena agnitione Dei, semper celebrans eum, semper obediens, semper in omnibus operibus eius praesentiam et gubernationem intuens, iustum ordinem in omnibus actionibus observans, sine ulla prava cupiditate, sine ullis calamitatibus, 73) sine morte.

Secundo, monet nos lex de praesenti miseria. Iam enim videmus naturam lapsam ex prima dignitate pugnare cum lege, plenam esse tenebrarum et contemptus Dei, sine ordine, plenam pravarum cupiditatum omnis generis, et peccatum caussa est mortis et infinitarum calamitatum. Nec tamen intelligimus iam miseriam nostram, nec Legem vere audimus, nisi cum in veris terroribus aut poenis agnoscimus iram Dei adversus peccatum. Hic aliquantulum incipimus intelligere legem Dei et humanam miseriam. Sicut David clamitat, iram Dei sustineri non posse, si Deus velit peccata pro merito punire [Ps. 129, 3.]: Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, 74) quis sustinebit? Et plura sunt et maiora peccata in singulis, quam conspici possunt. Observes autem emphasin dicti: Quis sustinebit? Nullius est robur tantum, quod possit sustinere humanas calamitates, quae sunt poenae peccatorum. Sicut David sensit poenas adulterii sui, caedes filiorum, filii seditionem, pollutas incesto coniuges, exilium, stragem civium et alia infinita mala. In his poenis didicit hunc versiculum: Quis sustinebit? Et tamen haec praesentia mala ne quidem comparanda sunt ad aeternas poenas. Ideo quoties hunc versiculum recitamus: Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, 74) quis sustinebit? cogitemus veram et incomprehensibilem esse iram Dei adversus peccatum, aspiciamus Legem et agnoscamus nostram immunditiem pugnantem cum tota Lege, cogitemus, quae moles poenarum imposita sit generi humano, intueamur nostras et communes calamitates, et oremus Deum, ut mitiget iram, quam nemo sustinere et perferre potest, quam si exerat, succumbere homines et perire necesse est in praesentibus et aeternis poenis. Ita similia dicta Psalmorum admonent nos de vero intellectu Legis et agnitione peccati nostri ac irae Dei et poenarum.

Tertio, Lex tacite nos admonet de reparatione humani generis et de vita aeterna; Significat item, ad quantam praestantiam rursus vocemur. Quia enim Deus repetit vocem legis post lapsam naturam, vult certe legem aliquando fieri; erit igitur reparatio generis humani, erit vita aeterna: quia in hac vita videmus non satisfieri legi. Sed doctrina de reparatione in promissionibus clarius proponitur.

Quarto, cum sic consideramus, quanta sit miseria humani generis oppressi peccato, ira Dei et morte, et intelligimus vocem legis esse sententiam vinculum, testem et nuntiam illius ingentis irae, semper e regione aspiciamus filium Dei et consideremus hostiam, quae sola sustinuit iram pro nobis, subiit onus Legis et placavit Patrem, et consideremus beneficium filii Dei, quod exuberat supra peccatum. Sciamus item vocari nos ab ipso filio Dei, ut rursus in nobis inchoetur haec puritas in Lege descripta, ut infra suo loco dicemus.

DECALOGUS.

Tabulae duae sunt: Quarum prima continet opera, quibus immediate seu proprie cum Deo agimus, scilicet praecipuum Dei cultum interiorem et exteriorem. Secunda continet opera erga homines, quae etsi sunt vincula societatis humanae, tamen fiunt etiam cultus Dei: quia Deus ea suo verbo praecipit et pronuntiat esse cultus, si fiant propter mandatum Dei; ut docet Iesaias capite primo; Item cap. 58. et Samuel [1. Sam. 15, 22.]: Melior est obedientia, quam victima. Oseas 6. 75) [vs. 6.]: Misericordiam magis volo quam sacrificium. Et Christus ait [Matth. 22, 39.]: Mandatum de dilectione proximi esse simile primo, id est, postulare obedientiam necessariam, sicut et primi mandati obedientia est necessaria. Haec observanda sunt, ut discamus, qui sint veri cultus Dei, et quod omnium praeceptorum opera ad primum praeceptum referenda sint, ac finis constituendus in singulis, eo facienda esse principaliter, ut Deo praestetur obedientia et honos. Est enim cultus Dei opus mandatum a Deo, quod principaliter eo fit, ut Deo praestetur obedientia et honos, ac fit cum agnitione Christi hac fide, quod propter eum Patri placeas. Sicut Petrus iubet offerre hostias spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum.

DE PRIMO PRAECEPTO.

Primum mandatum praecipit de eo opere, quod

---

73) sine ulla prava cupiditate, sine ullis calamitatibus,] sic Editt. 1—13. 25—27., Corp. 1—8.; Editt. 14. 19. 23. sine ulla cupiditate, sine ullis pravis calamitatibus; Editt. 15—17. 21. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. sine ulla pravitate, sine calamitatibus; Ed. 18. sine ulla prava cupiditate, sine ullis pravis calamitatibus; Ed. 20. sine ulla prava cupiditate, sine ullis pravis cupiditatibus,

74) Domine, *alterum utroque loco abest ab* Editt. 1—4. 6. 7. 9.

75) Oseas 6.] Editt. 1—6. 8—11. 13—16. 19. Esaiae (*al.* Iesaiae) 6.

summum et praecipuum est, videlicet de vera notitia Dei, de vera et perfecta obedientia erga Deum, perfecto timore, fiducia et dilectione Dei. Complectitur autem duas maximas res, scilicet modum cognoscendi Dei et verum cultum. Modus est, ut apprehendatur Deus per suum verbum et testimonium. Quia enim Deus est invisibilis, necesse est de eo aliquod testimonium extare, per quod agnoscatur et apprehendatur. Ut mens humana intuens mundi opificium cogitat de auctore Deo, sed haec notitia nondum sufficit, quam et Ethnici et Mahometistae tenent, quanquam haec quoque multis a Diabolo excutitur. Sed ut maxime adsit, manet tamen dubitatio, An ille conditor Deus nos curet, exaudiat, an sic velit coli, et quomodo velit coli. Hic opus est verbo Dei et testimonio; Ideo hic propositum est certum verbum et testimonium: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Statuat igitur mens hunc esse Deum, qui se patefecit dato hoc verbo in monte Sina, et qui professus est se esse Deum tuum, id est, qui te curat, respicit, iudicat, defendit, punit.

Additum est et testimonium, videlicet gloriosa liberatio et defensio huius Populi, cum educeretur ex Aegypto etc. Etsi igitur Deus est invisibilis, tamen mens humana agnoscit hunc esse Deum verum, qui se in suo verbo et testimoniis admirandis patefecit et ostendit, quomodo coli velit. Sic Adae principio fuit datum verbum in Paradiso et proposita tota rerum natura, quae esset testimonium de Deo; Sed postea, cum lapsus esset, fuit opus consolatione de remissione peccati: Ideo additum est aliud verbum, scilicet promissio gratiae, et accedebant signa, rapiebantur igne coelesti victimae. Sic et nobis idem verbum Evangelii propositum est, et certum testimonium, scilicet filius Dei crucifixus et resuscitatus: Hic ostendit nobis patrem. Hoc filio agnito invocamus aeternum Patrem, qui se in filio patefecit, ut dicitur Ioan. 1. [vs. 18.] Deum nemo vidit unquam, Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Item: Qui videt me, videt Patrem. Et item Matth. 11. [vs. 27.] Nemo novit Patrem, nisi Filius, et cui Filius revelavit. Per hunc placatus est Pater, propter eum exaudit. Christus ipse inquit Ioan. 16. [vs. 23.] Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Hunc ergo statuamus esse Deum, qui se patefecit dato Filio, misso, ut fieret victima, et resuscitato, ut sit Mediator, Intercessor, Adiutor et Salvator; Item, qui dedit huic Filio Evangelium de remissione peccatorum et de vita aeterna. Haec invocatio agnoscens Deum aeternum, Omnipotentem, fiducia Christi per datum Evangelium, discernit invocationem veram Ecclesiae ab omnium gentium invocatione. Ergo quoties mens clamat ad Deum, invocet Deum, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi, crucifixi et resuscitati, et fide cogitet Evangelium datum per hunc Filium: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Hunc modum agnoscendi Dei saepe Paulus nobis commendat, 1. Corinth. 1. [vs. 21.] Quia mundus non novit Deum in sapientia per sapientiam, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes. Item doctrina de Pontifice Christo intrante in sancta sanctorum, docet idem. Reliqui homines non agnoscunt Deum invisibilem, sed in hoc arcanum et sanctum sanctorum ingreditur solus filius Dei. Ideo accessuri ad Deum agnoscamus hunc Pontificem, ducentem nos ad Patrem et perferentem nostras preces. Sicut inquit Epistola ad Hebraeos [4, 14. 16.]: Habentes hunc Pontificem adeamus ad thronum gratiae. Hae de modo agnoscendi Dei necessario docendi sunt homines, ut recte invocetur Deus.

Cultus autem, de quibus hic praecipitur, sunt Agnitio Dei, Credere verbo Dei, verus Timor, vera Fides seu Fiducia, et vera Dilectio. Requirit enim Timorem, cum ait [Exod. 20, 5.]: Ego sum Deus fortis zelotes, visitans iniquitatem. Item [Deut. 6, 13.]: Dominum Deum tuum timebis et illi soli servies. Requirit fiduciam et dilectionem, cum ait: Ego sum Deus tuus omnipotens, te respiciens, curans, defendens, salvans, etc. Item [Exod. 20, 6.]: Faciens misericordiam diligentibus. Item [Deut. 6, 5.]. Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Nam haec dicta, ubicunque leguntur, sunt enarrationes primi praecepti.

Quod autem requirat perfectam obedientiam, haec verba testantur, Deut. 6. [vs. 5.] Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus tuis. Requirit igitur timorem, fiduciam et dilectionem Dei super omnia, et ita, ut hae virtutes sint purae, flagrantes et perfectae, non admistis vitiosis cupiditatibus. Sed hanc perfectam obedientiam haec corrupta natura hominum non potest praestare. Haerent in animis dubitatio de ira Dei et de [76]) misericordia: Nemo tantum timet, quantum debet; Nemo sic flagrat dilectione, ut debet, et admixtae sunt multae pravae cupiditates. Ideo Paulus inquit [Rom. 8, 7.]: Sensus carnis inimicitia est adversus Deum; Nec leve malum intelligit, cum nominat inimicitiam adversus Deum. Semper igitur accusat et damnat haec [77]) Lex omnes homines in hac corrupta natura, quia perfectam obedientiam nec praestant nec possunt praestare.

Iam dicat aliquis: Atqui necesse est eos, qui Deo placent, facere hanc Legem. Respondeo: Primum nec inchoari potest sine agnitione Christi et Evangelio; quia enim accusat et damnat Lex omnes,

---

76) de *abest ab* Editt. 16. 17. 21. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2.

77) haec *abest ab* Editt. 18—20. 23. 25—27., Corp. 1. 2. 4.

et agnoscimus nos reos esse et plenos contumaciae contra hanc Legem, ideo corda fugiunt Deum, non diligunt, non audent a Deo bona petere. Sed audito Evangelio, cum agnoscimus nobis remitti peccata propter Christum et nos recipi in gratiam, fieri filios Dei, quanquam indignos, hic agnita praesentia et misericordia Dei invocamus eum, incipimus nos ei subiicere, timere eum et confidere eius misericordia promissa [78]) et diligere non otiosum, sed tanquam Patrem vere curantem et salvantem nos. Sicut ait: Ego sum Deus tuus. Inchoatur ergo praeceptum agnito Christo. Deinde etsi crescere obedientia debet, tamen nunquam satisfaciunt huic Legi etiam renati, sed reliquiae peccati condonantur eis, ut suo loco dicetur, et ipsi reputantur iusti propter Mediatorem Christum. Sicut scriptum est: Christus est consummatio Legis. Et cum sint iusti hac imputatione propter filium Dei facta, placet inchoata obedientia, etiamsi non est integra. Faciunt igitur renati hanc Legem inchoando et credendo, quod propter Christum reputentur iusti et quod propter eum condonentur reliquiae peccati.

Commodum est autem docendi caussa, his duobus verbis complecti omnia opera primi praecepti, videlicet appellatione timoris et fidei, nam etsi fidem seu fiduciam misericordiae necessario comitatur dilectio, tamen dilectionis vocabulum obscurius est, quam timoris aut fidei appellatio. Timorem enim oportet nos subinde experiri in poenitentia, oportet et fiduciam experiri in consolatione.

Recensui opera primi praecepti, agnitionem Dei, credere verbo Dei, timorem, fidem seu fiduciam, dilectionem Dei. Ad haec adiungi debet Patientia in afflictionibus, sive cum iniusta violentia tyrannorum aut aliorum vexamur, sive cum aliae communes calamitates incidunt, morbi, mors, iacturae rei familiaris etc. In utroque genere requirit Deus obedientiam cordis. Estque opus primi praecepti et cultus Dei, obedientia Ecclesiae in utroque genere afflictionum. Ut obedientia Habel in nece, obedientia omnium Martyrum in suppliciis, obedientia Hiob, Davidis, in domesticis calamitatibus etc. Nam de priori genere clare scriptum est [Matth. 16, 24.]: Qui vult me sequi, tollat crucem suam etc. Item [Rom. 8, 29.]: Oportet nos fieri similes imaginis filii Dei. Item [Psalm. 115, 5.]: Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Extant igitur clara mandata de hac obedientia. Et vult Deus magis se metui, quam tyrannos; Deinde vult nos in ipsis suppliciis non ruere dolore in desperationem, non putare, quod negligamur a Deo, sed retinere consolationem, quod Deus sit nobis propitius et sit gubernaturus eventum.

De altero genere, videlicet de communibus calamitatibus, scriptum est [1. Petr. 4, 17.]: Iudicium a domo Dei incipit. Sive igitur sint poenae sive exercitia, Deus vult Ecclesiam subiectam esse talibus aerumnis, propterea quod natura humana propter peccatum haerens in carne subiecta est morti, et puniuntur multa actualia peccata Ecclesiae, imo Sanctorum. Itaque vult Deus Ecclesiam his aerumnis admoneri de poenitentia, praestare obedientiam, exercere fidem, invocationem et spem, non ruere in desperationem, non putare nos abiici aut negligi a Deo, sed retinere consolationem, quod Deus sit nobis propitius et sit gubernaturus exitum. Huc pertinent dicta, quae praecipiunt, cum de obedientia praestanda in communibus calamitatibus, tum de retinenda consolatione per fidem [Ioh. 6, 43.]: Nolite murmurare, id est, irasci Deo, quasi vel crudeliter exerceat nos vel negligat nos. Item [1. Petr. 5, 6.]: Humiliamini sub potenti manu Dei. Item [Psalm. 50, 19.]: Sacrificium Deo spiritus tribulatus etc. Item [Psalm. 37. [vs. 7.]: Subditus esto Deo et spera in eum. Item [Psalm. 4, 6.]: Sacrificate sacrificium Iustitiae et sperate in Domino.

Ac vide, quam multa bona opera concurrant in hac obedientia, quae simul pertinent ad primum praeceptum. Primum, ipsa obedientia Deum intuens per se est opus bonum et in hoc praecepto mandatum, quod praecipit Deum magis timeri, quam Tyrannos. Praecipit item sustinere poenas divinitus impositas, mortem et similes, ut dicitur: Iudicium a domo Dei incipit, vel: A Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Ad hanc obedientiam necesse est accedere fidem, quae statuat, Deum non negligere, non proiicere afflictos, sed iam quoque te respicere, tibi propitium esse et gubernaturum hunc exitum, ut David sentiebat, cum esset exul. Haec fides et spes sunt opera primi praecepti. Et ex [79]) his omnibus conflata est virtus, quae vocatur Patientia, id est, obedientia, quae Deo praestatur cum quadam tranquillitate animi seu voluntate obediendi, quae ex consolatione fidei oritur. Haec omnia Paulus vocat pacem, ut Philipp. 4. [vs. 7.] Pax Dei, quae superat omnem sensum, custodiat corda vestra et mentes vestras, id est, sit in vobis talis pax seu tranquillitas animi, ut obediatis Deo, et consolatione fidei sustentetis et confirmetis animos, ut adversa tolerare possitis, intuentes in promissionem divinam, in qua cum conspicitur admirabilis bonitas et misericordia Dei, existit etiam dilectio.

---

78) misericordia promissa,] Editt. 21. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. misericordiae promissae.

79) praecepti. Et ex] Editt. 22. 24. 28 — 34., Opp. 1. 2. praecepti. Ex

Antithesis.

Iam consideremus humani generis contumaciam adversus primum praeceptum, ut et infirmitatem nostram agnoscamus, et aliquo modo discernere gradus peccatorum contra hoc praeceptum discamus. Primus est Epicureorum et Academicorum, qui negant aut dubitant, an sit Deus, an curet humana, an hoc verbum, quod habet Ecclesia, sit traditum a Deo. Talis est autem maxima multitudo hominum ubique, quae prorsus ex animo delevit omnem assensionem de Deo, indulget dubitationi et eam confirmat. Magnae igitur tenebrae secutae sunt lapsum primorum parentum, et has tenebras postea confirmat malitia hominum et adiuvat Diabolus.

Secundus gradus est eorum, qui idola colunt, hoc est, qui fingunt multos Deos, et diversam potentiam singulis attribuunt, ut Ethnici, aut tribuunt divinum honorem, id est, invocationem creaturis, ut qui invocant sanctos mortuos. Invocatio enim tribuit omnipotentiam, aut alligant Deum ad certas statuas, cum sine verbo suo non velit ad ullam rem alligari. Constat autem, mundum semper plenum fuisse et esse idolorum. Nec differunt ab Ethnicis moribus invocatio sanctorum et statuarum cultus.

Tertius gradus est Magorum, qui pacta faciunt cum Diabolis hostibus Dei, et eorum, qui Magos consulunt, et eorum, qui aliis superstitiosis observationibus dediti sunt, quibus tribuitur potentia sine ordinatione Dei; Quare si qui effectus sequuntur, Diabolus autor est, et fiducia nititur Diabolis. Haec omnia prohibentur Levit. 20. [vs. 6.] Anima, quae declinaverit ad Magos et ariolos, et fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, et interficiam illam de medio populi sui.

Quartus est Iudaeorum, Philosophorum, Haereticorum et Mahometistarum, qui omnes sibi fingunt suos Deos, nec volunt agnoscere hunc esse Deum, qui se in hoc verbo suo per filium Christum patefecit, cum sic tantum velit agnosci et invocari. Ergo violabant[80]) primum praeceptum Manichaei, qui fingebant duos Deos, bonum et malum pariter aeternos. Item Samosatenus, qui affirmavit in Christo tantum esse humanam naturam. Sicut Mahometistae impie sentiunt. Violarunt hoc praeceptum et Ariani, qui negaverunt filium Dei esse de substantia Patris. Item alii, qui dixerunt, Spiritum sanctum tantum esse motum in hominibus creatum.

Quintus gradus est eorum, qui non invocant Deum per Mediatorem Christum, imo fingunt alios mediatores sanctos aut missas aut satisfactiones, aut alia opera; Item, qui dicunt, dubitandum esse de gratia Dei.

Sextus est desertorum, qui deficiunt a vera doctrina Evangelii metu vel odio, ut Iudas, Iulianus etc.

Septimus est desperantium, ut Saul, et in hanc desperationem ruere omnes necesse est, qui non norunt Evangelium de fide in Christum.

Octavus est, non discere Evangelium, non excitare se ad audiendam et cognoscendam doctrinam Christi, cum Pater coelestis praeceperit [Matth. 17, 5.]: Hunc audite.

Nonus est Hypocritarum, qui, etsi vera profitentur, nec sunt polluti externis Idolis, tamen in corde sunt sine timore Dei, sine fide, et magis amant voluptates suas aut opes, quam Deum, ut Nabal. Talis semper magna multitudo est in Ecclesia etiam habente puram doctrinam, ut monet parabola de semine [Matth. 13, 24 sqq.].

Decimus est superbia, id est, admiratio et fiducia propriae potentiae, sapientiae, virtutum, sine agnitione propriae imbecillitatis, sine agnitione et petitione auxilii divini, ut Alexander maximis rebus gestis iudicat hoc pulcherrimum regnum partum esse consiliis et dimicationibus suis, delectatur hac sua sapientia, sua fortitudine, incipit contemnere et premere inferiores, nec agnoscit has tantas res gestas esse Dei auxilio, qui Persis eripiebat imperium, ut eos puniret, sicut et postea Alexander factus nequior punitur. Talis describitur et Nabuchodonosor,[81]) qui castigatus agnoscit hanc arrogantiam et se emendat; Sed Sennaherib simili elatus fiducia sui non emendatur, sed interficitur. Et historiae ostendunt plerumque heroicos viros tandem opprimi tristissimis casibus. Id eo fit, quia hoc modo peccant, admirantur sese et confidunt suis donis sine agnitione humanae infirmitatis, sine agnitione et petitione auxilii divini, et saepe movent res periculosas aut etiam iniustas ex privatis affectibus fiducia suae potentiae, ut Pompeius. Accedunt et alia vitia, luxus, despectio et oppressio aliorum, ut Alexander securus helluabatur, interficiebat optime meritos duces, ideo sequuntur poenae. Hoc ipsum poemata etiam significarunt de Aiace, quem scribit Sophocles ideo punitum esse furore, quia cum pater Telamon abeunti dixisset, ut pugnaret quidem strenue, sed a Deo victoriam peteret, respondit Aiax, etiam Ignavos adiutore Deo posse vincere, se vero vel sine Deo. Ex his exemplis facile intelligi potest, quare heroici viri tandem saevis casibus opprimantur, et scriptum

---

80) violabant] Editt. 1—4. 6. 7. 9. violant

81) Nabuchodonosor.] Editt. 1—3. 6. 7. 9. Nabuchdonosor.

est de hac elatione et fiducia sui: Abominatio est coram Deo, quicquid est sublime coram hominibus. Etsi autem in heroicis personis clarius conspici hoc malum potest, tamen omnes homines aliquid huius contagii habent. Multorum fiducia magis nititur opibus, amicis, industria, quam Deo. Hos morbos agnoscere discamus, ut emendemus et fiducia vere nitatur Deo, sicut David clamitat [Ps. 24, 16.]: Respice in me et miserere mei, quia unicus et pauper sum ego. Item [Ps. 26, 10.]: Pater et mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me.

Hic etiam recensendi sunt Hypocritae, qui confidunt propria iustitia coram Deo, ut Pharisaeus Luc. 18. In his concurrunt multa peccata, videlicet quod non agnoscunt suam infirmitatem, non agnoscunt se dignos esse poena coram Deo, quod vanam fiduciam habent, quod non invocant per Mediatorem Christum; Imo quod sua opera loco Mediatoris Deo proponunt. His supra attribui quintum gradum.

Undecimus est impatientia, quae proprie adversatur primo praecepto, quia voluntas recusat Deo obedire in poenis. Interdum etiam irascitur Deo, tanquam duriori Domino, aut iniquo iudici, de quo affectu saepe admonet nos scriptura, ut [Psalm. 4, 5.]: Irascimini, nolite[82]) peccare, id est, repugnate dolori et flectite animum, ut volens obtemperet Deo in aerumnis, sicut supra dictum est.

Collegi gradus peccatorum, quae proprie pugnant cum primo praecepto, qui facile agnosci et iudicari possunt. Et quia Decalogus est summa doctrinae omnium virtutum, distribuamus et ipsas virtutes in singula praecepta. Ad primum pertinet virtus, quae vocatur alias pietas, alias religio, sed facilius intelliguntur haec nomina, timor Dei, fides seu fiducia, dilectio Dei. Et quidem has partes necessario complectitur ea virtus, quae vocatur pietas. Pertinet huc et Patientia. Ceterum nomen Pietas paene respondet nomini Iustitiae universalis, si definiamus eam obedientiam, quae Deo praestatur in omnibus eius mandatis, sicut postea dicemus, ad hunc finem, ut Deo obtemperetur, omnia opera referenda esse. Collocetur igitur huc et virtus, quae vocatur Iustitia universalis.

DE SECUNDO PRAECEPTO.

Postquam in primo praecepto dictum est de motibus cordis erga Deum, qui sunt praecipuus et interior cultus, quia Deus requirit obedientiam cordis non simulatam, iuxta illud [Deut. 6, 5.]: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde. Item [Ioh. 4, 23.]: Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu et veritate. Deinde secundum praeceptum concionatur de externa professione: Quia Deus vult innotescere, vult voce nostra invocari; Et sicut per verbum se patefecit, ita vult hoc verbum voce propagari. Ideo postquam de motibus cordis dictum est, nunc praecipit de illa voce, in qua sonat nomen Dei et verbum Dei.

Non usurpabis nomen Dei vane.

In primo praecepto ponuntur affirmativae et negativae orationes. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Haec est affirmativa, cui addendae sunt et aliae affirmativae: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde. Item: Dominum Deum tuum timebis. Constitutis affirmativis, etiam negativae seu exclusivae addendae sunt: Non habebis Deos alienos. Ita in sequentibus, cum audimus negativas orationes, semper prius affirmativam in primo praecepto expressam mente intueamur. Hic vetat Deus abusum sui nominis, et tamen vult hanc vocem propagari et innotescere: Ego sum Deus tuus. Sunt igitur veri usus nominis divini, vera praedicatio, vera invocatio, gratiarum actio et confessio. Haec quatuor genera operum praecipi hic sciamus, et huic loco inseramus affirmativa Testimonia de his operibus, ut [Matth. 28, 19.]: Ite, docete omnes Gentes. Invoca me in die tribulationis, et eripiam te, et celebrabis me, seu ages mihi gratias. Corde creditur ad iustitiam, et ore fit confessio ad salutem. Haec dicta propriissime de his generibus praecipiunt. Pertinet autem ad invocationem iuratio: Quia iurans invocat Deum, ut sit testis voluntatis ipsius, quod non velit fallere, et petit, ut Deus sit ultor, et puniat fallentem, et ad hanc poenam se obligat. Hinc intelligi potest, quantum vinculum sit iusiurandum: Invocas Deum, ut in te ipsum saeviat eius ira, si fefelleris. Quid potest sibi homo tristius imponere, aut quomodo se ad maiorem poenam obligare potest? Ideo respondent eventus. Quia haec obligatio est sancita et confirmata iure divino hoc loco: Non habebit Deus insontem, quicunque vane usurpaverit nomen eius: Ideo etiam in hac vita horribiles poenae comitantur periuros.

Quomodo possit fieri hoc praeceptum.

Ut autem supra diximus, non fieri opera primi praecepti sine agnitione filii Dei et fide;[83]) ita et

82) nolite] Editt. 25—27. 29., Corp. 1. 2. 4. et nolite

83) fide] Editt. 22. 24. male: fidei

de hoc praecepto sentiendum est. Satis constat non posse fieri invocationem, nisi agnito Mediatore Christo sic et de gratiarum actione sentiendum est. Item in ministerio certe necesse est tradi Evangelium de filio Dei etc. Denique ut supra dixi, oportere[84]) primum apprehendi reconciliationem per filium Dei donatam, postea vero placere inchoatam obedientiam; Idem de ceteris praeceptis sentiendum est. Et opera ceterorum praeceptorum ita placent Deo, et fiunt cultus Dei, cum praecedunt opera primi Praecepti, timor et fides. Sic reliqua fiunt sacrificia laudis et Deo placent, praecipue vero opera secundi praecepti. Sicut scriptum est praecipue de hoc genere [Ps. 115, 17.]: Tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Peccata contra secundum praeceptum.

Antithesis eadem est, quae est superioris praecepti, cum vitia cordis, quae supra recensuimus, proferuntur. Pugnant ergo cum hoc mandato sermones Epicurei, externi cultus impii, impiae invocationes Daemonum, idolorum et mortuorum, falsa doctrina, periuria, execrationes iniustae, sermones arrogantiam aut impatientiam declarantes, ut dixerat Aiax, se etiam sine Deo vincere posse. Item usitatissimum malum, praetexere nomen Dei, religionis, Evangelii, iniustis cupiditatibus, ambitioni, avaritiae, libidinibus, odiis. Papa titulo ministerii quaesivit potentiam, movit iniusta bella, instituit aucupia infinitae[85]) pecuniae, idola et alia. Iam haec aetas etiam titulo Evangelii, saepe privatas cupiditates tegit. Pertinent huc et scandala omnia, quae vel sauciant infirmas mentes, et fidem languefaciunt, vel alienant voluntates aliquorum ab Evangelio.

Comminationes tristissimae utrique praecepto additae sunt, quae cum de corporalibus poenis loquuntur, etiam aeternam iram significant, quia Lex non annuntiat remissionem peccatorum, sed in Evangelio clare declaratur aeterna ira adversus eos, qui non agunt poenitentiam [Matth. 25, 41]: Discedite a me maledicti in ignem aeternum etc. Quod enim hic dicitur de poenis in tertiam et quartam generationem saevientibus, intelligitur de corporalibus. Et ut his prioribus praeceptis additae sunt poenae, ita sciamus et sequentibus addi, ut Deut. 27. adduntur maledictiones omnibus praeceptis. Nec dubitandum est, calamitates mundi poenas esse delictorum omnis generis, iuxta dictum Psalmi [38, 12.]: Propter iniquitatem corripis filios hominum.

DE TERTIO PRAECEPTO.

Ut in primo docentur opera interiora mentis, voluntatis et cordis erga Deum, in secundo professio externa; Ita hic in tertio traditur praeceptum de Ceremoniis divinitus institutis, sed harum praecipuus finis intelligendus est. Ceremoniae traditae sunt propter ministerium docendi, et sunt adminicula huius functionis. Ergo praeceptum de Sabbato praecipue concionatur de ministerio docendi et administrandi ceremonias divinitus institutas; sicut textus non dicit de otio tantum, sed nominatim de Sanctificatione. Vult eo die sancta opera fieri, id est, proprie dicata Deo, hoc est, doceri populum et ceremonias institutas divinitus exerceri. Ad eam rem aliquis dies sit destinatus. Haec principalis sententia pertinet ad omnes homines et omnia tempora, quia est Lex naturae. Caeterum de observatione septimi diei constat, abrogatis ceremoniis Leviticis, etiam hanc ceremoniam esse mutatam, ut clare dicitur Col. 2. [vs. 16.] Recte igitur dicitur, in tertio praecepto duas esse partes, unam naturalem seu moralem seu genus, altera pars est ceremonia propria populo Israel, seu species de die septimo. De priore dicitur, naturale seu genus esse perpetuum et non posse abrogari, videlicet mandatum de conservando ministerio publico, sic, ut aliquo die populus doceatur et ceremoniae divinitus institutae exerceantur; Species vero, quae nominatim de septimo die loquitur, abrogata est.

Discamus ergo vere hic praecipi conservationem publici ministerii et ceremoniarum, quas Deus instituit, quod Deus vult conservare, ut maneat et propagetur Ecclesia, ut Eph. 4. [vs. 11.] dicitur: Dedit alios quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Pastores, alios Doctores, ut aedificetur corpus Christi, ut non fluctuemus, nec circumferamur omni vento doctrinae, id est:[86]) Dedit certum verbum per Prophetas et Apostolos publice sparsum, additis certis testimoniis, et instituit ministeria publica, in quibus sonet hoc verbum, ut habeamus certam de Deo doctrinam, nec excogitemus ipsi novas religiones sicut Ethnici, aut novos cultus etc. Hoc tantum Dei donum amare, venerari et suo quisque loco adiuvare debet. Sicut dicit Christus [Luc. 10, 16.]: Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit. Ac Prophetae deplorantes solitudinem in Sabbato queruntur abolitum esse ministerium docendi.

Sunt igitur opera huius praecepti, pie fungi

84) oportere] sic Editt. 1—17. 21. 23. 25.; ceterae Editt., Corp. 1—8., Opp. 1. 2. oportet

85) infinitae] Editt. 1—3. 6. 7. 9. 12. infinita

86) id est: *absunt ab* Editt. 1—4. 6. 7. 9.

hoc ministerio, audire recte docentes, et pie uti Sacramentis, et eorum usum adiuvare exemplo et frequentia nostra, obtemperare recte docentibus, alere, honore afficere et defendere pios Doctores, adiuvare studia necessaria Ecclesiae. Non quaero allegoriam huius praecepti, sed trado propriam et praecipuam sententiam. Nec enim leve aut exiguum opus est conservatio ministerii divinitus instituti.

Peccata contra hoc praeceptum haec sunt, omittere aut abolere munus recte docendi, falsa docere, depravare ceremonias, nunquam aut raro adesse publico ministerio, in coetu, ubi Ecclesiae recte docentur; Item, abducere alios vel exemplo vel aliis modis a publico ministerio, quod non est contaminatum impietate, sicut Donatistae abducebant suos coetus, non obedire ministerio verae doctrinae, exercere operas serviles, id est, impedientes ministerium die constituto ad publicum ministerium, conferre dies illos in ludos et helluationes, aut alia vitia, contemnere, afficere contumelia pios ministros, non velle conferre ad eos alendos et defendendos, non tegere eorum infirmitatem, si tamen sint sani in doctrina, sicut Cham deridebat nudum patrem, non iuvare studia Ecclesiae.

Ut autem supra dictum est, Primum praeceptum omnibus reliquis includendum esse, quae cum sint mandata Dei, necesse est agnosci autorem et obedientiam referri ad ipsum: ideo timor Dei et fides sunt ceu vita aliorum operum, et adesse omnibus operibus aliorum praeceptorum debent. Quare ut fiant opera huius praecepti, necesse est accedere agnitionem filii Dei, ut possimus in fide et invocatione Dei huic praecepto obedire. Item, cum hoc praeceptum de ministerio et ceremoniis concionetur, necesse est complecti Evangelium: Quia Legis ministerium tantum est ministerium mortis, Evangelium vero annuntiat remissionem peccatorum et vitam aeternam propter filium Dei. Item ceremoniae divinitus institutae, sunt typi Christi. Ideo nec Iudaei poterant recte facere opera huius praecepti sine agnitione vera Christi. Et apud Monachos et Sacrificulos, quia doctrina de fide, vera invocatione et de veris cultibus ignota est, multa peccata concurrunt in ipsorum ceremoniis: Falso putant esse cultus opera traditionum humanarum; Coenam Domini depravant multipliciter et has ipsas vitiosas ceremonias conferunt in quaestum. Haec peccata etiam cum hoc praecepto pugnant et polluunt Sabbatum.

Appellationes virtutum, quas continet primum praeceptum, etiam ad duo sequentia pertinent.

DE SECUNDA TABULA.

Etiamsi tantum politica vita hic institueretur, tamen agnoscere humanam rationem oporteret, optimam formam politiae hic proponi. Primum sancitur imperium, praecipitur obedientia. Deinde munitur pax: Non occides. Muniuntur coniugia: Non moechaberis. Muniuntur dominia rerum: Non furtum facies. Postea constituuntur iudicia, et sancitur veritas in contractibus et pactis: Non dicas falsum testimonium. Hi sunt fontes Legum politicarum. Sed nos sciamus doceri quidem politicam vitam, sed duo adiungi. Primum meminerimus Deum autorem esse et harum Legum et vitae politicae. Ideo sciamus propter Deum obedientiam praestandam esse, et includamus omnibus primum praeceptum, ut obedientiam in ceteris etiam regant timor Dei et fides. Secundo sciamus praecipi non tantum externa opera, sed interiorem obedientiam. Sic debebat esse ordinata natura hominis, ne haberet inclinationes, affectus, aut opera contra hunc ordinem, in quo condita est, et qui in Lege declaratur ac praecipitur.

Apparet autem contumacia et confusio ordinis in natura hominum, maxime in hac politica vita. Qualis est contumacia in gubernatione? quam multae iniustae caedes, iniusta bella! quantum odiorum et invidentiae! Deinde vagae libidines, inordinatae flammae et furores amantium infiniti sunt. Postea furta manifesta sunt innumerabilia in imposturis negotiationum, in usuris et aliis. Item, quis non laborat avaritia? quis suo contentus est, et suas res recte et pie collocat? Postremo omnes deplorant Sophisticam et mendacia pactorum, contractuum et iudiciorum. In his exemplis manifeste cernimus confusionem ordinis instituti a Deo. Ideo discamus in Lege Dei non tantum de externis factis dici, sed accusari totam contumaciam naturae humanae, seu confusionem ordinis interiorem et exteriorem; Quare in fine addita sunt praecepta de concupiscentia, quae clare loquuntur de interiore contumacia.

Nunc igitur percurremus reliqua praecepta, quae cum sint politica, Primum scias Deum praecipere, ut in hac politica societate vivamus, in qua vult innotescere, vult nos exercere fidem et invocationem in [87]) communibus periculis et laboribus, vult exerceri dilectionem erga homines, et singulos subiectos esse communi servituti propter ipsum, vult ibi lucere confessionem nostram, ut alii doceantur et invitentur ad agnitionem et timorem Dei, sicut scriptum est [Matth. 5, 16.]: Luceat lux vestra coram hominibus. Non vult Samuelem aut Davidem latere in solitudine et specu aliquo, et tantum arcanis ceremoniis vacare, sed vult eos in mediis fluctibus et procellis gubernationis versari, et ibi circumferre doctrinam divinitus traditam. Vult eos

87) in] Editt. 1—3. 6. 7. 9. et

in his periculis exercere fidem, docere alios, vult conspici testimonia doctrinae, quae Deus per ipsos exhibet, vult subiectos esse [88]) communi servituti propter obedientiam Deo debitam. Ita Lex facit exaequationem omnium, officia imperans, in quibus singuli singulis serviunt, cum officia sua faciunt, ut omnes simus unius corporis membra, mutua dilectione, mutuis officiis coniuncti, ut Deo obediamus. Discamus igitur praecipi hic, ut communia onera totius vitae et communem servitutem feramus, conferamus operas, ac meminerimus nos a Deo ad hanc politicam societatem conditos esse. Non enim dicit prima Lex, Quaere solitudinem, tuas voluptates, facito tibi otium, sed inquit: Honora patrem et matrem, sancit imperia et obedientiam. Discamus igitur et opera secundae tabulae vere esse cultus Dei, ut supra descripsi cultus, scilicet cum gubernantur a timore Dei et fide. Quare toties in Prophetis, cum fit collatio cultuum, anteferuntur politica officia ceremoniis, Ies. 1. [vs. 17.] Iudicate pupillo etc. Et 58. [vs. 7.] Frange esurienti panem tuum, Oseae 6. [vs. 5.] Zach. 7. [vs. 9.] Iudicium verum iudicate. Et maxime haec officia Christus ornat, cum mandatum de dilectione proximi ait esse simile primo, hoc est, Deum obedientiam in utroque genere simul postulare, et utriusque generis officia cultus Dei esse.

DE QUARTO PRAECEPTO.

Orditur autem quartum praeceptum a primo gradu Imperii, scilicet a parentibus, qui debent [89]) esse regula aliorum gubernatorum, de quibus alibi dicitur, ut Rom. 13. Et praecipitur summus gradus obedientiae, scilicet honos, qui tria complectitur. Primum agnitionem Dei, quem statuas esse autorem humanae consociationis tum in coniugio tum in politia. In his ordinationibus conspicitur sapientia Dei, bonitas erga nos, iustitia, ira adversus sceleratos, defensio innocentiae. Est igitur honos agnoscere, hanc societatem esse opus divinum, testimonium providentiae, salutare humano generi, bonum et honestum, et amare hunc ordinem propter Deum et propter utilitatem, et piis precibus a Deo petere, ut ipse conservet. Secundo complectitur obedientiam externam, ut communibus officiis tueamur politias, non dilaceremus. Tertio ἐπιείκειαν, qua in tanta infirmitate humana quaedam errata condonemus imperiis, et ea nostra aequitate, moderatione et diligentia sanemus et sarciamus, sic tamen, ne contra mandata Dei faciamus.

Discerni autem res a personis debent. Hic triplex honos, quem dixi, semper debetur imperiis, hoc est, ipsi societati coniugali et politicae, devinctae honestis legibus, quas Deus mentibus hominum indidit, et aliis iustis legibus. Sic Patres, Prophetae, Christus et Apostoli semper agnoverunt coniugium et politicum ordinem esse opera et beneficia Dei, sicut vices motuum et temporum et multos miros eventus consideraverunt in politiis, unde ratiocinati sunt, Deo curae esse genus humanum. Interim tamen has ipsas res a personis et a Diaboli operibus discernebant, qui, quo maiora sunt Dei opera, eo furiosius ea deformare, concutere et evertere conatur. Amabat igitur Paulus politiam, hoc est, leges imperii Romani, et his obtemperabat. Sed Caligulam et Neronem non amabat, imo execrabatur tanquam organa Diaboli, maledicta a Deo, quorum sceleribus contaminari totam rerum naturam videbat. Haec distinctio de rebus et personis observanda est, ut opera Dei ab operibus Diaboli discernantur. Ac magis amabit et reverebitur [90]) ipsas politias et Leges, qui poterit res et personas discernere, et intuens in tantam confusionem imperiorum, quae oritur a Diabolo et eius organis, maiori cum dolore spectabit Diaboli potentiam, qui in summo loco gubernationis maxima petulantia et atrocitate declarat odium adversus Deum, et contemptum generis humani et saevitiam suam. Quid enim monstrosius, turpius et abominabilius cogitari potest tyrannis omnium temporum, et quam pauci omnibus aetatibus fuerunt et sunt vel mediocres Principes? Haec tanta mala intelligenda et deploranda sunt, et petendum a Deo, ut ipse emendet et servet politias. Nec praetextu operis divini excusanda aut tuenda sunt vitia, nec propter loci dignitatem tolerandae sunt manifestae et atroces iniuriae, impietates et flagitiosae libidines tyrannorum sine fine grassantium, sed reliqua politia, cui Deus gladium dedit, recte facit, cum Caligulas et Nerones et similia portenta removet a gubernatione. Sicut honestissime Traianus ad magistrum equitum dixit tradens ei gladium: Hoc gladio pro me utaris, si iusta imperabo; sin vero iniusta, contra me utaris. Sed si gubernatores sunt fideles, hoc est, mediocriter student officium facere et plerumque iusta agunt et lapsi resipiscunt, tolerandi sunt et eorum errata vel tegenda vel sananda sunt. Tales fuerunt David, Salomon, Iosaphat, qui cum [91]) fuerint excellentissimi Principes, habent tamen suos lapsus, qui describuntur, ut admoneamur difficillimam et periculosissimam rem esse gubernationem. Nam Diabolus, cum sit homicida, molitur dissipationes politiarum

88) esse *abest ab* Editt. 22. 24., Opp. 1. 2.

89) debent] Editt. 1. 2. 4—15. 19. debet

90) reverebitur] Editt. 1. 3. venerabitur

91) qui cum] Editt. 1. 3. qui tamen cum

et vel gubernatores evertit vel habet sua organa in populo; sicut Saulem funditus perdidit, qui tamen initio res magnas et utiles gesserat, Davidi laqueos iniecit, ex quibus vix eluctatus est. Deinde incendit filium Absalonem, cuius scelus ingentem ruinam traxit. Turbat igitur Diabolus politias, et natura hominum per sese infirma est in gubernatoribus et in populo; ac utrique licentiam naturaliter amant, et oderunt Legum et disciplinae vincula. In tantis Diaboli insidiis et tam multiplici infirmitate hominum retinere mediocrem statum, magnum et singulare Dei opus est; Sicut clare dicit Salomon [Prov. 20, 12.]: Ut oculus videat et auris audiat, Deus facit utrumque, id est, ut gubernator habeat felix consilium et respondeat obedientia subditorum suo loco, Dei opera sunt, haec impertit per fideles gubernatores, quorum alii aliis praestant. Nulla humana sapientia, vigilantia aut virtus par est tantis rebus. Ideo Paulus inquit 2. Cor. 3. [vs. 5.] Sufficientia nostra ex Deo est. Item: Non sumus idonei ex nobis, ne cogitare quidem. Sed in ipsis personis fidelitatem, id est, studium recta faciendi requirit 1. Cor. 4. [vs. 2.]: Ceterum hoc requiritur in ministris, ut fideles sint. Cum igitur mediocris status est politiarum, agnoscamus eum esse beneficium Dei, quod per aliquos fideles ministros impertit, et Deo autori politiarum obediamus.

Deinde et ipsis gubernatoribus pro sua fidelitate et ingentibus laboribus, qui comitantur omnem gubernationem, tribuamus honorem, hoc est, agnoscamus eos adiuvari divinitus, esse organa, per quae Deus nobis bona suppeditat, amemus eos, ac nos eis subiiciamus, et debere fateamur pro ipsorum sedulitate gratiam, et aliquos lapsus ipsis condonemus, sic tamen, ne contra mandata Dei faciamus. Haec aequitas magna virtus est et difficilis. Breviter annotavi, quas res complectatur vocabulum Honoris, quod diligenter expendendum est, et dixi de discrimine rei et personarum.

Continet autem hoc praeceptum mutua opera superiorum et inferiorum. Officia superiorum significata sunt in vocabulis patris et matris; Item in integro Decalogo, qui universaliter est forma regiminis, et complectitur omnes virtutes et omnia officia boni patris et boni gubernatoris, sicut vera illa vox est, quemadmodum Xenophon [Cyrop. VIII. principio] inquit: Bonus princeps nihil a bono patre differt. Prima sit igitur cura gubernatoris de prima tabula, id est, curet recte doceri Ecclesias. Pater curet doceri liberos suos de Deo, deinde sit iustus et fortis in defensione, sit castus, sit beneficus in iuvandis bonis, habeat zelum et acre odium turpitudinis, sit verax in dictis et factis, sit candidus, non suspicax etc. Sit diligens in facultatibus recte collocandis, ne desint sumptus rebus necessariis. Denique, ut dixi, totus Decalogus est forma gubernationis, et si gubernator habebit affectum paternum, erit in eo studium harum virtutum.

Vicissim inferior tribuat honorem superiori, id est, agnoscat Dei opera esse politias, obtemperet propter Deum et condonet quaedam errata. Pertinent huc virtutes, iustitia universalis, quae est obedientia legitima erga magistratus; Item cura vocationis; Item *ἐπιείκεια* in dissimulandis aut sanandis superiorum erratis, ne pax publica turbetur. Sed opposita vitia seu peccata facilius conspiciuntur, ut contumacia adversus superiores, quae vocatur inobedientia et est universalis iniustitia, item seditio, negligentia obeundae vocationis, *πολυπραγμοσύνη*, id est, ingerere se alienae vocationi. Hoc vitio et superiores et inferiores saepe peccant. Ideo et Petrus prohibet esse *ἀλλοτριοεπισκόπους*, ingerentes se alienae gubernationi.

Praeterea ut supra dixi, in imperiis discernendas esse res et personas, ita rerum etiam discrimen observandum est. In monarchiis ceteris gubernatio praecipue spectabat ad civilis et honestae societatis defensionem, etiamsi erat ignota religio. Sed in regno Antichristi leges perpetuae et praecipuae [92]) regni sunt de novo cultu contumelioso in Christum et damnato divinitus, et finis principalis eius regni est, deleri [93]) nomen Christi, et hoc ipso praetextu conditum est regnum, quasi gloriae Dei intersit, extirpari nomen et doctrinam Christi. Tale est regnum Mahometi: Lex ipsa Mahometi est manifesta contumelia adversus Christum; deinde est mandatum de latrocinio, quia iubet interfici eos, qui credunt Christum esse filium Dei; praecipit item propagari suos errores gladio. Haec praedicta sunt apud Danielem cap. 7. [vss. 8 sqq.] de parvulo cornu: Sermones contra excelsum loquetur et sanctos altissimi conteret. Tertio conceditur lege multiplex turpitudo libidinum, et re ipsa nulla sunt Mahometistarum connubia, quia concedunt duci, dimitti et dimissas recipi privatis arbitriis sine ullis caussis, concedunt et lege flagitiosas libidines, propter quas Deus evertit Sodomam et alias multas civitates. Ergo in eo regno nec lex est a Deo, sed est diabolicus furor, quem grassari Deus extremo tempore sinit, ut puniat mundum. Sicut crescentibus peccatis inde usque ab initio crevit servitus et imperiorum asperitas et confusio. Quare differentia inter reliquas monarchias et regnum Mahometi observanda est. Daniel poterat esse magistratus in regno Babylonico. Iudaei poterant militare sub Alexandro. Christiani poterant militare

92) praecipuae] Editt. 1—3. 6. 7. 9. 12. praecipue
93) deleri] Editt. 1—14. 19. 23. delere

sub Romanis principibus, ut sub Marco Antonino [94]) fide militum Christianorum magna victoria parta est in Pannoniis: quia finis militiae erat honestum regimen politicum. Sed non licet militare cum Turcis, quorum finis est non regimen politicum, sed confirmatio et propagatio legis, quam profitentur. Servitutem pati Christianis licet, una militare cum Turcis non licet: quia clare inquit textus [Dan. 7, 25.]: Sanctos Dei conteret.

QUINTUM PRAECEPTUM.

Non occides.

Prohibet non solum externas corporum iniurias et privatam vindictam externam, sed etiam in animis malevolentiam, odia, invidentiam, privatam cupiditatem vindictae. Sicut Christus clare enarrat hoc praeceptum Matth. 5. [vss. 21 sq.] Econtra vero postulat erga omnes homines benevolentiam, misericordiam, zelum, candorem oppositum malevolentiae, mansuetudinem, patientiam, aequitatem, quae remittit aliquid de summo iure propter probabiles caussas, videlicet ut sanabiles revocentur in viam, Item, Ne ex privatis discordiis oriantur publica dissidia; quia de privatis offensionibus scimus severe praeceptum esse [Luc. 6, 37.]: Remittite, et remittetur vobis. Item: Vindicta non est res privati impetus, sed Deus eam sibi relinqui postulat, et metas circumscripsit. Ideo inquit [Rom. 12, 19.]: Mihi vindictam. Constat autem, quantos motus saepe excitet privata cupiditas vindictae. Quare et discamus, quid de vindicta praeceperit Deus, et mandato divino obtemperemus.

Iam hic addendum est, Magistratum politicum habere mandatum divinum de legitima vindicta. Ac pertinet officium Magistratus ad hanc ipsam vocem: Mihi vindictam, ego retribuam, ego puniam, vel mea manu, vel permissione, vel legitimo officio Magistratus; quia Deus imperia et politias constituit, retinet et mutat, sicut ait Daniel cap. 2. [vs. 21.] Deus transfert regna et constituit. Sunt igitur divina vindicta legitimae poenae, quibus Magistratus afficit latrones, adulteros, periuros, grassatores iudiciis condemnatos. Ad Magistratus officium et legitima bella pertinent, ut, cum Constantinus repressit armis saevitiam Licinii. Sed ut summus gradus est potestatis politicae bellum, ita in maximo abusu est, ac rarissima sunt iusta ac legitima bella. Sed Diabolus, cum sit homicida et inimicus politico ordini et disciplinae, saepe levissimis occasionibus excitat ingentia bella, incensis animis utrinque iniusta cupiditate. Haec latrocinia tolerat Deus, ut puniantur utriusque partis scelera. Sicut bellum Peloponnesiacum, quod fuit exitiosum toti Graeciae, ex levissimis caussis ortum est, caeso quodam luco, qui ritibus Ethnicis habebatur pro consecrato, et quod Pericles incanduerat conviciis offensus, quae erant dicta in Aspasiam. Nec summum ius, praesertim in caussa levi, satis iusta caussa est inferendi belli, sicut dicitur: Saepe summum ius summa est iniuria. Sed accedat aequitas, quae, etiamsi qua incidit offensio, tamen potius sanare eam curet, quam propter paucorum errata saeviat in innocentes, noceat [95]) in infinitum Ecclesiis et reipublicae, et sciant gubernatores bella debere esse vindictam divinam, non debere servire humanae cupiditati aut temerariae iracundiae. Sicut ait Abigail ad David [1. Sam. 25, 28.]: Quia praelia Domini praeliaris, non inveniatur in te malum.

DE SEXTO PRAECEPTO.

Non moechaberis.

Ingens est confusio publica ordinis divinitus instituti in hoc praecepto, quam prohiberi omnes intelligunt. Addit autem Christus enarrationem Matth. 5. [vss. 27 sq.], quae ostendit, non tantum externa delicta prohiberi, sed etiam pravam inclinationem et vagos ac errantes motus contra hoc praeceptum. Ut autem supra dictum est, prohibitionibus includi quasdam affirmationes; Ita et hic observes sanciri et confirmari legitimum coniugium: quia hac lege munitur, quae et consuetudinem coniugalem approbat et econtra damnat omnem concubitum extra legitimum coniugium, ac minitatur poenas in hac vita et aeternos cruciatus post hanc vitam. Sicut in Epistola ad Hebraeos [13, 4.] dicitur: Scortatores et adulteros iudicabit Deus. Item Eph. 5. [vs. 5.] Omnis scortator aut contaminatus non habet haereditatem in regno Christi et Dei, propter haec enim venit ira Dei super inobedientes. Dixi autem muniri coniugium his legibus, quia, etiam cum mundus non punit adulteria aut alias libidines, tamen Deus punit, nec sinit irritas esse suas comminationes. Sicut exempla omnium aetatum ostendunt, etiam non scripta; Quaedam vero Deus scribi voluit, ut de regula nos admoneant, Deum vere irasci omnibus pollutis et vel duriter castigare resipiscentes, ut David castigatus est, vel prorsus delere non resipiscentes, ut deleta sunt Sodoma. Nec tantum urbes illae quinque propter hanc caussam deletae sunt, multis aliis exitio fuerunt libidines omnis generis, ut omnibus Graecis civitatibus, Thebis, Athenis, Spartae. Nec tantum Troia propter adulterium punita est, sed plurimi

94) Antonino] Editt. 17. 18. 20—24. 26. 27., Corp. 1—8., Opp. 1. 2. Antonio

95) saeviat — noceat] Editt. 1. 3. saevire — nocere

reges tragicis casibus interierunt propter libidines, ut Aegysthus, Clytaemnestra, Macedonici reges fere omnes, Archelaus,[96] Philippus, Alexander, Demetrius, Ptolemaei, Caesares plurimi. Saepe etiam ingentibus bellis regna mutata sunt propter hanc caussam, ut fere tota tribus Beniamin deleta est propter stupratam uxorem Levitae. Haec exempla intueamur, et ad comminationes divinas conferamus, nosque excitemus ad obedientiam in hoc praecepto, ac repugnemus illicitis flammis. Virtutes hic requiruntur Pudicitia seu Castitas seu Continentia, Verecundia, Temperantia, Sobrietas. Nam sine Temperantia tueri Pudicitiam nemo potest.

DE SEPTIMO PRAECEPTO.

Non furtum facies.

Et hic primum affirmativa requirenda est: Sancitur enim Dominiorum distinctio, quam haec ipsa vox praecepti testatur ordinationem Dei esse. Quia enim prohibet furta, vult singulos tenere res suas. Hoc testimonio refutentur deliria fanaticorum hominum, qui magno et pernicioso errore contendunt, in Evangelio tolli rerum proprietatem. Deinde et prohibitio observanda est, ne aliena appetamus. Et quia contractus divinitus instituti sunt, ut homines inter se mutuis officiis declarent obedientiam suam erga Deum, pie et sancte exercendi sunt. Nam et iniustitiam in contractibus punit Deus non solum poenis magistratuum, sed etiam aliis cladibus, ut inquit Iesaias [33, 1.]: Vae praedanti, quia vicissim spoliaberis. Deut. 25. [vs. 15.] Pondus iustum habeas, ut longo tempore vivas. Et experientia comprobat usitatam regulam: Male parta male dilabuntur. Continet haec Lex multas virtutes pugnantes cum avaritia, ignavia, prodigalitate, scilicet iustitiam in contractibus, liberalitatem, sedulitatem, parsimoniam; quia ignavi et prodigi omnes sunt fures, nisi enim ex alieno rapiant, non possunt suum otium et sumptus tolerare.

DE OCTAVO PRAECEPTO.

Non dicas falsum testimonium.

Haec Lex munit iudicia et pacta, et continet virtutem omnium pulcherrimam, Veritatem, cuius utilitas latissime patet in doctrinis, in[97] iudiciis, in pactis, in conversatione. Violant enim hoc praeceptum omnes corruptelae doctrinarum, quae fiunt fraude aut petulantia ingeniorum, omnes calumniae forenses, omnes elusiones fucosae negotiorum seu sophismata, omnes, qui hypocrisi sua insidiantur aliis et non ingenue ostendunt, quod sentiunt, et qualis sit natura. Haec quam late pateant in vita, diligenter considerandum est, ut vere et acriter odisse sophisticam discamus.

DE NONO ET DECIMO PRAECEPTO.

Nonum et Decimum addunt declarationem, ut sciamus Lege Dei non solum de externis operibus praecipi, sed accusari et damnari etiam vitium haerens in hac depravata hominum natura, quod vocant concupiscentiam. Non enim tantum damnat hic vitiosos affectus, ad quos accedit Consensus, ut vocant, sed etiam ipsam pravam inclinationem, quae est perpetua quaedam aversio a Deo et contumacia repugnans Legi Dei, et gignit infinitam confusionem appetitionum, etiamsi non semper accedit consensus. De hoc perpetuo malo inquit Paulus [Rom. 8, 7.]: Sensus carnis inimicitia est adversus Deum. Legi enim Dei nec subiicitur, nec subiici potest. Nec leve malum intelligatur inimicitia adversus Deum, multas enim pestes complectitur, dubitationes de Deo, aversionem a Deo, fremitum adversus Deum, cum punimur. Deinde vagos et errantes motus infinitos contra Legem Dei, scilicet, confidentiam propriae sapientiae aut virium, contemptum aliorum, invidentiam, ambitionem, avaritiam, flammas libidinum, cupiditatem vindictae. Haec omnia Paulus complectitur verbo inimicitiae, in quo etiam[98] reatus intelligendus est. Haec repugnant Deo, et Deus vicissim irascitur his vitiis, etsi propter filium ignoscit credentibus. Quod autem Paulus vocat inimicitiam adversus Deum, id alibi concupiscentiam nominavit, quae significat pravam inclinationem et depravationem omnium appetitionum. Hinc perspicuum est, nullum hominem in hac corruptione natum Legi Dei satisfacere: quia in hac mortali natura manet concupiscentia vitiosa, quam esse peccatum testatur Paulus Rom. 7. Et postea vocat inimicitiam adversus Deum, et addit, non posse eam Legi Dei subiici, quare hic in Decalogo damnatur. Haec moneri necesse est, ut conspici magnitudo gratiae et intelligi doctrina de Iustitia fidei possit.

Ceterum et hoc observandum est: Etsi non in singulis praeceptis fit[99] mentio praemiorum aut poenarum, tamen sciendum est, et praemissiones et comminationes ad singula praecepta pertinere,

96) Archelaus, *abest ab* Editt. 1. 3.

97) in *ante* iudiciis, *abest ab* Editt. 22. 24. 28. 30. 34., Opp. 1. 2.

98) etiam] Editt. 1. 3. econtra.

99) praeceptis fit] Editt. 1. 3. praeceptis in uno loco fit

et alibi saepe repetitas esse. Summa promissionum in his verbis est: Qui fecerit haec, vivet in eis. Minarum summa est [Deut. 27, 26.]: Maledictus, qui non permanserit in omnibus, quae sunt scripta in Lege. Sed sciendum est omnes promissiones Legis conditionales esse, id est, requirere conditionem, ne quid contra Legem fiat. Cum autem Lex semper accuset nos, hae promissiones fierent irritae, nisi ex Evangelio disceremus, quomodo reputemur iusti, et quomodo placeat inchoata obedientia iuxta Legem. Fiunt igitur iustis fide propter Christum et Legis promissiones ratae, quia Deus recipit obedientiam. Ideo et praemia tribuit corporalia et spiritualia, iuxta illud [Luc. 6, 38.]: Date et dabitur vobis. Item Psal. 32. [vs. 19.] Ut eruat a morte animas eorum et alat eos in fame. Verum infra copiosius dicendum erit de discrimine Legis et Evangelii et promissionum Legalium et eius promissionis, quae est Evangelii propria.

Illud etiam memineris: quia ordo politicus vere est opus Dei, sicut ordo motuum coelestium, ideo Deus in politica iustitia regulariter praestat promissiones et minas. Externa et atrocia scelera comitantur manifestae poenae, etiamsi cessent magistratus. Homicidae quanquam effugerunt manus magistratuum, tamen mirabiliter ad supplicia retrahuntur. Periuros, adulteros et pollutos incestis libidinibus, etiamsi magistratus non punit, tamen opprimi variis cladibus testantur historiae et quotidiana vita. Sed Lex testis est, haec divinitus fieri, iuxta illud [Exod. 20, 7.]: Non habebit insontem etc. Item [Hebr. 13, 4.]: Fornicatores et adulteros iudicabit Deus etc. Econtra iustos gubernatores adiuvat Deus, ut constitutio regnorum et exitus bellorum regulariter ostendunt. Ideo addita est promissio corporalis quarto praecepto, quod constituit politias: Si vis longaevus esse super terram etc.

DE LEGE NATURAE.

Ut lumen oculis divinitus inditum est, Ita sunt quaedam notitiae mentibus humanis inditae, quibus agnoscunt et iudicant pleraque. Philosophi hoc [100]) lumen vocant notitiam principiorum, vocant *κοινὰς ἐννοίας* et *προλήψεις*. Ac vulgaris divisio nota est, alia esse principia speculabilia, ut notitias numerorum, ordinis, syllogismi, principia Geometrica, Physica. Haec omnes fatentur esse certissima et fontes maximarum utilitatum in vita. Qualis enim esset vita sine numeris, sine ordine? Alia sunt principia practica, ut totum discrimen naturale honestorum et turpium. Item, Deo est obediendum. Ac debebant quidem haec practica principia tam illustria nobis esse et firma, quam sunt notitiae numerorum; tamen quia propter labem originis accessit quaedam caligo et cor habet contrarios impetus discrimini honestorum et turpium, ideo homines non tam constanter assentiuntur his notitiis, Deo obediendum est, Adulterium est vitandum, Honesta pacta sunt servanda: sicut huic notitiae, Bis quatuor sunt octo. Manet notitia Legum, sed assensus est infirmus propter contumaciam cordis. Notitia testimonium est nos a Deo ortos esse ac Deo obedientiam debere, et accusat inobedientiam. Dubitatio vero et contumacia illustre signum est, naturam hominis non esse integram. Sicut idem significant mors et calamitates infinitae humani generis et multa prodigiosa vitia. Haec Paulus Rom. 1. [vs. 18.] his verbis exposuit: Veritatem in iniustitia detinent, id est, etsi impressa est hominibus vera notitia, quod sit Deus una quaedam aeterna mens, conditrix et conservatrix rerum, sapiens, bona, iusta etc. et quod huic Deo obediendum sit iuxta discrimen honestorum et turpium, tamen hae verae notitiae detinentur in iniustitia, id est, captivae tenentur, non regnant, sed regnat iniustitia pugnans cum his notitiis, scilicet aversio voluntatis a Deo, contemptus Dei, fiducia propriarum virium, denique varii impetus pugnantes cum lumine divinitus insito mentibus: Ideo et assensus infirmior est, ac

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas. [1])

Ideo Philosophi cum viderent infirmam assensionem esse et rapi homines magno impetu ad diversas voluptates, quaesiverunt, utrum iusta et iniusta natura vel opinione discernantur. Qua de re dubitare turpe et flagitiosum est, perinde ac si quis quaerat, an natura vel casu bis quatuor sint octo. Lumen divinum in mentibus non extinguendum est, sed potius excitandum, et confirmandus animus, ut agnoscat principia practica, eaque amplectatur et statuat revera tam certa et firma esse, quam sunt speculabilia, imo pariter esse decreta immutabilia Dei. Sicut et Paulus concionatur Rom. 1. [vs. 19.] inquiens: Deus ipsis ostendit. Item Rom. 2. [vs. 15.] Opus Legis scriptum in mentibus eorum. Vocat item has notitias ius divinum, Rom. 1. [vs. 21.] Qui cum ius Dei norint. Est ergo [2]) vera definitio Legis naturae, Legem naturae esse notitiam Legis divinae, naturae hominis insitam. Ideo enim dicitur homo ad imaginem Dei conditus esse, quia in eo lucebat imago, hoc est, notitia Dei et similitudo quaedam mentis divinae, id est, discrimen honestorum et turpium, et cum his notitiis congruebant vires hominis. Voluntas erat conversa ad Deum

100) hoc] Editt. 1. 3. 6. 7. hic

1) Virg. Georg. I, 514.
2) ergo] Ed. 1. typ. errore: erga

ante lapsum, ardebant et in mente verae notitiae et in voluntate amor erga Deum, et assentiebantur corda sine ulla dubitatione veris notitiis; ac statuebant nos conditos esse ad agnoscendum et celebrandum Deum et ad obediendum huic Domino, qui nos condidit, alit, impressit imaginem sui, qui iusta postulat et approbat, econtra vero damnat et punit iniusta. Quanquam autem in hac naturae corruptione deformata imagine Dei non ita fulgent notitiae, manent tamen, sed cor repugnat et incurrunt dubitationes propter quaedam, quae pugnare videntur cum illis notitiis. Quia enim poenae differuntur, et bonis male est, et malis bene, ambigit ratio de providentia, hoc est, de ipsa prima Lege, An Deus benefaciat bonis et puniat malos. Item, Omnes naturaliter dubitant se audiri in invocatione.

Nec tamen extincta est penitus notitia naturalis de Deo. Ideo prima Lex naturae reipsa est agnoscere, quod unus sit Deus, mens aeterna, sapiens, iusta, bona, conditrix rerum, benefaciens iustis et puniens iniustos, a qua ortum est in nobis discrimen honestorum et turpium, et quod ei iuxta hoc discrimen obediendum sit, quodque hic Deus sit invocandus, et expectanda ab eo bona. Hanc Legem naturae Paulus et citat et sic enarrat Rom. 1. Et congruere eam cum primo praecepto manifestum est. Iam huc referantur verae disputationes Xenophontis, Ciceronis et similium, qui secuti naturale iudicium hanc Legem contra Atheos saepe inculcant et defendunt.

Ad secundum praeceptum pertinent Leges et dicta de iureiurando et de poenis periurii, Item de poenis eorum, qui sunt maledici adversus Deum. Nam et ratio iudicat poenas sequi et experientia omnium temporum quaedam exempla ostendit. [3]) Huc innumerabilia dicta pertinent de poenis periurii, ut apud Tibullum [Elegg. I, 9, 3. 4.]:

Ah miser, etsi quis primo periuria celat,
Sera tamen tacitis poena venit pedibus.

Ad tertium praeceptum pertinent, [4]) si qua leguntur probabilia dicta de honestis ceremoniis, ut apud Athenienses iurabant cives: Pugnabo pro sacris et solus et aliis iuvantibus, quod fortasse sumptum est a patribus, qui de ceremoniis divinitus traditis hoc iusiurandum intellexerunt. Posteritas deinde impia audacia finxit novas ceremonias et novas opiniones, ut fit, quando amittunt homines regulam coelestem, quae prohibet institui novos cultus humana autoritate. Ad tales impias ceremonias non accommodandum est [5]) vetus dictum.

Hactenus recensui Leges naturae convenientes cum prima tabula, quae sunt obscuriores quam sequentes, quae de civili societate loquuntur. Intelligit ratio naturaliter, discrimen esse inter hominum et pecudum vitam, intelligit iustitiam, castitatem, veritatem, temperantiam, modestiam, beneficentiam et alias virtutes; intelligit item genus hominum ad societatem legitimam conditum esse, et intelligit virtutes propter Deum colendas esse, etiamsi non moveremur utilitate, quanquam Deus evidentes utilitates etiam addidit in hac societate.

Primum igitur agnoscit ratio in hac societate, ordine et gubernatione opus esse, et primus fons gubernationis est parentum autoritas. Ad hanc imaginem postea traditur potestas magistratibus, qui totam societatem regunt et defendunt.

Ad quintum pertinet dictum, quod prohibet omnem iniustam violentiam, Neminem laedere. Etsi autem utilitas manifesta est in hac re, (non enim posset incolumitas vitae retineri, si grassari impune liceret,) tamen ratio non solum has iniurias propter utilitatem vitandas esse docet, sed etiam propter iustitiam, cuius intellectus inditus est homini. Et ut praecipit iustitia tueri innocentes omnes, ita iubet per magistratus coerceri et tolli noxia membra. Nec difficile est prudentibus colligere multas rationes naturales harum sententiarum, sed haec est praecipua, quod intellectus iustitiae divinitus insitus est hominibus, ut notitia numerorum, etsi assensio propter contumaciam cordis est imbecillior, quod odiis, cupiditate vindictae, ira flagrans non audit monitricem rationem. Nec primum haec Lex de non facienda iniusta caede in tabulis Moysi scripta est, sed statim initio Deus addidit iudicio naturae illustre testimonium, cum maledicitur et punitur Cain propter interfectum fratrem. Promulgatur et postea Lex, Gen. 9. [vs. 6.] quae prohibet homicidia et punire praecipit [6]) per magistratus. Haec enim sunt verba in textu: Quicunque fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius per hominem, id est, per Magistratum. Ad imaginem Dei quippe factus est homo, id est, ut Deum intelligat, invocet, celebret, sit iustus. Hunc suum cultorem et sacerdotem Deus non vult violari, sed potius defendi et adiuvari, ut Deum colat et invocet. Estque Deus ipse vindex violatae imaginis, violati cultoris et sacerdotis. Ita subinde Deus illustria testimonia addidit Legibus naturae, ne in hac caligine humani cordis extinguerentur.

Ad sextum pertinet iudicium rationis, quod dis-

3) ostendit.] Editt. 1. 3. 6. 7. 12. ostendunt.

4) pertinent,] Editt. 1. 3. pertinet,

5) accommodandum est] Editt. 1. 3. est accommodandum

6) praecipit] Ed. 22. typ. errore: percipit

cernens hominum et pecudum vitam iubet homines certis legibus matrimonia contrahere, et improbat vagos concubitus et adulteria. Hoc iudicium esse in ratione, coniugia testantur. Etsi contra hunc ordinem in hac corruptione naturae multis modis peccatur, sed Deus sanxit Legem de connubiis statim in Paradiso. Et postea vagas libidines diluvio punivit et aliis exemplis, ut de hac Lege naturae nos doceret.

Ad septimum pertinet dictum, Suum cuique tribuere. Videt ratio distinctionem dominiorum convenire huic naturae hominum et res per contractus communicandas esse, ut mutuis officiis homines inter se devinciantur, et exerceant iustitiam et beneficentiam. Hoc naturale iudicium vocant Philosophi Legem naturae seu ius naturae, quod longum acervum demonstrationum et multos gradus complectitur. Ideo Iurisconsulti paulo aliter loquuntur, etsi ius Gentium nihil aliud significat, nisi commune hominum iudicium, hoc est, principia practica et demonstrationes ex illis collectas. Nec Platonica illa confusio convenit huic naturae hominum, in qua necesse est distincta esse imperia et distinctas civitates, ut coerceri mali possint, quare et res distingui necesse est. Discamus autem in his officiis exercendis non tantum utilitatem intueri, sed potius ordinem a Deo institutum et naturae monstratum, ac propter Deum servemus metas iustas contractuum, nec defraudemus alios, sed potius adiuvemus, ut tenere suum possint. De hac aequalitate extant eruditissimae disputationes Philosophorum et Iurisconsultorum, quae sunt testimonia iuris naturae, id est, iudicii naturalis de hac materia.

De octavo manifestum est rationi humanae inditum esse iudicium, quod statuit amandam et tuendam veritatem esse et vitanda mendacia. Hic rursus apparet communis utilitas huius Legis et officii, quia non essent semper duraturi contractus, nulla essent foedera et vincula pacis, sublata fide pactorum, frustra exercerentur iudicia, nisi veritas inquireretur in artibus, ut in Medicina [7]) et aliis: Quanta pernicies vitae esset falsa pro veris tradere, venena pro remediis commendare? Denique infinitas utilitates Deus semper admiscuit suis Legibus. At nos non tantum utilitates intueamur, sed multo magis ordinem a Deo institutum, et hunc ordinem, videlicet veritatis conservationem, propter Deum amemus et constanter tueamur.

Recensui Leges naturae iuxta seriem Decalogi; nam haec series perspicua est et viam, quam ratio monstrat, recte sequitur; verum quoquo modo numerentur, res ipsae congruent, nisi aliena misceantur. Deinde eo prodest sequi hunc ordinem, ut consensus Legum naturae cum Decalogo appareat, quem conspici multis de caussis est utilissimum, primum, ut intelligamus ipsas Leges naturae divinas esse, et veram earum explicationem, demonstrationes et congruentes sententias seu apud Philosophos seu apud Legumlatores magnifaciamus, contrarias vero detestemur. Ideo autem de coelo sonuit Lex divina, ut Deus testaretur se esse auctorem naturalis notitiae et postulare obedientiam iuxta eam notitiam et accusare genus humanum propter contumaciam. Voluit enim [8]) Deus extare vocem iudicii sui adversus peccatum. Postremo sanctis etiam prodest extare certum testimonium Dei, quae opera requirat et probet, ne in hac infirmitate hominum ratio aberret, sicut in multis Legumlatoribus aberravit, quorum aliquae sunt vitiosae Leges.

DE USU LEGIS.

Non dubium est Lege divina flagitari interiorem et perfectam obedientiam, iuxta illud [Deut. 6, 5.]: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde. Cum autem haec corrupta natura hominum non possit praestare integram obedientiam, sicut clare testatur Paulus Rom. 7. et 8. et maneat in hac vita peccatum, scilicet dubitatio, diffidentia, non satis timere et diligere Deum, et infiniti motus errantes contra Legem Dei, sequitur homines non pronuntiari iustos, id est, acceptos coram Deo propter Legem. Ideo Paulus de hac controversia acerrime disputat ac detrahit Legi iustificationem. Etsi autem humana ratio aliter iudicat de peccato et de iustitia, et ex hac dissimilitudine humani iudicii et Evangelii certamina oriuntur, tamen nos audire vocem Evangelii oportet, quae clamitat inde usque ab initio, remitti peccata hominibus et reconciliatos placere seu iustos, id est, acceptos esse propter Mediatorem Filium, sicut Rom. 5. [vs. 2.] dicitur: Per hunc habemus accessum ad Patrem fide.

Exoritur ergo quaestio: Quis sit usus Legis, si Legis opera non merentur remissionem peccatorum aut si non sumus iusti Lege? Hic [9]) sciendum est, tria esse Legis officia seu triplicem usum.

Primus est paedagogicus seu politicus; vult enim Deus coerceri disciplina omnes homines, etiam non renatos, ne externa delicta committant. De hoc officio loquitur Paulus 1. Tim. 1. [vs. 9.] Lex est iniustis posita, scilicet, ut coerceantur, et ut haec disciplina severe defendatur, praefecit Deus humano

7) in medicina] Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. in medicinis

8) enim] sic Editt. 20. 25. 29. 31—33., Corp. 1—8.; ceterae Editt. et Opp. 1. 2.: etiam

9) Hic] Editt. 1—7. 9. 12. Hinc

generi magistratus, vult Legibus et doctrina regi homines, vult coerceri hominum furores et puniri suppliciis a magistratibus, ut Deut. 19. [vss. 19. sq.] dicitur: Auferes malum, ut audientes reliqui timorem habeant, non miserearis eius. Et supra haec addidit Deus carcerem multo tristiorem, videlicet calamitates universas generis humani; sicut Psalmus inquit de caussis calamitatum humanarum [Ps. 31, 9.]: Chamo et freno maxillas eorum constringe, qui non accedunt ad te. Ac diligenter docendi sunt homines de disciplina, et hae quatuor caussae proponendae.

Prima, quod necesse sit eam praestare propter mandatum Dei, cui debetur obedientia.

Secunda, ut poenae vitentur, quibus vel magistratus vel Deus punit atrocia delicta.

Tertia, publicae pacis caussa, quia Deus flagitat disciplinam, ne grassemur in aliorum corpora et fortunas, vult munitam esse pacem et tranquillitatem, ut regi et doceri homines possint. Et hic monendi sunt homines, vitam et mores nostros non tantum nobis, sed aliis etiam servire debere, et multa scelera non tantum corporibus et fortunis aliorum nocent, sed etiam polluunt alienas mentes. Haec damna non sarciuntur, sed divinitus poenae comitantur.

Quarta caussa est, quia disciplina est paedagogia in Christum. Ceteras caussas etiam videbant Ethnici modestiores, et magnus furor est nihil moveri metu calamitatum et poenarum. Sed quarta caussa gravior est, et magna laus est disciplinae, quod paedagogia dicitur in Christum, videlicet eo, quod in illis, qui non desinunt se polluere sceleribus contra conscientiam, non est efficax Christus, sicut clare dicitur [10]) 1. Cor. 6. [vs. 9.] Fornicatores, idololatrae, adulteri etc. regnum Dei non possidebunt. Et in eandem sententiam inquit Ioannes [1. ep. 3, 8.]: Omnis, qui peccat, ex Diabolo est. Necesse est igitur frenare cupiditates, ne repugnemus Spiritui sancto moventi corda. Accedit et hoc, quod disciplinae pars est, audire et discere Evangelium, per quod Spiritus sanctus est efficax. Has utilitates disciplinae meminisse plurimum refert, sed tamen non affingendi sunt errores illorum, qui docuerunt hanc disciplinam mereri remissionem peccatorum aut sine peccato esse aut esse impletionem Legis aut iustitiam coram Deo.

Hactenus de usu politico seu paedagogico Legis dictum est; Nunc de secundo usu dicendum est, de quo praecipue concionatur Paulus, ut errores humani iudicii de peccato et de iustitia emendet. Est igitur alius usus Legis divinae et praecipuus, ostendere peccatum, accusare, perterrefacere et damnare omnes homines in hac corruptione naturae. Est enim Lex perpetuum Dei iudicium, damnantis peccatum in toto genere humano, patefactum hominibus, et quia notitia Legis naturae est indita mentibus, et quia subinde variis modis revelatum est voce et exemplis, ut in Paradiso arguit Deus inobedientiam et addit poenam, scilicet mortem et ceteras calamitates, ut essent testimonia iudicii adversus peccata. Postea secutae sunt multae conciones et exempla, ut de Cain, de diluvio, de exitio Sodomorum et reliquis. Estque immutabile iudicium Dei opprimens aeterna ira omnes, qui non liberantur per agnitionem filii Dei. Non igitur imaginemur Legem Dei rem levem et mutabilem esse, ut fuit Laconica lex, tantum ut ferreo nummo in terra Laconica uterentur; sed est iudicium Dei, in quo horrenda ira Dei adversus peccatum ostenditur omnibus temporibus, quod quidem semper sonat et sentitur in Ecclesia magis, quam in reliquo mundo; Sicut statim ab initio in paradiso et postea in Patrum concionibus sonuit vox Legis arguens peccatum et praedicans poenitentiam. Et Paulus inquit Rom. 1. [vs. 18.]. Revelatur ira Dei de coelo super omnem iniquitatem hominum veritatem in iniustitia detinentium. Hic testatur coelestem vocem in Ecclesia sonare, quae iram Dei denuntiat adversus hominum peccata.

Sonat igitur, ut dixi, in Ecclesia haec vox Legis, magis etiam sentiuntur haec fulmina in Ecclesia, Adam, Abraham, Iacob, David, Ezechias, Paulus, senserunt terrores in agnitione sui peccati: Sicut Leo contrivit omnia ossa mea. Et Psalmi pleni sunt harum querelarum. Et ut sentiatur hoc iudicium et agnoscatur peccatum, Ecclesia subiecta est cruci, cum interim mundus coecus et furens contemnat iudicium Dei. Nihil igitur dubium est hanc vocem Legis arguentem peccata in Ecclesia oportere perpetuo proponi et tradi, imo gravissimum scelus esset occultare iudicium Dei et vocem denuntiantem iram adversus peccatum, ut Ierem. 1. [vss. 9 sq.] dicitur: Ecce dedi verba mea in ore tuo; Ecce constitui te super Gentes, ut evellas et destruas. Sed illa est in Ecclesia disputatio. Hypocritae putant Legem proponi, ut mereatur reconciliationem seu tollat peccatum. His erroribus reclamat Paulus et tradit sententiam alienam a iudiciis humanis. Imo inquit [Rom. 3, 20.], per Legem cognitio peccati. Quasi dicat: Ideo proponitur Lex, ut accuset et damnet peccatum, non tollit. Item [ibid. 4, 15.]: Lex iram efficit. Item [ibid. 7, 7.]: Per Legem peccatum fit excellenter reum. Item [1. Cor. 15, 56.]: Aculeus mortis peccatum est, virtus autem peccati Lex est. Haec dicta viris politicis admodum videntur absurda; sed concionantur non de politicis moribus, sed de iudicio Dei, quod sentimus in veris terroribus et vera poenitentia. Nam hunc usum Lex non habet

10) dicitur] Editt. 1—4. 6. 7. 9. 12. dicit

in hominibus securis. Sicut ait Paulus [Rom. 7, 9.]: Ego aliquando vivebam sine Lege, id est, eram securus, non sentiens iudicium Dei, postea perterrefactus agnovi imbecillitatem meam et mea peccata etc. Habuit hunc usum Lex in Davide, cum obiurgatus a Propheta propter adulterium perterrefieret. Denique contritio, quam sic vocant, in poenitentia ita clare intelligi potest, si sciamus eam huiusmodi veros terrores esse. Sed addenda est vox Evangelii, quae monstrat agnum Dei tollentem peccata ac revelat inenarrabilem misericordiam Dei, qui cum vere irascatur peccato, iudicat quidem peccatum, sed tamen vult liberare credentes in filium, quem fecit victimam. Ideo Paulus inquit terreri nos, non ut pereamus, sed ut confugiamus ad Mediatorem [Rom. 11, 32.]: Conclusit omnes sub peccato, ut omnium misereatur.

Tertio quaeritur de usu Legis in renatis. Quatenus autem renati et iustificati fide sint liberi a Lege, dicendum est suo loco. Sunt enim liberati a Lege, id est, a maledictione et damnatione seu ab ira Dei, quae in Lege proponitur, scilicet, si fidem retinent et fiducia filii Dei repugnant peccato et vincunt terrores peccati. Interim tamen docenda est Lex, quae reliquias peccati indicat, [11]) ut crescat agnitio peccati et poenitentia, et simul sonet Evangelium de Christo, ut crescat fides. Item, Lex renatis ideo proponenda est, ut doceat certa opera, in quibus Deus vult nos exercere obedientiam. Non enim vult nos Deus nostro consilio excogitare opera aut cultus; sed vult nos verbo suo regi, sicut scriptum est [Marc. 7, 7.]: Frustra colunt me mandatis hominum. Item [Psalm. 118, 105.]: Lucerna pedibus meis verbum tuum etc. Et ratio humana cum non regitur verbo Dei, facile deerrat. Rapitur enim pravis cupiditatibus, ut approbet vitiosa opera, ut apparet in Ethnicis legibus. Ac manet immutabilis ordinatio divina, ut Deo obtemperemus. Ideo etsi liberati sumus a Lege videlicet a damnatione, quia iusti sumus fide propter Filium Dei, tamen quod ad obedientiam attinet, manet Lex, videlicet, quia manet ordinatio divina, ut iustificati obediant Deo; et quidem habent inchoatam obedientiam, quae quomodo placeat, suo loco dicemus. Haec de triplici usu Legis satis sit breviter monuisse; nam de secundo et tertio usu infra rursus dicetur.

DE DISCRIMINE CONSILIORUM ET PRAECEPTORUM.

Inscitia iustitiae fidei multos errores peperit. Hinc etiam manavit imaginatio eorum, qui finxerunt in Evangelio tria consilia tradi, de non vindicando, de desertione facultatum seu de paupertate, ut ipsi loquuntur, et de virginitate. Longum autem esset omnes errores recensere, qui in hoc deliramento continentur; attingam igitur praecipuos. Primum deploranda est coecitas, quod sic extenuarunt Legem Dei, ut mendicitatem aut simile opus non mandatum ornaverint maioribus titulis, quam Legem divinam, cum nullum opus cogitari ab ulla creatura maius possit, quam quod in primo praecepto flagitatur: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde. Deinde de perfectione multa ab eis absurda dicta sunt. Praeterea falso putant legem Dei tantum de externa disciplina concionari, ut hac lege: Non occidas, prohiberi iniustam caedem, non prohiberi privatam cupiditatem vindictae, malevolentiam, iniusta odia et similes affectus vitiosos. Christus igitur Matth. 5. [vss. 21 sq.] hunc errorem reprehendit, ac docet, Lege Dei integram et perfectam obedientiam et iustum ordinem requiri omnium virium hominis interiorum et exteriorum actionum; ideoque lege ostendi et damnari naturae humanae immunditiem. Quare et poenas addit de interiore pravitate: Qui irascitur fratri suo frustra, reus erit iudicii. Item: Omnis, qui videt mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est. Haec dicta non sunt Stoicae hyperbolae, ut multi existimant, quae tantum erant otiosae cogitationes, quae nec actionem in vita nec iram Dei significabant, sed haec dicta Christi testantur Deum vere irasci pravitati naturali hominis, eamque vere peccatum esse. Idque eo dicitur, ut intelligamus nos non satisfacere legi, et quaerendam esse misericordiam, et confugiendum ad Mediatorem.

DE VINDICTA. [12])

Ceterum loci de vindicta, ubicunque leguntur, sunt praecepta; sed alii concionantur magistratibus de officio, alii loquuntur de privata vindicta, malevolentia et perniciosis certaminibus, quae oriuntur praesertim in acribus et vehementibus ingeniis ex cupiditate vindictae, ut exarsit in Mario, in Sylla, in C. Caesare, in Pompeio iracundia. Et in Ecclesia non minus est exemplorum, quam in ceteris regnis. Multi malevolentia et cupiditate vindictae moverunt ingentia certamina, ut de Ario nominatim scribitur. Discernenda est igitur vindicta. Alia est publica, quae sit mandato Dei a magistratu. De hac dicitur Rom. 13. [vs. 4.] Vindex ad iram malefacienti. Nec dubium est, magistratum mandato divino cogi, ut puniat delicta. Ac sciant utrique se debere obedientiam Deo: Magistratus puniat non

11) indicat.] Editt. 1—10. 12. iudicat.

12) *Inscriptio haec abest ab* Editt. 1—4. 6. 7. 9. 12.

privata cupiditate, sed propter voluntatem Dei. Reus subeat poenas, ut mandato Dei obtemperet, qui iussit delicta puniri. Nec prohibet Evangelium hanc publicam vindictam seu officium magistratus, nec consilium dat, ut omittatur, imo approbat et confirmat officium magistratus, nec vult eum ignavum et [13]) negligentem esse officii sui, praesertim cum sit divinum. Sed quia tanti muneris dignitatem et voluntatem Dei non consideramus, ideo hypocritae finxerunt illa deliramenta de non vindicando. Et fons idem est contumaciae hominum. Ideo gravatim obtemperant homines in poenis, quia non intuentur mandatum Dei, quod pariter praecipit magistratui et sonti.

Alia est vindicta privata, id est, quae non fit per magistratus ac leges. De hac privata dicitur Matth. 5. [vss. 43 sqq.] et Rom. 12. [vs. 10.] Non vindicantes vosmet ipsi. Suntque hae sententiae vere praecepta; quia Deus sanxit ordinem, ut sint leges et iudices, his subiecit genus humanum. Vult igitur hos esse vindices. Hunc ordinem non vult conturbari. Ideo prohibet vindictam privatam externam et interiorem, vult te vero animo cedere vindictam Deo et legibus ac iudicibus. De hoc ordine concionatur Christus Matth. 5. enarrans Legem et refutans hypocrisin, quae putat se Legi Dei satisfacere, cum tamen huius ordinis confusio manifesta sit in hominibus. Sicut in Satyra [14]) dicitur:

At vindicta bonum vita iucundius ipsa.

Hanc confusionem vult Christus agnosci, et cohiberi privatam cupiditatem vindictae, praesertim cum nunc natura hominum rea sit et subiecta morti et poenis. Quare nostra peccata accusemus in adversis rebus, non tantum videamus aliena peccata. Sicut David de Semeia inquit: Sinite, ut mihi maledicat; quia dixit Deus: Si forte respiciet Deus afflictionem meam et reddet mihi bonum pro his maledictis. Et insigne exemplum est animi cohibentis vindictae cupiditatem, David cedens et parcens Sauli, cum posset eum sine ullo tumultu interficere, sed noluit regnum occupare, nisi traditum a Deo. Haec exempla diligenter consideranda sunt, ut Legem Dei rectius intelligamus, ut nostram infirmitatem agnoscamus et magis frenare discamus. Estque haec peculiaris doctrina Spiritus sancti. Nam historiae Gentium non habent exemplum simile Davidi.

Teneamus ergo regulam, praecipi magistratibus, ut iuxta Leges exerceant vindictam, et displicere negligentiam in officio, ut dicitur Deut. 19. [vss. 19 sqq.] Auferes malum, ut ceteri timorem habeant, nec miserearis eius. Econtra vero privatis praecipi, ne exerceant vindictam, nec turbent ordinem a Deo institutum, seu manu, seu animi motu. Haec regula utilis est vitae ac munit imperia et pacem. Quanta vero sit absurditas deliramenti Monachorum, hinc intelligi potest. Si consilium est de non vindicando, concedent magistratibus, ne puniant sceleratos, rursus etiam privatis concedent vindictae caussa movere seditionem. Cum igitur hae fanaticae imaginationes falsae et perniciosae sint, prorsus eas ex Ecclesia explodamus. Fuit et haec caussa, quare Christus toties prohibet vindictam, quia Apostolis voluit eximere falsam persuasionem, qui putabant regnum Messiae fore mundanum, et armis gentes domandas esse. Christus contra inculcat, Apostolos non sumpturos esse arma, sed Evangelii praecones fore, et sine humanis praesidiis, sine armis Ecclesiam collecturos esse, et hanc saevitiae tyrannorum obnoxiam fore et tamen habituram esse divinas liberationes. Ita erigit doctores omnium temporum, ut suum officium recte docendo faciant et pericula Deo commendent, nec nitantur humanis praesidiis, nec extra septa vocationis suae erumpant, nec constituant sibi regna praetextu Evangelii. sicut Anabaptistae Monasterienses fecerunt.

Saepe disputatur de hoc dicto vulgari, Vim vi repellere ius naturale concedit. Eius dicti quae sit sententia, primum considerandum est. Nam si est naturalis notitia aut στοργὴ, quaerendum est, quomodo sit ordinata, ne depravetur aliquo praetextu aut admixta iniusta cupiditate. Nam iura naturalia non sunt vagabundi impetus, sed certae quaedam in natura ordinationes. Recte igitur et Iurisconsulti circumscripserunt hoc dictum certis metis. Intelligatur [15]) ergo de manifesta violentia et de necessaria defensione adversus subitam vim, ut si latro viatorem tranquillum in via adoriatur, aut si inferat aliquis bellum iniustum, aut si aliqui tumultuantes oppugnent aedes alterius. Hic quia abest iudex seu magistratus, ideo defensio conceditur. Et aliquid interest inter defensionem et ultionem seu poenam sceleris. Recta ratio, ut iudicat nemini nocendum esse, ita iudicat corpus proprium contra iniustam vim tuendum esse vel ordinariis et legitimis imperiis, ut in bello iusto, vel propria defensione, cum opitulari magistratus non potest. Inest enim naturae [16]) iusta στοργὴ, appetitio conservationis sui adversus iniustam violentiam.

Cum [17]) ergo sic intelligitur dictum de propulsanda manifesta violentia eo ordine et modo, sicut recta ratio censet et sicut ipsae Leges declarant,

13) et] Editt. 1—12. ac

14) Iuvenal. Satir. 13, 180.

15) Intelligatur] Editt. 1—4. 6. 7. 9. Intelligitur

16) naturae] Editt. 18. 20. 25., Corp. 1. 2. 4. natura

17) Cum] Editt. 15—17. 21. 22. 24. 28., Opp. 1. 2. Dum

vera est sententia, quod liceat vim vi depellere. Nec pugnat cum Evangelio aut cum hac voce: Diligite inimicos vestros, Nam Evangelium non abolet ius naturae et vincula politicae societatis, hoc est, Leges rectae rationi consentaneas. Imo hanc ipsam ob caussam tam variis officiis in hac societate Deus colligavit homines, ut sit occasio exercendae et declarandae fidei, obedientiae et dilectionis. Paterfamilias debet defensionem suae coniugi et suis liberis, ergo in oppugnatione aedium facit officium dilectionis, et luceat in animo eius fides. Sic dux debet defensionem subditis in caussis iustis; Quare cum iustum bellum gerit, facit officium dilectionis, et luceat invocatio Dei in periculo. Haec non pugnant cum Evangelio, quod vult unumquemque parere legitimae vocationi, nec pugnant [18]) cum hoc dicto [Matth. 5, 44.]: Diligite inimicos. Nam dilectio, defensio ac punitio nequaquam inter se pugnant. Nam dilectioni [19]) finis hic constitutus est, ut propter Deum diligamus et anteferamus dilectionem Dei. Cum non potest diligere rex Aza matrem propter Deum, quae colebat idola, afficit eam poena. Sic Constantinus si tulisset Licinium saevientem in Ecclesiam, praestitisset officia non placentia Deo. Ideo reprimit eum armis.

Haec recitavi de hac sententia: Vim vi repellere licet, ut studiosi considerent, quatenus valeat; nam ex hoc fonte iura bellorum sumuntur. Est autem conferenda cum altero dicto [Matth. 26, 52.]: Qui gladium acceperit, gladio peribit: Accipere gladium est non datum a Legibus stringere. Ergo qui vim iniustam infert, accipit gladium, econtra vero qui iusta defensione utitur, non accipit gladium, sed stringit datum a Legibus. Ceterum Christus hoc loco praecipue discernit officia magistratuum et ministerium Evangelii: Magistratui Deus gladium tradidit ita, ut in officio legitimo eo utatur; Si abutitur, ut privatae iracundiae aut furori morem gerat, ut Nero, peccat. Econtra vero ministerium Evangelii Deus non vult esse regnum mundanum: Ideo vetat Apostolos praeliari. Officia discernuntur in hoc dicto. Estque diligenter hoc discrimen considerandum, ut discant doctores Ecclesiae non niti humanis praesidiis, non capiant arma contra suos magistratus, sed sciant Ecclesiam Deo curae esse, et expectent ab ipso auxilium, ut Ecclesiam liberavit Deus a saevitia Pharaonis, Chaldaeorum, Maxentii et aliorum tyrannorum. Itaque non solum doctrina traditur in hoc dicto de diversis officiis, sed etiam tecte significatur Ecclesiam divinitus defendi et liberari. Haec sententia piis magnam consolationem affert. Et hactenus de vindicta.

DE PAUPERTATE.

Cum Evangelii confessio multa pericula vitae et fortunis hominum afferat, cum studia Evangelii sint in odio, nec sint quaestuosa, denique cum in hac vita communi inter ceteras communes calamitates vulgare onus sit etiam Paupertas, eaque saepe duriter exerceat praecipue Ecclesiam; Opus est nobis doctrina et consolatione, ne existimemus nos propter paupertatem a Deo negligi. Ideo tam multae sunt conciones de paupertate in Prophetis et in Evangelio. Traduntur praecepta de constantia, ne pertaesi paupertatem abiiciamus Evangelium, ne cupiditate opum et potentiae sinamus nos pertrahi ad malarum rerum societatem. Traduntur et consolationes, in quibus promittit Deus se opitulaturum esse egentibus, ut [Matth. 19, 29.]: Qui reliquerit domum, agrum, recipiet centuplum etc. sed addit, Cum tribulatione. De his magnis rebus concionantur dicta Evangelii, et doctrinam salutarem de magnis exercitiis fidei et aliarum virtutum continent, nec sunt ad Monachorum hypocrisin aut desertionem facultatum et confusionem ordinis politici detorquenda. Evangelium enim nec praecipit nec consulit discedere a facultatibus, si non eripiantur; Nec praecipit nec consulit res in commune conferre, imo cum certum sit distinctionem dominiorum et proprietatem esse ordinationem Dei, sciant pii, placere Deo proprietatem et totam hanc legitimam rerum distinctionem et commutationem. Vult enim Deus in his civilibus officiis conspici fidem nostram et exerceri dilectionem et alias virtutes. Denique illa ipsa discessio a facultatibus aut mendicitatem affert, quae in valentibus et otiosis furti species est, aut appetit culinam meliorem in Monasteriis, quae certe habent proprium. Nullus enim coetus vivere sine proprio potest. Vocabula alia fingi possunt, sed res mutari non possunt. Quod autem Evangelium approbet distinctionem dominiorum et proprietatem et divitias, plurima sunt testimonia. Primum lex dicit: Non furtum facies. Hic Deus ipse sua voce sancit et approbat distinctionem dominiorum. Item certissimum est, reges et principes haeredes vitae aeternae fieri posse, et aliquos esse iustos et Deo placere in ipsis imperiis, quales fuerunt Ioseph, Daniel, Nabuchodonosor, Cyrus, Cornelius, Centurio et alii. At regna sine opibus teneri non possunt. Item 1. Cor. 7. conceduntur emptiones et venditiones.

Sed utraque res magnam artem, magnam curam et virtutem postulat, scilicet, recte tenere res et paupertatem recte ferre. Ut recte teneas, sit

---

18) pugnant] Editt. 17. 18. 20—26. 28—31. 34., Corp. 1. 2. 4., Opp. 1. 2. pugnat

19) dilectioni] Editt. 21—24. 26—28. 30. 32—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2. dilectionis

bona conscientia, quae sciat hanc ordinationem opus Dei esse, ut sit rerum distinctio. Et non conturbes eam aliis defraudandis, ut saepe divites crescunt iniquis contractibus; Sed serves aequalitatem propter Deum, qui iussit te ab alieno abstinere; quare gratitudinem tuam in tuenda aequalitate declares, et agas Deo gratias, qui attribuit tibi et conservat facultates. Sicut scriptum est: Benedictio Domini divites facit. Secundo, Scias et liberaliter iuvandos esse egentes, ut saepe praecipit Christus: Date, et dabitur vobis. Estque addita promissio propter duas caussas, videlicet, ut sciamus piis liberalitatem mereri praemia, et ut sciamus flagitare Deum haec officia, ut fides exerceatur expectatione praemiorum. Utraque caussa lucet in exemplo Sareptanae viduae: Haec pavit Eliam et expectavit a Deo victum; Itaque Deus aluit mulierem et ornavit aliis magnis praemiis, et ipsa egregie fidem exercuit, cum reliquias, quas habebat, totas tradidit Eliae. Ceterum modus communicationis describitur 2. Cor. 8. [vs. 13.] Non ut aliis sit ignavia, vobis afflictio.

Et venustissima sententia de proprietate et de modo liberalitatis ac praemiis extat in Salomone [Prov. 5, 15—18.]: Bibe aquam e tuis fontibus, et tui fontis rivulos bibe. Fontes tui foras deriventur, et rivi effluant in plateas; At tu Dominus esto horum solus, non alieni tecum; Benedicetur enim fontibus tuis. Praeceptum est oeconomicum, gravissimam doctrinam figura verborum dulcissima proponens, vetat rapere ex alieno. Ideo inquit [vs. 15.]: E fontibus tuis[20]) bibe. Approbat et proprietatem: Tu dominus eorum esto. Adiungit et praeceptum de liberalitate [ibid. vs. 16.]: Fontes tui deriventur foras, id est, de fructibus tui fundi largire aliis. Ostendit et modum liberalitatis: Nolo, inquit, dissipari haereditates, excuti te ex fundis tuis. Hic sit modus: Tu fundum teneas, conserves haereditatem propter liberos et rempublicam; Sed de fructibus benigne iuvato egentes. Haec de proprietate et de officio liberalitatis dixit. Postremo addit et doctrinam de praemiis et de fide: In his officiis exerceto fidem. Si agnosces Dei donum esse facultates et earum conservationem, et neminem defraudabis, et eris liberalis, expecta a Deo benedictionem. Haec est vera Ecclesiae Christi doctrina de hoc negotio. Suntque fugienda deliramenta illorum, qui Platonicam communionem rerum fingunt in Evangelio praecipi vel laudari.

Sed ut magna ars est, recte tenere facultates, sic etiam magna ars et magnum decus est, recte ferre paupertatem. De qua primum agnoscenda est voluntas Dei, quod Deus velit nos subiectos esse his communibus afflictionibus, ut morbis, morti, ita et inopiae; Et has afflictiones non esse signa piis, quod abiiciantur a Deo, sed esse exercitia, quae nos admonent de peccato, propter quod natura subiecta est morti. Item de poenitentia et de invocatione. Scias igitur obediendum esse Deo, qui te sic exerceri voluit, sicut haec obedientia generaliter in aerumnis requiritur, iuxta illud [1. Petr. 5, 6.:] Humiliamini sub potenti manu Dei. Deinde constantia accedat, ne fugiendae paupertatis caussa faciamus quicquam contra Deum. Hanc constantiam praedicat Christus, cum ait [Matth. 5, 3.]: Beati pauperes spiritu, quia Deo obediunt in paupertate ferenda, et non faciunt contra Deum fracti paupertate et ceteris difficultatibus, quae comitantur inopiam; Non enim levia onera sunt, quae accedunt, premi et contemni a potentibus, esse obnoxium iniuriae et contumeliis, videre miserias liberorum. Inter haec mala retinere animi constantiam, non quaerere praesidia vel populi vel potentum malis consiliis, non inopia moveri ad turbandam rempublicam. Haec animi magnitudo lucens inter illas aerumnas ingens decus est. Sic erant pauperes Ieremias et multi Prophetae, Baptista, Christus, Apostoli et multi Martyres summo loco nati excussi ex[21]) facultatibus, ut Attalus. Eodem modo affecti erant et pii, qui tenebant facultates, Iob, David et similes. Sciebant oportere aliquos esse divites, parebant vocationi suae, nec tamen divitias anteponebant confessioni, et cum amisissent, in ea vocatione etiam Deo volentes obediebant. Haec obedientia, item constantia in confessione laudantur et sunt cultus Dei.

Sed Monachi manifestam iniuriam dicto Christi faciunt, quod praetexunt suae hypocrisi, videlicet Matth. 19. [vs. 29.] Qui reliquerit domum aut patrem aut matrem etc. Duplex est enim desertio, altera fit mandato Dei in confessione aut vocatione, ut cum Tyranni iubent aut Evangelium abiicere aut cedere ex possessionibus; Aut cum vocatus ad Ecclesias regendas dubitat, utrum subeunda sint pericula et odia, an potius serviendum rei familiari. In talibus casibus desertio laudatur. Nam Evangelii confessionem et vocationem ad docendum anteferre omnibus rebus humanis debemus, vitae et fortunis.

Nec levis caussa est, cur toties haec sententia repetita sit in Evangelio. Saepe enim incidunt casus, ubi confessio non tantum relinquere facultates cogit, sed quod est multo durius, cogit etiam offendere carissimos, voluntates magnorum et laudatorum principum[22]) et aliorum praestantium hominum, quorum iudicia negligere difficillimum est. Durum et hoc est, quod dicimur autores discordiae in pa-

20) fontibus tuis] Editt. 1. 3. tuis fontibus

21) ex] Editt. 18. 22. 24. male: et

22) principum] Ed. 1. principium

tria. Haec quia non possunt non vehementer angere animos, toties Deus nobis praecipit, ut Evangelium anteferamus, et nos consolatur, promittit auxilium et praemia. Sic Deut. 33. [vs. 8.] in benedictione Leviticae tribus nominatim hoc ei munus attribuitur, [23]) ut doctrinam veram tradat, et adduntur conciones de periculis et promissiones. Verba haec sunt, ad Levi quoque: Haec est tua lex, quae data est viro sancto tuo, quem probasti in Massa. Haec prima pars est, in qua Leviticae familiae certum genus doctrinae commendat, et vetat aliud suppositicium docere. Habes, inquit, legem traditam Moysi, hanc pure doceas, nec affingas novas opiniones et novos cultus. Deinde [vs. 9.] addit praeceptum de constantia in periculis: Qui dicit patri suo et matri suae; Nescio vos, et fratribus suis, Ignoro illos, et nesciunt filios suos: hi custodiunt eloquium tuum, et pactum tuum servant et iudicia tua, o Iacob, et legem tuam, o Israël. Ponent thymiama in furore tuo et holocaustum super altare tuum. Haec est secunda pars, quae monet doctoribus ingentia certamina, pericula, odia et supplicia subeunda esse in propugnatione piae doctrinae. Dura sunt haec profecto dicere parentibus, patriae, liberis, Nescio vos, videri hostem patriae, facem dissidiorum etc. Sed Prophetas et Apostolos videmus iisdem conviciis oneratos esse. Ideoque ne frangamur animis, additur promissio: Benedic, Domine, fortitudini eius et opera manuum eius suscipe, percute dorsa inimicorum eius, et qui oderunt eum, non consurgant, id est, adiuva [24]), Deus, recte docentes, sit ministerium efficax et salutare, et reprime impios doctores et tyrannos. Ex hoc dicto Moysi verba Christi sumpta sunt. Et uterque de maximis rebus concionatur, ut prudens lector facile iudicare potest. Quare hae gravissimae sententiae non sunt ad vanissimas [25]) Monachorum superstitiones detorquendae. Et recitavi haec dicta, ut piis scholasticis sint in conspectu, quorum multi conflictantur variis aerumnis propter studium verae doctrinae. Hi talibus se dictis confirment, ne [26]) deserant recta studia; sciantque Deum opitulaturum esse, ut Christus inquit [Matth. 6, 33.]: Primum quaerite regnum Dei, et cetera adiicientur vobis. Et Psalm. 83. [27]) [vs. 11.] Elegi abiectus esse in domo Dei mei. Ies. 30. [vs. 20.] Dabit vobis Dominus in tribulatione panem et in angustiis aquam, et non sinet avolare doctorem tuum. Haec est via, ambulate in ea, nec declinetis etc. Talibus nos sententiis [28]) confirmemus et Deo serviamus in propagatione verae doctrinae et caveamus, ne eam nostris scandalis deformemus.

Altera est desertio facultatum sine vocatione, et quidem superstitiosa, cum fingunt, votum et mendicitatem esse cultum Dei. Talis desertio nequaquam laudatur, imo propter superstitiosam opinionem est ethnica impietas, iuxta illud [Matth. 15, 9.]: Frustra colunt me mandatis hominum etc.

DE CASTITATE.

Mirabili consilio Deus instituit generationem in natura humana, et certa lege coniugium sanxit, Gen. 2. [vs. 24.]. Ac nunc post lapsum Adae vult homines coniugio uti propter duas caussas, propter generationem et ad vitandas vagas libidines; Sicut Paulus inquit [1. Cor. 7, 2.]: Vitandae scortationis caussa unusquisque habeat uxorem suam. Hanc suam ordinationem Deus tanti facit, ut severissime prohibuerit extra coniugium omnes ardores et commixtiones easque gravissime puniat, ut multa dicta et exempla testantur. Ad [29]) Hebr. ultimo [13, 4.]: Fornicatores et addulteros iudicabit Deus. 1. Cor. 6. [vs. 9.]: Ne errate, Fornicatores, idololatrae, adulteri non possidebunt regnum Dei; Fugite scortationem. Eph. 5. [vs. 6.] Nemo vos decipiat vanis sermonibus; Propter haec enim venit ira Dei super contumaces. 1. Thess. 4. [vs. 3.] Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestri, ut abstineatis a scortatione, et sciat unusquisque vestrum possidere vas suum in sanctificatione et honore, non in affectu libidinis, sicut gentes. Hebr. 12. [vs. 14.] Sectamini sanctificationem, sine qua nemo Deum videbit.

Exempla vero poenarum in scripturis haec sunt. Gen. 5. [6, 2 sqq.] inter caussas diluvii recitantur vagae libidines. Gen. 19. delentur quinque urbes propter sceleratissimum genus libidinum. Ac profecto mirum est, tantum fuisse earum urbium furorem, cum haberent vicinum Sem, qui viderat diluvium; Et haud dubie assiduus castigator et concionator illis fuerat. Audierant et alios summos viros Abraham et Loth. Fuit et insignis ingratitudo erga Deum, quia non multo ante eversionem, cum civitas a Chaldaeis capta est et cives abducti, Abraham eos liberaverat, postea securi laxarunt [30]) frenum omnibus cupiditatibus.

Num. 25. [31]) [vss. 4. 9.] propter stupra 12 prin-

23) attribuitur.] Editt. 1. 3. tribuitur

24) adiuva.] Editt. 1—4. 6—9. 12. adiuvat

25) vanissimas] Ed. 22. gravissimas

26) ne] sic Editt. 20. 25., Corp. 1—8.; ceterae Editt. et Opp. 1. 2. nec

27) 83.] Ed. 22. typ. errore: 33.

28) nos sententiis] Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. sententiis nos

29) Ad *abest ab* Editt. 1—3. 6. 7. 9. 12.

30) laxarunt] Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. laxaverunt

31) 25.] Editt. 22—24. 28. Opp. 1. 2.: 29.

cipes suspensi sunt, et interfecti 24000 hominum. Levit. 18. [vs. 24.] scriptum est, deleri Cananaeos propter incestas libidines. Iudic. 20. paene tota tribus Beniamin deleta est propter stupratam Levitae uxorem. 2. Reg. 12.[32]) [2. Sam. 12, 9. sqq.] Davidi gravissimae poenae propter adulterium denuntiantur: Salomon admittit exempla idololatriae propter libidines. Et Ieremias saepe inter caussas excidii Hierosolymae recenset adulteria. In his exemplis ideo scripta est caussa, ut extarent testimonia expressa de iudicio Dei, et sciremus ubique puniri libidines, nec temere accidere calamitates pollutis, sed poenas esse, quibus Deus iram suam adversus hoc peccatum declarat. Ideo clades secutae tetras libidines apud Ethnicos referendae sunt ad eandem caussam et ad hanc regulam, quae extat in Epistola ad Hebraeos [13, 4.]: Fornicatores et adulteros puniet Deus.

Porro adeo tetra exempla sunt Ethnica, ut neque cogitari neque recitari possint sine magno dolore; quasdam tantum insignes mutationes regnorum annotabimus, quibus occasionem praebuerunt libidines. Troia propter raptam Helenam deleta est. Thebae propter raptum Chrysippi et incestum Oedipi punitae sunt. Romae reges eiecti sunt propter stupratam Lucretiam. Mutata iterum Respublica propter Appii decemviri scelus. Longus est catalogus talis apud Aristotelem Polit. 5. ubi caussas recenset, quae mutationes regnis afferunt: in his libidines numerat, et multa narrat exempla. Athenis filii Pisistrati eiecti sunt propter contumeliam factam puellae. Dux Laconicus Pausanias Byzantii raptam vi puellam stupravit et postea interfecit,[33]) ac miro prodigio vox statuae poenam ei minitata est, hoc versu:

Poena luenda tibi est, affert iniuria clades.

Ac postea Byzantium reiecto Pausania recepit Athenienses. Ipse vero quanquam res maximas gesserat et Persicum exercitum deleverat, tamen postea ab Ephoris coactus est fame mori. Denique plenae sunt historiae exemplorum, quae ostendunt iram Dei adversus libidines. Discamus igitur severe praecipi de castitate.

Castitas autem est aut consuetudo coniugalis aut puritas vitae coelibis in his, qui sunt idonei ad coelibatum, ut in aetate immatura, aut in iis, qui singulari dono praediti sunt. Ac dixi nominatim de aetate immatura. Non enim temere hic ordo institutus est, ut ea aetas pure vivat, et quidem facile possit mediocri diligentia retinere puritatem eo spatio, quo corpora adhuc crescunt. Sed multi Diaboli insidiis, multi pravis sodalitiis, multi propter otium et voluptates citius implicantur vitiis. Bonae mentes autem erudiendae sunt, quod aetas, nondum matura coniugio, mediocri diligentia possit pure vivere et quod Deus severe requirat hoc officium, quodque non leves poenae contaminatos sequantur. Si Ioseph polluisset se adulterio, amisisset ea dona, quibus ornatus erat, et desertus a Deo incidisset in plura peccata. Sicut et David addidit adulterio optimi viri caedem et multiplicia scandala, quare et multiplices poenae secutae sunt. Et Paulus nominatim inquit Eph. 4. [vss. 18 sq.], Libidinum poenas esse caecitatem, deserti a Deo fiunt amentes, nec vident nec audiunt recta consilia, accersunt sibi poenas et exitia. Sed ii, quorum aetas est integra, et qui agnoscunt se non esse idoneos ad coelibem vitam, ii sciant se cogi mandato Dei, ut coniugio utantur, ut Paulus clare dicit [1. Cor. 7, 2.]: Vitandae scortationis caussa unusquisque habeat uxorem suam. Hoc mandatum omnibus, qui sentiunt se non esse idoneos ad coelibem vitam, praecipit coniugium, laicis et sacerdotibus.

Nec leges humanae aut promissiones Monasticae possunt abolere ordinationem et mandatum Dei. Odit Deus vagas libidines et corporum contaminationes: Ideo vult marem et feminam certa coniugii lege copulari, quae instituta est initio Gen. 2. [vs. 24.] et repetita Matth. 19. [vss. 5 sqq.] et 1. Cor. 7. [vss. 2 sqq.] Haec societas vere est castitas et mundities, id est, ordinata res a Deo et placens Deo, et continet exercitia fidei, dilectionis, patientiae innumera. Et non solum est fons generis humani, sed etiam praecipuum vinculum societatis communis. Vult autem Deus conservari generationem humanam, donec compleatur Ecclesia, et civilem societatem existere, ut alii alios docere possint. Certissimum est igitur, Deo placere legitimum coniugium, sed Diabolus impios facile traxit in libidines opinione impunitatis. Ita in Ecclesia singulari fraude, scilicet praetextu castitatis, auxit libidines, impulit[34]) fanaticos spiritus, ut prohiberent coniugium seu omnibus seu sacerdotibus. Hoc consilium non alio spectavit, nisi ut eo plures contaminarentur et confirmaretur licentia multorum scelerum. Cogitent enim pii, quanta agmina animarum praecipue lex de coelibatu traxerit in desperationem, in aeternam iram Dei et in aeternas blasphemias. Ideo nulla esse debet autoritas legis de coelibatu, et opiniones Monachorum acriter refutandae et taxandae sunt, qui finxerunt coelibatum esse eximium cultum Dei, mereri remissionem peccatorum et vitam aeternam. Denique magnam

---

32) 2. Reg. 12.] Editt. 22. 29.: 1. Reg. 12.; Editt. 24. 28., Opp. 1. 2.: 1. Reg. 2.

33) Conf. Plutarch. de sera numinis vindicta c. 10. et vita Cimonis c. 6., atque Pausan. l. III. c. 17. extr.

34) impulit] Editt. 1. 2. 9. impulsit

caliginem Evangelio invexerunt, et dum illaqueant imperitos vinculo votorum, multi horribiliter contaminati sunt. Ita simul Diabolus et Evangelium obscuravit et auxit libidines. Haec diligenter consideranda sunt, et comminationes divinae animis infigendae et intuenda horribilia exempla poenarum, ut vere caveamus, ne contra Dei ordinationem polluamur: Sed statuamus omnem commixtionem extra legitimum coniugium peccatum mortale esse, ut aliquoties dicitur: Fornicatores, adulteri non possidebunt regnum Dei.

Retineamus igitur bonam conscientiam, tenera aetas vitet lapsus, deinde matura, si opus est [35]) coniugio, obtemperet mandato Dei. Haec qui contemnunt, sciant se poenas sibi et totis gentibus accersere. Cogitemus et hoc, mala conscientia non posse invocari Deum, ut 1. Ioan. 3. [vs. 21.] dicitur: Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus etc. Quare ut possis invocare Deum, retinenda est bona conscientia. Quid autem tristius dici potest, quam vivere hominem sine invocatione Dei, sine Deo, sine gubernatione et defensione divina, sic viventes Diabolus magis magisque excaecat et variis flagitiis implicat, ut quotidiana experientia ostendit.

Quod vero Monachi clamitant Paulum anteferre virginitate, quia diserte dicit: Melius facit non elocans etc. Sciat pius lector, totam illam concionem legendam esse, ac observandum, quam diligenter praemoneat in utramque partem lectorem. Initio tradit praeceptum Dei, ut vitandae scortationis caussa suam quisque uxorem habeat, deinde praedicans virginitatem, mox addit, Sed suum quisque donum habet. Quare cum antefert virginitatem, de personis idoneis loquitur. Deinde illud etiam necesse est considerare: Hac collatione bona opera inter sese conferuntur, et conferuntur iuxta fines utiles, non quaeritur opus, quod mereatur remissionem peccatorum aut reconciliationem, nec fit collatio, ut humano arbitrio cultus instituantur. Error est fingere, quod coelibatus mereatur remissionem peccatorum, seu quod ideo sit tuendus, quia per sese sit singularis et eximius cultus Dei, seu quod coniugium sit vitae genus immundum, propter quod homo aut non placeat aut minus placeat Deo. Hi errores sunt doctrinae daemoniorum et necessario taxandi sunt. Ceterum laudat Paulus virginitatem in personis idoneis, et laudat propter finem utilem, non quod magis sit cultus Dei, quam coniugium; Sed quia genus vitae coelibis expeditius est ad pleraque ministeria, quia familia, miseriae domesticae multiplices, saepe sunt impedimenta, praesertim pusillanimis. Haec vera sunt, sed alius aliud donum habet. Haec admonitio semper in conspectu habenda est, et multi coelibes, etiamsi non sunt contaminata corpora, tamen habent animos occupatos illicitis flammis; Multi item magis excruciantur sordidis curis quaerendorum praesidiorum, honorum, splendoris, quam plerique pii et mediocres mariti.

35) si opus est] Editt. 1. 3. si habet opus

[VII.]
DE EVANGELIO.

Non dubium est Apostolos singulari consilio appellationem tam dulcem et blandam suae doctrinae tribuisse, ut insignius esset discrimen legis et promissionis de reconciliatione. Sicut et Prophetae saepe in hoc argumento usi sunt peculiari verbo Basar [בָּשַׂר], quod significat res novas et bonas nuntiare. Est autem *εὐαγγέλιον* vetus [36]) vocabulum, quod etsi apud Homerum significat munus dandum laeta nuntianti, tamen alioqui in lingua Graeca significat sermonem, res bonas et laetas nuntiantem, sicut ea voce Apostoli usi sunt, ut manifesta testimonia multa sunt, ut Plutarchus in vita Artaxerxis [c. 14.] clare dicit *εὐαγγελίου μισθὸν*, ubi Evangelium intelligi sermonem laeta nuntiantem necesse est, et sunt in eodem loco plura testimonia. Extat et testimonium in vita Pompeii [c. 41.] *γραμματορόφοι προςήλαυνον ἐκ Πόντου κομίζοντες εὐαγγέλια.* Et prorsus sic locutus est Cicero ad Atticum [II, 3, 1. et 12, 1.]. Admoneat [36]) igitur pios appellationis suavitas de novo doctrinae genere et de legis et promissionis discrimine. Nec vero fingimus novas distinctiones magis argutas, quam necessarias, ut hypocritae multi cavillantur. Ioannes Apostolus initio Evangelii sui luculentum discrimen proponit: Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est etc. Necesse est enim discerni praecepta et remissionem peccatorum, discerni praecepta et promissiones; item promissionem gratuitam a promissionibus, quae non sunt gratuitae. Est autem Lex, ut supra dictum est, doctrina requirens perfectam obedientiam erga Deum, non [37]) remittit gratis peccata, non pronuntiat iustos, id est, acceptos Deo, nisi Legi satisfactum sit. Et quanquam habet promissiones, tamen hae requirunt conditionem impletae Legis. Econtra Evangelium etsi concionatur de poenitentia et de

36) vocabulum . . . Admoneat] Editt. 1. 3. vocabulum. Apud Homerum significat praemium, quod datur rem gratam nuntianti. Et passim legitur apud multos scriptores *εὐαγγέλια θύειν*, pro sacrificio, quod fiebat, cum gratae res nuntiatae essent. Apud Plutarchum etiam significat ipsum sermonem, quo gratae res nuntiantur; sicut ea voce et Apostoli usi sunt. Sic enim scriptum est in vita Pompeii, *γραμματοφόροι προςήλαυνον ἐκ πόντου κομίζοντες εὐαγγέλια.* Admoneat

37) non] Ed. 22. et

bonis operibus, tamen continet promissionem beneficii Christi, quae est propria et praecipua Evangelii doctrina, et seiungenda a Lege; gratis enim remittit peccata et pronuntiat nos iustos, etiamsi legi non satisfacimus. Quomodo autem haec consentiant, quod Evangelium pariter de poenitentia concionetur et lege, et tamen promissio sit gratuita, statim exponemus. Prius enim monendus est lector, ut discrimen promissionum observet; habet enim et [38]) Lex promissiones.

Sed sciendum est, duplices esse promissiones in scripturis divinis. Quaedam sunt additae legi et habent conditionem legis, hoc est, exhibentur propter impletionem legis. Tales sunt promissiones legis. Lex docet Deum bonum et misericordem esse, sed his, qui sunt sine peccato. Idem docet et humana ratio, habet enim ratio quandam notitiam legis. Hic se ipse quisque consulat; deprehendet [39]) enim naturaliter se ita iudicare de Deo, quod sit misericors, sed tantum dignis, hoc est, his, qui sunt sine peccato. Nec potest statuere se ipsum placere Deo, cum sit indignus et immundus. Ita lex et promissiones legis, cum sint conditionales, relinquunt conscientias in dubitatione.

Alia est promissio Evangelii propria, quae non habet conditionem legis tanquam caussam, hoc est, non promittit propter impletam legem, sed gratis propter Christum. Haec est promissio remissionis peccatorum seu reconciliationis seu iustificationis, de qua concionatur praecipue Evangelium. Ut enim haec beneficia essent certa, non pendent ex conditione impletae legis. Si enim sentiendum esset, tunc demum nos habere remissionem peccatorum, cum legi satisfecissemus, desperanda esset [40]) remissio peccatorum. Ideo gratis donantur remissio reconciliatio seu iustificatio, hoc est, non propter nostram dignitatem. Et tamen oportuit esse aliquam victimam pro nobis. Ideo Christus donatus est nobis et factus est hostia, ut propter ipsum certo statuamus nos placere Patri.

Est itaque haec Evangelica promissio reconciliationis legalium dissimilis, quia gratis pollicetur propter Christum. Ideoque Paulus hanc particulam, Gratis, nobis diligenter et saepe inculcat. Ut Rom. 4. [vs. 16.] Ideo gratis ex fide, ut sit firma [41]) promissio. Nam haec particula, Gratis propter Christum, facit discrimen Legis et Evangelii. Si enim non videamus hanc particulam de gratuita promissione, manet in animis dubitatio, et Evangelium transformatur in legem, et nihilo certiores reddit conscientias de remissione peccatorum seu iustificatione, quam lex aut naturale iudicium rationis. Sicut adversarii nostri, etsi vociferantur se docere Evangelium, tamen, quia non docent de gratuita reconciliatione, relinquunt conscientias in dubitatione, et pro Evangelio docent Legem aut Hesiodum, hoc est, iudicium naturale rationis. Ergo intendenda mens est atque oculi in hanc particulam, Gratis. Ideo enim necesse est de gratuita [42]) promissione docere, ut res sit certa, ut conscientiis eximatur dubitatio, ut habeant firmam consolationem in veris terroribus. In his enim vere iudicari potest, quam sit opus hac gratuita promissione. Et ad hoc certamen haec doctrina maxime referenda est.

Illud autem sciendum est, promissionem oportere fide accipi. Id Paulus docet Rom. 4. [vs. 16.] Ideo gratis ex fide, ut sit firma promissio. Et Ioannes ait [1. ep. 5, 10.]: Qui non credit Deo, mendacem facit eum etc. Proinde particula Gratis non excludit fidem, sed conditionem nostrae dignitatis excludit, et transfert caussam beneficii a nobis in Christum. Itaque neque obedientiam nostram excludit, tantum caussam beneficii a dignitate nostrae obedientiae transfert in Christum, ut beneficium sit certum. Concionatur igitur Evangelium de poenitentia, sed ut certa sit reconciliatio, docet remitti peccata et nos placere Deo, non propter dignitatem poenitentiae aut nostrae novitatis. Haec est necessaria consolatio piis conscientiis. Atque hinc iudicari potest, quomodo haec consentiant, quod diximus Evangelium concionari de poenitentia, et tamen gratis promittere reconciliationem. Sed de hac collatione paulo post copiosius dicemus.

Definit itaque Christus Evangelium Lucae ultimo, plane ut artifex, cum iubet docere poenitentiam et remissionem peccatorum in nomine suo. Est igitur Evangelium praedicatio poenitentiae et promissio, quam ratio non tenet naturaliter, sed revelata divinitus, in qua Deus pollicetur, se propter Christum filium suum remittere peccata, et nos pronuntiat iustos, id est, acceptos, et donat Spiritum sanctum et vitam aeternam, modo ut credamus, hoc est, confidamus, haec nobis propter Christum certo [43]) contingere. Atque haec gratis pollicetur, ut sint certa. Haec sit Evangelii definitio, in qua tribus membris complexi sumus beneficia Evangelii propria, scilicet, quod propter Christum gratis remittantur peccata, quod gratis pronuntiemur iusti, hoc est, reconciliati seu accepti, et haeredes vitae aeternae. Haec tria membra paulo post explicabimus. Tantum hic memineris, haec propria Evan-

38) et *abest ab* Editt. 1—4. 6—9. 12.

39) deprehendet] Ed. 22., Opp. 1. 2. deprehendit

40) esset] Editt. 22. 24. 28. est

41) sit firma] Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. firma sit

42) de gratuita] Editt. 22. 24. 28 — 34., Corp. 2. 4., Opp. 1. 2. de hac gratuita

43) certo contingere] Ed. 18. certe contingere; Editt. 22. 24. 28. 29. 31—33., Opp. 1. 2. contingere *(omissa voce* certo)

gelii beneficia esse. quae alioqui uno verbo Iustificationis comprehenduntur.

QUARE OPUS EST EVANGELII PROMISSIONE?

Postquam natura humana oppressa est peccato et morte propter Adae lapsum, etiamsi manet aliqua notitia Legis, tamen, quia haeret in natura peccatum, conscientiae non possunt statuere de Deo, quod velit ignoscere, si nihil nisi legem audiant. Lex enim non docet gratis remitti peccata. Scimus autem nos non sine peccato esse; idque maxime cernimus, cum iudicio Dei vere perterrefiunt mentes. Est igitur opus gratuita remissione. Ideo Deus per misericordiam revelavit, se velle nobis ignoscere ac restituere vitam aeternam. Et addidit victimam pro nobis, scilicet Filium suum, ut sciremus haec nobis propter Filium donari, non propter dignitatem nostram aut merita nostra. Idque Evangelium statim promissum ac revelatum est post lapsum Adae, ne deesset[44]) consolatio primae illi Ecclesiae.

Estque unum et idem Evangelium, quo omnes sancti ab initio mundi salvati sunt omnibus temporibus, Adam, Noe, Abraham, Iacob, Prophetae, Apostoli. Non est igitur imaginandum, Patres lege naturae salvatos esse, Iudaeos lege Moysi, nos salvari nostra quadam lege. Imo una lex est moralis omnium aetatum, omnium gentium, ut supra diximus, sed nec Patres nec Iudaei nec Gentes nec nos ideo salvamur, quia legi satisfacimus; nemo enim legi satisfacit. Et lex relinquit dubitantes conscientias. Atque hoc interest inter Patres et Xenophontem, Ciceronem ac similes viros optimos: Legem norant utrique, sed Evangelium non norant utrique. Xenophon, Cicero et similes dubitabant,[45]) an Deo curae essent, an haberent Deum propitium, an exaudirentur a Deo. Etsi enim legem norant, tamen videbant se non esse innocentes. Lex autem docet Deum propitium esse his, qui sunt sine peccato. Non norant Evangelium de gratuita remissione peccatorum. Abraham vero, Iacob et similes, quia norant Evangelium, statuebant sibi remitti peccata, se habere Deum propitium, se Deo curae esse, se exaudiri a Deo, etiamsi essent indigni. Ideo scriptum est [Gen. 15, 6.]: Abraham credidit Deo, et reputatum est ei ad iustitiam. Una est lex, et natura nota omnibus gentibus atque aetatibus; est et unum Evangelium, sed non natura notum, verum revelatum divinitus. Ideo Paulus [Ephes. 6, 19.] vocat mysterium absconditum. Et Ioannes [1, 18.] ait: Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis. Sed haec omnia erunt illustriora, cum dicemus paulo post de gratia et de iustificatione.

Quia autem diximus idem Evangelium fuisse patrum, videndum est, quomodo statim ab initio Evangelium revelatum sit. Ac citabo paucos quosdam locos, ad quos in lectione Prophetarum referri similes debent; Nam Evangelium paulatim clarius revelatum est; et apparebit Prophetas praedicasse hanc gratuitam reconciliationem.

Promissio de Christo et beneficiis Christi primum revelata est Adae statim post lapsum, ut, cum incidisset in iram Dei et mortem, haberet consolationem, qua sciret et Deum rursum propitium esse, et fore, ut mors aliquando aboleretur. Nam haec duo beneficia clare proponit illa prima promissio, quae etsi subobscura videtur, tamen Adae in re praesenti non fuit obscura: Inimicitias ponam inter te et mulierem, et inter semen tuum et illius semen, ipsum conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius. Mirabilis narratio est, et quae impiis ridicula et fabulosa videri possit; sed pii vident res maximas brevibus verbis significatas esse. Describitur enim initio poena peccati, scilicet quod propter peccatum Diabolus crudeli tyrannide vexaturus sit genus humanum, videlicet peccatis et morte; sicut ipsa mundi historia testatur, quae tota in hac horribili concione Adae picta ostenditur.

Deinde additur brevis descriptio regni Christi, futurum tamen esse, ut semen mulieris conterat caput, hoc est, regnum serpentis, hoc est, aboleat peccatum et mortem. Hac consolatione erigitur Adam, agnoscit se habere Deum placatum, etsi videt se indignum et immundum esse: Videt, quid amiserit, sed expectat semen illud, quo amissa iustitia et vita aeterna restituantur. Hac fiducia misericordiae placet Deo; et quod additur, Diabolum insidiaturum esse calcaneo seminis,[46]) intelligit fore, ut et Christus et sancti affligantur in hac vita, et tamen Christus vincat regnum Diaboli.

Postea renovatur haec promissio ad Abraham [Genes. 22, 18.]: In semine tuo benedicentur omnes Gentes. Significat enim omnes Gentes iam maledictas esse, hoc est, Deum irasci omnibus Gentibus, easque oppressas esse peccato et morte; Sed futurum, ut per Abrahae semen rursum ab his malis liberentur. Atque ita interpretantur hanc promissionem ipsi Apostoli, ut constat ex Paulo et ex Actis. Praeterea iu eadem historia Abrahae additur imago iustificationis. Deus consolatur Abraham dicens [Genes. 15, 1.]: Noli timere, Ego sum protector tuus. Addit item promissionem de Semine. Huic voci credit Abraham,

44) deesset] Editt. 22. 24. 28. deessent

45) dubitabant] Corp. 2. 4. typ. errore: dubitant

46) et quod additur, — calcaneo seminis,] Ed. 1. *typothetae errore:* et quod seminis, additur, — calcaneo (*pro* seminis Editt. 2. 9. *perperam:* semini)

hoc est, quanquam videt et agnoscit se immundum et indignum esse, tamen statuit se habere Deum propitium propter ipsius misericordiam et promissum semen; ita pronuntiatur iustus. Id exemplum docet, nos promissione et fide reconciliationem consequi. Fides autem nititur non nostra dignitate, sed tantum misericordia Dei.

Sequuntur paulatim multae conciones et exempla de remissione peccatorum; sed clarissimae sunt sententiae in Psalmis et Prophetis. In his clare passim proponitur Evangelium. In Psalmis petit remissionem peccatorum propter misericordiam, non propter suam dignitatem seu merita, ut [Psalm. 142, 2.]: Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Haec certe non est Legis concio, quae misericordiam petit et confitetur peccatum, et quidem omnes condemnat, ut sciamus omnes, gratis nobis remitti peccata. Item [Psalm. 129, 3.]: Si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit? Item [Psalm. 31, 5.]: Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam, et tu remittis impietatem cordis mei. Item describit Sacerdotem Christum [Psalm. 109, 4.]: Tu es Sacerdos in aeternum. Testatur igitur hunc Sacerdotem placaturum esse Deum et redditurum esse aeternam iustitiam et aeternam vitam, quia vocat aeternum sacerdotem.

Et ad hanc sententiam de gratuita remissione accommodandi sunt similes loci in Psalmis. Ita enim dulcescent nobis suavissima carmina, et firmam consolationem afferent. Nam si iudicabimus illas promissiones pendere ex nostra dignitate, cum Psalmi iubent nos laetari, confidere misericordia, semper reclamabunt conscientiae, nos indignos esse, nihil pertinere has promissiones ad indignos. Quare adversus hanc ipsam dubitationem erigendus est animus, et sciendum, quod illae ipsae voces, quae nos laetari iubent, ideo propositae sint, ut medeantur illi ipsi dubitationi, conceptae ex nostra indignitate. Quod si sentiemus nobis promitti gratis reconciliationem, tum vero fides erit certa, et vere gratulabimur nobis misericordiam, et Deo agemus gratias. Sed tanta est infirmitas et augustia humani animi, ut hanc magnitudinem misericordiae non possit capere. Ita oppressi sumus opinione et iudicio legis, ut non possimus persuaderi de Evangelio, et omnibus et gratis offerri misericordiam. Quare fides perpetuo cum hac nostra infirmitate luctari debet, ut nos erigamus, et discamus Deo confidere, et eum vere invocare et colere.

Apud Iesaiam multae sunt conciones de Christo, de remissione peccatorum, de aeterna vita. Cap. 53. clare testatur promitti remissionem peccatorum, et quidem propter Christum, non propter nostram dignitatem [vs. 6.]: Posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum. Et ne Iudaei putarent se mereri remissionem peccatorum hostiis Leviticis, testatur aliam hostiam restare, quae vere sit abolitura peccatum [vs. 10.]: Ponet animam suam hostiam pro peccatis. Item: Condemnat omnes. Omnes, inquit, erravimus, ut sciamus nos propter misericordiam, non propter dignitatem nostram, consequi beneficia Christi. Postremo addit clarissimum testimonium [vs. 11.]: Notitia eius iustificabit multos; Quod certo statuendum sit, nos ita iustos pronuntiari, si agnoscamus Christum, hoc est, si agnoscamus Deum nobis propitium esse propter Christum. Ergo non erit dubitandum propter nostram indignitatem, non erit sentiendum nos esse iustos propter Legem. Sed desino recitare plura testimonia; Haec enim exempli caussa recensui, ut animadvertant lectores in scripturis, quae loca proprie de Lege, quae proprie de Evangelio concionentur, et discrimen observent inter Legem et promissionem Evangelii. Nam hi duo sunt praecipui loci et capita praecipua scripturae, ad quae omnes partes prudenter referendae sunt.

Hactenus definivimus Evangelium, et discrimen monstravimus Legis et Evangelii. Sed haec omnia erunt illustriora, cum de iustificatione, de fide et operibus dicemus. Nunc tantum una quaedam particula addenda est, videlicet: Sicut necesse est scire, Evangelium esse gratuitam promissionem, ita necesse est scire, Evangelium promissionem universalem esse, hoc est, offerri et promitti omnibus hominibus reconciliationem.

Hanc universalem tenere necesse est adversus periculosas imaginationes de praedestinatione, ne disputemus hanc promissionem ad paucos quosdam alios pertinere, non pertinere ad nos. Non enim dubium est, quin omnium animos haec cogitatio exerceat. Et hinc ortae sunt multae disputationes scriptorum de praedestinatione minime utiles. Nos vero statuamus, Evangelii promissionem universalem esse. Sicut enim praedicatio poenitentiae universalis est, ita et praedicatio remissionis peccatorum universalis est. Huc colligantur sententiae universales de Evangelio, quae passim in scripturis extant, ut Ioan. 3. [vs. 16.] Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat. Item apud Paulum [Rom. 11, 32.]: Conclusit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur. Haec nunc monuisse satis est. [47]) Nam de hac universali iterum dicendum erit infra de praedestinatione. Quod autem non omnes consequuntur Evangelii promissa, eo fit, quia non omnes credunt. Nam Evangelium etsi gratis promittit, tamen requirit fidem, oportet enim pro-

47) satis est] Opp. 1. 2. satis sit; Editt. 22. 24. 28. 29. 31—33. satis (*omisso* est)

missionem fide accipi: Ac particula Gratis non excludit fidem, sed excludit conditionem nostrae dignitatis, ut supra dictum est, et postulat, ut promissionem accipiamus, id non potest fieri aliter nisi fide.

[VIII.]

DE GRATIA ET DE IUSTIFICATIONE.

Hic locus continet summam Evangelii. Monstrat enim proprium Christi beneficium, proponit firmam consolationem piis mentibus, docet, qui sint veri cultus Dei, quae sit vera invocatio, praecipue discernit Ecclesiam Dei a ceteris Gentibus, Iudaeis, Mahometistis et Pelagianis, hoc est, omnibus, qui imaginantur hominem iustum esse lege seu disciplina, et iubent dubitare de remissione peccatorum. Ideo autem magna est opinionum in hoc loco dissensio, quia plerique sequuntur humana iudicia, neglecta simplici doctrina Prophetarum, Christi et Apostolorum; Imo hanc transformant in Philosophiam, extenuant peccatum in natura, cogitant lege Dei tantum requiri disciplinam; Deinde imaginantur, nihil interesse inter Philosophicam et Christianam iustitiam.

Omnibus aetatibus hae profanae et humanae imaginationes obscuraverunt [48]) veram Ecclesiae doctrinam. Sic Pharisaei sentiebant se Lege iustos esse; Deinde quia necesse erat quaerere de Messia, cur is venturus esset, fingebant ideo venturum esse, ut mundi imperium constitueret, non intelligebant oportere victimam fieri pro genere humano ad placandam iram Dei adversus peccatum, et aliam iustitiam donaturum esse. Sic et ante Pharisaeos senserunt hypocritae superiorum aetatum in Ecclesia patrum.

Sed Prophetae hos errores taxabant, clamitabant, non tolli peccatum iustitia Legis, manere peccatum in hac mortali natura, sed iustos esse credentes, et exaudiri et donari vita aeterna a Deo propter promissum Salvatorem. Sicut David claris verbis inquit [Psalm. 142, 2.]: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et alio loco [Psalm. 2, 13.] de Filio: Beati omnes, qui confidunt in eo. Item Iesaias [53, 11.]: Notitia eius iustificabit multos. Ita cum Christus et Apostoli renovassent doctrinam, statim postea sparsae sunt opiniones humanae de disciplina; quia magnum quiddam est, regere externos mores. Deinde exorti sunt et fanatici spiritus, qui prorsus transformarunt Evangelium in legem seu Pharisaismum, finxerunt homines iustos esse Lege, et ne Christus nihil videretur novi attulisse, dixerunt eum aliquas novas Leges tradidisse, de coelibatu, de non vindicando. Haec deliria statim post Apostolos nata sunt. Ideo non est mirum, postea quoque caliginem secutam esse. Etsi autem aliqui pii retinuerunt veram sententiam, tamen scriptorum magna dissimilitudo est, alius alio commodius loquitur, sed de scriptoribus alibi dicendum erit. Nunc haec tantum praefari volui, ut cogitet pius lector, necessariam esse explicationem huius loci de iustificatione, et grata mente amplectendum esse beneficium Dei, qui Evangelii lucem rursus accendit. Neque enim negari potest in doctrina Monachorum esse errores, quos etsi nunc aliquantulum corrigunt, tamen adhuc nervos ipsos retinent. De remissione peccatorum vociferantur non recte doceri, quod fide gratis propter Christum accipiatur remissio peccatorum, nec admittunt, fide significari fiduciam misericordiae Dei; Imo iubent semper dubitare, an simus in gratia. Deinde addunt, quod mereamur remissionem propter contritionem et dilectionem. Atqui contritio seu dolor seu pavor sine fiducia misericordiae, quo vehementior est, eo magis impellit ad desperationem, ut Paulus inquit [Rom. 4, 15.]: Lex iram efficit. Deinde dicunt amplius, renatos Legi Dei satisfacere, iustos esse propter impletionem Legis, et hanc ipsam esse meritum et pretium vitae aeternae, nec reliquam in renatis inobedientiam esse quiddam pugnans cum Lege Dei. Addunt item, renatos tamen debere dubitare, an sint in gratia, et in hac dubitatione manendum esse. Haec dubitatio palam est Ethnica. Nec leves sunt hi errores, sed Evangelio tenebras inducunt, obscurant beneficium Christi, tollunt veram consolationem conscientiarum et veram invocationem. Quare necesse est Ecclesiam de his tantis rebus admonere. Exponam igitur clare et plane summam huius negotii.

Primum de disciplina clamitamus et nos: Omnes homines disciplina coercendos esse, id est, iustitia illa, quam etiam non renati praestare debent et possunt. Sicut ait Paulus [1. Tim. 1, 9.]: Lex est posita iniustis. Et Deus praesentibus et aeternis poenis violationem disciplinae punit. Ac ingens praeconium est disciplinae, quod Paulus inquit [Galat. 3, 24.], esse paedagogiam in Christum; quia scilicet Evangelium non est efficax in his, qui non desinunt ruere contra conscientiam. Quanquam autem nulla res humana pulchrior est, quam disciplina, sicut vere dicit Aristoteles, Iustitiam formosiorem esse Hespero et Lucifero; Tamen non est assuenda opinio, quod sit impletio Legis, quod mereatur remissionem peccatorum, quod propter eam homo sit iustus, id est, reconciliatus Deo. Paulus inquit Iudaeos intueri Mosyi faciem velatam, id est, non recte intelligere Legem Dei, quae est vox arguens peccatum in natura hominis et ostendens iram Dei adversus peccatum et veros pavores incutiens.

48) obscuraverunt] Corp. 2—8. obscurarunt

Sed cum de hoc intellectu Legis et de agnitione peccati concionatur Evangelium, putant multi tumentes persuasione sapientiae, has esse hyperbolas Stoicas, quibus nihil opus sit. Sed cum disciplina per sese satis difficilis res sit, contendunt nihil amplius requiri, et hanc qualemcunque diligentiam mereri remissionem peccatorum, et esse iustitiam coram Deo, et ad has humanas imaginationes Origenes et Monachi male detorserunt Paulum. Quare nativa Pauli sententia ex ipso Paulo et reliquo concensu Propheticae et Apostolicae scripturae discenda est, non ex humanis opinionibus.

Secundo, postquam haec de disciplina praemonuimus, nunc ad caussam accedimus. Similis est Ecclesiae concio a principio post receptum Adam usque ad finem. Statim in Paradiso institutum est ministerium praedicandae poenitentiae, et data promissio de venturo liberatore, ex qua intelligebant primi parentes se recipi. Sed haec promissio paulatim clarius patefacta est usque ad Christi praedicationem, qui et ipse hoc ministerio fungebatur, Et Apostolis mandavit idem ministerium inquiens [Luc. 24,47.]: Ite praedicantes poenitentiam et remissionem peccatorum in nomine meo. Quare semper in Ecclesia sonare oportet praedicationem poenitentiae, quae fit voce Legis, per quam Deus arguit peccata nostra cum externa tum interiora, qualia sunt non timere, non diligere Deum, non confidere Deo. Fit et voce Evangelii accusantis mundum, quod non audiat filium Dei, non moveatur eius passione et resurrectione etc. Ideo inquit Christus [Ioh. 16,8.]: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quod non credunt. Et Rom. 1. [vs. 18.] Revelatur ira Dei de coelo super omnem impietatem et iniustitiam hominum etc.

Ut igitur expavit Adam seu David audiens vocem Dei accusantis, ita mens non dura, non obstinata expavescit, et agnoscit Deum vere irasci peccato et punire peccatum. Hi terrores saepe descripti sunt in Psalmis. Psal. 36. [37, 4.] Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae, non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum. Et quidem ut Lex hanc iram generi humano denuntiat, Ita omnes calamitates humanae sunt quasi vox Legis nos de ira Dei admonens et omnes ad poenitentiam vocans.

Tertio, cum mens hominis hac voce arguente peccata perterrefacta est, audiat promissionem in Evangelio propositam, et statuat remitti sibi peccata gratis propter Christum per misericordiam, non propter contritionem aut dilectionem aut alia opera. Hoc modo cum fide se mens erigit, donantur remissio peccatorum et reconciliatio. Si enim iudicandum esset, tum demum nos habituros esse remissionem peccatorum, cum contritio aut dilectio sufficiens esset, adigeretur animus ad desperationem. Quare ut habeat certam et firmam consolationem, pendet beneficium Dei non ex conditione dignitatis nostrae, sed ex sola misericordia propter Christum promissa. Cumque Deus remittit peccata, simul donat nobis Spiritum sanctum, qui novas virtutes in piis inchoat, sicut [49]) Gal. 3. [vs. 14.] dicitur: Ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Haec nihil habent perplexitatis, et a piis mentibus in Ecclesia, quae norunt exercitia spiritualia, pavores, consolationes et invocationem, clare intelliguntur. Nunc igitur testimonia addenda erant, sed vocabula prius diligentius declaranda sunt.

De Peccato, de Lege, supra dictum est; nunc de ceteris dicam, de vocabulis Iustificationis, Fidei et Gratiae.

IUSTIFICATIO significat remissionem peccatorum et reconciliationem seu acceptationem personae ad vitam aeternam. Nam Hebraeis Iustificare est forense verbum, ut si dicam: Populus Romanus iustificavit Scipionem accusatum a Tribunis, id est, absolvit seu iustum pronuntiavit. Sumpsit igitur Paulus verbum iustificandi ex consuetudine Hebraici sermonis pro remissione peccatorum et reconciliatione seu acceptatione. Hanc esse vim phrasis Hebraicae, eruditi omnes norunt, et exempla passim obvia sunt. Quanquam autem, ut antea dixi, cum Deus remittit peccata, simul donat Spiritum sanctum inchoantem novas virtutes, tamen mens perterrefacta primum quaerit remissionem peccatorum et reconciliationem: de hac angitur, de hac dimicat in veris pavoribus, non disputat, quae virtutes infusae sint, quae etsi comitantur reconciliationem, tamen nequaquam iudicandum est, nostram dignitatem aut munditiem caussam esse remissionis peccatorum. Ideo toties inculcatur particula Gratis.

DE VOCABULO FIDEI.

Phrasis diligenter consideranda est, et videndum, quid agat Paulus, cum ait [Rom. 3, 20. 28.]: Iustificamur non operibus nostris, sed fide in Christum. Romanis auribus haec oratio nova est. Quare initio quaerenda est nativa sermonis interpretatio. Iustificari operibus significat consequi remissionem et iustum seu acceptum Deo esse propter proprias virtutes seu facta. Econtra vero, Iustificari fide in Christum, significat consequi remissionem et iustum, hoc est, acceptum reputari non propter proprias virtutes, sed propter mediatorem filium Dei. Sic intellecto sermone conspici potest, quomodo hanc propositionem et vocem Evangelii, Iustificamur fide, Paulus opponat alteri, quae est vox humani iudicii seu Legis, Iustificamur operibus. Ut Baptista cla-

49) sicut *abest ab* Editt. 1—4. 6. 7. 9.

mitat [Ioh. 1, 29]: Hic est agnus Dei, qui tollit peccata mundi: Ita Paulus vult nobis hanc victimam proponere, et docet propter hunc filium Dei dari remissionem et reconciliationem, non propter nostras virtutes.

Quare cum dicit, Iustificamur fide, vult te intueri filium Dei sedentem ad dextram Patris, Mediatorem interpellantem pro nobis, et statuere, quod tibi remittantur peccata, quod iustus, id est, acceptus reputeris seu pronuntieris propter illum ipsum Filium, qui fuit victima. Ut igitur vocabulum Fides monstret illum Mediatorem et nobis applicet, significat fides non tantum historiae notitiam, sed fiduciam misericordiae promissae propter filium Dei. Estque semper haec propositio correlative intelligenda: Fide sumus iusti, id est, fiducia misericordiae propter Christum sumus accepti, non propter nostras virtutes. Nam haec misericordia fide seu fiducia apprehenditur. Hoc agit Paulus, ut illum Mediatorem et agnum nobis proponat, et gloriam iustitiae nobis detrahat, et testetur propter hunc Propitiatorem nos recipi. Hanc esse mentem Pauli, nihil dubium est, et sententiam ipsam esse veram et certam in Ecclesia, manifestissimum est. Fatentur enim omnes Sancti, se, etiam cum habent novas virtutes, tamen non propter has accipere remissionem peccatorum et reconciliationem, sed propter filium Dei Propitiatorem. Ideo necesse est sic intelligi hoc dictum: Fide habemus remissionem, id est, hac fiducia, quod propter filium Dei recipiamur.

Qui vero reclamant huic enarrationi, his haec oratio prorsus inanis sonitus est et nihil significans, Iustificati fide pacem habemus. Deinde nec intelligunt ipsi, quale sit certamen conscientiae luctantis cum pavoribus et dubitatione, cum angitur de remissione peccatorum, nec norunt pavores, qui in vera poenitentia existunt. Hos si considerarent, scirent mentes perterrefactas quaerere consolationem extra sese, et hanc consolationem esse fiduciam, qua voluntas acquiescit in promissione misericordiae propter Mediatorem donatae. Complectitur autem fiducia misericordiae et notitiam historiae; quia fides intuetur Christum, quem agnosci necesse est esse filium aeterni Dei, pro nobis crucifixum, resuscitatum, etc. Estque referenda historia ad promissionem seu effectum, qui in hoc articulo proponitur, videlicet, Credo remissionem peccatorum. Ac rursus hic ipse articulus monet, ut fides intelligatur fiducia. Nam illi, qui non confidit sibi remitti peccata, haec verba, Credo remissionem peccatorum, frustra dicuntur.

Dixi de intellectu propositionis: Fide iustificamur; nunc testimonia addam, quod fides in hac doctrina Evangelii significet fiduciam misericordiae promissae propter Christum.

Quidam de vocabulo *πίστις* litigant, nec aliud volunt intelligi nisi doctrinam seu Symboli professionem, ut vulgo dicitur: Fides Nicena, pro doctrina seu dogmatum collectione. Sed Graecis plura significare verbum *πιστεύω*, constat. Nec dubium est Hebraica phrasi promiscue usurpari verba, quae significant credere et confidere, ut Psal. 2. [vs. 12.] Beati omnes, qui confidunt in eo. Hic Hebraei legunt Hose [חוֹסֵי]. Et quod Paulus [Rom. 9, 33.] citat ex Iesaia [50] cap. 28. [vs. 16.:] Qui credit, non confundetur, in Hebraica lectione est Hamaëmin. [הַמַּאֲמִין]. Eodem verbo, quod significat credere, saepissime pro confidere utitur lingua Hebraea, ut Dan. 6. [vs. 23.]: Quia credidit Deo suo. Et Psal. 78. [vs. 22.] duo synonyma coniunguntur: Quia non crediderunt Deo et non confisi sunt in Salvatore suo. Ac sunt manifesta exempla in sermone Christi [Matth. 15, 28.]: O mulier, magna est fides tua. Item [Luc. 7, 50.]: Fides tua salvam te fecit. In his et similibus dictis constat fide significare fiduciam. Sequi autem Paulum phrasin Hebraicam non dubium est. Deinde infinita occurrent apud Graecos exempla, ubi *πιστεύω* simpliciter significat confido, ut in vulgari versiculo Phocylidis [Sentent. vs. 90.], *λαῷ μὴ πίστευε, πολύτροπός ἐστιν ὅμιλος.* Et in Philippica quarta Demosthenis [p. 144. ed. Reiske] *ἀλλὰ εἰ συμμάχων εὐνοίᾳ πιστεύει, καὶ τοῖς ὅπλοις ἰσχύει.* Et contra Androtionem [p. 601. ed. Reiske], *σαυτῷ πιστεύεις*, confides te ipso. Et apud Plutarchum [in vita Solonis c. 31.] interrogatus Solon, qua re confisus auderet se opponere Pisistrato, respondit, Senecta. In hoc loco est *τίνι πιστεύων*. Nec difficile esset [51] acervum testimoniorum colligere. Teneamus ergo vim verbi *πιστεύω*, et sciamus significare utrumque, assentior et confido. Graecis magis vagatur vocabulum *πίστις*: Sed nos sciamus in Ecclesia significare assensionem firmam et fiduciam, quae etiam *πεποίθησις* dicitur. Et vera est haec definitio Fidei: Fides est assentiri universo verbo Dei nobis proposito, adeoque et promissioni gratuitae Reconciliationis donatae propter Christum Mediatorem, estque fiducia misericordiae Dei promissae propter Christum Mediatorem. Nam fiducia est motus in voluntate necessario respondens assensioni, seu quo voluntas in Christo acquiescit, quod cum fit, accenditur Spiritu sancto et nova luce, ut postea dicam.

Usitatissimum est autem *πίστιν* pro firma assensione dicere, in qua significatione opponitur incertae opinioni. Sic Plato [Polit. VI. p. 505. E. ed. H. Steph.] inquit, homines non habere *μόνιμον πίστιν* de idea boni, id est, stabilem assensionem. Etsi enim homines intelligunt recta, tamen propter con-

---

50) Iesaia] Editt. 1. 3. Esaiae

51) esset] Editt. 22. 24. 28., Opp. 1. 2. est

tumaciam cordis, propter pravas cupiditates assensio excutitur.

Et vicina est significatio, Fiducia, sicut in versu Theognidis, *πίστει χρήματ᾽ ὄλεσσα, ἀπιστείῃ δ᾽ ἐσάωσα.* Et apud Hesiodum: Fiduciae et diffidentiae fuerunt exitiales. Ceterum aliae sunt significationes, quarum praecipua est, *πίστις* pro fidelitate, id est, pro virtute pacta servante. Haec ubi locum habeat in sacris libris, diligenter considerandum est. Nam profecto in iudicandis controversiis Ecclesiasticis in quolibet loco vera verborum significatio sententiae congruens quaerenda est. Huc studia linguarum referenda sunt.

Saepe autem, ut dixi, *πίστις* fidelitatem significat, ut in versu Sophoclis [Oed. Col. 617.] *θνήσκει δὲ πίστις, βλαστάνει δ᾽ ἀπιστία*, id est, fidelitas periit. Et saepe alias, ut apud Polyb. lib. 2. [c. 39. §. 10. ed. Schweigh.] *εἴχοντο*[51a]) *δὲ πλεῖον εἰς τὴν πίστιν καὶ τὴν ὅλην καλοκἀγαθίαν*, antecellebant fidelitate servante pacta, vel, quod idem valet, fide, id est, auctoritate, quae eis tribuebatur, quod videlicet essent fideles, servantes pactorum, iusti, benefici. Deinde multae significationes ex hac nascuntur, quae nihil ad Pauli disputationem pertinent. Polybius [III, 30, 1.] *δοῦναι ἑαυτοὺς εἰς πίστιν Ῥωμαίων*, dedere se in fidem Romanorum, id est, in fidem Romanorum pacta servantium, iustitiam clementia moderantium. Item [IV, 17, 11.], *δοῦναι πίστεις*, promittere fidelitatem. Et apud Rhetores et[52]) Aristotelem *πίστεις*, probationes, argumenta, testimonia significant.

Hae metonymiae non sunt ad Pauli disputationem referendae.[53]) O rem miseram. Ecclesia vere, ut in versu graeco dicitur, inter barbaros nativum sermonem dedidicit; Monachi veras significationes obruerunt, novo genere doctrinae excogitato. Quare pii redeant ad Prophetas et Apostolos, ac propriam Ecclesiae linguam iterum discant et instaurent.

Quod autem Paulus fiduciam misericordiae intelligi velit vocabulo Fidei, ex sequentibus testimoniis perspicuum est. [I.] Rom. 4. [vs. 16.] confertur promissio ad fidem correlative: Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. Hic diserte postulat, ut assentiamur promissioni, ac, ut possimus assentiri, ait gratuitam esse, quia[54]), si conditio impletae Legis addita esset, sequeretur desperatio: Placeres Deo, si Legi satisfaceres. At Paulus dicit, Ideo gratuitam esse promissionem, ut sit firma credenti. Vult ergo nos assentiri promissioni. Id assentiri revera est haec fiducia amplectens promissionem; Haec explicatio labefactari non potest.

Praeterea considera vim promissionis Evangelicae. Si nihil opus est assentiri, promissio prorsus est inanis sonitus, quae tamen ideo tradita est, ut assentiamur, et ut assentiri possimus, gratuita est. Item, cur Ioannes dicit [1. ep. 5, 10.]: Qui non credit Deo, mendacem eum facit. Et Paulus inquit [Rom. 4, 20.]: Non dubitavit diffidentia, sed firmus fide dans gloriam Deo et certus etc. Haec clare ostendunt, requiri, ut assentiamur promissioni. Denique cur sonat in Ecclesia haec vox, Propter filium Dei remittuntur tibi peccata, si dicas, non esse assentiendum? Hoc quid aliud est, quam, ut Ioannes inquit, Deum mendaci arguere?

II. Rom. 5. [vs. 1.] Iustificati fide pacem habemus. At notitia historiae non affert pacem, imo auget pavores et desperationem, sicut in Diabolis. Quod enim terribilius est signum irae Dei, quam placari Deum non alia victima potuisse, nisi filii morte! Vident Diaboli se reiectos esse, sciunt filium Dei iudicem constitutum esse, se futuros in aeternis poenis; Vident et homines in veris pavoribus, cum alia multa signa irae Dei adversus peccata, mortem et alias infinitas calamitates, tum vero hoc ipsum signum, quod ira Dei non potuit placari nisi per filium. Huius historiae notitia auget pavores, si fides non est fiducia applicans nobis hoc beneficium, si non est statuendum: Ideo passus est filius Dei, ut tibi ignoscatur, quanquam male merito, etc. Haec fiducia consolatur mentem perterrefactam et pacem affert.

III. Similis est explicatio et aliorum multorum testimoniorum, Iustus ex fide vivet. Certe historiae notitia nemo vivet, quae potius auget cruciatus. Nec legis notitia quisquam vivit. Si habueris virtutes sufficientes, placebis. Necesse est igitur fidem intelligi, quae statuit nobis Deum propitium esse et acquiescit in promissa misericordia.

Eodem modo et hoc dictum intelligi necesse est [Ies. 28, 16. Rom. 9. 33.]: Omnis, qui credit in eum, non confundetur.[55]) Item in Psalmo [2, 12.] Osculamini filium; [Ps. 2, 13.] Beati omnes, qui confidunt in eo, ubi verbum Hebraicum propriissime significat confidere.

IIII. Eph. 4. [3, 12.] Per quem audemus accedere confidentes per fidem eius. Hic Paulus tribus insignibus vocabulis naturam fidei describit, Audet, accedit confidenter. Magna res est accedere ad Deum iudicem, vere et horribiliter iratum peccato. Hic iterum notitia historiae deterret nos, nisi statuamus filium nobis ducem et propitiatorem

---

51a) *εἴχοντο*] sic omnes Editt.; Polyb. ed. Schweighaeuser: *εἶχον τὸ*

52) et] Editt. 1. 3. ac

53) referendae.] Editt. 1. 3. transferendae.

54) quia] Editt. 1. 3. typoth. errore: qua

55) confundetur.] Ed. 22. typ. errore: confundatur.

esse, et per hunc nos duci ad Patrem: Hoc statuere est fiducia, de qua loquimur. Sic et Rom. 5. [vs. 2.] ait: Per quem habemus accessum fide. Et Hebr. 4. [vss. 15 sq.] Habentes talem Pontificem accedamus cum fiducia ad thronum gratiae. Ex hoc dicto utrumque discimus, et praecipi hanc fiduciam in invocatione, et fidem in similibus locis intelligendam esse fiduciam.

Sed ideo reclamant multi, quia hunc ipsum cultum Dei, scilicet, fidem in invocatione non intelligunt, et imaginantur dubitationem perpetuam, an a Deo recipiamur et exaudiamur, non esse peccatum. Porro hoc peccatum quale sit et quam nocens, in vera lucta conspicitur, et quia abiicit promissionem Dei, arguit eum mendacii.

Act. 15. [vs. 9.] Fide purificans corda. Si fides tantum significat notitiam, qualis et in Daemonibus est, hoc dictum prorsus erit inane. Constat autem in eo ipso loco disputari de iustificatione, et quidem constitui, quod non purificentur corda per iustitiam Legis, sed aliter, videlicet, si credant se per gratiam Domini nostri Iesu Christi salvari.

Addi potest et acervus testimoniorum, in quibus vocabulum fidei ponitur pro fiducia, ut [Matth. 15, 28.]: O mulier, magna est fides tua. Item Luc. 7. [vs. 50.] Fides tua salvam te fecit. Et 2. Paral. 20. [vs. 20.] Credite, et securi eritis. In talibus dictis palam apparet fidem vocari fiduciam expectantem a Deo consolationem et auxilium, et quamvis obiecta externa dissimilia sunt, tamen semper primum et principale fidei obiectum est Deus reconciliatus iuxta promissionem seu promissio reconciliationis. Tunc David petit et expectat auxilium in bello, cum statuit se habere Deum propitium, et tanta varietas externorum obiectorum et periculorum nobis proposita est, ut sit occasio exercendae fidei et apprehendendi simul spiritualia beneficia, ut illa ipsa communis precatio docet. Postquam dictum est [Matth. 6, 11.]: Panem quotidianum da nobis hodie; Mox [ibid. vs. 12.] additur: Et remitte nobis debita nostra. Fugeret Deum mens in petendis corporalibus, nisi simul agnosceret nobis ignosci, nos recipi in gratiam, ac propterea nos exaudiri et iuvari.

Ac ad intelligendas multas sententias utile est hoc considerari, quod fides de reconciliatione semper sic praeluceat in petitione et expectatione corporalium. Sic et Abraham petebat haeredem a Deo et promissioni credebat, quae posteritatem pollicebatur, sed simul agnoscebat Abraham et confidebat sibi a Deo ignosci, se quanquam indignum recipi a Deo per misericordiam propter liberatorem promissum patribus. Hanc esse vim verbi, Credidit, Gen. 15. [vs. 1.] testatur praecedens promissio et consolatio: Noli timere, Abraham: Ego protector tuus et merces tua magna valde. In hac dulcissima consolatione Deus testatur se propitium esse Abrahae, se defensorem, adiutorem eius et salvatorem esse. Hanc promissionem intuens confidit Abraham se recipi in gratiam Dei. De hac fide igitur[56]) dicitur: Imputatum est ei ad iustitiam.

Postremo definitio fidei in Epistola ad Hebraeos testatur, Fide significari fiduciam, cum inquit [11, 1.]: Fides est ὑπόστασις rerum sperandarum. Constat enim iis, quibus phrasis nota est, ὑπόστασιν significare expectationem, hoc est, fiduciam expectantem.

Recensui testimonia ex Prophetis et Apostolis, quae, cum sint perspicua, spero satisfactura dextre iudicantibus. Fateor autem postea plerosque scriptores, ut Origenem et alias, tradidisse aliud genus doctrinae et insincerum, sed aliqui eruditiores nobiscum revera sentiunt, etsi hi quoque alias commodius alias incommodius loquuntur.

In Augustino passim sunt obvia testimonia. De spiritu et litera inquit: Ex lege timemus Deum, fide confugimus ad misericordiam. Item: Fides dicit, Sana animam meam, quia peccavi tibi. Haec si dextre intelligantur, non possunt nisi de fiducia misericordiae intelligi.

Clarior est Augustini locus Psal. 31. Qui sunt beati? non illi, in quibus non inveniet peccatum, nam in omnibus invenit; Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei. Si ergo in omnibus peccata inveniuntur, remanet, ut non sint beati, nisi quorum remissa sunt peccata. Hoc ergo Apostolus sic commendavit: Credidit Abraham Deo, et imputatum est ei ad iustitiam. Hic certe Augustinus fidem intelligit fiduciam, quae accipit remissionem peccatorum, Et dictum in Genesi ac Paulo prorsus intelligit, sicut nos enarramus.

Addam et Bernhardi testimonium, quod extat in concione [I.] de Annuntiatione [Mariae].

Necesse est primo omnium credere, quod remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei, sed adde, ut credas et hoc, quod per ipsum peccata TIBI donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet Spiritus sanctus in corde tuo dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, gratis iustificari hominem per fidem. In hoc dicto perspicue et proprie recitatur sententia Ecclesiarum nostrarum, et extant similia testimonia apud hunc auctorem.

Basilius etiam propriissime recitat nostram sententiam in concione de Humilitate his verbis: Qui gloriatur, in Domino glorietur, dicens, quod Christus nobis factus sit sapientia a Deo, iustitia

56) fide igitur] Editt. 1. 3. igitur fide

et sanctificatio et redemptio. Sicut scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Haec est enim perfecta et integra gloriatio in Deo, quando neque propter iustitiam suam quisquam effertur, sed agnoscit sese indigere vera iustitia, fide autem sola in Christum iustificari.

Denique res ipsa consideretur. Melius enim intelligi vox Evangelii potest in praesenti lucta, quam cum otiosi et securi tanquam ex longinquo has disputationes audimus. Quam tibi ipsi propones consolationem, cum mens vere obruitur pavore et metu irae Dei? nonne in ea consternatione confugiendum erit ad Mediatorem Christum? et cogitandum, Crede propter hanc victimam tibi ignosci. Sicut ubique iubet Evangelium credere, quod propter peccata nostra filius Dei mortuus sit, ut Rom. 4. [vs. 25.] dicitur. Cogitandum et hoc, Per filium est accessus ad Deum, Rom. 5. [vs. 2.] Porro haec fides, qua te sic consolaris, haud dubie est fiducia acquiescens in filio Dei. Certe non sic cogitandum erit: Iam diligo Deum, iam habeo virtutes et merita, ideo Deus me recipiet. Ergo luctam hanc et consolationem intuentes intelligemus existere pavores et erigi animos fiducia intuente filium Dei, quibuscunque verbis eloqui haec voluerimus. Sed Prophetae et Apostoli utuntur in hac re nomine Fidei.

Eodem modo pii omnes quotidianam invocationem suam considerent, quoties incipis invocare Deum, obstrepit tibi multiplex indignitas tua, metuis tuas preces non admitti. Hic quaeritur consolatio aliqua, quaenam? Certe non cogitas, Iam habeo virtutes, quarum dignitas meretur recipi meas preces, sed quaeris Mediatorem nobis donatum, cogitas illam vocem [Matth. 11, 28.]: Venite ad me, omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Item [Ioh. 14, 13.]: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Item Hebr. 7. [vs. 25.] Semper vivens, ut interpellet pro eis. Credis igitur placere Deo invocationem, et recipi propter hunc Pontificem una interpellantem. Hoc credere, certe est fiducia erigens et consolans animum. De hac re, de hac consolatione dimicamus, quibuscunque verbis uti alii volunt, rem retinere cupimus. Nam qui dissentiunt, rem ipsam obruunt, iubent semper dubitare, et quidem sepeliunt Christum, quia prorsus non docent petendam ab eo consolationem, non iubent uti eius beneficio. Quia si fides non est fiducia intuens Christum et acquiescens propter Christum, certe non applicamus nobis eius beneficium, neque utimur eius beneficio. Necesse est[57]) igitur fide intelligi fiduciam applicantem nobis beneficium Christi.

Quare cum dicitur, Fide iustificamur, non aliud dicitur, quam quod propter filium Dei accipiamus remissionem peccatorum et reputemur iusti. Et quia oportet apprehendi hoc beneficium, dicitur fide, id est, fiducia misericordiae promissae propter Christum. Intelligatur ergo propositio correlative, Fide sumus iusti, id est, per misericordiam propter filium Dei sumus iusti seu accepti. Nota est enim[58]) natura relativorum nominum; Et ut amor, timor et alia quaedam affectuum nomina sunt relativa secundum dici, ita et fiducia. Nec insulsas reprehensiones indoctorum hic pertimesco.

Et quod obiiciunt quidam, huic fiduciae adiunctam esse dilectionem, non repugno. Sed cum dicimus, Fide iustificamur, monstramus filium Dei sedentem ad dextram Patris, interpellantem pro nobis. Propter hunc dicimus nobis donari reconciliationem, detrahimus meritum reconciliationis nostris virtutibus, quaecunque adsunt. Et tamen postea suo loco dicitur, Dilectionem et alias virtutes in renatis existere oportere.

Ac in summa, cum accusamur in hoc dogmate, quod dicimus, Fide iustificari hominem, tantum ideo accusamur, quod dicimus, nos propter filium Dei accipere reconciliationem, non propter nostram dignitatem, et quod hoc credendum sit, seu quod hac fide vel fiducia apprehendendum sit beneficium et opponendum meritum Christi peccato nostro et damnationi nostrae, et quod in hac fide seu fiducia intuente filium Dei Deus invocandus sit. Has autem sententias esse ipsam Evangelii vocem et perpetuum verae Ecclesiae consensum, certissimum est. Nec dubito bonos et pios agnoscere, hanc explicationem vere esse Pauli doctrinam, eamque grata mente amplecti. Ac de tota re provoco ad consensum Ecclesiae, id est, peritorum et piorum: Eius Ecclesiae testimonium gravissimum esse iudico.

Quod autem alii multi rabiose reclamant et contendunt, vocabulo Fidei nihil nisi notitiam historiae significari, et quaerunt infinitas cavillationes, meminerint pii vocem Pauli, qui inquit [Rom. 9, 31.]: Israël sectando Legem iustitiae ad Legem iustitiae non pervenit. Ratio humana intelligit iustitiam operum, hanc miratur unam, et illa, quae de iustitia fidei dicuntur, quia sunt aliena a politicis opinionibus, acerbe odit. Sed nos sciamus, suum locum esse iustitiae operum, longe vero alia consolatione opus esse in quaerenda reconciliatione.

Haec de vocabulo Fidei breviter recensui, quae nihil habent perplexitatis aut sophistices et ad phrasin Hebraicam vere congruunt. Sit igitur haec definitio: Fides est assentiri universo verbo Dei no-

57) est *omittunt* Editt. 18. 22. *(err. typoth.)*

58) est enim] Editt. 1—10. 12. enim est

bis proposito, et quidem promissioni gratuitae reconciliationis donatae propter Christum Mediatorem: Estque fiducia misericordiae Dei promissae propter Christum Mediatorem. Nam fiducia est motus in voluntate, necessario respondens assensioni. Estque Fides virtus apprehendens et applicans promissiones et quietans corda, sicut satis perspicue docent haec verba: Iustificati fide pacem habemus erga Deum per Christum, per quem et accessum habemus fide in gratiam hanc. Cum autem dicimus de assensu promissionis, complectimur omnium articulorum notitiam, et in Symbolo ceteri articuli referuntur ad hunc: Credo remissionem peccatorum, Credo vitam aeternam. Haec est enim summa promissionum et finis, ad quem ceteri articuli referuntur: Quia filius Dei missus est, ut Ioannes [1. ep. 3. 8.] inquit, ut destruat opera Diaboli, id est, tollat peccatum, et[59]) instauret iustitiam et vitam aeternam.

DE VOCABULO GRATIAE.

Etiam Philosophi viderunt excellentem virtutem non existere sine motu divino, ut fortitudo in Alexandro divinus impetus erat. Hanc secuti imaginationem Monachi Gratiam tantum intellexerunt novas virtutes a Spiritu sancto excitatas. Et cum dicitur accipi[60]) remissionem per Gratiam, sic sunt interpretati: Accipi eam propter illas virtutes. Haec interpretatio prorsus pugnat cum Paulo. Item de fide seu fiducia in Christum aut fiducia gratuitae imputationis nihil dixerunt. Quare imaginatio eorum magna ex parte Philosophica est et obscurat beneficium Christi, et doctrinam de gratuita imputatione. Plurimum igitur refert, vocabulum Gratiae proprie, vere et dextre intelligi.

Rom. 5. duae sunt appellationes: Gratia et Donum per Gratiam. Est autem gratia remissio peccatorum gratuita seu misericordia seu acceptatio gratuita. Deinde donum per gratiam significat donationem Spiritus sancti et vitae aeternae, id est, novam et aeternam iustitiam et vitam, quae hic inchoatur et postea perficitur. Ita et Ioan. 1. [vs. 17.] dicitur: Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est. Hic quoque gratia vocatur gratuita remissio peccatorum seu acceptatio propter Mediatorem. Deinde, Veritas est vera lux, id est, vera agnitio Dei, vera et aeterna iustitia et vita, quae hic inchoatur, sed postea perficitur. Loquitur enim de toto beneficio Christi, quasi dicat: Legem quidem audivistis, sed haec non tollit peccatum, non tollit coecitatem in mentibus, id est, dubitationes de Deo et fremitum adversus Deum iudicantem. Item, non affert veram et aeternam iustitiam, sed tantum disciplinam externam nobiscum morientem, quae non est aeterna seu durabilis et perpetua iustitia.

Sed per Messiam dantur haec ingentia munera. Primum Gratia, id est, remissio peccatorum gratuita et imputatio iustitiae. Deinde etiam veritas, id est, vera lux, agnitio Dei, et vera ac aeterna iustitia et[61]) vita. Etsi igitur Gratiae vocabulum significat remissionem peccatorum gratuitam seu misericordiam, tamen etiam fatemur accedere donationem Spiritus sancti, et clara voce damnamus Pelagii errorem, qui prorsus sustulit discrimen Philosophiae et Evangelii, et finxit, ut in Philosophia, homines etiam sine Spiritu sancto legi Dei satisfacere posse, et eam disciplinam esse iustitiam Evangelii, nec opus esse donatione Spiritus sancti. Hos furores damnamus, quia certe novam et aeternam vitam inchoari hic oportet, quod non fit sine Spiritu sancto, ut passim clamitat vox coelestis in Evangelio et Prophetis.

Sit igitur haec definitio Gratiae: Gratia est remissio peccatorum, seu misericordia propter Christum promissa, seu acceptatio gratuita, quam necessario comitatur donatio Spiritus sancti. Nec difficile est iudicare de vocabulo iis, quibus phrasis Hebraica nota est. Significat enim Hebraica vox saepe favorem, interdum etiam donum. Nunc testimonia adiiciam, quae testantur gratiam in hac quaestione praecipue significare gratuitam misericordiam seu gratuitam reconciliationem. Rom. 4. [vs. 4.] Operanti merces non imputatur secundum gratiam. Hic perspicue gratiam intelligit gratuitam benevolentiam seu imputationem. Est enim Antithesis: Laboribus debetur merces; At credenti, etiamsi non affert merita, tamen fit imputatio iustitiae gratuita.

Eodem modo postea loquitur: Ideo ex fide secundum gratiam, ut sit firma promissio, id est, ut sit certa reconciliatio. Non pendet ex conditione nostrae dignitatis, sed est gratuita. Nam si iudices ita te habere remissionem, si dignus ac mundus sis, sequetur infinita dubitatio et desperatio.

Rom. 6. [vs. 14.] Non estis sub Lege, sed sub gratia. Hic Paulus hoc ipsum agit, nos placere Deo propter Filium, non propter nostram dignitatem, cum quidem adhuc haereat in renatis ingens imbecillitas et peccatum. Significat igitur Gratia gratuitam misericordiam promissam propter Filium.

Rom. 5. [vs. 20.] Ubi abundavit peccatum, su-

59) et] Editt. 20. 25. 30. 34., Corp. 1—8. ut

60) accipi] Ed. 22. recipi

61) et] Editt. 1—9. 12. ac

perabundavit gratia, id est, etsi peccatum damnatum est horribili ira Dei, quam non satis intelligere ulla creatura potest, tamen gratia exuberat[1], id est, misericordia propter Christum promissa maior est, qua contingit nobis remissio et reconciliatio; ac gratia, id est, promissa misericordia vult nos confidere. Quare non est intelligenda nostra virtus seu obedientia, qua certe non est confidendum.

Sic et Hebr. 4. [vs. 16.] dicitur: Accedamus ad thronum gratiae, ut misericordiam et gratiam et auxilium opportunum inveniamus. Thronum gratiae ipsum Mediatorem intelligit, quasi dicat, Thronum placantem iram Patris.

Cum autem phrasis Hebraea eruditis nota sit, non est opus longiore disputatione, sed hoc diligentissime considerandum est, quod exclusiva particula Gratis, saepe repetita a Paulo, inest in definitione Gratiae. Significat autem haec exclusiva, dari reconciliationem propter filium Dei Mediatorem, non propter nostram dignitatem, non propter nostra merita, non propter nostras virtutes aut facta. Nec tamen excludit haec particula virtutes ipsas, sed conditionem dignitatis seu meriti excludit, et transfert caussam reconcilatiionis in solum filium Dei. In Petri conversione necesse est existere poenitentiam et fidem, qua statuat sibi ignosci, et necesse est sequi alias virtutes, et tamen propositio vera est et necessario retinenda, Gratis remitti peccatum, quia non propter virtutes Petri, sed propter Filium Dei remittitur.

Et quia plurimum refert hanc exclusivam recte intelligi, exponam quatuor caussas, propter quas eam retineri et defendi necesse est.

Prima est, ut debitus honos Christo tribuatur. Secunda, ut conscientia certam et firmam consolationem retineat, et explodatur pestilens error eorum, qui iubent dubitare. Tertia, ut vera invocatio praestari possit. Quarta, ut conspiciatur discrimen Legis et Evangelii.

Has caussas breviter recensui, ut semper in conspectu sint. Diligenter autem singulae considerandae sunt.

Prima haec est, ut debitus honos Christo tribuatur. Nam qui transferunt caussam remissionis in opera hominum, dupliciter peccant: Iram Dei et peccatum extenuant, deinde detrahunt filio Dei debitum honorem. Nam humana caecitas et securitas non intelligit irae Dei magnitudinem adversus peccatum: Ideo fingit eam placari humana disciplina, et Christum amplectitur ut doctorem illius disciplinae seu Legislatorem, non ut victimam pro peccato, cum Ioannes clamitet [Ioh. 1, 29.]: Hic est agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Et Iesaias [53, 10.]: Quia ponit animam suam pro peccato, videbit semen longaevum.

Secunda caussa est, ut conscientia certam et firmam consolationem habeat. Hanc et Paulus inculcat Rom. 4. [vs. 16.] Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. Haec sententia magis perspicua erit intuenti veram luctam perterrefactae mentis. Scimus ex Lege et ratione naturali, Deum bonum et misericordem esse, sed erga eos, qui non sunt rei. Non igitur quaerit mens in vero pavore, an Deus sit misericors, sed haec est luctae epitasis, An TIBI contaminato peccatis et reo velit ignoscere, et propter quod pretium. Hic necesse est hanc vocem Evangelii audire de exclusiva et de Mediatore, quod Deus vere te recipere velit Gratis, id est, non propter tuam dignitatem aut merita, sed propter filium Dei, idque credendum esse. Si haec exclusiva ignoretur, confirmatur dubitatio, videlicet, si existimes non remitti peccata, nisi cum satis dignam contritionem aut dilectionem habebis, haerebit dubitatio, quae alias contemptum Dei, alias odium et desperationem parit. Haec facile iudicari possunt a piis. Etsi enim in humanis mentibus inest dubitatio, tamen sciendum est propter hanc ipsam caussam, ne dubitemus de reconciliatione, filium Dei ex sinu aeterni patris promissionem claram et certam reconciliationis attulisse opponendam iudicio rationis, sicut in Ioanne dicitur: Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis. Repugnandum est igitur dubitationi, et erigenda fides, quod vere velit Deus te propter filium recipere et exaudire. Estque explodendus impius error adversariorum, qui ignari Evangelii et tantum rationis humanae iudicium sequentes iubent dubitare et affingunt dubitationem non esse peccatum. Hunc perniciosum errorem taxari necesse est, quia certe peccatum est, non accipere promissionem. Item, Deo promittenti non tribuere laudem veritatis, ut 1. Ioan. 5. [vs. 10.] dicitur: Qui non credit Deo, mendacem facit eum. Et summa blasphemia est contemnere vocem, quae de coelo sonuit [Marc. 9, 6.]: Hunc audite.

Tertia caussa de invocatione ex prioribus oritur, et discrimen tenendum est inter Ethnicam invocationem et Christianam. Invocant Ethnici, sed dubitantes, an Deus respiciat ac recipiat eos et eorum preces, ut in poëmatibus crebrae sunt hae querelae, non respici, non exaudiri calamitosos a Deo. Et in vero dolore, cum fugit mens Deum iratum, ut Saul, certe non invocat. Econtra Evangelium docet invocationem talem, in qua fides praeluceat. Etsi enim obstrepit tibi indignitas tua, quoties inchoas invocationem, tamen fides intueatur filium Dei Mediatorem, et statuat te et preces tuas recipi propter illum Pontificem, sicut scriptum est [Ioh. 16, 23.]:

Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Item [Eph. 2. 18.]: Per hunc habemus accessum ad Deum. Talis invocatio propria est verae Ecclesiae, prorsus ignota iis, qui nesciunt doctrinam de gratuita remissione seu de hac exclusiva, de qua concionatur Paulus, cum repetit particulam Gratis. Sic et Daniel invocat cap. 9. [vs. 18.] Non in iustitia nostra precamur, sed in misericordia tua magna propter Dominum. Nec aliud nos volumus aut docemus de exclusiva, quam quod hic inquit Daniel. Et sunt exempla multa in Psalmis, quae ita dulcescent piis, si intelligatur gratuita reconciliatio: Quia apud Dominum misericordia. Si addas, erga dignos, satis meritos, erit vox Legis terrorem incutiens. Sed si intelligas iuxta Evangelium, ut docet Paulus et sentit Psalmus: Misericordia certo recipiens nos propter Mediatorem gratis. Haec vox affert consolationem, et fugientem animum revocat ad Deum, et exuscitat ad veram invocationem.

Quarta caussa est, ut conspiciatur discrimen Legis et Evangelii. Nam etsi Lex habet promissiones, tamen non promittit gratis remissionem peccatorum seu reconciliationem seu imputationem iustitiae, sed tantum eum pronuntiat iustum, qui praestat integram obedientiam, et est sine peccato, ut haec dicta ostendunt [Deut. 27, 26.]: Maledictus qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in Lege. Item [Levit. 18, 5.]: Qui fecerit haec, vivet in eis. Sed Evangelium monstrat nobis filium Dei Mediatorem, et clamitat, nobis propter hunc gratis donari reconciliationem. Insigne igitur discrimen facit Legis et Evangelii particula Gratis, qua amissa non potest non sequi magna Evangelii caligo. Statim enim obrepit opinio, dari remissionem propter nostra opera, quo errore admisso obruitur doctrina de fide, de vero honore Christi et de firma consolatione conscientiarum.

Exposui, quantum referat exclusivam retineri, sed videndum est etiam, ut recte intelligatur. Cum enim dicit Paulus, Gratis fide propter Christum consequimur remissionem, non hoc vult, non existere contritionem in his, qui convertuntur, aut non sequi ceteras virtutes; Imo vult haec adesse; Sed excludit conditionem meriti seu dignitatis nostrae, negat contritionem et nostras virtutes caussas esse reconciliationis, et testatur caussam esse meritum Christi Mediatoris. Estque sententia: Fide propter Filium Dei gratis accipi reconciliationem, non propter nostram dignitatem. Haec sunt perspicua, vera, sine ulla sophistica, et nihil perplexi, nihil intricati continent.

Nec aliud volunt nostri, cum dicunt, Sola fide iustificamur, quam quod iam dixi, Gratis fide propter Christum consequimur remissionem peccatorum, non propter nostram dignitatem. Nec excludit particula, Sola, contritionem aut ceteras virtutes, ne adsint, sed negat eas esse caussas reconciliationis, et transfert caussam in solum Christum. Suntque correlative intelligendae hae sententiae: Fide, id est, fiducia Christi sumus iusti, hoc est, propter Christum sumus iusti, Gratis, id est, non propter dignitatem nostram. Idque credendum est, ut beneficium Christi amplectamur et in misericordia propter Christum promissa acquiescamus.

Nunc addam testimonia ex Paulo, quae ostendunt vere hanc esse Evangelii doctrinam, quam recensui de iustificatione, quod videlicet statuendum sit, nos propter filium Dei gratis fide consequi remissionem peccatorum et reputari iustos, id est, acceptos Deo ad vitam aeternam. Prodest autem haec testimonia in conspectu habere, non solum ad refutandos adversarios, sed multo magis ad nos ipsos confirmandos, et ad fidem excitandum in omni invocatione. Nam hunc cultum, hoc opus praecipue requirit Deus. Hic cultus verum honorem filio Dei tribuit, cum videlicet propter hanc victimam et hunc placatorem invocamus Deum, et credimus per hunc Pontificem perferri nostras preces ad aeternum Patrem.

Rom. 3. Principalis propositio huius disputationis pluribus verbis traditur [vs. 23.]: Omnes peccaverunt et carent gloria Dei. Iustificamur autem gratis ipsius gratia per redemptionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius. Initio, ut ostendat homines non esse iustos propria munditie, inquit: Omnes esse reos et carere gloria Dei, id est, sapientia et iustitia, quam Deus approbat seu ducit esse gloriam. Deinde addit, quomodo reconcilientur, cum ait: Iustificamur, id est, consequimur remissionem peccatorum, et reputamur iusti seu accepti gratis ipsius gratia, id est, misericordia gratuita propter Christum, quem proposuit Deus propitiatorem. Addit autem, iustificamur in sanguine eius, id est, placatur ira Dei per mortem filii. Sed hoc beneficium fide applicari oportet. Statuendum est, quod propter hunc propitiatorem et propter eius mortem tibi vere propitius sit Deus, non propter tuam dignitatem. Haec fides est fiducia, quae pacem et vitam cordibus affert, ut supra de fide dictum est, et quae in Christo acquiescit.

Deinde Paulus in IV. capite instituit confirmationem huius propositionis, et testimonia ac argumenta recenset. Primum testimonium sumptum est ex Genesi. Ut enim ostendat hanc perpetuam esse Ecclesiae doctrinam, allegat primam concionem de modo iustificationis, quae extat in Moyse. Allegat et illum virum, qui proponitur, ut ab ipso ceteri discant promissiones et verum cultum Dei [vs. 3.]:

Credidit Abraham Deo, et imputatum est ei ad iustitiam.

Sed hic, priusquam cetera Pauli argumenta addo, refutandae sunt quaedam calumniae eorum, qui conantur eludere Pauli dicta. Sunt enim multi profani homines, qui contumeliose exagitant Paulum et clamitant, eum aliena dicta ad suam caussam vel per inscitiam vel Sophistice detorquere, eamque ob caussam nec scripta nec auctoritatem Pauli magnifaciunt. Sed haec impia iudicia ex ipsorum inscitia oriuntur. Cum non intelligant exercitia fidei in veris pavoribus, nihil mirum est, non videre eos, quomodo congruant dicta, quae hic citantur. Et solent homines vel odisse vel superbe contemnere, quae non intelligunt. Sed pii sciant Apostoli vocem tanquam vocem Dei de coelo sonantem audiendam esse; Sciant Paulum nec ludere praestigiis nec errore falsa dicere, sed intelligere suam caussam et recte explicare; Sciant item congruere Pauli doctrinam cum scriptis Prophetarum. Discipuli simus Apostolorum, non simus eorum calumniatores.

Porro adversarii, ut eludant dicta de fide, affingunt interpretationem, ac dicunt Synecdochen esse, Fide scilicet formata, ut ipsi loquuntur, id est, adiunctis ceteris virtutibus, quae professioni congruunt. Atque ita intelligunt Fidem esse notitiam historiae, et re ipsa sentiunt hominem non esse[62]) iustum fide, sed virtutibus ceteris. Quod autem haec Synecdoche pugnet cum ipso Paulo, perspicue ostendi potest. Ideo enim Paulus toties repetit particulam Gratis, ut ostendat nos non consequi reconciliationem propter nostras virtutes, sed propter Mediatorem. Et ideo dicit, Fide, ut iubeat intueri illum Mediatorem, ac statuere, quod propter ipsum, non propter nostras virtutes simus filii Dei. Haec manifeste pugnant cum Synecdoche adversariorum.

Deinde Synecdoche illorum concedit perpetuam dubitationem. Places, si satis habes meritorum. Pugnat autem et haec dubitatio manifeste cum doctrina Pauli, iuxta illud [Rom. 5, 1.]: Iustificati fide pacem habemus. Dubitatio autem affert desperationem et odium Dei.

Haec praefati sumus ceteris testimoniis, quod in eis expresse contineatur particula exclusiva refutans Synecdochen, Item mentio fidei pugnantis cum dubitatione. Nec nos interpretationem aliquam Paulo affingimus, sed retinemus proprietatem sermonis seu *τὸ ῥητὸν*, non calumniose aut superstitiose, sed collata perpetua disputatione, collatis omnibus Epistolis Pauli, collatis etiam dictis Propheticis; Denique verae Ecclesiae iudicio collato, quae intelligit doctrinam de remissione peccatorum et de exercitiis fidei.

Fatentur adversarii se a verbis discedere, quia dicunt fide, scilicet formata, hoc est, non fide, sed ceteris virtutibus, et iactant se tueri *διάνοιαν*. Sed cum eorum interpretatio haud dubie pugnet[63]) cum ipso Paulo, necessario taxanda et repudianda est. Cum ab omni vita tum maxime a doctrina de Deo removenda est omnis Sophistica. Ideo bona fide retineamus ea, quae tradidit Deus per Prophetas et Apostolos, eaque dextre et proprie explicemus.

Quid autem planius ac simplicius dici potest hac voce? Etiamsi existere in nobis poenitentiam oportet, tamen statuendum esse, quod non propter nostras virtutes, sed propter Filium Dei Mediatorem recipiamur et placeamus Deo. Quid haec vox habet absurdi? Postulat, ut adsint virtutes, et tamen caussam reconciliationis transfert in Christum, tribuit Christo debitum honorem, et monstrat piis firmam consolationem. Econtra adversariorum interpretatio multos continet manifestos errores.

Duo absurda complectitur: Iubet homines perpetuo dubitare de remissione, et interim ait mereri homines remissionem propria dignitate. Ita detrahitur Christo debitus honos, et conscientiae relinquuntur in dubitatione, quae plane est Ethnica. Non enim interest inter Paulum et Atticum, si uterque pariter dubitat se a Deo respici et exaudiri, et quidem toties dicunt adversarii dubitationem illam non esse peccatum. Praeterea renatos dicunt iustos esse propria dignitate, nec peccatum esse caliginem illam interiorem, dubitationes de providentia et de reconciliatione, et contumaciam cordis, quod leviter timet, non ardenter amat Deum, ut debebat, et habet alios multos errantes motus ac vitiosos affectus. Haec extenuant, et quidem dicere audent, haec mala non pugnare cum Lege Dei.

Cum igitur Synecdoche illa manifestos errores contineat, omissa adversariorum interpretatione, redeamus ad Paulum. Ac *τὸ ῥητὸν* dextre teneamus, discamus ab ipso Paulo doctrinam de remissione peccatorum et fide,[64]) non invehamus humanas opiniones de nostro. Deprehendemus autem in ipsis Pauli argumentis refutationem illius Synecdoches.

Rom. 4. recitat Paulus argumentum, quod in hac caussa praecipuum est, et ex ipsis fontibus sumitur. Si promissio reconciliationis penderet ex conditione Legis, tanquam ex caussa, fieret incerta, sed oportet hanc promissionem conscientiis nostris certam esse; Igitur necesse est gratis pro-

62) esse *abest ab* Editt. 10. 11. 13—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2.

63) pugnet] Ed. 25., Corp. 1. 4. pugnat

64) fide,] Editt. 1. 3. 6. 7. 12. de fide,

mitti remissionem peccatorum et reconciliationem, ac fide accipi, non propter dignitatem nostram.

Maiorem probat Paulus. Quia Lex iram efficit, id est, cum nemo Legi satisfaciat; Lex accusat omnes, quare necesse esset conscientias semper dubitare ac in desperationem ruere, si sentiendum esset, ita demum nos recipi, postquam Legi satisfecerimus. Quanquam autem securae et otiosae mentes non moventur hoc argumento, tamen in veris terroribus agnoscimus nos reos esse. Necesse est igitur teneri [65] hanc sententiam de gratuita reconciliatione, sicut Paulus inquit [Rom. 4, 16.]: Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. Urget particulam gratis, ut illam ipsam Synecdochen refutet: Habes remissionem gratis non propter impletionem Legis, ut dicit Synecdoche; Imo dilectio Dei exoriri non potest, nisi prius fide statuas iram Dei placatam esse, ut Rom. 5. [vs. 2.] dicitur: Fide per Christum habemus accessum ad Deum. Res ostendit, in hoc argumento Synecdochen illam refutari.

Observabis autem et hoc, quod idem locus docet Fide significari non tantum historiae notitiam, qualis est in Diabolis, sed assensum, quo promissioni credimus, seu fiduciam misericordiae, quae in promissione offertur. Iubet enim fide accipi promissionem, iubet, ut statuas Deum vere velle tibi ignoscere, te recipere, ac postulare, ut hoc credas et hac fide ipsum invoces. Talis fides non est tantum historiae notitia aut praeceptorum, quae potius ingentes terrores incutit animis, ut recte dicit Iacobus [2, 19.] de ea notitia: Daemones credunt et contremiscunt, norunt filium Dei, sed non amplectuntur promissionem. Ideo horribili metu iudicii impendentis cruciantur.

Eph. 2. [vs. 8.] Gratis salvati estis per fidem, idque non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Diserte excludit nostram dignitatem, et affirmat fide reconciliatos esse. Non igitur concedendum est, ut sententia depravetur per illam Synecdochen, sed sentire Apostolum id, [66] quod dicit, statuamus Fide propter Christum nos in gratiam receptos esse.

Gal. 2. [vs. 16.] Scientes, quod non iustificetur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, et nos in Christum Iesum credidimus, ut iustificemur ex fide Christi, et non ex operibus Legis.

Porro alii aliis cavillationibus eludunt haec dicta. Quidam aiunt, tantum excludi ceremonias Mosaicas; alii fatentur, detrahi iustificationem operibus non renatorum. Sed hae cavillationes a sanis, piis et amantibus veritatem, facile refutari possunt. Fateri enim sanos necesse esse est, ne ceremonias, nec moralia opera praecedentia vel sequentia regenerationem, mereri remissionem peccatorum.

Postremo cum congeruntur dicta de Fide plurima [Rom. 5, 1.]: Iustificati fide pacem habemus; Item [Rom. 10, 10.]: Corde creditur ad iustitiam etc. Haec et similia adversarii omnia contendunt improprie et incircumspecte dici, et affingunt ex humano iudicio interpretationem. Nos vero collatis omnibus membris Paulinae disputationis et testimoniis Prophetarum iudicamus Paulum sensisse, quod dicit: Fide homines iustos reputari, hoc est, propter Christum Mediatorem accipere remissionem peccatorum et reconciliationem, fiducia misericordiae propter ipsum promissae, non propter nostram dignitatem. Deinde ut haec sint planiora, docemus etiam, cum hoc modo corda sustentantur voce Evangelii et fide eriguntur, concipere ea Spiritum sanctum, sicut Paulus inquit Gal. 3. [vs. 14.] Ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Non igitur de aliqua otiosa notitia loquimur, et errant imperiti, qui existimant remissionem peccatorum contingere otiosis, sine aliquo animi motu, sine certamine, sine fiducia consolante animum.

Cum autem Spiritus sanctus in illa consolatione novos motus et novam vitam afferat, dicitur haec conversio regeneratio, Ioan. 3. [vss. 3. 5.] et sequi novam obedientiam necesse est, ut postea dicam.

Et cum conscientia quaerit remissionem peccatorum, seponantur quaestiones de Praedestinatione. Nam ut praedicatio poenitentiae ad omnes pertinet, ita promissio gratiae est universalis [67] et omnibus affert [68] reconciliationem. Ac prodest hoc loco habere in conspectu aliquas universales sententias, ut nos vere in illas includamus, sciamus vere nobis quoque Deum velle ignoscere, nos exaudire et recipere.

Matth. 11. [vs. 28.] Venite ad me, Omnes, qui laboratis. Ioan. 3. [vs. 16.] Ut Omnis, qui credit in eum, non pereat. Act. 10. [vs. 43.] Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius Omnes, qui credunt in eum. Act. 13. [vs. 39.] In hoc Omnis, qui credit, iustificatur. Rom. 3. [vs. 22.] Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in Omnes et super Omnes. Hic repetita est particula universalis, ut sciamus eam scribenti non excidisse casu. Rom. 10. [vs. 11.] Omnis, qui credit in eum, [69] non confundetur. Non est enim discrimen Iudaei et Graeci,

65) teneri] Editt. 22. 24. 28. 29. 31—33., Opp. 1. 2. tenere
66) id, *abest ab* Editt. 1—4. 6. 7. 9.

67) universalis] Editt. 1. 3. utilis
68) affert] Editt. 1—15. 19. offert
69) eum,] Editt. 1—3. 6. 7. 9. 12. illum,

nam idem Dominus Omnium, dives in Omnes, qui invocant eum. Omnis enim, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.

Conclusit Deus Omnes sub inobedientia, ut Omnium misereatur. Sic intelligatur et dictum [1. Tim. 2, 4.]: Deus vult Omnes homines salvos fieri. Nec vero de voluntate Dei secus iudicandum est, quam docet Evangelium, quod ideo ex sinu aeterni Patris prolatum est, ut certo nobis voluntas Dei patefieret. Deinde diligentissime consideremus hoc universale mandatum Dei esse, ut omnes audiant Filium, iuxta illud [Matth. 17, 5.]: HUNC AUDITE, et credant promissionibus Dei. Haec si quis expendet, intelliget salutarem doctrinam et consolationem piis proponi.

De Libero arbitrio alias dictum est. Cum in conversione exordiendum sit a verbo Dei, certe id audiendum est, et cum verbo Dei efficax est Spiritus sanctus, erigens et adiuvans corda, cum fide nos sustentamus. Nec otiosi indulgeamus diffidentiae aut aliis vitiis contra conscientiam, nec conturbemus Spiritum sanctum, sed assentiamur verbo Dei et obsequamur Spiritui sancto. In hac lucta sentiemus voluntatem, repugnantem diffidentiae et aliis vitiis non esse otiosam. Hoc ipsum monet Paulus inquiens 2. Cor. 6. [vs. 1.] Adhortamur, ne frustra gratiam Dei accipiatis. Vult audiri Evangelium, vult nos assentiri et obsequi, non indulgere contra conscientiam impietati. Praeterea Luc. 11. [vs. 13.] dicitur: Dabit Spiritum sanctum petentibus. Non inquit aspernantibus, conturbantibus et repugnantibus. Vult igitur luctari nos cum infirmitate nostra; Vult nos agnoscere peccata et quaerere liberationem, non retinere ea contra conscientiam, non igitur est otiosa voluntas.

Exposui doctrinam Evangelii de remissione peccatorum et de reconciliatione seu iustificatione, vere, et quanta potui proprietate. Nec dubito hanc ipsam esse sententiam eruditiorum Patrum, etiamsi qui interdum incommode loquuntur. Nihil intricati, nihil perplexi, nullae insidiae, nulla sophistica est in hac sententia, quam recensui, aut in explicatione nostra. Quid enim simplicius dici potest, quam consequi hominem remissionem et reconciliationem propter Christum Mediatorem fide, id est, fiducia promissae misericordiae propter ipsum, et non propter virtutes humanas. Haec sententia facile intelligi et iudicari potest ab omnibus piis mentibus in veris exercitiis poenitentiae et in quotidiana invocatione, quae profecto fieri non potest, nisi fides intueatur Mediatorem, propter quem exaudiamur. Ideoque ad Ecclesiae iudicium provoco, hoc est, ad pios, eruditos et intelligentes exercitia poenitentiae et invocationis.

[IX.]

DE BONIS OPERIBUS.

Postquam exposita est doctrina de reconciliatione et de fide, necesse est addi doctrinam de bonis operibus seu de nova obedientia. Plane igitur et clare dico: Obedientia nostra, hoc est, iustitia bonae conscientiae seu operum, quae Deus nobis praecepit, necessario sequi reconciliationem debet. Christus enim clare praecipit de poenitentia, et Paulus inquit [Rom. 8, 12.]: Debitores sumus, ne secundum carnem vivamus.

1. Cor. 6. [vs. 9.] Ne errate: fornicatores, adulteri, idololatrae, fures etc. non possidebunt regnum Dei.

1. Ioan. 3. [vss. 7 sq.] Nemo seducat vos: qui facit iustitiam iustus est; qui facit peccatum, ex Diabolo est: Ad hoc apparuit filius Dei, ut destruat opera Diaboli. Regeneramur igitur in reconciliatione, ut nova obedientia in nobis inchoëtur. Sicut et ad Ephesios [2, 10.] scriptum est: Ipsius opus sumus, conditi per Christum Iesum ad opera bona, quae praeparavit Deus, ut in eis ambulemus. Continet enim haec sententia et doctrinam necessariam et consolationem. Primum enim de necessitate concionatur, cum ait: Nos iterum conditos esse ad bona opera. Deinde consolatio est, quod inquit: Deum praeparare in Ecclesia bona opera, ut in Samuele, Davide, Iesaia, Ieremia et similibus admirabilia opera praeparavit, per quae et vocat et regit et conservat Ecclesiam, et ut alibi dicitur: Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis. Ita hic Paulus ait, Praeparari a Deo bona opera, id est, non solum mandari, ordinari et inchoari, sed etiam adiuvari, et stabiliri. Etsi luctatur Ecclesia cum magnis difficultatibus, ut ostendunt Ieremiae, Pauli et similium afflictiones, tamen res magnas gerit et salutares aliis, etiamsi mundus magna ex parte eas non intelligit. Sed nos intelligere vocationem nostram debemus, ut opera praeparata a Deo faciamus.

Sunt autem de bonis operibus hae quinque praecipuae quaestiones:

1.[70]) Quae opera sint facienda.
2. Quomodo fieri possint.
3. Quomodo placeant.
4. Cur facienda sint.
5. Quod sit discrimen peccatorum, cum necesse sit fateri, quod in hac vita maneant peccata in Sanctis.

---

70) *Numerorum notationes non habent* Editt. 1—4. 9.

DE PRIMA QUAESTIONE.

Quae opera sunt facienda?

Ea, quae nobis praecepta sunt in verbo Dei, et summa comprehensa est in Decalogo: De quo sciendum est, non tantum externa opera Decalogi facienda esse, quae etiam ab impiis utcunque simulari possunt, sed inchoandam esse interiorem obedientiam. Sunt autem opera interiora, quae ad primum praeceptum pertinent: Credere verbo Dei, Timere Deum, Confidere Deo. Timor conspicitur in contritione; Fides magis conspicitur, cum erigit perterrefactos. Sed hae virtutes in tota vita durare et exerceri debent. Et Fides, quae statuit iam nos a Deo receptos esse, quia agnoscit bonitatem Dei erga nos, parit dilectionem Dei, qua subiicimus nos voluntati Dei. Deinde sequuntur cetera bona opera iuxta omnia praecepta.

Adversarii videri volunt doctrinam operum praeclare tradere, cum plerumque tantum de externa hypocrisi dicant aut de humanis ceremoniis. Opera vero primae tabulae et fontem bonorum operum ignorant et obruunt: Nihil dicunt de fide, quae est fiducia misericordiae et gratuitae reconciliationis, necessaria in omni invocatione. Sublata autem hac fide, vincit dubitatio, quae aut contemnit Deum, aut fugit iratum, et non vere invocat. Porro hanc dubitationem hypocritae et approbant et confirmant, negant fidem intelligendam esse fiduciam misericordiae Dei, sed tantum significare notitiam, qualis est in Diabolis. Profecto dolendum est, ita depravari doctrinam Prophetarum et Apostolorum, ac potius acerbissimi cruciatus perferendi sunt, quam concedendum in his dictis Fidem non significare fiduciam misericordiae [Rom. 4, 3.]: Credidit Abraham Deo etc. Item [Rom. 5, 1.]: Iustificati fide pacem habemus. Item [ibid. vs. 2.]: Per Christum habemus accessum fide. Item [Galat. 2,20.]: Nunc autem vivo in fide filii Dei. Non sinamus eludi et depravari haec dicta, sed certo sciamus ea concionari nobis de fiducia misericordiae, et in omni invocatione discamus ad Deum accedendum esse fiducia filii ipsius, nec recipi nos propter nostram dignitatem.

Est igitur praecipuum opus bonum haec ipsa fides seu fiducia misericordiae, exercenda in omnibus vitae periculis et in omni invocatione. David dimicaturus credit se Deo placere propter promissionem, et quia scit se vocatum esse ad hanc obedientiam in sua functione, obtemperat, petit et expectat a Deo gubernationem periculorum. Hic interior cultus discernit veram Ecclesiam Dei a reliqua multitudine. Vivit honeste Cicero, bene meretur de toto genere humano in gubernatione Reipublicae, imo intelligit etiam Deum esse unam quandam aeternam mentem, caussam boni, ut definivit Plato, et simulacra illa, quae vulgus colebat, nihil habere numinis. Sed tamen postea de providentia obruitur mens Ciceronis dubitatione, quia ignorat promissiones Dei, dubitat se et alios exaudiri et[71]) iuvari ab eo, praesertim in calamitatibus, in quibus etiam irascitur Deo deserenti. Talis est et Saul. Interest igitur inter Ciceronem et Ieremiam. Ieremias servit suae Reipublicae, sed huic operi praelucet fides; Statuit Ieremias se Deo placere et exaudiri ac servari a Deo, etiamsi videt se ingenti mole calamitatum obrui, deleri patriam, cives dissipari, multos manifesto beneficio divino servatos deficere a Deo, grassari inter se mutuis caedibus, postremo et sese mactari. Talia spectacula Ciceroni obiecta prorsus merserunt eum in tenebras et infinitam dubitationem. Nec potest humana mens sine fide aliud cogitare, quam quod apud Lucanum [Pharsal. II, 12 sq.] dicitur:

Anne nihil positum est? sed sors incerta vagatur,
Fertque refertque vices, et habent mortalia casum.

Sed tales dubitationes vicit Ieremias, et ingenti constantia sensit se Deo placere, et hac fide petiit et expectavit bonos eventus suae gubernationis, qui post annos septuaginta secuti sunt.

De hoc interiore cultu praecipit Christus inquiens [Ioh. 4, 23.]: Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu et veritate, id est, spiritualibus et veris motibus, timore, poenitentia, fide et invocatione, et similibus. Et hunc cultum vocat Paulus rationalem, λογικὸν, videlicet, in quo mens intelligit Deum, agnoscit iram Dei, et rursus fide se sustentat, et quidem fides intuetur filium Dei, et agnoscit nos propter Christum Mediatorem recipi a Deo. De hoc cultu interiore et Iesaias concionatur taxans hypocritas, qui putabant cultum esse externam disciplinam et ceremonias templi. Sic igitur inquit: Haec dicit Dominus, Ad quem respiciam? Ad afflictum et contritum spiritu, et trementem sermones meos. Ita et Psalmus 49. taxat superstitionem externorum cultuum, et flagitat interiores cultus et veram invocationem [vs. 15.]: Invoca me in die tribulationis etc.

Haec satis sit breviter monuisse de prima quaestione, et de interiore cultu. Iam cum tanta sit infirmitas humanae mentis, tanta dubitatio, cum haec infirma natura hominum onerata sit ingenti mole calamitatum, quaeri mox solet, quomodo possimus praestare veros cultus.

---

71) et] Editt. 1—15. 19. ac

DE SECUNDA QUAESTIONE.

Quomodo possunt [72]) fieri bona opera?

Non indulgendum est ignaviae humanae, sed saepe dixi externos mores humana diligentia et humanis viribus utcunque regi posse, et Deum postulare hanc diligentiam, ut scriptum est: Lex est iniustis posita. Item: Ne contristetis Spiritum sanctum. Sed interior obedientia non potest inchoari sine agnitione Evangelii et sine Spiritu sancto. Primum enim dilectio Dei existere non potest, nisi prius audita voce Evangelii de remissione. Mens ignara reconciliationis aut contemnit Deum aut fugit iratum; Ideo non potest inchoari dilectio, nisi prius audita voce Evangelii de reconciliatione. Haec manifestissima sunt. Ut igitur dilectio oriatur, necesse est praecedere fidem, hoc est, fiduciam misericordiae, de qua diximus. Iam et hoc sciendum est, cum fide eriguntur perterrefactae mentes, simul datur Spiritus sanctus, qui excitat novos motus in corde congruentes legi Dei. Et sic dari Spiritum sanctum, clare docet Paulus Gal. 3. [vs. 14.] Ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem, et hanc ipsam condonationem [73]) et praecipuos effectus Spiritus sancti, dulcissimis verbis describit Zacharias cap. 12. [74]) [vs. 10.] Effundam super domum David Spiritum gratiae et precum. Vocat Spiritum gratiae, eo quod testificatur in cordibus nostris, quod Deus sit nobis propitius, cum videlicet movet corda, ut promissioni assentiamur, et statuamus nos a Deo recipi. Deinde cum agnovimus misericordiam Dei, invocamus, diligimus et subiicimus nos ei. Nominat igitur postea Spiritum precum. Complexus est igitur praecipuos cultus, qui sunt fontes universae obedientiae, fidem et invocationem. Sumamus autem ex hoc dicto et doctrinam et adhortationem. Meminerimus in hoc ipso dicto nobis praecipi, ut hos cultus praestemus, ut credamus Deo et invocemus eum. Excutitur ergo et contristatur Spiritus sanctus, extincta fide et conturbata invocatione per lapsus malae conscientiae.

Post lapsum humani generis secuta est ingens infirmitas, et accedunt insidiae Diaboli, qui odio Dei grassatur in genus humanum, studet augere adversus Deum contumaciam, contumelias, blasphemias, impellit ad varia peccata imbecillem hominum naturam, incitat prava ingenia ad fingendas opiniones contra verbum Dei, dissipat Ecclesiam et regna, et miscet orbem terrarum iniustis bellis, pellit Ecclesiam ex hospitiis suis, ut eam dissipet ac deleat. Ita primum incendit Cain livore et odio fratris, eaque caedes non solum ipsum Abel, sed etiam parentes luctu interfecisset, nisi divinitus sustentati fuis sent. Haec exempla tristissimorum casuum in toto genere humano quotidiana sunt. Quam miserabiles exitus fuerunt summorum virorum, Saul, Ionathae, Hectoris, Priami, Achillis, Aiacis, Pompeii, Caesaris et innumerabilium aliorum. Denique notae sunt querelae de inconstantia fortunae, de subitis ruinis florentis fortunae: Nescis, quid serus vesper vehat. [75]) Et: Subito casu, quae valuere, ruunt [75a])

Quanquam igitur universum genus humanum in perpetuis periculis versatur, tamen Ecclesia multo durius concutitur; quia Diabolus vehementius eam oppugnat, sicut statim in Genesi [3, 15.] dictum est: Serpens mordebit calcaneum eius. Sicut venenato morsu non exiguum vulnus inflixit Davidi, ita singulis insidiatur tanquam leo rugiens, vagabundus, et quaerens quem devoret. Quanta saevitia grassatus est in Ecclesiam, postquam Mahometicus furor crevit annos iam nongentos? quae ruinae Ecclesiarum secutae sunt? quae iam est regnorum species in tantis Regum dissensionibus? quid aliud cogitari potest, quam brevi Turcas reliqua Europa potituros esse?

Cum igitur res ostendat, grassari Diabolum et insidiari nobis, et manifesta sit infirmitas humanae naturae, opponamus auxilium nobis ostensum in Evangelio. Quodnam?

I. Pollicetur filius Dei se ipsum nobis affuturum esse, et depulsurum Diaboli saevitiam. Ideo inquit Ioannes: Ad hoc apparuit filius Dei, ut destruat opera Diaboli, peccatum, mortem, blasphemias, dissipationes, quas molitur Diabolus. Sic servati sunt Adam et Eva in luctu, intuentes in promissionem, fide se sustentarunt, et petiverunt a Deo aliam sobolem, per quam propagaretur vera doctrina etc. Et protexit eos filius Dei adversus Diabolum, et Spiritu sancto erexit moestas mentes. Sic Iacob inquit de filio Dei: Angelus, qui me eripuit ex cunctis malis, benedicat pueris istis. Nam haec propria sunt filii Dei officia, benedicere et liberare a cunctis malis, ab ira Dei, a morte aeterna et poenis aliis iram Dei comitantibus. Et apud Iesaiam [7, 14.] vocatur Christus Emanuel, id est, nobiscum Deus, quod nobis adsit opitulator. Excubat igitur pro nobis et depellit Diabolum.

Praeterea effundit Spiritum sanctum in corda

72) possunt] Editt. 1—3. 6. 7. 9. 12. possint

73) condonationem] Editt. 1—12. 17. 21. donationem

74) 12.] Editt. 1—16. 19. 23. male: 2.

75) Conf. Virg. Georg. I, 461.

75a) Ovid. epist. ex Ponto IV, 3, 36.

invocantium: Ideo dicitur Ioan. 14. [vs. 18.] Non relinquam vos orphanos, si quid petetis [76]) in nomine meo, faciam. et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis etc. Haec auxilia revera experiemur, si adversabimur pravis affectibus et insidiis Diaboli, et in his certaminibus invocabimus Deum, fiducia filii Mediatoris, sicut ipse nominatim inquit: Si quid petetis in nomine meo. Oportet enim discrimen esse inter invocationem veram, seu populi Dei, et invocationem Iudaicam, seu Turcicam. Duo in omni invocatione fides initio statuat, quod hunc aeternum Deum esse credas et invoces, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi pro nobis crucifixi et resuscitati; Deinde, quod propter hunc Mediatorem vere audiantur et recipiantur tuae preces. Haec diligenter observent pii; Nam haec invocatio praecipue facit discrimen inter Ecclesiam et Gentes pugnantes cum Evangelio.

Haec doctrina de secunda quaestione semper sit in conspectu, sciamus vere nobis esse adiutorem et defensorem filium Dei, sicut et Paulus inquit, affuisse eum populo in deserto; Et sciamus vere dari Spiritum sanctum invocantibus, sicut scriptum est: Ascendit, dedit dona hominibus. Sic regnat, ut dona sua, iustitiam, vitam, consilium, gubernationem, successus et alia bona impertiat. Et ut sic de auxilio Dei sentiamus, confirmemus nos testimoniis Evangelii, et discutiamus tenebras humanae mentis, quae fingit Deum otiosum esse, non curare singulos, ut Homerus fingit Iovem quaesitum in coelo abiisse ad convivium in Aethiopiam. Haec deliramenta significant, quales sint [77]) humanae cogitationes de Deo, quas ideo recensui, ut extirpentur, et accendatur vera agnitio Dei, vere agnoscamus iram Dei et misericordiam.

DE TERTIA QUAESTIONE.

Quomodo placent Deo bona opera?

Constat pias mentes angi et optare, ut placeat obedientia Deo. Sed in tanta infirmitate nostra vident esse mutilam, impeditam, imperfectam, contaminatam. Sicut Paulus inquit [Rom. 7, 15.]: Non quod volo bonum, hoc facio. Quaerunt igitur, quomodo placeant Deo?

Aliter autem iudicant Hypocritae, aliter anxiae et pavidae mentes. Hypocritae putant se Legi satisfacere, se iustos, id est, acceptos Deo esse propter propriam dignitatem seu Legis impletionem, ut Pharisaeus Luc. 18. Ac semper aliqui tales sunt, qui admirantur suas virtutes, sibi sapientiam et iustitiam prolixe tribuunt, praesertim in rebus secundis et florentibus, quas consilio suo regere se existimant, et arbitrantur se virtutum et diligentiae suae fructum capere divinitus, cum sunt res tranquillae. Ideo et propter sapientiam ac iustitiam se ceteris anteferunt, ut Nabuchodonosor, [78]) magnis rebus gestis, inquit: Haec est illa Babylon, hoc est regnum mea virtute constitutum. Sic et Saul cogitabat, sua virtute regnum Israël constitutum esse, cum agnoscere deberet, et hanc virtutem et successus Dei beneficia fuisse, et se non potuisse res tantas gubernare aut gerere, ac Deo in timore serviendum esse, ne ab eo desereretur. Sed factus confidentior propter successus sumit sibi licentiam grassandi in ceteros, interficit Sacerdotes etc. Haec imago hypocritarum proponitur, nec pauci sunt tales securi, placentes sibi propter suas dotes, applaudentes propriae sapientiae, extenuantes doctrinam divinam, et ex sublimi deridentes Evangelium, arte, fraude, vi prementes eam partem, cui sunt infesti, praetexentes etiam honestos titulos, quia iactitant dimicare se de gloria Dei, de veritate, se esse constantes Ecclesiae cives, se esse membra populi Dei, quia propugnent ordinariam potestatem, longi temporis consensum. Tales erant Pontifices, qui adversabantur Apostolis, tales vidimus et ipsi multos his annis, Vuicelium et similes. Sed alii sunt pavidi, qui agnoscunt imbecillitatem, et luctantur cum desperatione, ut Petrus consternatus inquit Luc. 5. [vs. 8.] Egredere a me, Domine. Utrumque igitur hoc loco agendum est, arrogantia taxanda, et pavidis vera consolatio monstranda est.

Primo vero hoc constituendum est, etsi in renatis necesse est esse inchoatam obedientiam, et iustitiam bonae conscientiae, tamen adhuc manent in eis peccata, scilicet morbi nobiscum nascentes, dubitationes et ignorantiae multae. Item, quod non tantum timent Deum, quantum debent, nec ita ardent dilectione Dei, ut Lex praecipit. Multa sunt item [79]) actualia, multae flammae illiciti [80]) amoris, odii, cupiditatis vindictae, invidentiae aemulationum, avaritiae, Multi lapsus in vocatione, insignes negligentiae, acres indignationes adversus Deum in afflictionibus, saepe humana praesidia honesta specie quaeruntur, sed tamen ex diffidentia Dei. Saepe suscipiuntur res non necessariae extra vocationem, fiducia propriae sapientiae aut potentiae, ut

---

76) petetis] Editt. 18. 20. 25—27., Corp. 1. 2. 4. petitis

77) sint] Ed. 22. errore typ.: sunt.

78) Nabuchodonosor] Editt. 1. 3. Nabugdonosor

79) sunt item] Editt. 1—17. 19. 21. 23. 26. 27. item sunt

80) illiciti] Editt. 1—17. 21. illicitae

Iosias bellum non necessarium adversus Aegyptios movit.

Denique moles peccati haerens etiam in renatis longe maior est, quam ut comprehendi cogitatione ullius hominis possit. Nec putemus leve dictum esse [Ps. 18,13.]: Delicta quis intelligit? Longum autem esset enumerare species peccatorum, quae manent in Sanctis. Sed Paulus in summa complexus est Rom. 7. cum de interiore contumacia adversus omnia praecepta loquitur. Sed superbi hypocritae haec arcana peccata non intelligunt, imo Monachi docent dubitationes illas de providentia, de ira Dei, de misericordia, et affectus vitiosos, nisi accedat consensus, non esse peccata, nec tantum de voce disputant, sed de re, negant haec vitia esse res pugnantes cum Lege Dei. Haec extenuatio falsa est, et contumeliosa contra Legem Dei, et tenebras inducit doctrinae de Gratia, de Iustitia fidei, et confirmat persuasionem falsam, quod renati satisfaciant[81]) Legi Dei.

Ut igitur arrogantia taxetur, colligam testimonia, quae ostendunt renatos in hac vita non satisfacere Legi Dei, et manere in hac natura mortali peccatum. Psal. 143. [vs. 2.] Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. 1. Ioan. 1. [vs. 8.] Si dicimus, quod peccatum non habeamus, nos ipsos seducimus, et veritas non est in nobis. Psal. 18. [vs. 13.] Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo. Rom. 7. [vs. 23.] Video aliam Legem in membris meis, quae repugnat Legi mentis meae, et captivum me facit Legi peccati, quae est in membris meis. Etsi autem Sophistae eludunt hunc locum, et dicunt Metalepsin esse in vocabulo Peccati, ac significari poenam peccati, pronitatem ortam ex lapsu primorum parentum, tamen Paulus ipse refutat hanc elusionem, cum definit hoc ipsum peccatum, et dicit esse malum in membris nostris pugnans cum lege Dei.

Porro de hoc ipso articulo disserimus, an vitium reliquum in natura sit res pugnans cum Lege Dei. Humana iudicia extenuant hanc depravationem, sed Paulus illustribus verbis usus est, ad significandam atrocitatem rei. Militat, inquit, in membris illa depravatio, et grassatur hostili more adversus Legem mentis, confirmat vel securitatem carnalem, vel iniustam diffidentiam, inflat animum admiratione suarum virtutum et arrogantia, incendit libidines, odia, cupiditatem vindictae, incitat ad quaerenda inconcessa praesidia, denique captivum rapit, quia diffidentes animos concutit terroribus, et sollicitat ad desperationem, ad fugiendum Deum. Haec non sunt levia mala, ut humana philosophia existimat, sed durissime excruciant[82]) sanctos. Ut Moyses ad petram languefactus et consternatus est subita trepidatione et dubitatione. Lapsus est et David, cum numerari populum iuberet, vel humana superbia elatus, ut ostenderet regnum crevisse, vel humano consilio sine mandato Dei novam in regno ordinationem facturus.

Matth. 6. [vs. 12.] docet sanctos orare: Remitte nobis debita nostra. Adsunt igitur peccata in hac tota vita, quorum petenda est condonatio. Idem docet, cum ait: Cum feceritis omnia, dicite, servi inutiles sumus. 1. Cor. 4. [vs. 4.] Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum. Docet opus esse iustitia bonae conscientiae, sed tamen inquit: Haec nondum est res, propter quam certum sit me habere remissionem peccatorum, et me Deo reconciliatum esse, sed recipit me Deus propter filium Mediatorem fide. Psal. 130. [vs. 3.] Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? Hac voce agnoscit peccatum adesse, et non extenuat, sed agnoscit tantam esse magnitudinem irae Dei, ut sustineri non posset, nisi Deus eam mitigaret sua immensa misericordia propter filium. Nam humana natura non potest sustinere iram Dei et iustas poenas, sicut et[83]) Ezechias fatetur [Ies. 38, 13.]: Sicut Leo contrivit omnia ossa mea. Et Iob. 9. [vs. 13.] Deus, cuius irae nemo resistere potest.

Quanquam igitur adsunt peccata, et pii aliquo modo agnoscunt iram, tamen credunt se placere Deo propter promissam misericordiam, et hac se consolatione sustentant, sicut idem Psalmus [129. 4. 5. 7.] dicit: Sustinuit anima mea in verbo eius; Speravit anima mea in Domino; Quoniam apud Dominum misericordia est. Psal. 32. [vs. 5.] Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei; Pro hoc orabit ad te omnis Sanctus. Clare dicit, Sanctos petere remissionem peccatorum. Exod. 34. [vs. 7.] Coram te innocens non est innocens, id est, etiamsi quis humano iudicio argui non potest, tamen tu potes eum accusare. Dan. 9. [vss. 7. 9.] Tibi, Domine, iustitia, nobis autem confusio, id est, agnoscimus te iustum esse, ac nos iuste puniri; Tua est autem, Domine Deus noster, misericordia. Precamur ergo non propter iustitiam nostram, sed propter miserationes tuas multas, exaudi nos propter Dominum, id est, promissum Mediatorem. Hic locus illustre testimonium est consensus Prophetici et Apostolici. Prorsus idem docet Daniel.

81) satisfaciant] Editt. 18. 20. 25., Corp. 1. 2. 4. satisfaciunt.

82) excruciant] Ed. 1. excruciat

83) et *abest ab* Editt. 15 — 18. 20 — 22. 24. 25. 28—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2.

quod Paulus tam copiose disputat. Statuendum esse, quod natura hominum sit vitiosa et non satisfaciat Legi, sed quod vere recipiamur a Deo per misericordiam propter promissum Dominum. Nam et Daniel nominatim addit, propter Dominum.

Talia testimonia conferamus ad Paulum, ut videamus unam et perpetuam esse sententiam Catholicae Ecclesiae Dei, Patrum, Prophetarum, Christi, Apostolorum, et hunc consensum amplectamur, nec ab eo discedamus, etiamsi qua turba recentium Monachorum diversum tradidit, quae male dilutam Philosophiam miscuit doctrinae Evangelii.

1. Cor. 1. [vs. 31.] Qui gloriatur, in Domino glorietur, id est, non possumus gloriari, quod simus sine peccato, sed gloriemur in Domino, videlicet promittente misericordiam. Sicut et alias dicitur: Conclusit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur. Item Rom. 3. [vs. 9.] Diximus omnes sub peccato esse. Et additur aliquanto post asseveratio: Ut omne[84] os obturetur[85]) et reus fiat totus mundus Deo. Toties repetit universalem, ut nihil dubium sit accusare eum omnes. Agnoscamus igitur imbecillitatem nostram, et fateamur etiam in renatis esse peccata, scilicet depravationem naturae et vitiosos affectus plurimos, et expavescamus agnitione irae Dei adversus haec mala, et doleamus in nobis adhuc esse tantum vitiorum contra voluntatem Dei, ac crescat in nobis vera poenitentia, et agnitio imbecillitatis excutiat arrogantiam, subiiciat nos Deo, hortetur ad timorem Dei, ad implorandam misericordiam et petendum auxilium.

Postquam vero taxata est arrogantia, rursus etiam piae mentes docendae sunt de fide, ne ruant in desperationem. Hae docendae sunt, quomodo placeat inchoata obedientia. In hoc loco semper haec tria coniungamus.

Primum statuat renatus, se reconciliatum esse Deo fide propter filium Dei, seu, ut saepe dicitur, recipi personam propter filium Dei fide gratis.

Secundo agnoscat, in hac vita manere infirmitatem et peccata in renatis, ac vere doleat se adhuc habere caliginem, pravitatem, *ἀταξίαν*, vitiosos affectus contra legem Dei.

Tertio, et tamen statuat oportere inchoari obedientiam et iustitiam bonae conscientiae, et hanc, quanquam procul abest a perfectione legis, tamen in reconciliatis placere Deo propter filium Mediatorem, qui nostram invocationem et nostros cultus perfert ad Patrem, et condonat infirmitatem. Ita propter Christum primum reconciliatur persona, postea et opera recipiuntur, et fides in utroque luceat. Ideo Petrus inquit [1. ep. 2, 5.]: Offerte hostias spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum.

Haec tria quotidie in nostris operibus cogitemus. Nec enim somniandum est, Deo non esse curae bona opera; Imo et curat et postulat obedientiam, et horribilibus poenis, aeternis et praesentibus, punit contumaciam, quae fit contra conscientiam. Necesse est igitur habere iustitiam bonae conscientiae, et scire quomodo Deo placeat. Nam, labefactata seu dubitante conscientia, non potest Deus invocari. Haec diligenter inculcanda sunt animis; Nam in his exercitiis lucet fides, et crescit agnitio vera Dei et novitas spiritualis.

Dupliciter autem fides exercetur in operibus, primum statuens, quod placeat obedientia, ut ante dixi; Deinde et auxilium petens, ut David scit gubernationem esse rem impeditam et periculosam, sed credit Deo placere suos labores[86]) propter promissam misericordiam. Deinde etiam auxilium petit, et laborat in defensione populi et regendis moribus civium quantum potest; Nec dubium est, piis mentibus hanc admonitionem gratam esse, quae cum studeant Deo obedire, tamen agnoscunt naturae caliginem, offensiones varias, et has ita deplorant, ut paene ruant in desperationem. Quid hic dulcius dici potest hac voce Pauli? [Rom. 8, 1.] Nulla nunc condemnatio his, qui in Christo Iesu ambulant, id est, etsi renati non sunt sine peccato, tamen Deus eos recipit, et iustos pronuntiat[87]) propter filium credentes; Deinde recipit et obedientiam eorum propter filium.

Sic et ad Colossenses dicit: In Christo consummati estis, id est, etiamsi renati nondum satisfaciunt Legi, tamen sunt iusti et placent Deo propter filium. Hic agnoscamus et celebremus amplitudinem misericordiae Dei, quod videlicet in reconciliatis hanc exiguam, imperfectam, sordidam et multis affectibus vitiosis contaminatam obedientiam tamen recipit, non quidem propter dignitatem virtutum nostrarum, sed propter filium Dei. Rom. 6. [vs. 14.] Non estis sub lege, sed sub gratia. Ibi hoc ipsum quaeritur: An placeat obedientia, cum legi non satisfaciat. Respondet Paulus: Placere, quia non simus sub lege, id est, non damnati lege, sed sub gratia, id est, reconciliati seu recepti in gratiam. Rom. 8. [vs. 34.] Quis condemnabit? Christus pro nobis mortuus est, et resurrexit, qui est ad dextram Dei, et pro nobis interpellat, id est, placent Sancti propter interpellantem Christum. Rom. 3. [vs. 31.] Legem stabilimus per fidem. Breve dictum est,

---

84) omne *abest ab* Editt. 1. 3.

85) obturetur] Editt. 4. 5. 8. 10. 11. 13. 15 — 17. 21. 22. 24. obduretur

86) suos labores] Editt. 1. 3. suam operam

87) pronuntiat] Editt. 1—16. 19. pronunciavit

sed hoc ipsum docet, quod hic dicimus: Nec inchoari obedientia potest, nec placet, nisi fides accedat, quae statuit placere personam et inchoatam obedientiam propter Mediatorem. Ita inquit: stabilimus Legem, non tollimus obedientiam, sed postulamus ac retinemus, ac ut retineatur, docemus, quomodo praestari possit et quomodo placeat.

Postquam dictum est, quomodo placeat haec obedientia, quam experimur omnes procul abesse a perfectione Legis; Deinde addantur testimonia, quae clare dicunt, Placere Deo sanctorum opera sive inchoatam obedientiam; Et his dictis studium bene operandi accendamus, ac simul nos de immensa misericordia Dei admoneamus, qui non solum approbat, sed etiam ornat honore ac praemiis hanc sordidam obedientiam. Aspiciamus enim nos ipsi, et cogitemus, quam rara sit excellens virtus. Simulacra sunt quaedam virtutum qualiacunqae in hominibus tenuia et fugacia, quae nequaquam satisfaciunt legi Dei, requirenti longe maiorem lucem et ordinem in natura hominis, et tamen haec simulacra recipiuntur, ut dictum est, propter filium pro nobis assidue interpellantem. Ideo Rom. 10. [vs. 10.] dicitur: Corde credimus ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem. Cum postulat confessionem, vult totam vitam esse confessionem. Quia universa vita eo dirigenda est, ut celebret Deum, ostendat, quid profiteamur, et ornet Evangelium, sicut dictum est [Matth. 5, 16.]: Luceat lux vestra. Ut, princeps ostendat quid sentiat, invocet Deum in periculis, ostendat se ideo praestare obedientiam, ut Deo serviat, aboleat impios cultus, ut extent signa confessionis. Sic sua cuiusque vocatio habeat signa confessionis. Scholasticus ostendat suam sententiam, invocet Deum in omni cursu vitae plenae periculorum, refutet impias opiniones, et in regendis moribus ostendat se ideo praestare obedientiam, ut Deo serviat, ut ornet Evangelium; Et quidem vita hominum ita consociata est, ut in conversatione et communicatione officiorum luceat confessio. Sed cur dicit: Confessio fit ad salutem? Brevis est responsio: Etiamsi fide propter Christum sumus iusti, id est, accepti ad vitam aeternam, tamen sequi necesse est hanc novitatem, hanc vult adesse, cum ait: Fit confessio ad salutem. Ita inquit [2. Cor. 5. [vss. 2 sq.] Superindui desiderantes, si tamen induti et non nudi reperiemur, id est, oportet in hac vita fieri conversionem, quae simul est inchoatio novitatis. Haec etiam in latrone conversio inchoata est; agit enim poenitentiam, agnoscit se iuste a Deo puniri; Deinde et fide agnoscit Salvatorem, et petit ab eo salutem; Ideoque audit claram absolutionem et concionem de vita aeterna et promissionem. Praeterea ut extet signum confessionis, refutat maledicentem Christo.

Hoc memorabile exemplum de multis magnis rebus nos admonet, significat Deo Ecclesiam ita curae esse, ut excitet aliquos doctrinae testes, tunc quoque, cum a praecipuis gubernatoribus deseritur. Apostoli consternati tacebant, et vix inter tantas procellas dubitationum aliquam fidei scintillam retinebant. Hic nova edit testimonia Deus, commonefacit homines inusitata eclipsi, terrae motu, et resuscitatione mortuorum, ne putent hoc supplicium vulgare esse aut negligi a Deo; excitatur et latro, qui factus Apostolus iam de cruce concionatur, et affirmat hunc esse Messiam, instauratorem vitae externae. Deinde privatim docet nos haec historia, vere esse hanc Evangelii sententiam, quod recipiamur fide propter filium Dei, etiamsi non afferamus merita. Docet item de natura fidei, quod videlicet non tantum sit notitia historiae, sed fiducia petens vitam aeternam a filio. Et haec flamma cum excitata est, longe aliter iudicat quam humana ratio. Non deterret latronem spectaculum corporum laceratorum et morientium, quo minus statuat restare vitam, et confugientes ad hunc Dominum habituros aeternam salutem; Alios vero, qui hunc Dominum contemnunt, futuros in aeternis poenis, et quia fide iam sentit sibi Deum propitium esse, subiicit se ei et diligit eum; Agnoscit se non casu puniri, agit gratias Deo, quod vocatus sit ad agnitionem Dei et huius Domini; Vult obedire Deo in hac poena toleranda, nec irascitur iudicio Dei, agnoscit, humanum genus non, ut Philosophi putant, propter materiam aut casu obrui morte et aliis calamitatibus, sed propter peccatum a Deo tanta mole aerumnarum puniri, ut agnoscamus iram Dei, et quaeramus salutem. Ideoque praecipit de patientia, ut Deo obedire velimus in perferendis afflictionibus. Eruditur ergo latro in conversione de peccato, de ira Dei, de poenis, de remissione et iustitia, ut intelligat longe aliam esse sapientiam sanctorum, quam humanae sit rationis aut Pharisaica sapientia. Nam pii multa in afflictionibus discunt, ut dicitur in Psalmo [118, 71.]: Bonum est, quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas. Postremo accedit confessio, in qua praedicat hunc esse Messiam, nec deterretur spectaculo supplicii, obiurgat etiam alterum latronem, qui venenatis ironiis exprobrat supplicium Christo et propter crucem eum contemnit; sicut mundus Caristum ac Ecclesiam propter infirmitatem superbe aspernatur. Estque diligenter contemplanda imago huius subsannatoris. Ut enim hic in media morte ridet, et insuper contumelia afficit Christum; Ita impii tanquam furentes non norunt sua mala, et insuper contumeliosi sunt adversus Christum, cum offert liberationem.

Recitavi exemplum, quod [88]) cum de aliis rebus multis nos admonet, tum hoc quoque ostendit, in

---

88) quod] Edit. 1—4. 6. 7. 9. quia

vera conversione inchoari novam obedientiam, quae etiam se ostendit multis honestis actionibus, quae, ut dixi, placent Deo. Sicut et Rom. 14 [vs. 17.] Paulus inquit: Regnum Dei non est cibus et potus, sed iustitia, pax et gaudium in Spiritu sancto, qui in his servit Deo, placet Deo, et probatus est hominibus. Ad Hebr. ult. [13, 16.]: Beneficentiae et liberalitatis nolite oblivisci, nam hae hostiae placent Deo. Sic et de Noë dicitur [Gen. 8, 21.]: Odoratus est Deus odorem suavitatis, id est, delectatus sacrificio Noë, id est, invocatione, gratiarum actione, laude et doctrina. Mira est autem metaphora in verbo Odorandi sumpta a ritu veteri; quia sacrificia dicebatur Deus odorari, cum divinitus incendebantur.[89]) Id erat singulare testimonium, quod placerent et acciperentur. Ceterum generaliter sacrificia conferuntur odoribus, et addebantur odores, quia omnia opera decent esse odores, id est, late sparsa et bene fragrans fama de Deo, id est, debent referri ad celebrandum Deum, ut alii bona doctrina et bonis exemplis invitentur.

DE QUARTA QUAESTIONE.[90])

Propter quas caussas facienda sunt bona opera?

Multae sunt caussae. Necessitas, Dignitas, Praemia. Et primum multiplex est Necessitas, Mandati, Debiti, Retinendae Fidei, et vitandi Poenas. Etsi enim aliud est loqui de coactione, tamen manet ordinatio aeterna Dei et immutabilis, ut voluntati Dei creatura obtemperet. Haec ordinatio immutabilis est mandati et debiti necessitas, sicut Paulus inquit [Rom. 8, 12.]: Debitores sumus Dei, non carnis. Et Christus inquit [Ioh. 13, 34.]: Hoc est mandatum meum, ut diligatis vos invicem. Et 1. Thess. 4. [vs. 3.] Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra, abstinere a scortatione, possidere unumquemque vas suum, id est, corpus, in sanctificatione et honore, non in affectibus libidinis, sicut Gentes ignarae Dei, et non iniuria afficere et defraudare fratrem in negotiis, quia vindex est Deus de his omnibus. Non enim vocavit nos Deus ad immunditiem, sed ad sanctificationem. Ideo qui haec contemnit, non hominem contemnit, sed Deum, qui dat Spiritum sanctum suum vobis.

Necessitas retinendae fidei est, quia Spiritus sanctus expellitur et perturbatur[91]), cum admittuntur peccata contra conscientiam. Sicut clare dicitur 1. Ioan. 3. [vs. 7.] Nemo decipiat vos: qui facit peccatum, ex Diabolo est. Et Rom. 8. [vs. 13.] Si actiones carnis spiritu mortificabitis, vivetis; si secundum carnem vivetis, moriemini. Et excuti fidem per mala opera testatur hoc dictum Pauli 1. Tim. 5. [vs. 8.] Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem abnegavit et est infideli deterior. Item: Fides esse non[92]) potest in his, qui indulgent pravis cupiditatibus, nec agunt poenitentiam, quia scriptum est: Ubi habitabit Dominus? in spiritu contrito et tremente sermones meos. Item, cum fides afferat pacem conscientiae, non potest simul esse cum proposito retinente delictum, quod condemnat conscientiam. Ideo Paulus inquit [Rom. 14, 23.]: Omne, quod non est[93]) ex fide, peccatum est.

Excussit igitur David fidem et Spiritum sanctum, cum raperet alterius coniugem, et quidem multipliciter Spiritum sanctum perturbavit, primum in corde suo, unde pulsus est in adulterio, deinde in multis sanctis, quorum aliis scandalum attulit dolorem, aliis fuit occasio exitii. Item in miserrimis mulieribus, vi stupratis ab Absolone,[94]) et eius manipularibus.

Necessitas vitandi poenas debebat quidem animos movere, cum totam mundi historiam plenam tristissimorum eventuum videamus, qui certe sunt poenae peccatorum. Sed tanta caecitas est hominum, ut casu plerosque accidere existiment. Haec amentia tollenda est: Sciamus omnes tristes eventus humanos vere esse poenas, cum primi lapsus, tum aliorum peccatorum; sicut Psal. 38. [vs. 12.] inquit: Propter iniquitates corripis hominem. Imo cum praesentia omnia sint momentanea, praesentes poenae non respondent irae Dei aeternae, sed sunt testimonia iudicii venturi. Deus nos commonefacit restare iudicium aliud, in quo non de momentaneis et pereuntibus rebus agetur, sed de aeternis. Hoc iudicium semper in conspectu esse debet, de hoc iudicio nos ipsos admoneamus, quoties praesentes poenas videmus.

Ac repudietur illa frigida cavillatio, qua reprehenduntur benefacta metu poenae. Facilis est responsio piis, qui sciunt eiusdem facti multas esse caussas et ordinatas. Sciunt potius propter Deum recte faciendum esse, quam propter poenas. Sed sciunt hoc quoque Deum velle agnosci voluntatem suam et iram in poenis, velle metui poenas praesentes et futuras. Et omnes poenae late patent, saepe puniuntur peccata peccatis, et implicantur multi homines peccatis et calamitatibus. Horum malorum

89) incendebantur.] Editt. 1. 3. incenderentur.

90) DE QUARTA QUAESTIONE.] Editt. 1. 3. QUARTA QUAESTIO.

91) perturbatur] Editt. 22. 24. 28. 29. 31—33., Opp. 1. 2. conturbatur

92) esse non] Editt. 22. 24. 28. 29. 31—33., Opp. 1. 2. non esse

93) est *abest ab* Editt. 22. 24. 28. 29.

94) Absolone,] Editt. 1. 3. Absalone.

omnium saepe unus aliquis est reus: ut lapsus Davidis, quantum peperit scelerum, desperationum, blasphemiarum et tristissimarum rerum? Cultus idoli, a Salomone admissus, fuit caussa dilacerationis regni Israël. Haec distractio et religionis discordiam et perpetua bella attulit. Talia exempla Deus vult considerari, ut vere metuamus ipsius iram, et nostrae ac alienae salutis rationem habeamus. Sed caeca mens hominis nec peccati nec irae Dei magnitudinem cernit; Imo ne praesentibus quidem poenis satis afficitur. Sicut impius latro adhuc ludit in sua calamitate et Christum deridet.

Discant autem pii, ut dictum est, agnoscere iram Dei in tanta magnitudine calamitatum humanarum, discant et insidias Diaboli cavere, qui paulatim per gradus impellit et longam telam texit multarum miseriarum, ut tandem impellat ad desperationem. Sicut dictum est [1. Petr. 5, 8.]: Circumit tanquam leo rugiens, quaerens quem devoret.

Sequitur dignitas. Hic rursus admoneo, non esse dignitatem virtutibus tribuendam, quod propter eas persona habeat remissionem peccatorum, quod satisfaciant legi Dei, sint pretium vitae aeternae. Sed fides praeluceat, quae statuat nos propter filium Dei placere, sicut supra dictum est. Postea vero etiam propter hunc ipsum Mediatorem hos cultus placere Deo, qui non vult totum genus humanum perire. Ideo vult aliquam esse Ecclesiam, in qua agnoscatur, invocetur, colatur, huius obedientiam propter filium recipit, et vocat sacrificia, id est, opera, quibus Deus iudicat se honore affici. Ideo Petrus inquit [1. ep. 2, 5.]: Offerte hostias spirituales. Haec est dignitas vocationis, non personae, sicut Magistratus aut Apostolus sua opera magnifacere et cogitare debet, res esse maximas, per quas Deus vitam regit, dat vitam aeternam; Ideoque gubernari et iuvari a Deo, et hanc ob caussam studiosius omnia faciat.

Sic quodlibet membrum Ecclesiae sentiat hanc summam omnium vocationum esse, ut sit membrum populi Dei, invocet Deum pro se et aliis, offerat sacrificia, id est, omnis generis bona opera praecepta a Deo. Haec dignitas vocationis intelligenda et consideranda est: Scias hoc tuum studium literarum et modestiam vitae vere rem magnam esse et ad vocationis gloriam et aliorum necessitatem pertinere. Ideo eam Deus postulat et approbat, ut dictum est, gubernat, adiuvat. Quare studiosius officia tui loci facias.

DE PRAEMIIS. [95])

Ut remissio peccatorum et reconciliatio sit certa, donatur propter filium Dei gratis, et fide accipienda est. Fieret autem incerta, si penderet ex conditione nostrorum meritorum. Sed in reconciliatis postea bona opera cum placeant fide propter Mediatorem, ut dictum est, merentur praemia spiritualia et corporalia, in hac vita, et post hanc vitam; sicut clare ostendit Parabola de negotiantibus [Matth. 25, 29.]: Habenti dabitur etc. Et 1. Tim. 4. [vs. 8.] dicitur: Pietas habet promissiones praesentis et futurae vitae etc. [96]) Marc. 10. [vs. 30.]: Recipient centuplum in hac vita, sed cum tribulatione, et post hanc vitam aeternam. Matth. 10. [97]) [vs. 42.] Qui dederit potum uni ex minimis propter doctrinam, non perdet mercedem suam. Luc. 6. [vs. 38.] Date, et dabitur vobis. Exod. 20. [vs. 12.] Honora patrem et matrem, ut sis longaevus super terram. Ies. 33. [vs. 16.] Panis ei debitur, aquae eius erunt certae. Regem in decore videbunt, id est, pro obedientia et bonis operibus Deus dat tranquillas politias, honestam et pacatam gubernationem etc. Ies. 58. [vs. 7.] Frange esurienti panem tuum, et eris sicut hortus irriguus etc.

Denique plena est scriptura talium promissionum de spiritualibus et corporalibus praemiis. Nam et in hac vita utrisque opus est; Nec singuli retinere fidem possunt sine exercitio, nec in gubernatione illustrari doctrina et conservari Ecclesiae et politiae possunt sine donis spiritualibus. Deinde, cum Deus velit in hac vita propagari doctrinam, dat aliquod hospitium docentibus et discentibus, id mirabiliter servat, sicut servabat navim, in qua Paulus vehebatur Romam. Promittit igitur etiam praesentis vitae commoda. Et quanquam Ecclesia mirabiliter subiecta est cruci, tamen aliqua multitudo pia servatur, etiamsi, ut in acie victrice, aliqui milites interficiuntur.

Discamus igitur utroque genere bonorum opus esse, et ea non frustra promitti a Deo, sed ut fides nostra exerceatur et crescat, et nos invitati praemiis diligentius laboremus.

Exercetur autem Fides tripliciter. Primo, semper fides petitura res alias initio cogitet de remissione peccatorum, ut David non potest petere victoriam, nisi cogitet sibi Deum placatum esse.

Secundo, Fides statuat non casu obiici bona, ut impii in navi Pauli fingebant casu servatam esse. At fides vere statuat a Deo nos ali, defendi, iuvari, et horum beneficiorum promissiones ideo propositae sunt, ut Epicurea imaginatio ex animis hominum eiiciatur, quae fingit casu accidere bona et mala; Sed discamus vere a Deo dari bona, et ea petamus ab ipso.

Tertio, Fides exercetur petens auxilium et com-

95) Haec inscriptio in Ed. 3. in contextis quidem omissa est, in margine autem subseqq. verbis: „Ut remissio peccatorum etc." adscripta sunt haecce: De praemiis, propter quae bona opera facienda.

96) etc. *abest ab* Editt. 1—9. 12.

97) 10.] Editt. 1—16. male: 11.

pensationem, ut qui dat Eleemosynam, decerpit aliquid de suo, et videt suis defuturum esse, nisi Deus eos respexerit, petit et expectat auxilium et compensationem.

Haec ut intelligantur, antithesis consideretur, et introspiciamus nostra pectora. Ideo minus es diligens in operibus, quia cogitas te frustra laborare, quia Deo displiceas. Haec imaginatio pugnat cum primo exercitio fidei. Secundo, ideo minus es liberalis, quia cogitas has res humanae diligentiae commissas esse et non curari a Deo. Hic error pugnat cum secundo exercitio fidei; Deus enim diligentiam humanam ita postulat, ut velit eam regi suo verbo, sicut ceteras virtutes. Sis diligens, scilicet, iuxta praeceptum Dei labores, non facias inutiles profusiones, sed aliquid conferas ad necessarios usus Ecclesiae et pauperum. Tertio, ideo minus liberalis es, quia cogitas Deum non esse compensaturum, tuos futuros esse in egestate. Haec diffidentia pugnat cum tertio exercitio fidei. Ut igitur excitetur et crescat fides, Deus multiplicia opera proposuit, et addidit promissiones auxilii et praemiorum, ut sit occasio invocationis. Quomodo expectabis a Deo aeternam salutem, si non expectas fragmen panis? Repugnemus igitur diffidentiae nostrae, et mandata opera faciamus, et [98]) cum sint difficilia, excitemus in eis fidem et invocationem, intueamur etiam praemia, simus soliciti de universa Ecclesia, de Republica, de nostra salute. Propter hos fines simus diligentiores in vocatione, in regendis moribus etc.

Haec omnia pinguntur in exemplo viduae Sareptanae et Eliae. Scit Elias se vocatum esse divinitus ad docendum, et donec ministerio fungi eum Deus volet, non defuturum esse victum; Hac fide ipse et petit et expectat victum, venit igitur ad viduam, et confectus labore iubet sibi dari cibum. Vidua paupertatem suam narrat. Hic Propheta addit promissionem. Credit mulier [99]) voci Prophetae, quod Deus Israel vere sit Deus creator et salvator, quod det bona, quod sit suppeditaturus victum in posterum. Quanquam igitur sibi et filio, quod in praesentia aderat, detrahi videt, tamen Prophetam prius pascit. Hanc fidem et hoc opus sequuntur praemia, longo tempore alitur haec familia, et haud dubie beneficio divino. Fit eius domus hospitium Ecclesiae, ubi Propheta docet totam viciniam. Hanc magnam gloriam sequitur afflictio, filius moritur, sed rursus accedunt nova praemia, filius mortuus resuscitatur. Hoc exemplo magis confirmatur mulier, et latius spargitur fama doctrinae Eliae. Iam cogita, quam multa ingentia bona opera primum officium, quod praestitit mulier in alendo Propheta pepererit, considera etiam cumulum praemiorum. Non solum alitur familia, sed etiam eruditur a Propheta de vero cultu Dei et de vita aeterna, et custoditur multipliciter adversus Diabolum, filius resuscitatus fit huius Prophetae discipulus, qui procul dubio postea utiliter servivit Ecclesiae. Etiam exigua opera praemiis multo maioribus ornantur, quam pro debito; ac necesse est omnes sanctos fateri idem, quod Iacob inquit Gen. 32. [vs. 10.] Minor sum omnibus miserationibus tuis.

Ceterum etsi oportet esse inchoatam novitatem, sicut Paulus inquit [2. Cor. 5, 2 sq.]: Superinduamur, [100]) si tamen non nudi reperiemur: tamen semper agnoscat cor, quod dicit Psal. [142, 2.] Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens; Item [Ps. 18, 13.]: Delicta quis intelligit? et sciat nostras virtutes non esse pretium vitae aeternae, sed hanc certo dari propter Mediatorem; Sicut Paulus inquit [Rom. 6, 23.]: Donum Dei vita aeterna. Et Christus inquit Ioan. 6. [vs. 40.] Haec est voluntas Patris, ut omnis, qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam. Hanc vocem sibi pia mens in vera poenitentia proponat, et propter Mediatorem certo expectet vitam aeternam. Nec potest fides niti duabus rebus, Mediatore et nostris meritis, ut perita conscientia facile iudicare potest.

DE QUINTA QUAESTIONE.

De discrimine peccatorum.

Cum dictum sit in renatis manere peccata, necesse est tradi discrimen. Nam hos, qui ruunt in delicta contra conscientiam, certum est non manere in gratia, nec retinere fidem, iustitiam, Spiritum sanctum, nec potest stare cum malo proposito contra conscientiam fides, id est, fiducia acceptationis divinae. Sunt enim prorsus contrarii motus, nec potest existere invocatio cum mala conscientia, quae fugit Deum, sicut dicitur 1. Ioan. 3. [vs. 21.] Si cor nostrum nos non condemnat, fiduciam habemus ad Deum.

Ideo tenenda est regula, quod necesse sit in reconciliatis esse iustitiam bonae conscientiae, ut 1. Tim. 1. [vs. 5.] dicitur: Summa mandati est dilectio ex corde puro, conscientia bona et fide non ficta. Et in eodem Capite [vss. 18 sq.]: Milita honestam militiam, habens fidem et bonam conscientiam. 2. Cor. 1. [vs. 12.] Gloriatio nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae. 1. Petr. 3. [v. 16.] Conscientiam habentes bonam.

98) et *abest ab* Editt. 1. 3.

99) promissionem. Credit mulier] Editt. 1. 3. promissionem. Credit igitur mulier

100) Superinduamur,] Editt. 2. 4—10. 12. Superinduemur,

Quod autem excidant ex gratia, et effundant fidem et Spiritum sanctum, et fiant rei irae Dei et aeternarum poenarum, qui admittunt delicta contra conscientiam, id multae sententiae clare testantur. Gal. 5. [vs. 19.] Manifesta sunt opera carnis, adulterium, scortatio, impudicitia, idololatria; Talia facientes regnum Dei non possidebunt. Vocat manifesta opera, quia contra conscientiam fiunt. 1. Cor. 6. [vs. 9.] Ne erretis: nec scortatores nec idololatrae nec moechi possidebunt regnum Dei. Ubi nominatim Paulus his concionatur, qui cum antea fuissent obnoxii talibus vitiis, iam vero emendati erant. His [1]) praecipit, ut retineant bonam conscientiam, et testatur perituros esse, si perseverent in prioribus vitiis.

Rom. 8. [vs. 13.] Si secundum carnem vivetis, moriemini; si actiones carnis spiritu mortificabitis, vivetis. Hic tradit Paulus discrimen. Manent in renatis multa interiora mala, videlicet quaedam caligo et pravitas nobiscum nascens. Etsi enim inchoata est lux et inchoata obedientia, tamen adhuc fides ut scintilla exigua in densis tenebris lucet, quae assidue luctatur cum dubitationibus, et eis repugnat, nec tantus est timor Dei, non tanta fiducia et dilectio, quantam esse oportuit. Deinde multiplices vitiosi affectus sunt, admiratio et fiducia sui, deinde varii motus, flammae [2]) libidinum, incendia iniusta irae et aemulationum, ut fuerunt in Maria et in [3]) Aarone adversus Moysen. Postremo plurima manent in sanctis omissionis peccata, ut vulgo vocantur, id est, neglectiones officii et errata oeconomica, politica et Ecclesiastica, quae tamen non fiunt contra conscientiam in piis, qui fidem et diligentiam praestant, quantam fere praestare possunt. Quia vero Sancti vitiosis affectibus repugnant et credunt sibi propter Filium Dei condonari infirmitatem, ideo manent in gratia et retinent fidem et Spiritum sanctum. Hoc sentit Paulus, cum inquit [Rom. 8, 13.]: Si actiones carnis Spiritu mortificabitis, vivetis.

Estque singularis emphasis, cum ait: Spiritu mortificabitis. Vocat enim nos ad acre certamen, vult nos repugnare vitiosis cupiditatibus, et quidem Spiritu, id est, veris motibus, timore et fide incensis verbo Dei a Spiritu sancto. Intueatur mens mandatum Dei et Poenas, cogitet quanta res sit ira Dei, exempla intueatur lapsorum, ut Saulis et aliorum qui non sunt restituti. Sciat ex uno lapsu sequi infinita peccata et scandala. Rursus etiam credat Deo placere obedientiam, et petat auxilium et gubernationem; sicut scriptum est [Ioh. 15, 5.]: Sine me nihil potestis facere. Item [Matth. 7, 7.]: Petite, et dabitur vobis; Quanto magis Pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Et sicut toties dicitur in Psalmis [118, 117.]: Adiuva me, et salvus ero. Item [ibid. vs. 124.]: Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et iustificationes tuas doce me. Item [Ps. 50, 12—14.]: Cor mundum crea in me, Deus, id est, recte sentiens de Deo, purificatum fide; Et spiritum rectum, id est, firmum, non dubitantem, innova in visceribus meis. Ne abiicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum, id est, regentem omnes actiones, ne auferas a me. Redde mihi laetitiam salutaris tui, et spiritu principali, id est, spantaneo, non defugiente certamina et pericula, confirmes me.

Sic Ioseph repugnabat illecebris Dominae; Sic Ionathas se confirmabat, ne aemulatione incenderetur adversus Davidem; Sic David se reprimebat, ne Saulem interficeret; Sic se sustentabat, ne frangeretur desperatione pulsus in exilium. Ita docet Paulus Rom. 6. [vs. 12.] Non regnet peccatum in mortali corpore vestro; et videtur sumptum verbum ex Genesi [4, 7.]: Sub te erit appetitus eius, et tu domineris ei. Nam verbo dominandi non significatur otium et ignavia, sed impetus Spiritus sancti et diligentia voluntatis. Ioseph intuens mandatum Dei et prospiciens poenas, scandala et alias ruinas, quae secuturae erant, repugnat illecebris; Petit etiam gubernationem divinam, addit et [4]) suam diligentiam; Praecipit oculis, ne temere vagentur, vitat solitudines, occasiones, ne in laqueis Diaboli haereat. Hanc diligentiam pii intelligere et praestare discant, et considerent non sine caussa dictum esse: Tu domineris, non regnet peccatum. Cum peccatum dominatur, affert multiplicem perniciem et iram Dei ac aeternam mortem; econtra vero cum non dominatur, retinent pii donatam iustitiam et fidem. Ideo inquit Paulus [Rom. 8, 13.]: Si spiritu actiones carnis mortificabitis, vivetis.

Dixi, quae peccata maneant in renatis, scilicet quaedam interiora mala, quibus ipsi repugnant; Sed cum peccata contra conscientiam admittuntur, effunditur et perturbatur Spiritus sanctus, et amittitur gratia, et excutitur fides, id est, fiducia misericordiae. Hoc vult Paulus, cum inquit [Rom. 8, 13.]: Si secundum carnem vixeritis, moriemini, id est, si obedietis vitiosis cupiditatibus, eritis rei irae Dei et mortis aeternae. Eodem loco [vs. 14.] inquit: Qui aguntur Spiritu sancto, hi sunt filii Dei; sed ruentes contra conscientiam, effundunt et perturbant Spiritum sanctum, desinunt igitur

1) His] sic Editt. 20. 25. 30. 34., Corp. 1—8.; ceterae Editt.: Hic

2) flammae] Editt. 22. 24. 29. flamma

3) in *addunt* Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2.

4) addit et] Corp. 2—8. et addit

esse filii Dei. Sicut et sententiae supra citatae testantur, 1. Cor. 6. [vs. 9.] Ne erretis, scortatores etc. Et Ioannes [1. ep. 3, 8.] inquit: Qui peccatum facit, ex Diabolo est, id est, est iam captivus Diaboli, reus irae Dei et aeternae poenae, et impellitur a Diabolo ad multiplicia peccata. Hae tristissimae comminationes hortantur nos ad frenandos vitiosos impetus, ne excidamus a donata gratia. Nec opus est huc afferre disputationes de praedestinatione, sed iudicemus de voluntate Dei ex perspicuo verbo Dei.

DE ARGUMENTIS ADVERSARIORUM.

Plane et clare docemus, oportere in homine existere notitiam articulorum fidei: Item contritionem, bonum propositum, ac inchoari dilectionem. De his dimicant adversarii, quae tamen fatemur ipsi in homine oportere existere. Sed addimus, Oportere accedere fidem, id est, fiduciam misericordiae, quod propter filium Dei habeamus remissionem peccatorum, non propter has nostras virtutes. Ipsi econtra dicunt, dubitandum esse, et addunt: Tunc habebis remissionem peccatorum, cum dignus eris, hoc est, propter virtutes tuas. Item fingunt, homines legi Dei satisfacere posse.

Sed cum omnia, quae ipsi flagitant, retineamus et insuper addi velimus fidem tribuentem Christo suum honorem, et certa consolatione erigentem perterrefactas mentes, certe nihil absurdi docemus, et sine iusta caussa tam rabiose damnant sententiam, quae de iustificatione in Ecclesiis nostris proponitur, quae haud dubie est ipsissima vox Evangelii et consensus sanctorum Patrum, Prophetarum, Apostolorum et omnium piorum omnibus temporibus, qui aliquantulum lucis habuerunt. Omnes hoc sentiebant, oportere existere in nobis poenitentiam, et debere sequi bona opera, sed tamen remissionem donari propter Mediatorem, non propter nostram dignitatem, et se placere Deo propter illum Mediatorem, et hac fide, hoc est, fiducia misericordiae Deum invocabant, non fugiebant, non fremebant adversus Deum. Ideo toties inculcat Paulus particulam GRATIS. Item Petrus inquit Act. 10. [vs. 43.] Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, accipere remissionem peccatorum per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Hic consensus est verum Ecclesiae testimonium, et omnium piorum experientia suffragatur huic sententiae. Non enim possunt sine hac consolatione acquiescere mentes in vera contritione seu veris terroribus. Haec cum sint certissima, nemo sanus in Ecclesia contradicere potest.

Sed quod aliter Monachi scripserunt, eo fit, quia non discernebant Legem et Evangelium, et de iustificatione loquuntur Philosophico more, prorsus ut Plato vel Aristoteles cogitat, Achillem esse fortem virum, quia habet hanc virtutem et afflatum quendam divinum: ita hi dicunt, Paulum iustum esse propter suas virtutes et afflatum divinum, nihil addunt de Mediatore, de promissionibus seu Evangelio et de fide seu fiducia Mediatoris; imo iubent dubitare de reconciliatione, hoc est, delere Evangelium et promissionem et sepelire Christum.

Quoties igitur venit in mentem huius controversiae, refer oculos ad hunc scopum: Cum re ipsa et vere hoc dicatur, necessariam esse poenitentiam, et tamen nos propter filium Dei habere remissionem, placere et exaudiri; tribuam filio Dei suum honorem, et hac fide seu fiducia promissae misericordiae Deum invocabo; sicut dictum est [Ioh. 15, 16.]: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, id est, fiducia filii. Item [Rom. 5, 2.]: Per hunc habemus accessum ad Patrem. Ut autem studiosi sint instructiores ad refutanda adversariorum argumenta, ordine praecipua recensebo et explicabo.

Primum.

Iustitia significat obedientiam iuxta omnia praecepta.
Fides, de qua dicimus, non est proprie opus omnium praeceptorum.
Ergo non iustificamur fide.

Respondeo ad maiorem.

Maior est vera, de iustitia Legis; nam iustitia Legis proprie est obedientia iuxta omnia praecepta; Sed hanc ipsam ob caussam, quia haec corrupta natura non satisfacit Legi, ideo alia revelata et donata est, quae est acceptatio propter filium Dei, quam sequitur donatio Spiritus sancti. Aliud igitur iustitia significat in maiore, aliud in conclusione. Cum Paulus dicit [Galat. 2, 16.], Fide iustificamur, intelligit, fide consequimur remissionem peccatorum, seu acceptationem propter Mediatorem gratis, ut Rom. 4. [vs. 5.] inquit: Fides imputatur ei ad iustitiam. Haec explicatio perspicue ostendit, hoc argumento non labefactari nostram sententiam. Fontes autem diligenter consideremus. Pleraque argumenta adversariis nascuntur ex iudicio rationis seu Legis de disciplina, in hanc omnium oculi sunt defixi; sicut inquit Paulus [Rom. 9, 31.]: Sectantes Legem iustitiae ad iustitiam non perveniunt nec discernunt Legem et Evangelium, nec animadvertunt Evangelium in hac quaestione non de vita politica loqui, sed de reconciliatione coram Deo. Haec arcana discernenda sunt a civili conversatione. Ergo has caligines et nubes depellant studiosi, videlicet confusionem Legis et Evangelii, et confu-

sionem politicae vitae et reconciliationis coram Deo, et attendant, de qua re in hac quaestione agatur.

Secundum.

Impossibile est sola notitia iustum fieri,
Fides tantum est notitia: Ergo
Impossibile est sola fide iustum fieri.

Primum respondeo ad minorem. Fides non significat tantum notitiam, qualis est in Diabolo, de qua dicit Iacobus [2, 19.]: Daemones credunt et contremiscunt; Sed fides significat in intellectu notitiam et assensum promissionum de Christo, ac in voluntate fiduciam, qua voluntas vult et accipit oblatam misericordiam, et in ea acquiescit, ut cum Cicero audivit sibi a Caesare promitti securitatem, notitiam in intellectu sequebatur in voluntate fiducia, qua volebat et accipiebat oblatum beneficium, et in hac promissione acquiescebat. Est igitur fides non tantum notitia, sed fiducia illa, ut diximus, qua apprehenditur promissio, sicut perspicue testatur quartum caput ad Romanos, Fidem hic intelligi eam, quae accipit promissionem; quare necesse est intelligi fiduciam misericordiae donatae. Sed oritur et hoc argumentum ex imaginatione rationis, quae semper quaerit aliquam nostram virtutem, qua cogitemus non iustos esse, cum in hac quaestione non hoc dicatur, nos fide iustos esse, quia sit talis virtus in nobis, in hac vel in illa parte, tametsi adesse virtutes oportet; Sed ideo dicimus, Fide iustificari nos, quia apprehendit promissionem et statuit nos propter Mediatorem habere reconciliationem.

Ita et haec cavillatio refutatur: Fides significat fiduciam, In fiducia inest dilectio, ergo etiam dilectione sumus iusti. Concedo in fiducia inesse dilectionem, et hanc virtutem et plerasque alias adesse oportere, sed cum dicimus, Fiducia sumus iusti, non intelligatur nos propter virtutis istius dignitatem, sed per misericordiam recipi propter Mediatorem, quam tamen oportet fide apprehendi. Ergo hoc dicimus correlative, Per misericordiam propter filium Dei sumus reconciliati Deo, et id fide accipi seu statui oportet, ut voluntas acquiescat in proposito Propitiatore.

Cogitet autem pius lector, quam absurdum et indignum sit, non discernere fidem Diabolicam a fide, qua Ecclesia Deum invocat, qua accedit ad Deum et pacem consequitur, ut Rom. 4. dicitur. Item Rom. 10. [vs. 11.] Qui credit in eum, non confundetur. Et Gal. 2. [vs. 20.] In fide vivo filii Dei. Nemo non vidit absurdissimam fore imaginationem, si quis in talibus locis cogitet, Fidem non aliud significare, nisi notitiam Diabolicam. Nam notitia diabolica fugit Deum, non invocat, non accedit ad Deum. Ideo Iacobi dicta de fide [2, 19.], Daemones credunt et contremiscunt, non sunt miscenda Paulinae. De alia fide Paulus, de alia Iacobus loquitur. Et facile potest intelligere homo sanus non esse similem fidem Ecclesiae invocantis Deum, et Diaboli fugientis.

Tertium.

Qui non diligit, manet in morte: Ergo
Impossibile est dici iustum sola fide.

Concedo, si intelligas fidem oportere non[5]) esse solam, sed hinc non sequitur, dilectionem esse caussam remissionis peccatorum, sicut necesse est ad fidem accedere patientiam, sed non sequitur, nostram patientiam esse caussam remissionis. Et exclusiva particula non excludit virtutes, ne adsint, sed excludit eas a caussa reconciliationis, ac significat solius Christi meritum esse caussam reconciliationis. Est et hoc sciendum, Removendas esse humanas imaginationes de iustitia Legis, quae a dilectione Dei orditur:[5a]) Si natura hominis esset sine peccato, posset Deum vere diligere; Sed quia est obruta peccato, necesse est prius accipi remissionem, nec potest accendi dilectio, nisi agnita et apprehensa remissione peccatorum. Ac nimis otiose cogitant de remissione, qui putant sine certamine fidei eam accipi.

Quartum.

Fide sumus iusti,
Fides est opus,
Ergo propter opera sumus iusti.

Respondeo ad maiorem

Maior intelligatur correlative, Fide sumus iusti, id est, per misericordiam propter Christum sumus iusti; Non quia fides sit virtus, quae mereatur remissionem sua dignitate. Quod vero additur, Fides est opus, concedendum est; Est enim opus, ut dilectio, patientia, castitas. Et ut haec sunt infirma et languida; Ita Fides est admodum imbecilla et concutitur multis dubitationibus. Quare non ideo dicimur iusti fide, quia tanta sit huius virtutis dignitas, ut mereatur remissionem; Sed quia oportet aliquod esse instrumentum in nobis, quo apprehendimus Mediatorem pro nobis interpellantem, propter quem aeternus Pater est propitius.

---

5) oportere non] Corp. 1—8. non oportere

5a) orditur:] Editt. 21. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. oritur:

Quintum.

Gratia sumus iusti,
Gratia est dilectio infusa cordi,
Ergo dilectione infusa sumus iusti.

Ad minorem respondendum est.

Gratia proprie significat misericordiam gratuitam seu acceptationem gratuitam propter Christum. Nam cum dicitur, Per gratiam habemus remissionem, si sic intelligas, propter donatas virtutes habemus remissionem, plane evertes totam Pauli sententiam et conscientiis adimes veram consolationem. Non enim nostras qualitates intueri debemus, cum angimur de remissione, sed confugere ad Mediatorem. In hac ipsa lucta corda etiam Spiritu sancto iuvantur; sicut Paulus inquit [Rom. 8, 15.]: Dedit Spiritum, in quo clamamus Abba Pater; Et docet in tali motu fidei dari Spiritum sanctum, Gal. 3. [vs. 14.] Ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Quare cum illa acceptatione coniuncta est donatio Spiritus sancti, neque tamen sequitur, nos propter illas novas virtutes habere reconciliationem.

Sextum.

Impossibile est nosse voluntatem Dei [6]) erga nos.

Credere quod simus in gratia, est aliquid affirmare de voluntate Dei erga nos.

Ergo impossibile quiddam affirmare videmur, cum dicimus: Credendum esse, quod simus in gratia.

Respondeo: Maior est vera, de voluntate non revelata per verbum Dei. Certum est autem in Evangelio, quod filius Dei protulit ex sinu aeterni Patris, praecipi, ut affirmemus, nobis Deum propitium esse propter Mediatorem. Sed humana mens oppressa naturali caligine aut Legis opinione putat delirare eum, qui affirmat se habere Deum propitium. Adversus has imaginationes scias hanc ipsam vocem Evangelii traditam esse, ideo missum esse filium Dei et datam promissionem, ut hoc ipsum credamus et affirmemus.

Sed dicis, Additam esse conditionem Legis. Respondeo: Etsi poenitentia est necessaria, tamen non pendet remissio ex dignitate nostra, sed certa est propter Christum. David post lapsum agens poenitentiam statuit se vere recipi in gratiam, audita hac voce: Dominus abstulit peccatum tuum. Eandem vocem vere affert singulis agentibus poenitentiam administratio Evangelii; Et mandatum immutabile est, ut filio Dei credamus: HUNC AUDITE. Quanquam igitur humanae menti hoc statuere videtur absurdum, tamen imaginationi rationis opponamus promissionem et mandatum Dei, ut vere invocare Deum discamus. Nam ubi non est haec fides, quae sentit nos recipi et exaudiri propter Mediatorem, ibi nulla est invocatio. Quare doctrina, quae iubet dubitare, est Ethnica et tollit invocationem.

Septimum.

Nemo placet, nisi habens novos habitûs ortos a Spiritu sancto.

Nemo potest affirmare, se habere illos habitus, quia possunt esse virtutes similes, ortae a ratione.

Ergo nemo potest affirmare, se placere.

Neganda est minor. Etsi enim de reconciliatione non ex nostris habitibus statuendum est, sed ex certa promissione Dei, tamen, cum cor erigitur fide in pavoribus seu poenitentia, vere etiam fiunt novi motus spirituales, quibus in invocatione clamamus Abba Pater, et tamen fiducia intuetur [7]) Mediatorem, non nostram novitatem. Ceterum illud semper addo, ne perseveret voluntas in delictis contra conscientiam: Ideo Ioannes inquit [1. ep. 3, 21.]: Si cor nostrum non condemnat nos, fiduciam habemus ad Deum, quod, si quid petimus, accipiemus ab eo.

Octavum.

Virtutes Theologicae sunt distinctae: Fides, Spes, Dilectio.

Si fides significat fiduciam, erit idem quod Spes:

Ergo non retinetur distinctio virtutum.

Respondeo: Fatemur semper oportere coniunctas esse, et cum dicimus, Hominem fide iustificari, diximus supra, id intelligi correlative; Nec significari, quod propter huius virtutis dignitatem iusti simus, sed propter Mediatorem. Sic igitur differt fides a ceteris virtutibus, quia est apprehensiva, et applicat nobis promissionem. Differt item, quia vult et accipit praesentem reconciliationem; Spes vero expectat futuram liberationem. Si scopus teneatur, quod dicimus nobis propter Mediatorem dari remissionem, ut certe [8]) omnes pii fatentur, facilis post-

6) Dei *abest ab* Editt. 1—4. 6. 7. 9. 12.

7) intuetur] sic Editt. 25 — 27. 29 — 34., Corp. 1 — 8.; ceterae Editt.: intueatur.

8) certe] Editt. 22. 24. 28—32. 34. certo

ea est explicatio, et sit modus harum tenuium cavillationum. Si numerant Fidem inter Theologicas virtutes, necesse est non tantum intelligi notitiam, qualis est in Diabolis, Sed fidem, qua ad Deum accedimus et eum invocamus; non accedimus autem in veris pavoribus, si iudicemus manendum esse in perpetua dubitatione. Nam dubitatio illa parit fugam et odium Dei, ut Rom. 7. de peccatis, quae per Legem sunt, dicitur.

Nonum.

Mala opera merentur aeternas poenas:
Ergo bona opera merentur vitam aeternam.

Consequentia videtur valere a contrariis.

Respondeo: Valeret, si contraria essent pariter integra. Mala integre repugnant Legi Dei; Bona nondum satisfaciunt Legi Dei. Manet enim in Sanctis ingens imbecillitas, etiam[9]) cum in tota disciplina externa nullus est naevus, et multae sunt excellentes virtutes, ut in Iesaia et similibus, tamen manent interiora mala multa, dubitationes in invocatione, multi vitiosi affectus, confidentiae, diffidentiae. Item spectra, quae Diabolus obiicit, ut invocationem impediat, quae vocat Paulus, [Ephes. 6, 16.] tela ignita, quibus ita sauciantur interdum etiam qui virtute excellunt, ut mori mallent, quam sentire ea vulnera, sicut Paulus queritur de colaphis, quos accipit a Diabolo. Item [Rom. 7, 24.] Miser ego homo, quis me liberabit a corpore mortis huius? In his miseriis agnoscunt pii imbecillitatem suam, vident se non satisfacere Legi Dei, non sine peccato esse, et in hac humilitate confugiunt ad Propitiatorem. Haec certamina non norunt hypocritae, qui disciplinam externam somniant esse Legis impletionem.

Decimum.

Peccatum est odium Dei,
Ergo iustitia est dilectio Dei.

Concedendum est totum argumentum; Sed considerandum est simul, non esse pariter integra haec contraria: Nam dilectio est languida et adhuc multis sordibus impedita, et, ut antea dixi, accedunt Diaboli tela ignita, quae etiam impediunt invocationem, ut accidit Moysi ad rupem. Non igitur satisfacit Legi Dei nostra dilectio, nec placet propter propriam perfectionem, sed placet propter Mediatorem, ut supra dictum est.

Cum igitur dicunt: Dilectio est iustitia, ergo Dilectione iusti sumus. Respondendum est: Si iusti significat habentes virtutem, ut Philosophi loquuntur, valet consequentia; Sed si significat accipientes remissionem peccatorum, non valet consequentia. Nam nec in antecedente sic intelligi potest iustitia pro re, quae mereatur remissionem, sed pro virtute, ut si dicam: Solvere venditori est iustitia, Ergo solvens venditori est iustus. Tales argutiae ab eruditis facile possunt diiudicari.

Undecimum.

Iustitia est in voluntate,
Fides non est in voluntate,
Ergo non iustificamur fide.

Etsi[10]) supra aliquantulum mutatis verbis res eadem tractata est, tamen et hanc formam propono, ut studiosi exerceantur. Primum neganda est minor. Nam fides significat assentiri promissioni Dei, quod est in intellectu, et cum hoc assensu necessario coniuncta est fiducia in voluntate, volens et accipiens promissam reconciliationem, et acquiescens in monstrato Mediatore. Nisi enim simul vellemus et acciperemus promissam reconciliationem, maneret fuga et pavor, nec existeret pax seu quies conscientiae seu cordis. Quare appellatione fidei vere complectitur Evangelium, velle oblatam promissionem. Quanquam autem displicent haec adversariis, qui acerrime contendunt, nihil intelligi nomine fidei nisi notitiam, qualis et in Diabolis est, tamen ad talem notitiam impossibile est congruere dicta illa [Rom. 5, 1.]: Iustificati fide pacem habemus. Item [Rom. 9, 33.]: Qui credit in eum, non confundetur.

Deinde rursus hoc moneo, quod toties dictum est: Iustitiam, quae in nobis est, esse in voluntate. Sed iustificari hic significat consequi a Deo remissionem peccatorum et acceptationem ad vitam aeternam. Haec contingunt nobis propter Mediatorem sedentem ad dextram aeterni Patris: sed tamen fide accipi oportet. Et simul Spiritus sanctus datur, inchoans novam lucem et novas virtutes, quibus nos Deo subiicimus, quibus inchoatur in nobis vita aeterna; sicut Christus inquit: [Ioh. 17, 3.] Haec est vita aeterna, ut agnoscant te solum verum esse Deum, et quem misisti Iesum esse Christum.

Qui fingunt dubitandum esse de reconciliatione, et inquiunt hominem iustum esse propriis virtutibus, tantum habent imaginationem Ethnicam, nec accedunt ad Deum fiducia Mediatoris, cum tamen Deus aliter coli non velit, nec velit exaudire, nisi invocantes fiducia Mediatoris.

9) imbecillitas, etiam] Editt. 1. 3. imbecillitas, infirmitas, etiam

10) Etsi] Editt. 18. 20. 22. 24. 28—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2. Et

Duodecimum.

Iacob 2. [vs. 24.] Vides igitur quod ex operibus iustificatur homo, non [11]) ex fide solum.

Respondeo sine ulla Sophistica: Constat fidem in eo loco Iacobi significare notitiam historiae, qualis est et [12]) in damnatis; Ait enim: Daemones credunt et contremiscunt. Fatendum est autem, et clare fatemur, hominem non esse iustum illa notitia. Sed Paulus cum loquitur de fide, intelligit fiduciam misericordiae, quae nititur Mediatore, et propter eum accipit reconciliationem. Quare necesse est aliud intelligi fidem apud Paulum, cum inquit [Rom. 10, 10.]: Corde creditur ad iustitiam; Aliud apud Iacobum dicentem [2. 19.]: Daemones credunt. Non igitur pugnat Iacobus cum Paulo, sed de alia re loquitur, refutat errorem eorum, qui fingebant se iustos esse propter professionem dogmatum, ut haec opinio facile capit imperitorum animos. Sic et Iudaei fingebant se esse iustos propter professionem suae doctrinae et ceremonias. Hunc errorem refutare necesse est.

Nec pugnat haec refutatio cum Paulo. Quod enim addit Iacobus, Iustificatur homo ex operibus, loquitur de iustitia operum, quam et Paulus tota voce clamitat necessariam esse; Sed idem negat propter hanc dari remissionem. Non igitur intelligatur verbum iustificari pro reconciliari, sed, ut alias saepe dicitur, pro approbari. Iustificatur homo ex operibus, id est, habens iustitiam operum approbatur, placet Deo. Quia obedientia in reconciliatis necessaria est, et quomodo placeat, supra dictum est. Et persona non est iusta, seu placens seu accepta, si desit illa obedientia et maneant delicta contra conscientiam. Est ergo sententia, oportere hominem etiam habere iustitiam operum, quod omnino fatendum est; Sed interim plura docendus est auditor, scilicet, quod propter opera non accipiat remissionem; Item quod placeant, non quia Legi satisfiat, sed propter Mediatorem. Haec addenda esse manifestum est.

Quare satis apparet, Iacobum non de integra caussa disputasse, sed de una parte concionatum esse: flagitare iustitiam operum et refutare eos, qui fingebant se iustos esse propter professionem. Ceterum de reconciliatione, et quomodo placeat imperfecta obedientia, hic non dicit. Supra aliquantulum attingit, cap. 1. [vs. 18.] inquiens: Volens genuit nos verbo veritatis, ut simus primitiae creaturae ipsius.

11) non] Editt. 1. 3. et non

12) et *omittunt* Corp. 1—8.

Decimum tertium.

1. Cor. 13. [vs. 1.] Si habeam omnem fidem, dilectionem autem non habeam, nihil sum.

Expedita, facilis et plana responsio est. Concedo totum. Clare enim affirmamus, oportere adesse dilectionem; Sed hinc non sequitur, nos accipere reconciliationem propter dilectionem, aut dilectionem placere, quia Legi satisfaciat. Imo dilectio existere non potest, nisi praecedat fides, qua accipimus remissionem et agnoscimus misericordiam, ac statuimus nos recipi et exaudiri. Ita incenditur dilectio, et voluntas se Deo subiicit. Sed haec dilectio et subiectio admodum est imbecilla, et adhuc multis sordibus inquinata. Quare aliud quiddam est, videlicet propitiator Christus, propter quem persona statuit se certo habere reconciliationem, in hunc intuetur [13]), non in proprias qualitates.

Verum est igitur utrumque: Oportere dilectionem adesse, et tamen personam habere reconciliationem propter filium Dei. Hac expedita responsione uti possumus vitaturi longiores rixas. Nam hic alia quoque disputari solent, quod fides significet donum faciendi miracula; Item dilectio dilectionem proximi. Sed has responsiones omitto, cum illa prior sit magis perspicua.

Decimum quartum.

Matth. 19. [vs. 17.] Si vis in vitam ingredi, serva mandata; Ergo Legi satisfieri potest, et nostra obedientia meretur vitam aeternam.

Respondeo: Ex hoc dicto extruxerunt adversarii suos errores, quod homo possit Legi Dei satisfacere, et quod contumacia nobiscum nascens non sit malum pugnans cum Lege Dei, et propterea nostram impletionem Legis esse pretium vitae aeternae. Hi errores inde orti sunt, quod Legem et Evangelium non discernebant. Lex requirit obedientiam integram et promittit vitam, sed cum conditione integrae obedientiae, ut dicitur: Hoc fac, et vives. Constat autem neminem Legi Dei satisfacere, ut clare testatur Paulus Rom. 7. et 8. Quare conferenda sunt huc et alia dicta propria Evangelii. Rom. 6. [vs. 23.] Donum Dei vita aeterna per Christum, Et Ioan. 6. [vs. 40.] Haec est voluntas eius, qui misit me, ut omnis, qui credit in filium, habeat vitam aeternam. Haec alia vox est, quam Legis dicta, quae sunt ex Evangelio interpretanda. Nam etsi discrimen est, tamen non aboletur Lex, sed ut Paulus inquit: Stabilitur per fidem. Cum

13) reconciliationem, in hunc intuetur,] Editt. 21. 22. 24. 28. 29. 31—33., Opp. 1. 2. reconciliationem. In hunc intuemur,

enim haec infirma natura non satisfaciat Legi Dei, vult Deus propter filium nos recipere et facere haeredes vitae aeternae; hoc fit fide. Et cum recipimur, inchoatur nova lux et obedientia, quae congruit cum Lege Dei. Et quanquam haec inchoatio non satisfacit Legi Dei, tamen placet Deo propter Mediatorem, ut saepe dictum est. Sic oportet servari mandata Dei, et in eandem sententiam inquit Paulus [Rom. 3, 31.]: Legem stabilimus per fidem, id est, cum sumus fide inserti Christo, iam placet obedientia et inchoatur dilectio Dei.

Omnibus ergo dictis Legis adde Evangelium [Matth. 19, 17.]: Si vis ingredi in vitam, serva mandata, scilicet iuxta vocem Evangelii, seu ἐπιείκειαν, quam addit Evangelium: Non potes inchoare dilectionem sine agnitione Christi et Spiritu sancto; Nec placet obedientia, quia Legi satisfaciat, sed propter Mediatorem, et tamen inchoari eam necesse est, sicut dicit Paulus [2. Cor. 5, 2.]: Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur. Item Christus inquit [Matth. 5, 20.]: Nisi abundaverit [14] iustitia vestra supra iustitiam scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum. Pharisaei docebant externam disciplinam; Sed vox Evangelii, quae de poenitentia concionatur, plus requirit. Abundat igitur seu antecellit iustitia piorum his sex rebus, poenitentia, fide, novitate Spiritus, vera invocatione, successibus in vocatione, et repressione Diaboli. Nam illa nova lux est inchoatio vitae aeternae, quae est et erit talis vita, talis sapientia et iustitia, qualem Lex postulat, videlicet illustris agnitio Dei et pura dilectio. Ideo dicitur Ierem. 31. [vs. 33.] Dabo Legem meam in corda eorum, id est, accendam lucem et obedientiam veram in salvandis, quae erit aeterna sapientia et iustitia.

Decimum quintum.

Remittite, et remittetur vobis,

Ergo nostra condonatio meretur remissionem.

Respondeo: Haec sententia est concio poenitentiae, quales plurimae sunt in Prophetis. Ies. 1. [vss. 16. 18.] Desinite malefacere; si peccata vestra essent ut coccinum, eritis candidi ut nix. Item Ies. 58. [vs. 7.] Frange esurienti panem tuum, et gloria Domini colliget te. Hae et similes conciones ubique continent duas partes: Altera est vox praecepti iubens, ut nos emendemus. Altera est promissio remissionis peccatorum. Iam de hac promissione audiamus Evangelium. Non dicit Iesaias: Desinite prava facere, propter vestras virtutes dabitur remissio. Imo alio loco [53, 4.] de Christo clare dicit: Vere dolores nostros ipse tulit etc.

Ita hic: Remittite, et remittetur vobis. Prior pars est praeceptum, posterior est promissio, sed non additur, propter tuam condonationem tibi remittetur. Si haec conditio addenda esset, fieret incerta promissio, ut facile intelligi potest. Ergo audita promissione mens intuetur [15] doctrinam de remissione propter Christum promissa [16] gratis. Significat autem requiri hoc opus, scilicet nostram condonationem, sicut alia nostra opera, et placere sicut supra dictum est, non quod [17] penitus nullus sit naevus in animo, sed quod pia mens repugnat [18] malevolentiae et odiis propter mandatum Dei et Ecclesiae concordiam, et agnoscit, hanc moderationem placere propter Christum.

Eadem prorsus est sententia concionis Danielis [19]: Libera te a peccatis iustitia et eleemosynis erga pauperes, et erit sanatio delictorum tuorum. Tota oratio est concio poenitentiae, in qua prior pars postulat emendationem, et loquitur non de solis eleemosynis, sed de tota conversione: Libera te a peccatis per iustitiam, id est, fias iustus, agnosce verum [20] Deum, qui se revelavit in verbo, quod dedit populo Israël, et promisit remissionem peccatorum propter venturum Dominum. Deinde sit et gubernatio tua iusta, sis diligens in iurisdictione, prohibe iniurias, punito delinquentes, defende honestos, non sis crudelis adversus Ecclesiam et populum Dei; Denique omnia officia mediocris et salutaris gubernationis complectitur, cum inquit: Redime peccata eleemosynis, id est, beneficiis erga pauperes. Et haec prima pars est vox Legis, quae praecipit de conversione.

Altera pars, Et erit sanatio delictorum tuorum, Promissio est, quam oportet fide accipi. Ergo cum promissionem proponit, requirit fidem, qua creditur Deo promittenti per misericordiam, non propter nostram dignitatem. Nec fuit haec brevis doctrina; Nam Regi sciscitanti, unde hanc voluntatem Dei sciret Daniel, unde affirmaret certo remitti peccata, Daniel haud dubie exposuit promissionem a Deo traditam de futura liberatione et de vita aeterna, et ostendit pertinere eam etiam ad Gentes. Ideo nec flagitat ceremonias, ut significet

14) abundaverit] Editt. 1—14. 19. abundabit; Ed. 15. abundavit

15) intuetur] sic Editt. 16—18. 20—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2.; ceterae Editt.: intueatur

16) propter Christum promissa] Editt. 1—9. 12. promissa propter Christum

17) non quod] Editt. 22. 24. 28., Opp. 1. 2. quod non

18) repugnat] Corp. 1—8. repugnet

19) Danielis] Editt. 22. 24. 28—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2. Daniel

20) verum] Editt. 1—15. 19. unum

reconciliationem, non propter Legem, sed propter promissionem dari.

Quanquam igitur brevis est narratio Danielis, tamen ipsa promissio remissionis, admonet lectorem pium de communi reconciliationis promissione et vitae aeternae. Et intelliget prudens lector, vere congruere concionem Danielis cum Evangelio. Prior pars tradit praecepta de emendatione, posterior est promissio, quam oportet accipi fide, qua certo statuitur, quod per misericordiam recipiamur. Haec et plana et perspicua sunt piis et prorsus sine sophistica. Nec utar illa solutione, mereri opera bona remissionem praesentium poenarum, etsi id verum est, tamen Daniel non tantum de remissione poenarum, sed prius de remissione culpae dicit. Ceterum saepe loquitur scriptura de remissione poenarum praesentium, ut eleemosyna liberat a morte, id est, meretur, ne opprimamur periculis. Item, Honorans patrem faciet placationem pro peccato, videlicet, quod ad poenam praesentem attinet, si eris beneficus erga Parentes, Doctores, gubernatores Ecclesiae, tibi quoque Deus mitigabit aerumnas.

Decimum sextum.

Maxima virtus praecipue iustificat,
Dilectio est maxima virtus.
Ergo dilectio praecipue iustificat.

Respondeo: Maior est vera de iustitia Legis; si Legi satisfaceremus, essemus iusti propter proprias virtutes, et maxima virtus plus conduceret, ut de Christo vere possumus dicere, eum maxime dilectione iustum esse. Sed quia nos Legi non satisfacimus, recipimur propter Mediatorem, non propter propriam dignitatem seu propter nostras qualitates. Ideo de reconciliatione non valet maior: Maxima virtus maxime reconciliat; Imo solus Mediator reconciliat. Est virtus omnium maxima, ardere dilectione Dei, sed etiam renati, et qui multum profecerunt, sentiunt vix exiguam scintillam in ipsis accensam esse. Ut in mente fides luctatur cum dubitatione, et Diabolus interturbat invocationem variis spectris; Ita in corde dilectio Dei admodum languet, ut in invocatione sentiri potest, in qua cor aut negligi se arbitratur aut etiam fugit Deum; incurrunt et alii vitiosi motus, amor voluptatum, gloriae, nostrae vitae.

Quanquam igitur existere in nobis dilectionem Dei oportet, tamen agnoscamus ingentem infirmitatem, et sciamus personam a Deo recipi, exaudiri, et iustam, id est, acceptam reputari propter Mediatorem fide. Aliud est igitur loqui de reconciliatione et de misericordia erga nos; Aliud est virtutes ipsas inter sese conferre. Haud dubie maxima omnium virtutum est dilectio Dei; sicut et Lex [Deut. 6, 5.] eam requirit tanquam summam virtutem: Diliges [21]) Dominum Deum tuum ex toto corde etc. Sed illa ardens flamma dilectionis ubi est? vix exigua scintilla lucet in sanctis et difficulter retinetur. Haec si cogitabimus, melius intelligemus, cur dicatur: Fide iustificamur.

Iam si vis conferre virtutes et proprias definitiones singularum considerare, id quoque utile est. Prima est Fides, quae est nosse verbum Dei et assentiri promissioni gratiae, et fiducia, qua propter Christum statuimus nobis Deum esse propitium et acquiescimus. [22]) Est igitur notitia apprehendens promissionem, et fiducia quietans cor propter aliud, scilicet propter Mediatorem. Deinde sequitur dilectio. Necesse est enim praecedere agnitionem misericordiae. Cum cor sensit vere iram Dei, et rursus fide agnoscit Deum esse propitium propter Christum; Hac luce pelluntur iam tenebrae Epicureae et [23]) Academicae, et statuit mens adiuta a Spiritu sancto, nos vere curae esse Deo et ab eo recipi. Incipit igitur cor sese [24]) subiicere Deo et obedire, et oritur aliqua dilectio Dei; Sed nondum in hac vita sunt ardentes flammae, quales esse deberent erga Deum, sed est quaedam inchoata obedientia, qua se cor subiicit Deo et laetatur in agnitione Dei et obedientia. Sicut in cantico dicitur [Luc. 2, 14.]: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, et hominibus laetitia. Ideo Ioannes, ut aliquo modo ostenderet, qualis res sit dilectio Dei, dicit (1. ep. 5, 3.]: Haec est dilectio Dei, ut mandata eius servemus.

Ad has virtutes accedit Spes, quae est proprie expectatio venturae liberationis a Deo promissae. Et differt a fide dupliciter. Prior est insignis et praecipua differentia. Fides apprehendit promissionem et applicat nobis Mediatorem. Talis non est spes, sed eventus futuros expectat. Hinc facile potest intelligi, cur non dicatur, Spe iustificamur, quia ea oratio non ita monstrat vel applicat Mediatorem, ut cum dicimus: Fide iustificamur. Altera differentia est: Fides accipit praesens beneficium, praesentem reconciliationem, sine qua non potest fieri invocatio. Spes autem expectat futuros eventus a Deo promissos etc.

Decimum septimum.

Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum,
Ergo propter dilectionem fit remissio.

---

21) Diliges] Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. Diligas

22) et acquiescimus.] Editt. 16. 17. 21. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. ut acquiescamus.

23) et] sic Editt. 20. 25. 30., Corp. 1—8.; ceterae Editt.: ac

24) sese] Editt. 1—17. 19. 21. se

Respondeo: Duplex est absolutio. Alia privata conscientiae luctantis cum ira Dei: In hac absolutione necesse est intelligi, quod fide accipiatur remissio, non propter nostras virtutes. Ideo inquit Christus [25]) [Matth. 9, 22.]: Fides tua salvam te fecit. Nec nititur fides nostra dilectione, sed tantum misericordia promissa, ut constat. Nec existere dilectio potest, nisi sit apprehensa remissio. Alia est absolutio publica coram Ecclesia, haec fit propter bona opera, quae sunt testimonia conversionis, ut hic Christus Pharisaeo declarat, cur eam recipiat, quia extent [26]) testimonia conversionis.

Ac tota historia imago est Ecclesiae, semper duo sunt coetus: Alter hypocriticus, inflatus ordinaria auctoritate et opinione iustitiae, propterea quod videtur utcunque tueri doctrinam disciplinae et Legis. Quanquam autem hic coetus non amplectitur Evangelium, tamen, quia tenet gubernationem, Ideo ibi Christus assidet mensae, id est, ibi concionatur. Alter coetus est, qui audit Evangelium, vere agit poenitentiam et vera fide invocat Deum, agnoscit filium Dei Mediatorem et praedicat Evangelium: Huic coetui, quanquam alter coetus habet speciosiora opera, tamen Christus tribuit hic laudem dilectionis, quam sibi sumunt hypocritae, qui arrogant sibi iustitiam Legis. Sed Christus transfert hoc decus in hanc miseram mulierem, hic placet iustitia Legis, ubi est vera agnitio Christi. Et in hoc coetu sunt veri cultus, scilicet, poenitentia, fides, vera invocatio, dilectio, osculari et tergere pedes Christi, id est, ornare [27]) et defendere ministerium Evangelii et studia necessaria Ecclesiae, sustinere pericula in confessione, labores et odia in docendo. Econtra hypocritae sunt sine poenitentia et sine timore Dei, quia putant se iustos esse sua disciplina seu suis ceremoniis; Deinde sunt sine fide, quia vel confidunt sua iustitia vel manent in dubitatione: Sunt sine dilectione, quia non potest existere dilectio Dei et invocatio, nisi prius agnita sit remissio; Evangelium vero non ornant, sed vel delere vel premere conantur. Hic igitur Christus consolationem piis proponit, refutat acriter Pharisaeum et detrahit ei laudem iustitiae, ut significet se defendere suam Ecclesiam contra iniqua iudicia hypocritici coetus.

Si cui vero haec solutio de duplici absolutione non placet, utatur altera; Usitatae sunt Synecdochae, Remittuntur ei multa, quia conversa est. Talia dicta et alibi occurrunt, et tamen Synecdoche, explicanda est. Quanquam necesse est simul concurrere multas partes conversionis, contritionem, fidem, dilectionem, seu bonum propositum, tamen non propter nostram dignitatem datur remissio, sed per misericordiam, quae fide apprehenditur. Haec explicatio sumitur ex Paulo dimicante de particula Gratis, fide propter Christum.

Decimum octavum.

Vita aeterna vocatur merces,
Est ergo debita pro operibus.

Respondeo brevissime: Vita aeterna est merces, quia compensat benefacta, etiamsi datur propter aliud, scilicet propter Christum. Ut patrimonium est merces filii, etiamsi contingit [28]) propter aliam caussam. Haec responsio brevis et expedita satisfacit huic obiectioni; Nam adversarii immodice exaggerantes vocabulum Mercedis multa inde absurda extruxerunt. Ut in locatione operarum et mercedis, vel in emptione, pretii et mercis [29]) est aequalitas: Sic finxerunt aequalitatem obedientiae et vitae aeternae, et vocaverunt obedientiam meritum de condigno, finxerunt homines Legi Dei satisfacere, commenti sunt opera supererogationis. Et de fide intuente non nostram dignitatem, sed Mediatorem, et accipiente remissionem et haereditatem vitae aeternae propter Christum nihil dixerunt; Imo oppositum tradiderunt, cum aiunt: Spes est expectatio vitae aeternae orta ex meritis nostris. Denique vocabulum Meriti multas disputationes movit, et Bernhardus, cum se evolvere non posset, tandem inquit: Sufficit ad meritum scire, quod non sufficiat meritum. Ita agnitio propriae infirmitatis coëgit eum confugere ad Christum.

Nostra igitur explicatio est expedita. Dicimus oportere in salvandis existere poenitentiam, fidem et inchoatam obedientiam seu dilectionem; Et tamen quia revera adhuc in carne ingens est caligo et infirmitas repugnans Legi Dei, agnoscendum est, quod inquit David: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et confugiendum est ad Christum, ac statuendum, quod agentibus poenitentiam et credentibus propter ipsum detur vita aeterna. Sicut ipse inquit [Ioh. 6, 40.]: Haec est voluntas Patris, ut omnis credens in Filium habeat vitam aeternam. Et amentia est fingere, quod renati satisfaciant Legi Dei et sint sine peccato. Ut igitur maneat certa spes vitae aeternae, sciamus eam dari agentibus poenitentiam et credentibus propter Christum.

Interim tamen quia Deus recipit obedientiam, etsi bona opera non merentur remissionem peccatorum et haereditatem vitae aeternae, tamen meren-

25) inquit Christus] Editt. 1—17. 19. 21. Christus inquit

26) extent] Editt. 18. 20. 25—27., Corp. 1—8. extant

27) id est, ornare] Editt. 1. 3. et ornare

28) contingit] Editt. 1. 3. contingat

29) mercis] Editt. 3. 18. 20. 22—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2. mercedis

tur alia praemia corporalia et spiritualia in hac vita et futura. Sicut Christus inquit [Luc. 6, 23.]: Merces vestra copiosa erit in coelo. Haec, quae dixi, cordatis et piis conscientiis satisfaciunt.

Vera est et haec responsio: Has orationes, Vita aeterna erit merces; Item, Reddetur cuique iuxta opera sua, phrases esse Legis, quae loquitur [30]) de iustitia tanquam de nostra dignitate; Et tamen fides accipiens reconciliationem statuit nos propter aliud, non propter nostras virtutes, placere, quia nemo Legi satisfacit et in hac imbecillitate naturae multa manent peccata. Hanc interpretationem addi necesse est ex Evangelio, quae hoc efficit, ut mercedem intelligamus quidem compensationem, sed non intelligamus dari reconciliationem propter nostram dignitatem, nec inchoatam obedientiam placere propter se ipsam, sed in reconciliatis propter Mediatorem. Hos postea sequitur compensatio bonorum operum.

Illud vero argumentum explodendum est, quod dicunt homines segniores fieri ad benefaciendum, si ratio meriti tollatur. Dixi supra, multo graviores esse rationes necessitatis et debiti. Praeterea discrimen tenendum est promissionum, gratuita est promissio reconciliationis et vitae aeternae; Sed legales promissiones proprie [31]) sunt additae pro operibus: Qui dederit potum aquae, non perdet mercedem. Etsi igitur bona opera non merentur reconciliationem, nec sunt pretium vitae aeternae; Nam reconciliationem praecedere necesse est, ut obedientia possit placere; Tamen merentur alia praemia, ut dictum est.

Deinde quod de segnitie obiicitur, refutandum est opposito periculo dubitationis. Si dubitandum erit de vita aeterna, ut doctrina illorum de meritis dicit, dubitatio magis languefacit studium recte faciendi. Sed haec omitto. Magna caligo est in animis hominum et horribilis infirmitas. Paucissimi vident, quid sit servire Deo. Sed pii, qui aliquid lucis habent, agant Deo gratias, quod nos propter filium recipit, et quod propter hunc Mediatorem hanc imbecillem et contaminatam obedientiam approbat et ornat praemiis, et nos excitemus ad exercitia fidei et bonorum operum; Nam in his exercitiis hae quaestiones facile poterunt diiudicari.

Exposui totam controversiam de iustificatione seu de reconciliatione. Cum autem multi hanc sententiam oppugnent, piae mentis est diligenter videre quid praecipue agatur, et, ut facilius iudicari [32]) possit, Ecclesiam omnium temporum intueatur et sanctorum experientiam consideret. Dicimus necessariam esse poenitentiam, et addimus, credendum esse, quod propter filium Dei donetur remissio gratis, non propter nostram dignitatem; Item, quod mens non debeat succumbere dubitationi, sed fide vincere dubitationem. Praeterea dicimus necessariam esse inchoatam obedientiam: Sed hanc non satisfacere Legi Dei, sed placere in reconciliatis propter Mediatorem, ac manere quidem in renatis peccata, sed tamen discernenda esse peccata contra conscientiam ab iis, quae manent in sanctis. Dicimus enim amitti gratiam, cum violatur Lex Dei contra conscientiam. Haec non solum nihil habent absurdi, sed revera congruunt cum consensu omnium sanctorum inde usque ab initio.

Cogita Davidem, cum obiurgatur a Nathan. Hic David agnoscit iram Dei, et vere expavescit ac dolet. Rursus autem, cum audit Evangelium: Abstulit Dominus peccatum tuum, erigitur hac voce, nec cogitat se habere remissionem propter suas virtutes, Sed huic voci credit et cogitat de promissionibus, quae sunt datae patribus, luctatur cum dubitatione et fide vincit. Quid deinceps? An postea putat se Legi Dei satisfacere? Imo vero agnoscit infirmitatem hanc procul abesse a perfectione Legis; Ideo dicit: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens, et scit tamen per misericordiam placere Deo hanc iustitiam bonae conscientiae in reconciliato. Sicut inquit: Pax multa diligentibus Legem tuam.

Has summas intueantur animi, quae certe sunt perpetuus et irrefragabilis consensus sanctorum, omnium temporum. Nec difficile erit refutare cavillationes, quae contra hanc sententiam excogitantur, si hae summae fuerint in conspectu et in quotidiana invocatione exerceantur. Nulla enim potest esse vera invocatio, nisi cognita doctrina de fide. Accedendum est enim ad Deum fiducia Mediatoris, ut Rom. 5. [vs. 2.] Per hunc habemus accessum etc. Item Hebr. 4. [vs. 16.] Habentes talem Pontificem accedamus cum fiducia.

[X.]

DE DISCRIMINE VETERIS ET NOVI TESTAMENTI.

Una est perpetua Ecclesia Dei inde usque a creatione hominis et edita promissione post lapsum Adae; Sed doctrinae propagatio alias in aliis politiis fuit. Ac prodest considerare seriem historiae et testimonia, in quibus Deus se patefecit [33]) ab initio et

30) loquitur] Editt. 18. 20. 25. legitur; Editt. 26. 27. 30. 34., Corp. 1—8. loquuntur

31) proprie] Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. propriae

32) iudicari] Editt. 1—17. 21. iudicare

33) Deus se patefecit] Editt. 26. 27., Corp. 1—8. se Deus patefecit

iram adversus peccata et misericordiam erga conversos declaravit. Nam ut sciremus doctrinam Ecclesiae solam, primam et veram esse, Deus singulari beneficio scribi perpetuam historiam ab initio voluit, et servavit, et huic libro scripto per Patres et Prophetas addidit testimonia editis ingentibus miraculis, ut sciremus, unde et quomodo ab initio propagata sit Ecclesiae doctrina. Postea vero Gentium religiones exortae sunt, alibi aliis temere fingentibus novos Deos et novos cultus, relicta prima doctrina. Nec norunt Graeci aut alii suarum religionum auctores, et quotidie horribili licentia fingebant novas, nunc sacra Bachi, nunc Dianae.

Quare cogitemus ingens Dei beneficium esse, quod certum librum Ecclesiae tradidit et servat, et ad hunc alligat Ecclesiam. Tantum hic populus est Ecclesia, qui hunc librum amplectitur, audit, discit, et retinet propriam eius sententiam in invocatione Dei et in regendis moribus. Non igitur est Ecclesia Dei, ubi reiicitur hic liber, ut apud Mahometistas; Aut ubi, extincta propria sententia, proponitur commenticia, ut apud haereticos. Quare lectione et meditatione opus est, ut propria sententia retineatur, sicut de studio saepe praecipitur. 1. Tim. 4. [vs. 16.] Intende lectioni; et Col. 3. [vs. 16.] Verbum Christi abundet inter vos. Spiritus sanctus testatur se velle scribi doctrinam et testimonia divina. Psal. 101. [vs. 19.] Scribentur haec in generatione altera, et populus, qui creabitur, laudabit Dominum.

Amemus ergo et colamus studia libri divinitus traditi, ac primum sciamus in summa, duo genera doctrinae in toto illo libro contineri, Legem et promissionem Gratiae, quae proprie vocatur Evangelium. Haec distinctio lumen est universae scripturae, ac fuit utrumque genus doctrinae ante Moysen.

Lex est notitia in creatione hominis indita menti, docens unum esse Deum, conditorem rerum, eique deberi invocationem et obedientiam iuxta discrimen honestorum et turpium, quod ipse Deus impresserat menti, et puniri contumaciam. Nam imago Dei in homine erat in mente illa firma notitia de Deo et agnitio Legis et in voluntate conversio ad Deum. Etsi autem post lapsum voluntas aversa est, et in mente notitia obscurior facta est, tamen manet notitia, ut extet aeternum et immutabile iudicium Dei contra peccatum, testificans Deum irasci peccato.

Sed promissio reconciliationis post lapsum non est notitia insita naturae, sed est vox prolata ex arcano sinu Patris, quae prius ignota [34]) fuit omnibus creaturis, qua voce Deus testatus est, se homines recipere in gratiam et deleturum esse peccatum et mortem ac instauraturum iustitiam et vitam propter quoddam venturum semen mulieris. Estque inchoata praedicatio utriusque generis in Paradiso. Legis vox est accusatio inobedientiae, Promissio vero erat: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Et erant postea Patres, ut Adam, Seth, Enoch et alii, qui legitima vocatione fungebantur Sacerdotio et propagabant utramque doctrinam.

Lex, quae prohibet homicidium, expresse praedicatur in concione ad Cain, et deinde in concione ad Noë repetitur. Lex, quae prohibet vagas libidines, sancita est in Paradiso, et postea propositum testimonium de iudicio [35]) Dei in diluvio et conflagratione Sodomae. Sic et promissio subinde magis illustrata est, cum ad Abraham dicitur: In semine tuo benedicentur omnes Gentes.

Quid igitur proprie nominatur vetus Testamentum? quid novum? cum Legem et Evangelium semper praedicare [36]) necesse fuerit et cum eiusdem vocis ministerium perpetuo sit in Ecclesia? Respondeo: Vetus Testamentum propriissime est promulgatio Legis seu pactum, quo populus Israel ad Legem et hanc formam politiae obligatus est ad hunc finem, ut in hac politia conservaretur et propagaretur promissio de venturo Messia, propter quam et in hoc populo erat vera electorum Ecclesia.

Hic finis diligenter considerandus est, quem ignara multitudo in populo Israel non intelligebat, sed tres errores circumferebat. Primus erat: sicut promissionem terrae, hoc est, certi loci possessionem et rempublicam videbant esse rem corporalem. Sic Messiam promissum existimabant hanc politiam aucturum et confirmaturum esse, non intelligebant mitti eum, ut fieret victima, ut aboleret peccatum et mortem, et hac politia eversa daret iustitiam et vitam aeternam credentibus.

Secundus error erat: Non intelligebant, cur praecipue Lex promulgata esset. Non enim tantum promulgata est, ut politica disciplina hic populus regeretur, sed ut extaret vox Dei certo et illustri testimonio tradita, qua patefactum esset iudicium Dei aeternum et immutabile adversus peccatum, ut ira Dei agnita quaereretur promissio Messiae. Sed multitudo ignara tantae rei existimabat Legem tantum esse politicam disciplinam et externa obedientia satisfieri Legi Dei, nec intelligebat peccata interiora, dubitationes de ira et de misericordia Dei, non vere expavescere, non ardere fide et dilectione, non acquiescere in Deo fiducia auxilii divini, in invocatione dubitare, an Deus accipiat preces; Denique habere innumerabiles errantes mo-

34) ignota] Editt. 1—17. 21. omnino ignota

35) de iudicio] Editt. 1. 3. 6. 7. 12. iudicii; Editt. 2. 4. 9. iudicio

36) praedicare] Editt. 1. 3. 6. 7. 12. praedicari

tus. Haec mala multi fingebant non esse peccata nec pugnare cum Lege Dei.

Tertius error erat: Peccata et lapsus suos fingebant compensari sacrificiis, et mereri se remissionem peccatorum mactatione pecudum et aliis ceremoniis; Et hac opinione cumulabant sacrificia, imo et novas ceremonias excogitabant aut Ethnicas recipiebant, mactabant liberos suos, ut magno et difficili opere plura bona mererentur, ut humana caecitas ad hunc errorem prona est, ut putet opera a nobis excogitata magnifieri a Deo. Hi tres errores late grassabantur in hoc populo.

Sed tamen semper servavit Deus in hac ipsa politia aliquam veram Ecclesiam, hoc est, coetum recte sentientem, ut Ies. 1. [vs. 9.] dicitur: Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma essemus etc. Taxabat igitur vera Ecclesia errores et revocabat aliquos ad veram Dei invocationem, docebat hanc politiam constitutam esse, ut esset certa sedes et certus locus Ecclesiae, donec veniret Messias, ut in hoc loco interim conservaretur et propagaretur promissio, testabatur hunc Messiam mitti, ut fieret victima pro peccato et daret iustitiam et vitam aeternam, non imperium mundi in hac mortali vita.

Deinde et de Lege docebant, externam obedientiam et disciplinam non satisfacere Legi Dei, nec placere Deo, nisi prius iacto fundamento, hoc est, agnita promissione Messiae, ac propter eum accepta remissione peccatorum et reconciliatione. Hanc fidem docebant oportere praelucere in invocatione, quod Deus propter hunc Messiam vere reciperet ipsos et exaudiret [37]) preces. Hac fide docebant inchoandam esse hanc partem Legis in corde, videlicet, Decalogum de Dilectione, de Invocatione, de Timore Dei.

Sic et de ceremoniis concionabantur, nequaquam traditas esse, ut essent pretia pro remissione peccatorum, sed ut essent signa venturi Messiae et testimonia professionis ac exercitia admonentia de Fide et Invocatione, nec valere nisi prius iacto fundamento, videlicet agnita promissione Messiae et accepta remissione peccatorum et inchoata illa prima parte Legis, scilicet Decalogo.

Sic et de tertia parte Legis, id est, de iudicialibus docebant, placere politica officia iacto fundamento, id est, agnita promissione Messiae et accepta remissione et inchoata in corde illa prima parte Legis, scilicet Decalogo, ut fiducia auxilii divini et propter gloriam Dei et dilectionem proximi fierent politica officia, non, sicut ea faciebant Alexander, Sylla, Marius et similes, cum contemptu Dei, propriae potentiae ac utilitatis caussa.

37) exaudiret] Editt. 1—17. 19. 21—23. 26. 27. audiret; Ed. 18. audire; Ed. 20. exaudire

Sic Prophetae monstrabant promissionem et usum Legis, econtra vero superstitiosas opiniones taxabant, ut Ierem. 7. [vs. 22.] Non praecepi [38]) patribus vestris de holocaustis; Et Psal. 50. [vs. 18.] Holocaustis non delectaberis. Haec et similia dicta videbantur aperte pugnare cum Lege, quare impii Reges et Pontifices armati praetextu Legis crudeliter saeviebant in Prophetas; Sed Prophetae hoc volebant, Lege non postulari ceremonias sine notitia et fiducia Messiae et sine poenitentia seu, ut vulgo loquuntur, ex opere operato, et cum ceteris erroribus, quos ignara multitudo affingebat.

Quod autem constitutio illa politiae Mosaicae dicatur proprie vetus Testamentum, confirmant haec dicta, Gal. 4. [vs. 24.] Haec sunt duo Testamenta, unum quidem ex monte Sina ad servitutem generans, id est, obligans ad hanc politiam, quae etsi erat magnum beneficium, gratissimum est enim scire certam Ecclesiae sedem, tamen servitus erat, id est, nondum erat illud summum bonum, nova et aeterna vita, quae erit vera libertas exhibenda in novo Testamento; sed erat ministerium Legis, praedicans iram adversus peccatum et coërcens disciplina et erudiens populum umbris quibusdam de futuris bonis.

Sic ad Hebr. 7. [vs. 18.] vetus Testamentum ait abrogari, quod fuerit imbecille ac [39]) inutile. Non loquitur de promissione venturi Messiae: Haec non fuit inutilis Patribus, sed Lex fuit infirma et inutilis, scilicet ad iustificationem seu ad tollendum peccatum et mortem. Hoc ipsum enim vult dicere: Etsi magnum beneficium erat dari certam Ecclesiae sedem in terris, constitui [40]) pulchram politiam et disciplinam, tamen haec bona omnia erant res interitui [41]) et morti obnoxiae, non erant iustitia et vita aeterna.

Sic et clare Ieremias cap. 31. [vs. 32.] vocat vetus Testamentum foedus, quod factum est, cum educeretur populus ex Aegypto; et eruditissime discernit vetus et novum. Vetus fuit promulgatio externa Legis et declaratio iudicii adversus peccatum et constitutio politiae, ut certa sedes esset verbi et testimoniorum Dei. Sed novum non erit externa promulgatio Legis, sed nova et aeterna vita, lux et iustitia, Lege ardente in cordibus, abolita morte et peccato. Complectitur enim Ieremias totum et integrum effectum novi Testamenti, ut plerumque Prophetae de beneficiis Messiae loquentes non tan-

38) praecepi] Editt. 18. 22. praecipi

39) ac] Editt. 1—9. 12. et

40) constitui] Editt. 1—4. 6. 7. 9. 12. constituere

41) interitui] Editt. 1—12. interiturae; Editt. 13. 15—18. 20. 21. 25. interitu

tum de inchoatione concionantur, sed de tota et integra instauratione naturae. Fitque ita illustre discrimen novi et veteris Testamenti, cum illa nova coelestis et integre liberata natura ab omnibus malis confertur ad veterem naturam subiectam Legi et morti.

Huc etiam appellationes referantur: Vetus, sic dicitur et propter tempus et propter subiectum, quia Legis promulgatio tempore antecedit instaurationem naturae inchoatam resurgente Christo et completandam, cum tota Ecclesia resuscitata ornabitur sua gloria. Deinde propter subiectum dicitur Vetus, quia haec vetus natura premitur iudicio Legis et coërcenda est disciplina Legis. Ac ut vetustas naturae manet in hac vita, sic manet Lex et hoc ingens opus, quod Lex in maledictionibus denuntiat, id est, manet ira Dei aeterna, nisi ex Evangelio fuerit accepta remissio. Deinde manent et ingentes calamitates, quae sunt poenae, quibus Deus omnium peccata extra Ecclesiam et in Ecclesia punit, grassantur bella, morbi, inopiae, vastationes, exilia, iniuriae, desertiones, perfidiae, distractiones amicorum, denique dolores innumerabiles. Has aerumnas sciamus non casu accidere, sed perpetuam vocem Legis esse, quae hanc miseram naturam admonet de ira Dei aeterna et frenat ac coërcet; Nec putemus deleta politia Mosaica propterea desiisse iudicium Dei et maledictiones adversus peccata. Inchoatur quidem benedictio et liberatio in iis, qui credunt Evangelio, et ira Dei aeterna remittitur; sed donec vetustas corruptae naturae manet, simul manent aliquae poenae.

Nam vox Legis moralis et maledictiones ideo revelatae sunt, non quod ad illum populum tantum pertinerent, sed ut alicubi extaret testimonium et iudicium Dei adversus peccatum in toto genere humano. Dicitur ergo vetus Testamentum hoc onus, quia premit totam veterem naturam non solum in impiis, sed etiam in sanctis ante integram liberationem. Sed his consolatio, auxilium et mitigatio proponitur in Evangelio, et eatenus maledictio abrogata est. At impii pereunt iuxta maledictiones sine liberatione, ut multi praestantissimi homines horribiliter perierunt oppressi simul praesentibus calamitatibus et aeterna ira, ut Saul, Pompeius, Caesar, Crassus, Cato, et sunt in conspectu quotidiana exempla congruentia cum universa mundi historia. Cum enim natura hominum sit rea, premitur maledictionibus Legis.

Ex his, quae recensui, satis intelligi potest, quomodo quadrent appellationes veteris et novi Testamenti, si tempus promulgatae Legis et integra instauratio conferatur; Item, si cogitemus veterem naturam premi et coërceri ante integram instaurationem. Idque cum cogitamus, singuli suas aerumnas sciant esse Legis concionem, qua de ira Dei admonemur, ut quaeramus Messiam, sciant frenos nobis iniici, ut haec vetustas naturae coërceatur.

Novum Testamentum est praedicatio remissionis peccatorum et donatio vitae aeternae ac novae iustitiae, deleto peccato et deleta morte propter Christum Mediatorem. Cumque nominatur novum Testamentum, inchoatum intelligamus in omni praedicatione Evangelii, inde usque ab initio datae promissionis, et compleri intelligamus in tota Ecclesia, cum ex morte resuscitata induet aeternam gloriam.

Et huius ingentis gloriae exemplum in capite et aliquot membris viderunt Apostoli, cum viderunt resuscitatum et ascendentem Christum. Ibi enim viderunt integre in illis abolitam esse mortalitatem, viderunt novam naturam fulgentem luce divina, nova iustitia et vita. Sic de novo Testamento Ieremias locutus est, complectens non tantum praedicationem Evangelii ante resurrectionem, sed integrum beneficium, cap. 31. [vss. 33 sq.] Dabo Legem [42]) in corda eorum, et ero eis in Deum, et erunt mihi in populum, et non docebit ultra vir proximum suum dicens, Cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me; quia ero propitius iniquitati eorum, et peccati eorum non recordabor amplius. Pugnantia hic dici videntur: Primum enim inquit, Feriam novum pactum; At vero pacta fiunt verbo aliquo et ministerio vocali, per quod Deus suam voluntatem declarat, et saepe alias dicitur in novo Testamento propagandum esse novum verbum, ut Ies. 61.[43]) [vs. 1.]: Spiritus Domini super me ad annuntiandum afflictis misit me. Postea vero inquit, Non docebit ultra vir proximum suum. Hic inquit, ministerium vocis humanae desiturum esse. Haec congruunt recte distributa.

Inchoatur enim novum Testamentum in hac mortali vita per ministerium praedicandae promissionis omni tempore; Sed completur integre exhibita luce, iustitia et vita aeterna, in qua ministerium docendi mandatum hominibus cessabit, et coram fruemur aeterno conspectu Dei. Interim vero etsi est inchoatum novum Testamentum in renatis, tamen, quia vetustas carnis manet, caro, ut supra dictum est, horribiliter premitur maledictionibus Legis, hoc est, calamitatibus omnis generis, ut agnoscatur ira Dei adversus peccatum et quaeratur Mediator, Item, ut peccatum coërceatur et puniatur. Ideo, ut supra saepe dictum est, maxime Ecclesia ingentibus calamitatibus oppressa est, quia praecipue in Ecclesia Deus iram suam adversus peccatum vult conspici, sed tandem [44]) Ecclesia prorsus et peccatum exuet,

42) legem] Editt. 1. 3. legem meam

43) 61.] Editt. 1—16. male: 6.; Editt. 22. 24. 28. 29. 31—33., Opp. 1. 2.: 51.; Corp. 2. 4.: 1.

44) Sed tandem] Editt. 1—12. Sed tamen tandem

et liberabitur ab omnibus poenis, et ornabitur aeterna vita et gloria. Sicut hic dicitur: Peccati eorum non recordabor amplius.

Sic et [45]) 2. Cor. 3. [vs. 6.] Paulus discernit novum Testamentum, et quidem doctrinam tradit gravissimam et dulcissimam consolationem. Doctrina haec est: Vetus Testamentum vocat literam et ministerium mortis, id est, Legem accusantem et damnantem homines: At novum vocat ministerium spiritus, id est, praedicationem Evangelii, per quam datur Spiritus sanctus, inchoans in corde novam [46]) lucem, iustitiam et vitam, ut Rom. 8. [vs. 15.] dicitur: Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba Pater. Agnita misericordia per Evangelium, non iam fugiunt mentes Deum, sed accedunt ad eum tanquam Patrem, et, ut accedant, adiuvantur Spiritu sancto, invocant, credunt, et acquiescunt in promissionibus, cum considerant, Deum foedere aeterno et immutabili sibi adiunxisse humanam naturam, cum filius natus est ex virgine, id est, cum duae naturae divina et humana in Filio copulatae sunt, tenent evidens testimonium, quod ostendit, Deo vere curae esse genus humanum, cum audiunt hunc Filium mitti, ut sit victima et sit auctor novae et aeternae vitae, sicut Iesaias inquit: Pater aeternitatis, ad ipsum confugiunt.[47]) Et haec ipsa vox Evangelii est potentia Dei ad salutem omni credenti, id est, per hanc datur Spiritus sanctus et inchoatur nova et aeterna iustitia.

Consolatio est addita. Miretur aliquis, cur novi Testamenti gloria tantopere celebretur a Prophetis, cum illa collectio Ecclesiae, quae fiebat per Apostolos, nequaquam habeat tam convenientem ordinem, tam certos gubernatores, tales victorias et miracula, sicut eductio ex Aegypto et constitutio politiae.

Hic respondet Paulus: Imo illa gloriosa facta omnia exhibita sunt, ut essent testimonia non tantum de illa peritura politia, sed de promissione futuri et aeterni regni. Ac docent, ut credamus, cum affuerit Deus illi periturae politiae, multo magis affuturum esse isti suo aeterno regno. Offenduntur humana iudicia, cum vident Ecclesiam esse dispersos et vagos coetus, sine praesidiis humanis, sine potentibus gubernatoribus, denique sine ordine. Deinde singuli sua infirmitate excruciantur, quaerunt, quid prosit Evangelium et nomen Christi, cum non sentiamus in nobis nova et miranda dona, Item relinquamur in aerumnis, sicut alii [48]) damnati homines in hac vita.

Adversus has dubitationes [49]) opponit Paulus hanc collationem: si periturae politiae ministerium fuit gloriosum, quanto magis hoc ministerium salutis aeternae erit gloriosum, id est, erit efficax in his, qui Evangelium amplectuntur, et mirabilibus modis servabitur. Angimur animis in tantis tumultibus rerum humanarum, metuimus Ecclesiae, doctrinae, literarum interitum, et haec pericula monent, non humanis consiliis, sed divinitus inter tantas regnorum confusiones et ruinas servari Ecclesiam. Id vult Deus considerari, et vult peti defensionem; et ne frangamur animis, tradidit promissiones, mansuram esse [50]) Ecclesiam in terris usque ad finem mundi, sicut clare inquit Christus Matth. ult. [28, 20.] Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Iam cum Ecclesia mansura sit, necesse est Evangelium esse gloriosum, id est, efficax, necesse est protegi Ecclesiam mirabilibus operibus Dei, necesse est et studia aliqua literarum manere, etsi in hac ultima senecta mundi omnia erunt imbecilliora et deformiora. Sed tamen cogitatione harum consolationum nos confirmemus et ad precandum excitemus.

Sunt autem plurimae novi Testamenti descriptiones passim in Prophetis, in quibus simul mentio fit et passionis Christi et beneficiorum, videlicet remissionis peccatorum et regni aeterni, hoc est, novae et aeternae iustitiae et vitae, ut Ies. 53. et Dan. 9. [vs. 24.] Septuaginta hebdomades praefinitae sunt populo tuo, ut in his aboleatur peccatum et exhibeatur iustitia aeterna. Item [vs. 26.]: Occidetur Dominus. In his dictis breviter summae rerum, quae in novo Testamento fient, comprehensae sunt.

Sic et Zach. 9. [vs. 11.] dicitur: Tu quoque in sanguine Testamenti tui emittes vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Breve dictum est, ut multa sunt in Prophetis, sed collatione fiunt perspicua. Vocat sanguinem Testamenti sanguinem victimae, per quam Testamentum de rebus aeternis condendum et confirmandum est, videlicet sanguinem Christi. Norant enim Prophetae, non tolli peccatum sanguine pecudum, sed eas victimas signa esse alterius victimae. Educes, inquit, vinctos tuos de lacu, id est, ex morte aeterna captivos illos, videlicet, qui erunt tui et quidem educes sanguine, id est, victima, quae promissa est, ut res aeternas restituat, videlicet placata ira morte filii Dei. Complectitur ergo mortem Christi et aeterna beneficia.

Deinde quale sit hoc regnum, quales actiones

45) Sic et] *haec exhibent* Editt. 20. 25—27., Corp. 1—8.; ceterae Editt.: Sic

46) novam] Editt. 1. 3. illam novam

47) confugiunt] Editt. 26. 27., Corp. 1—8. confugient

48) alii] Editt. 10. 11. 13—16. 18—20. 23. 25—27. alibi

49) dubitationes] Editt. 1—7. 9. tentationes

50) esse *abest ab* Editt. 18. 20. 25., Corp. 1—8.

praecipuas habiturum sit, describit cap. 12. [vs. 10.] Effundam super domum David Spiritum gratiae et precum. Hic nominat propria novi Testamenti bona. Spiritus gratiae est Spiritus sanctus, quo adiuvantur corda, ut agnoscant audito Evangelio et credant se recipi in gratiam, statuant vere placatam esse iram Dei; Postea vero agnita misericordia invocent, ac praecipue nominat invocationem, quia haec est solius Ecclesiae cultus, prorsus ignotus omnibus ignorantibus Evangelium.

Ac simul doctrina et consolatio traditur, admonemur ut invocemus, et significatur, hunc cultum Deo gratum et non irritum fore. Hae descriptiones et similes in Prophetis utilissime [51]) nos de novo Testamento et beneficiis novi Testamenti erudiunt, quae quidem propius aspiciemus, cum has amplissimas consolationes ad usum nostrum transferemus [52]) et spiritum invocationis excitabimus.

Et plerumque Prophetae de novo Testamento dicentes simul de poenis impiorum praesentibus et aeternis concionantur, ut Amos. 9. [vss. 8—11.] Ecce oculi Dei super regnum peccans, et conteram illud; Verumtamen non conteram regnum Iacob. Ecce ego mundabo et concutiam in omnibus Gentibus domum Israël, sicut concutitur triticum in cribro, et non cadet granum super terram. Gladio morientur omnes peccatores. In die illa suscitabo tabernaculum etc. id est: Cum colligam mihi Ecclesiam, simul horribilibus poenis declarabo iram adversus impios, deletis regnis excerpam et servabo exiguam multitudinem, ut deleta Hierosolyma et dissipata gente Iudaica excerptae sunt reliquiae praedicatione Apostolorum, et postea dilacerato imperio Romano, civilibus et barbaricis bellis, tamen Ecclesia collecta est, et nunc tristissimi regnorum motus et excidia sunt poenae fatales mundi, inter quas tamen Deus excerpit Ecclesiam, et, cum glorificabit totam Ecclesiam, simul in aeternas poenas abiiciet impios. Sic describit novum Testamentum Iesaias cap. 65. de inchoatione [53]) et praedicatione loquens]vs. 1.]: Ecce ego ad Gentem, quae nesciebat me. Deinde de poenis impiorum [54]) [vss. 11 sq.]: Vos, qui dereliquistis Dominum, in caede corruetis. Interim tamen inquit, Excerpi Ecclesiam, ut si una uva inveniatur, ne disperdam, inquit, totum. Et de completione novi Testamenti addit: Ecce creo coelos novos etc.

Haec dicta Prophetarum consideranda sunt, ut inchoationem et completionem discernamus; Item, ne tristissimo spectaculo ruentium imperiorum fracti existimemus nullam esse Dei Ecclesiam, sed sciamus inter has horrendas confusiones tamen quaerendum et retinendum esse verbum Dei, et eos, qui se fide, voluntate, invocatione et confessione cum vera Ecclesia coniungunt, esse membra populi Dei, ubicunque sunt, etiamsi inter tumultus regnorum servitute aut morte opprimuntur. Hanc consolationem piis necessariam esse hoc ipso tempore omnes intelligunt. Saepe enim hac tentatione sani concutiuntur, An Deus prorsus abiecerit has Gentes, ubi non manent Ecclesiasticae politiae. Hic multi ruunt in desperationem, pauci pii vix magno certamine eluctantur. Hos dolores describens Oseas cap. 13. [vss. 13 sq.] cum etiam de novo Testamento dicturus est, inquit: Dolores parturientis venient eis, sed de manu mortis liberabo eos; Ero mors tua, o mors. Quid vocet dolores parturientis, satis intelligunt nunc sani, qui afficiuntur conspectu Turcici latrocinii et aliorum tumultuum ac confusionum in multis locis. Sed addita est consolatio, quae pios hortatur confugere ad promissionem novi Testamenti: Ero mors tua, o mors. Item: Omnis, qui invocabit nomen Domini, salvus erit.

Dixi, quid sit novum Testamentum; Ac monui considerandum esse, quae dicta de inchoatione, quae de impletione [55]) loquantur. Dicitur enim novum Testamentum, et quia promissio post lapsum tradita est, et quia inchoatur nova et aeterna iustitia et vita, quae bona integre post resurrectionem exhibebuntur. Nunc vero Ecclesia in hac infirma natura subiecta est cruci, et imperia mundi omnia fatalibus poenis concutientur usque ad finem. Quare etiamsi deleta est politia Israël et cum ea ceremoniae et forenses Leges extinctae sunt, tamen vox Legis, quae iudicat [56]) peccatum, videlicet vox Decalogi semper manet, manent et poenae, sed piis mitigantur.

Sicut autem in politia Israël Deus pacem et alia vitae commoda promisit populo, si obediret; Sic Ecclesia, quanquam dispersus coetus est, nec habet certum imperium aut certam sedem, tamen, quia huic vitae opus est victu et hospitio, promissiones habet, non de certa sede, sed de hospitiis et victu in genere.

Prudenter igitur exempla poenarum et bonorum Israël accommodanda sunt. Ut ibi polluti idolis, libidinibus et aliis sceleribus puniti sunt, ita nunc vagantur poenae per omnes pollutos: Quia iudicium Dei adversus peccata idem est omnibus temporibus, et exempla illa proposita sunt, ut vocem Legis et iudicium Dei universo generi humano

51) utilissime] Editt. 2. 9. utilissimae

52) transferemus] Editt. 1. 3. transferamus

53) inchoatione] sic Editt. 1—15. 19.; ceterae Editt.: invocatione

54) impiorum:] Editt. 18. 20. 22. 24. 25. 30. 34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2. imperiorum:

55) impletione] Editt. 1. 3. completione

56) iudicat] Editt. 1. 3. indicat

et omnibus aetatibus declarent et nos ad poenitentiam hortentur. Deinde ut David, Iesaias et multi alii invocantes Deum exaudiuntur et defenduntur in sua vocatione; Ita et nunc sciamus Deum Ecclesiae, etiam cum dispergitur, tamen hospitia aliqua daturum esse, ut tunc dabat Eliae exulanti nidulum apud viduam Sareptanam.

Sed tamen discrimen esse sciamus, nobis non est promissum regnum, non promissa est certa sedes; Sed in genere sciamus Deum in hac vita daturum esse hospitia Ecclesiis et studiis, sicut nascenti Christo hospitium fuit in praesepi. In hanc sententiam inquit Paulus 1. Tim. 4. [vs. 8.] Pietas promissionem habet praesentis et futurae vitae.

Ac valde prodest intelligere, cur promissiones corporalium bonorum traditae sint. Possunt autem numerari tres caussae.

Prima, ut refutentur Epicurei furores, hoc est, ne casu aut ordine naturae tantum existimemus nobis obiici bona corporalia sine auxilio Dei, Sed vere statuamus haec bona etiam Deo curae esse, et Deum nobis dare hospitia, politias, domicilia, pacem, victum, bonos successus in laboribus. Haec saepe inculcantur, ut Psal. 126. [vs. 1.] Nisi Dominus aedificaverit domum. Et sequenti [Ps. 127, 1 sq.]: Beati omnes, qui timent Dominum. Labores manuum tuarum manducabis. Et Psal. 36. [vs. 19.] In diebus famis saturabuntur. Christus [57]) inquit [Matth. 6, 33.]: Primum quaerite regnum Dei, et cetera adiicientur vobis. Et quidem iubet petere panem quotidianum. Et Deut. 8. [vs. 3.] Afflixit te penuria et dedit tibi cibum, ut ostenderet, quod non in solo pane [58]) vivit homo, sed ex omni verbo, quod procedit ex ore Dei. Et de Isaac dicitur Gen. 26. [vs. 12.]. Seminavit Isaac in terra illa, et invenit illo anno centuplum; Benedixitque ei Dominus, et locupletatus est. Et Gen. 28. [59]) [vs. 20.] Si fuerit Deus mecum et custodierit me et dederit mihi panem. Denique sparsa sunt ubique testimonia, auxilio Dei hanc corporalem vitam defendi et iuvari rebus necessariis.

Secunda caussa est, cur promissiones bonorum corporalium datae sint, [60]) ut sciamus, Deum in hac vita Ecclesiam servaturum esse. Nam in tanta magnitudine periculorum hac consolatione nobis opus est.

Tertia caussa est, ut fides et invocatio in petendis et expectandis his rebus necessariis exerceatur, et crescat agnitio bonitatis et praesentiae Dei, ac simul crescat gratitudo. Ideo Paulus inquit Rom. 5. [vss. 3 sq.] Tribulatio patientiam efficit, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit. Cum videt Paulus exaudiri se precantem in navi et servari omnes, quanquam fracta navi, agnoscit praesentiam Dei, et hoc testimonio fides fit ardentior et firmior, et accenditur gratiarum actio.

Harum caussarum cogitatione nos quoque fidem exerceamus in petitione corporalium bonorum. Exerceamus et gratiarum actionem; Et quanquam oportet singulos paratos esse ad obedientiam in calamitatibus, tamen sciamus in hac precatione duo obiecta comprehendenda esse. Oramus pro toto corpore et Ecclesiae et pro nobis ipsis. Petimus, ne bellis tota Ecclesia deleatur, ac pro universo coetu certo impetramus. Quanquam autem non semper singulis tollitur malum, tamen mitigatio impetratur, ut orantes pro Davidis exercitu primum totum exercitum orabant servari, idque impetrabant; Deinde singuli ad obedientiam parati erant, si dimicantes interficerentur, sed tamen sibi mitigationem impetrabant, ut multi servarentur aut certe consolationem a Deo haberent. Ut Ionathas quanquam interficitur, tamen prius ornatus et confirmatus est a Deo, et vincit ea pars tandem, quam ipse optabat superiorem esse. Haec dixi, ut in his precationibus discamus complecti non nos tantum, sed totam Ecclesiam et totas politias et de his exercitiis homines saepe commonefaciendi sunt.

Exposui discrimen veteris et novi Testamenti, quod in Ecclesia dextre intelligi valde utile est. Postremo autem hoc monendus est lector, ut politia Mosaica funditus deleta est, ita ceremoniae et forenses leges, quae non sunt praecepta naturalia, abolitae sunt; Nec magis ad nos pertinent, quam leges Solonis. Sed ut natura hominis manet, ita manent naturalia, quale est: Ne cognati in primo et secundo gradu connubia contrahant. Et inter naturalia Decalogus est, qui est praecipua pars legis, propter quam cetera constituta sunt. Voluit enim Deus promulgationem fieri Decalogi illustri testimonio, ut extaret clara vox iudicii divini adversus peccata totius generis humani. Ideo tantis miraculis populus ex Aegypto eductus est, et tot annos mirabiliter in deserto defensus, ut conspiceretur praesentia Dei, et haec miranda facta omnia testimonia essent vocis Decalogi, quae non est abolita, sed est aeternum et immutabile iudicium Dei adversus peccata.

Quod enim confugientibus ad Christum remittuntur peccata, non propterea Deo peccatum placet, sicut placet esus carnis suillae, cui tunc interdictum erat. Manet haec vox et est aeterna [Psalm. 5, 5.]: Non Deus volens impietatem tu es; Sed ingen-

57) Christus] Editt. 1—3. 6. 7. 9. 12. Et Christus

58) in solo pane] Editt. 22. 24. 28. 30. 34. solo in pane

59) 28.] Editt. omnes male: 38.

60) sint] Editt. 18. 20. 25—27., Corp. 1—8 sunt

tem iram suam effudit in Filium, qui pro nobis intercessit, et persolvit poenam: Hoc pretio intercedente recipimur. Qui autem non confugiunt ad hunc Filium, hi manent condemnati voce legis, et pereunt. Haec alias copiosius exponemus.

Ceterum etsi ceremoniae Leviticae abolitae sunt, tamen continent imagines de multis Christi beneficiis, sed dextre explicandae sunt. Nam prava imitatione legis Mosaicae multi errores confirmati sunt.

In lege honorificentissime institutus est ordo Sacerdotum: praepositus summus Sacerdos, aliae familiae sacrificiis, aliae aliis laboribus destinatae sunt: Hi ad tabernaculum seu templum certis vicibus praesto erant, docebant, sacrificabant, diiudicabant controversias doctrinae, versabantur in studiis, Denique nihil hoc collegio in toto genere humano pulchrius et venerabilius fuit. Etsi enim saepe multi ibi erant impii, et postremo tempore Pharisaei et Saducaei; tamen, quia Deus familiae sacerdotum promissionem dederat, semper aliquae reliquiae piae manserunt, ut Ieremias, et postea Simeon, Zacharias et alii multi.

Hoc exemplum collegii omnium toto orbe terrarum pulcherrimi certe significat in Ecclesia semper fuisse et futurum esse ministerium vocis divinae, per quod Deus est efficax et impertit vitam aeternam; Monet item, hoc ministerium reverenter colendum esse. Sed principalis functio est huius collegii, proponere Evangelium, ut Malach. 2. [vs. 7.] dicitur: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et lex requiritur ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.

Sicut autem quondam Ethnici retinuerunt ceremonias Noë, Sem et Iaphet, amissa doctrina; Sic indocti ultimis temporibus finxerunt ad imaginem sacerdotii Levitici regnum pontificium, in quo obscurata luce Evangelii dederunt pontifici imperia et potestatem leges condendi de novis cultibus, et, ut alluderent ad sacrificia Levitica, verterunt coenam Domini in sacrificium certi ordinis, quod finxerunt prodesse vivis et mortuis, ex opere operato, id est, sine bono motu utentis. Hae depravationes et κακοζηλίαι reprehendendae sunt, et quaerendum, quis tunc fuerit pius usus sacrificiorum, et quid vere significent.

Multae sunt dulces significationes in ceremoniis, quae pios de magnis rebus admonent, sed cavendum est, ne aberret interpretatio. Pulcherrima imago est Ecclesiae omnium temporum Arca collocata in sancto sanctorum, quae vocabatur Arca foederis.

Primum igitur appellatio Arcae foederis significat illum tantum esse populum Dei, cum quo expresso verbo pactum fecit. Amisso igitur verbo Dei populus ille desinit esse Ecclesia Dei, et singuli ita tantum sumus vere membra Ecclesiae, cum illud pactum fide amplectimur et quasi in hanc arcam nos includimus, in qua non parietes contemplandi sunt, sed haec appellatio foederis, videlicet, quae monet Deum nobiscum fecisse pactum, nos receptos esse a Deo. Vides igitur hac ipsa appellatione significari, eam esse Ecclesiam, quae foedus, id est, verbum Dei amplectitur.

Deinde in arcam collocatae sunt tabulae Decalogi, quo significatum est, Ecclesiam semper oportere custodem esse ipsorum librorum Propheticorum et Apostolicorum, in quibus Deus se patefecit. Ubi igitur hi libri non sunt, ibi Ecclesiam Dei esse impossibile est, ac servatur Arca propter hos libros. Sic semper aliquis coetus servabitur, qui erit custos horum librorum. Ita primum professio et libri custodia significatur, ut ad huius libri conservationem et lectionem invitemur; Deinde significatur, qualis sit Ecclesia Dei distincta a reliquo genere humano. In mentibus huius coetus lucet agnitio Dei tradita in verbo, et inchoata est obedientia, et olim erit integra. Talis erit populus aeternus Dei, tenens in mentibus et tota natura instaurata inclusum Decalogum: Ardebit dilectione Dei toto corpore, tota anima, sine vitiosis appetitionibus.

Tertio: Arca tegebatur tabula aurea, quae vocabatur Propitiatorium. Hac appellatione significatum est, Ecclesiam tegi adversus iram et horrendum iudicium Dei, mediatore Christo, qui quia est Propitiator, Deus parcit nobis, recipit nos ac servat nos. Sine hoc umbraculo natura hominum opprimeretur magnitudine irae Dei.

Addita est autem promissio de Propitiatorio, Exod. 25. [vs. 22.]: Inde Deum locuturum esse, ibi exauditurum esse. Ideoque haec tabula nomen habuit Propitiatorii, quia Deus eo loco voluit invocari, et ad hunc locum alligavit populum, ita ne aliis locis novae arcae, nova templa conderentur.

Congruit autem typus. Ut enim[61]) propitiatorium est sedes Dei, ita Christus vere sedes est[62]) Dei, quod in Christo vere est divina natura, et ad hunc alligata est Ecclesia, non exaudimur nisi propter ipsum, ut scriptum est [Ioh. 16, 23.]: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Quare invocantes sine agnitione et sine fiducia Christi repelluntur a Deo, ut omnes ignari Evangelii.

Supra hanc sedem stant duo Cherubin alas iungentes et sese contuentes. Hi significant ministerium doctrinae in utroque Testamento, et sunt iunctae alae, et facies se mutuo contuentur, ut consensus doctrinae significetur. Eadem est vox

61) enim] Editt. 22. 24. 28., Opp. 1. 2. autem

62) sedes est] Editt. 22. 24. 28., Opp. 1. 2. est sedes

Prophetarum et Apostolorum de peccato, de liberatione per Christum, de vita aeterna, denique de vera agnitione Dei et vero cultu Dei; Et tota illa pompa sacrificiorum veterum significat unum sacrificium filii Dei, qui pro nobis victima factus sustinuit iram Dei effusam in se, quasi ipse peccata nostra admisisset. Huius irae, doloris, confusionis, ignominiae, humilitatis magnitudinem nulli Angeli, nulli homines eloqui possunt, sed tamen excitandae mentes sunt ad tantae rei cogitationem. Ac rursus admonent hi Cherubin non esse Ecclesiam, ubi non est doctrinae Propheticae et Apostolicae ministerium. Vectes et baculi significant etiam ministros, doctores et scholasticos. Etsi autem hoc nostrum munus sordidum est et longe infra imperiorum [63]) gubernationem collocatum, tamen sciamus Deo gratum esse ac necessarium generi humano, et a Deo mirabiliter inter ingentes procellas defendi et servari. Plenum est igitur verae dignitatis, ac nos ipsi muneris magnitudinem cogitantes ornare functionem nostra diligentia, patientia, modestia studeamus, et adversus pericula sustentemus nos promissionibus [Matth. 28, 20.]: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Item [ibid. 16, 18.]: Supra hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et contra eam non praevalebunt portae inferorum.

Etsi autem sumus, ut Paulus inquit, vasa testacea, homines miseri, infirmi, egeni, non florentes opibus, tamen fungimur legatione pro Christo, ut inquit Paulus: quam certe Deus defendet, sicut in ipsa multorum Prophetarum et Apostolorum vocatione declaravit, hoc munus sibi curae esse. Quantis miraculis vocavit Iesaiam, Ieremiam, Ioannem Baptistam, Paulum! Haec non temere acciderunt, nec propter illos tantum, sed testimonia sunt utilia toti Ecclesiae, quae ostendunt Evangelium vere esse vocem Dei, et Deo curae esse suos ministros. Haec satis sit admonuisse de ceremoniis Leviticis, ut studiosi cogitent typos fuisse rerum magnarum, et ad dextram interpretationem opus esse vera Evangelii cognitione.

Postremo: etsi leges forenses nihil ad nos pertinent, tamen in genere admonent Deo placere vitam politicam, contractus, ordinem magistratuum, iudicia, poenas sceleratorum, ac ostendunt pios debere in talibus officiis exercere fidem, confessionem, patientiam, dilectionem; Nam, ut supra diximus, ante haec opera politica fundamentum teneri necesse est, videlicet notitiam promissionis ac fidem et inchoatam obedientiam Decalogi.

Et quia politia Mosaica optima idea et forma est politiae in hoc naturae depravatae statu, prudentibus gubernatoribus utile est hanc formam considerare. Leges Ethnicae in duabus rebus fuerunt negligentiores, in puniendis blasphemiis [64]) et prohibendis vagis libidinibus. At lex divina gravissimas poenas constituit in cultores idolorum, blasphemos, impios doctores, item, in pollutos vagis libidinibus. Voluntas igitur Dei de his delictis in Lege divina a sapientibus gubernatoribus consideranda est.

[XI.]

DE DISCRIMINE PECCATI MORTALIS ET VENIALIS.

Ut Paulus inquit [Rom. 7, 9.]: Ego aliquando sine lege vivebam, id est, non sentiebam me a lege accusari, non expavescebam, non sentiebam iram Dei adversus peccatum, non cogitabam, quanta res sit peccatum aut ira Dei; Ita maxima pars hominum secura est ac ne leviter quidem cogitat, quanta res sit peccatum, quanta res sit ira Dei; Cum tamen poena primi lapsus et cum tantae calamitates totius generis humani nos quotidie admoneant de magnitudine irae Dei; Denique cum Christi intercessio et mors sit testimonium, serio et vere Deum irasci peccato. His testimoniis aliquantum moventur corda piorum, qui irae magnitudinem aliqua ex parte sentientes petunt mitigationem poenarum, ut [Psalm. 6, 2.]: Domine, ne in furore tuo arguas me. [65]) Item Abacuc [3, 2.]: Cum irasceris, Domine, misericordiae tuae recordaberis. Item Ierem. 10. [vs. 24.] Corripe me, Domine, verumtamen in iudicio, non in furore tuo, ne ad nihilum redigas me. Tales aliquo modo intelligunt discrimen peccati venialis et mortalis. Homines securi, ebrii voluptatibus non intelligunt hoc discrimen; Ideo et multi scriptores in hoc loco hallucinati sunt.

Etsi autem magnitudo irae Dei verbis describi non potest, tamen discendi caussa teneantur hae definitiones. Peccatum mortale in genere est defectus vel inclinatio vel actio contra legem Dei, offendens Deum, non remissa, sed iam [66]) iram Dei et aeternas poenas promerens. Sunt igitur in non renatis peccata mortalia ipse morbus originis et omnes vitiosi affectus et omnes pravae actiones. Etsi autem magna est virtus Pomponii Attici aut Senecae, non volunt cuiquam nocere, imo multis

---

63) imperiorum] Editt. 16—18. 20—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2. impiorum

64) blasphemiis] Ed. 1. blasphemis

65) me *abest ab* Editt. 1—7. 9.

66) iam *abest ab* Editt. 15—17. 21. 22. 24. 28—34., Corp. 2—8., Opp. 1. 2.

benefaciunt, non polluunt se libidinibus, non sunt defraudatores in contractibus, tamen mentes dubitant de providentia, nec invocant Deum, sed potius fremunt adversus Deum, cum vident in tanta confusione vitae saepe negligi bonos. Haec caligo in corde magnum peccatum est, quod tamen homines contemnunt. Cum autem corda aversa sunt a Deo, virtutes etiam talium non renatorum polluuntur nec recte reguntur. Benefacit Atticus, sed non propter Deum. Alexandri fortitudo vere erat donum Dei et excellens virtus, et res, quas gerit, adiuvantur a Deo; Sed Alexander ipse non habet hunc finem propositum, ut Deo serviat, ut sua gubernatione propagetur vera de Deo notitia; Imo nec vere credit suam manum in praeliando a Deo gubernari, sed existimat casu et sua virtute res Macedonicas crescere. Ideo negligens Deum, postea sese nimium admiratur, vult se coli ut numen, interficit amicos, a quibus arbitratur se non satis magnifieri, ruit in libidines flagitiosas. Hae labes ostenderunt, quale fuerit antea cor immundum. [67]) Ergo immunditia cordis et virtutes polluebat, et postea genuit manifesta scelera.

Quanquam autem Nero et Epicurus multo atrocius peccant quam Cato, tamen utrique sunt oppressi peccatis mortalibus horrendis et ira Dei aeterna. Nec necesse est in non renatis quaerere discrimen peccati mortalis et venialis [Rom. 14, 23.]: Quia omne, quod non est ex fide, peccatum est. Cato est sine luce vere invocante Deum, fugit Deum, fremit adversus eum, cum videt se in caussa (ut videtur) iustiore negligi, hic prorsus ei omnis de Deo persuasio elabitur. Quare omnes actiones eius sunt damnatae. Sed de renatis necesse est quaeri, qui habeant peccata venialia, et qui eorum lapsus dicantur mortalia peccata.

Quanquam igitur renati, in quibus accensa est agnitio Christi, fides et vera invocatio, et inchoata est obedientia, sunt iusti, placent Deo et habent Spiritum sanctum, tamen in eis adhuc in hac vita manet ingens infirmitas, videlicet caligo in mente de Deo, et voluntatis ac cordis prava inclinatio et multi vitiosi affectus. Incurrunt in animum pravae dubitationes de Deo, fiducia, timor, dilectio et aliae virtutes omnes multo languidiores sunt, quam esse debebant, interim nos ipsos pluris facimus, quam oportuit, et alimus in nobis superbiam et fiduciam nostri, et hac superbia et fiducia nostri movemus interdum incaute non movenda; Ut Iosias, pius et sanctus rex, bellum intulit Aegyptio offerenti pacem; et incenduntur sancti saepe iniustis odiis, flammis iracundiae et libidinum, quibus tamen repugnant. Sunt item ignorantiae et omissionis peccata plurima in sanctis, sicut clamitat David [Psalm. 18, 13.]: Delicta quis intelligit? Nulla est enim functio vel Ecclesiastica vel politica vel oeconomica, cui haec humana infirmitas par esse possit.

Haec mala in renatis sunt contra legem Dei, ut Paulus testatur Rom. 7. et quanta sit deformitas, quanta magnitudo horum malorum, pii in veris doloribus aliquo modo agnoscunt. Sed quia persona accepta est, accensa agnitione Christi et fide in corde et donato Spiritu sancto et aliquo modo infirmitatem agnoscit et deplorat, et expavescit agnitione irae Dei adversus peccatum, et petit condonationem et repugnat primis incendiis, fiunt huic personae haec mala venialia peccata, id est, condonata, ita ut non excutiant Spiritum sanctum et fidem, ac maneat persona in gratia. Haec clare docet Paulus Rom. 8. [vs. 1.:] Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant, id est, etsi sunt in eis peccata, infirmitas illa, quam dixi, et vitiosi affectus, tamen persona accepta est, et damnatio remota est, sicut et supra inquit [Rom. 6, 14.]: Non estis sub lege, sed sub gratia.

Quod vero dicitur, nihil esse peccatum, nisi sit voluntarium, caliginem, dubitationem, omissiones, subitos affectus, praecurrentes iudicio et assensui, non esse voluntaria: Haec cavillatio facile refutari potest. Nam dictum illud, Nihil esse peccatum, nisi sit voluntarium, de iudicio civili loquitur, non de iudicio legis divinae. Imo caligo in mente, dubitationes, omissiones magnae et multae, non affectatae, et multae subitae flammae sunt peccata, etiamsi non sunt voluntaria. Sicut Paulus inquit [Rom. 7, 19.]: Quod nolo malum, hoc facio. Et de iisdem loquitur Ioannes inquiens [1. ep. 1, 8.]: Si dicimus nos non habere peccatum, mendaces sumus. Loquitur enim de infirmitate et vitiosis motibus in renatis, non de lapsibus eorum, qui contra conscientiam, id est, volentes indulgent pravis affectibus.

Sic et Paulus discernit peccata eorum, qui manent in gratia, et aliorum, qui effundunt gratiam. Rom. 8. [vs. 13.] Si secundum carnem vixeritis, moriemini; Sed si spiritu actiones corporis mortificabitis, vivetis, id est, si pravis cupiditatibus obtemperaverit voluntas avertens se a Deo, cum sciens et volens ruit contra mandatum Dei, abiicit poenitentiam, timorem Dei et hanc fidem, quod placeat Deo, sauciat animum, ne possit invocare Deum, amissa gratia et Spiritu sancto iterum ruit in mortem, hoc est, accersit sibi iram Dei et poenas aeternas, ut Adam et Eva suo lapsu amiserunt gratiam et sibi horribilem iram Dei accersiverunt. Sed si Spiritu actiones corporis mortificabitis, vivetis: Vocat corporis actiones, vitiosae naturae pravos motus et negligentias. Tunc autem inquit, nos victuros esse, id est, retinere gratiam et Spiritum sanctum, si vitiosis illis motibus repugnemus, et hic gradus magis perspicue declaratur in aliis

67) immundum.] Editt. 1. 3. mundum.

locis, ubi praecipitur, ut sit in renatis iustitia bonae conscientiae. 1. Tim. 1. [vs. 5.] Finis mandati est dilectio ex corde puro, conscientia bona, fide non ficta.

Tunc ergo repugnamus, quando cavemus, ne scientes et volentes assentiamur vitiosis motibus ac indulgeamus. Est in nobis assidua caligo, et hanc deploremus, sunt impetus multi vitiosi vel praecurrentes voluntatem, vel simul eam aliquantisper rapientes, ut Paulus inquit: Se captivum duci a peccato in membris. Hic si repugnas nec contra conscientiam obtemperas, retines gratiam et Spiritum sanctum. Haec nihil habent perplexitatis, nec opus est subtiliter et Stoice metiri gradus consensus. Rapitur enim infirma voluntas, priusquam animadvertat, sed illud spectandum est, quod facile intelligi et iudicari potest, ne sciens indulgeas, sed ut repugnes, et addit Paulus, Spiritu, id est, veris motibus poenitentiae, timoris ac fidei, expavescat voluntas cogitatione irae Dei, deploret infirmitatem, metuat insidias Diaboli, condonationem petat propter Christum, petat et auxilium Spiritus sancti, promissiones revocet in memoriam et tanquam ad magnum praelium se praeparet, non admittat illecebras, sed fortiter eas repellat, occasiones vitet. Habent renati Spiritum sanctum, hunc non conturbent alendis et accendendis pravis motibus, sed sciant datum esse, ut nos regat, qui quidem vult nos regere et adiuvare, si ipsi non expellamus eum, sed repugnemus vitiosis motibus. Ideo dictum est 2. Cor. 6. [vs. 1.] Adhortamur vos, ne frustra gratiam Dei acceperitis. Poterat David retinere Spiritum sanctum, et ab eo adiutus fuisset, nisi volens eum excussisset et volens aluisset incendium in animo ortum.

Plurima exempla summorum virorum [68]) proposita sunt, qui securitate lapsi sunt, et poenas sibi et posteris accersiverunt, ut Adam, Eva, Aaron, [69]) David, Salomon, et de toto populo dicitur: Sedit populus manducare et [70]) bibere, et surrexit ludere, id est, cum essent saturi et securi, obliti sunt Dei, et facti sunt negligentiores et petulantiores etc. Et notum est usitatum dictum: Luxuriant animi rebus plerumque secundis. [71]) Ac circuit Diabolus intentus in occasiones, ut incautos implicet lapsibus inextricabilibus. Texit enim longam telam, videt ex uno lapsu multa mala secutura esse, ut ex lapsu Adae, Davidis, Salomonis, quanta moles peccatorum et calamitatum secuta est! Haec exempla et quotidianae naturae calamitates semper nobis in conspectu sint ac nos de horribili ira Dei adversus peccatum admoneant, et precatio pellat securitatem, sicut inquit Salomon [Prov. 28, 14,]: Beatus qui semper est pavidus. Item [Matth. 26, 41.]: Orate, ne intretis in tentationem.

Etsi igitur morbi haerentes adhuc in renatis in hac vita et vitiosi affectus non sunt levia aut contemnenda mala, ut caligines et dubitationes multiplices de Deo, carnalis securitas, errantes flammae libidinum et odiorum, multa magna errata ignorantiae non affectatae et omissionis [72]) non affectatae, Nec sunt tantum ἀταξίαι praeter Legem Dei, ut Monachi finxerunt, sed vere sunt contra Legem Dei: tamen, donec manent in renatis bona conscientia et fides, manet etiam Spiritus sanctus. Neque tamen fiducia nititur propria dignitate, sed Christo, et statuimus ex promissione nos in gratia esse propter Christum, ac repugnamus vitiosis [73]) motibus et petimus condonationem. Sic retinetur invocatio Dei, ut 1. Ioan. 3. [vs. 21.] dicitur: Cum cor nostrum non condemnat nos, fiduciam habemus erga Deum, et, quod petimus, accipiemus, quia mandata eius servamus, hoc est, credimus in Christum, et retinemus bonam conscientiam. Necesse est autem et hoc sciri, conscientiam oportere regi verbo Dei.

Dixi de veniali peccato. Sed cum hi, qui fuerunt renati, scientes et volentes violant Legem Dei, ut cum amplectuntur impias opiniones aut stabiliunt eas sua approbatione aut indulgent odiis, ambitioni, flammis libidinum, avaritiae, aut externis factis ruunt contra Legem Dei, ut David rapiens alienam coniugem et astute maritum interficiens: Hae actiones contra conscientiam sunt peccata mortalia, quae admittens amittit gratiam, fidem et Spiritum sanctum, et accersit sibi iram Dei, ac, nisi rursus ad Deum convertatur, abiicitur in aeternas poenas, et, quia conscientia retinens propositum peccandi contemnit aut fugit Deum, non potest Deum invocare.

Testimonia manifesta haec sunt. Eph. 5. [vs. 5.] Hoc scitote, quod omnis scortator aut impudicus etc. non habet haereditatem in regno Dei. Nemo vos decipiat vanis sermonibus, propter haec venit ira Dei adversus inobedientes. Clare dictum est, Deum irasci talibus, donec retinent voluntatem talia faciendi.

Ezech. 33. [vs. 18 sq.] Cum recesserit iustus a iustitia sua et fecerit iniquitatem, morietur in ea; et cum recesserit impius ab impietate sua et fecerit iudicium et iustitiam, vivet in ea.

Eodem modo intelligantur et haec dicta. 1. Cor. 6. [vs. 9.] Nec scortatores nec adulteri nec idololatrae etc. possidebunt regnum Dei.

Gal. 5. [vs. 19.] Manifesta sunt opera carnis,

68) virorum *omittunt* Editt. 1—17. 21.

69) Aaron, *omittunt* Editt. 1. 3.

70) et] Editt. 21. 22. 24. 28. 29. 31—34., Corp. 2—8., Opp. 1. 2. ac

71) Ovid. de arte am. II. 437.

72) omissionis] Editt. 1—12. 28. 29. 31—33., Opp. 1. 2. omissiones; Editt. 18. 22. amissionis; Ed. 24. amissiones

73) vitiosis] Editt. 1. 3. talibus

adulterium, scortatio, idololatria etc. De his praedico vobis, quod, qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Ideo autem vocat manifesta opera, quia de eis conscientia facientis certo iudicare potest ex Lege Dei, et scit Deo displicere malum propositum. Item 1. Ioan. 3. [vs. 7.] Nemo vos decipiat: qui facit iustitiam, iustus est; qui facit peccatum, ex Diabolo est. Praeterea manifestissimum est, Evangelium postulare bonam conscientiam.

1. Tim. 1. [vs. 5.] dicitur: Dilectio ex corde puro, conscientia bona et fide non ficta. Et in eodem capite [vs. 18.]: Milita honestam militiam retinens fidem et bonam conscientiam. Et 2. Cor. 1. [vs. 12.] Haec est gloriatio nostra, testimonium conscientiae nostrae. Et ad Gal. 6. [vs. 4.] Unusquisque opus suum probet, et sic apud sese gloriationem habebit, et non ab altero, id est, unusquisque curet, ut suum opus recte faciat, sic habebit apud se gloriationem, id est, testimonium et approbationem propriae conscientiae, quae unicuique necessaria est, nec aucupabitur opinionem gloriosam ex aliorum reprehensione, nec pendebit ex alienis tantum iudiciis.

1. Petr. 3. [vs. 16.] Bonam conscientiam habentes.

Item: Impossibile est, hominem retinentem propositum peccandi placere Deo, quia clare dicitur [Ezech. 33, 11.]: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Iuramentum ad utrumque referatur, ad conversionem et ad reconciliationem. Non igitur placet lapsus, donec retinet propositum peccandi.

Item docet dictum Iesaiae ult. [66, 2.] Ad quem respiciam, nisi ad contritum spiritu et trementem sermones meos? Et cap. 57. [vs. 15.] Habitans cum contrito et humili spiritu, ut vivificet spiritum humilium et vivificet cor contritorum. O dulcem consolationem et promissionem, infigendam intimis pectoribus, sed pertinentem ad eos, qui expavescunt, hoc est, non retinent propositum peccandi, sed metuunt iram Dei.

Postremo haec duo impossibile est simul existere, malam conscientiam, id est, propositum peccandi, et fidem, quae est fiducia misericordiae Dei propter Christum promissae; quia habens propositum peccandi contemnit aut fugit Deum, non accedit ad Deum: At fiducia misericordiae accedit ad Deum, pontifice Christo. Experiuntur sauciatae conscientiae, se ab invocatione horribiliter depelli et mergi vel in contemptum Dei vel in desperationem. Ideo inquit Paulus [Rom. 14, 23.]: Quod non est ex fide, peccatum est, id est, res damnata a Deo. Multi autem exposuerunt hoc dictum sic: Quod non est ex fide, id est, quod est contra conscientiam, vel quod non est ex fide, id est, quod fit contra legem Dei, peccatum est. Sed nos sciamus et Legem et Evangelium comprehendi. Sit opus consentaneum legi Dei, et simul accedat fides, id est, fiducia misericordiae propter Christum promissae, ut in Nicodemo non est malum propositum, sed tamen ante conversionem fides deest, id est, fiducia misericordiae Dei propter Christum promissae, qua statueret sua facta Deo placere.

Ex his omnibus perspicuum est, discernendos esse lapsus contra conscientiam ab infirmitate et vitiis, quae haerent in sanctis, et hoc discrimen in Ecclesia retineri necesse est. Paulus vocat peccatum regnans seu dominans.

Etsi autem non litigo de vocabulis, tamen aliquid lucis addit collatio appellationum. Est enim singularis emphasis in vocabulo, Peccatum dominans, atrocitas et efficacia peccati describitur, quod, cum non repugnamus, dominatur, id est, gignit effectus horribiles, cumulat scelera et aliis alia addit ac subinde maiores ruinas trahit, et maiorem iram ac tristiores poenas meretur, et in aeternum exitium reos impellit, ut Saul, cum fuisset donatus Spiritu sancto et ornatus eximiis virtutibus et insignibus victoriis, non retinuit hoc decus, sed aemulationi succubuit. Huic affectui primum facile erat resistere, sicut Aaron repressit similes flammas. Sed Saul furorem alit, peccatum igitur dominans impellit eum primum, ut interficere Davidem conetur, avellit eum a Deo et excitat multiplices furores: Ruit iratus Saul et sacerdotes interficit, auget igitur iram Dei peccatum dominans et late saeviens. Quare Deus et ipsum et exercitum eius et filium Ionathan, virum sanctum, obiicit hostibus trucidandos. Haec omnia complectitur tristissima appellatio Peccati dominantis.

Apparet autem Paulum sumpsisse hanc formam loquendi ex Gen. cap. 4. [vs. 7.] ubi brevis concio recitatur, quae tamen summam doctrinae Legis complectitur. Primum de iudicio Dei concionatur: Si bonus fueris, eris acceptus; Sin autem malus, peccatum tuum cubabit, donec reveletur: Sub te sit appetitus tuus, et tu domineris ei.

De multis magnis rebus hi pauci versiculi concionantur. Primum docent, ita placere externos cultus, si cor sit iustum. Deinde peccantibus poenas minatur, et monet de mora, ne securitas confirmetur, quia poenae differuntur. Ac significat futurum iudicium post hanc vitam, et mira est descriptio. Totius mundi profana securitas uno verbo significata est: Peccatum cubabit seu quiescet, sed donec reveletur. Peccatum Iudae cubabat, donec sentiebat poenam. Deinde sequitur praeceptum: Sint sub te appetitiones pravae, et tu domineris. Hic significat, manere in hominibus vitiosas appetitiones, sed repugnandum esse, et Deo hanc obedientiam placere, cum in agnitione ipsius repugnamus peccatis; Econtra abiici a Deo illos, qui sinunt dominari peccatum.

Iuxta hanc concionem et Paulus Rom. 6. [vs. 14.]

inquit: Peccatum vobis [74]) non dominabitur. Etsi sunt acres impetus, magna dubitatio, odiorum et aliarum cupiditatum incendia etc., tamen nunc non dominentur, id est, ut ipse interpretatur, non obediamus eis. Cum vero dominantur, abstrahunt a Deo, et postea in varia scelera impellunt, et poenas in hac vita et postea accersunt. Quod igitur usitate dicitur peccatum mortale, seu (ut Nazianzenus nominat) φονικὸν, id perspicue vocari potest regnans seu dominans peccatum.

Nec opus est huc afferre disputationem de electione. Nos enim iuxta verbum Dei, in quo voluntatem suam expressit Deus, iudicare debemus. Non est quaerenda alia voluntas extra verbum Dei; et exemplum primorum parentum perspicue ostendit, etiam electos labentes contra conscientiam amittere gratiam et effundere Spiritum sanctum. Certum est enim Adam et Evam amisisse gratiam et illam praestantiam donorum, quam habuerunt; Ideo enim posteri nascuntur filii irae, id est, alieni a gratia, et afferentes caliginem de Deo, et aversam voluntatem a Deo et multiplicem contumaciam, imo magnitudo poenae lapsus Adae monet, quanta res sit ira Dei, quanta mala post unum lapsum sequantur ac de multis partibus doctrinae in Ecclesia omnium temporum [75]) maxime insignes et illustres admonitiones in historia Adae proponi sciamus.

Non igitur nobis ipsis blandiamur, nec extenuemus lapsus, sed agnoscamus Deum vere irasci peccato, et proponamus nobis dicta, quae citavi, quae de ira, de Iudicio Dei et de poenis concionantur, ut dictum est: Propter haec venit ira Dei adversus inobedientes. Expavescant animi et abiiciant propositum peccandi et ad Deum redeant iusiurandum illud cogitantes [Ezech. 33, 11.]: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Cogitemus Adae, Aaronis, [76]) Davidis et Manassae lapsus, poenas et conversiones, deploremus ingentem imbecillitatem humanae naturae, et simus vigilantiores adversus illecebras et Diaboli insidias, meminerimus singula peccata mereri subitam mortem, sicut saepe adulteri et homicidae in ipso facto subito interficiuntur, et tamen immensa misericordia Dei nobis concessum esse spatium, ut ad Deum redire possimus, ut dulcissime dicitur Ies. 30. [vs. 18.] Propterea expectat Dominus, ut misereatur vestri. Et in Luca idem significat parabola de Ficu.

Non abutamur hac tanta bonitate, sed lapsi accusemus nos vero gemitu, ut David inquit: Peccavi Domino, et intueamur Mediatorem Filium Dei, et fiducia Mediatoris redeamus ad Deum, rursus invocemus, petamus nobis ignosci, nos recipi et sanari etc. Cogitemus illam dulcissimam vocem [Luc. 15, 7.]: Gaudium est in coelis de uno peccatore resipiscente. Audiamus et vocem Evangelii, qua cum palam in Ecclesia recipimur, confirmamur hoc ipso testimonio, ut firmius statuamus recipi lapsos; ac veniat in mentem testimonium universae Ecclesiae, quae semper recepit [77]) lapsos, ut hoc testimonium adversus Catharos allegavit Petrus Alexandrinus Episcopus. Denique universam doctrinam de poenitentia intenti cogitemus, quae de rebus maximis pios admonet, et disputationes de electione seponamus.

Postremo et hoc adiiciendum est: cum dicimus, peccata mortalia esse lapsus contra conscientiam, complectimur etiam peccata ignorantiae affectatae et omissionis affectatae, ut usitate loquimur. Hanc enim volentes accersimus seu confirmamus, ut qui nolunt discere Evangelium, cum hac voce, Hunc audite, toti generi humano Deus praeceperit, ut Christum audiamus, et quidem sparserit Evangelium inter omnes Gentes et addiderit testimonia non fallentia.

Habent igitur peccatum mortale omnes ἄθεοι, Turci, Iudaei et alii damnantes Evangelium, etiamsi fatentur se nec didicisse nec intelligere. Talis erat inscitia Pharisaeorum, quibus inquit Christus [Ioh. 9, 41.]: Si caeci essetis, peccatum non haberetis; Nunc dicitis vos videre, ideo manet peccatum vestrum.

Erant et cultus idolorum apud Ethnicos affectata ignorantia, quia volentes amiserant et abiecerant doctrinam, et non quaerebant eam rursus in Ecclesia, et receperant [78]) furores manifeste pugnantes cum naturali notitia, quae monstrat unum esse Deum, nec colendum esse Deum obscoenitate, ut apud illos erant Bacchanalia [79]) et alia turpia sacra.

De affectata omissione inquit Paulus: Vae mihi, si non evangelizem. Et Matth. 25. [vs. 30.] Inutilem servum eiicite in tenebras, quae foris sunt. Hanc tristissimam comminationem in sua quisque vocatione consideret. Etsi enim manent multa ignorantiae et omissionis non voluntariae peccata in renatis, ut in Apostolis ante Pentecosten multa erant; Tamen sit in vocatione voluntas seu studium recte faciendi, et pleraque recte faciamus. Hunc gradum constituit Paulus: Primum fatetur 2. Cor. 3. [vs. 5.] humanas vires non esse pares ministerio Evangelii. Non sumus, inquit, idonei per nos ipsos cogi-

74) vobis] Editt. 26. 27., Corp. 1—8. nobis

75) temporum *abest ab* Editt. 1. 3.

76) Aaronis, *abest ab* Editt. 1. 3.

77) recepit] Editt. 11. 13—20. 23. 25—27., Corp. 1—8. recipit

78) receperant] Editt. 1—4. 6. 7. 9. 12. receperunt

79) Bacchanalia] Editt. 1. 3. Bacchanalium

tare aliquid, scilicet de explicatione doctrinae aut consiliorum felicium in gubernatione aut sententiarum in iudicandis controversiis, et omnes sapientes in qualibet, quamvis exigua, functione tamen se saepe hallucinari experiuntur: Paterfamilias saepe male cavet liberis praeter expectationem. Sed 1. Cor. 4. [vs. 2.] inquit: Hoc flagitatur in ministris, ut sint fideles, hoc est, ut habeant voluntatem fidelem recta faciendi, non indulgeant ignaviae, sed discant, laborent mediocriter, et faciant non aliena, sed sui muneris opera; Nam sedulitas fugit utrumque vitium, ignaviam et *πολυπραγμοσύνην*.

[XII.]

DE ECCLESIA.

[80]) Semper in conspectu sit omnibus hoc Pauli dictum: Quos elegit, hos vocavit. Quotiescunque de Ecclesia cogitamus, intueamur coetum vocatorum, qui est Ecclesia visibilis, nec alibi electos ullos esse somniemus, nisi in hoc ipso coetu visibili. Nam neque invocari, neque agnosci Deus aliter vult, quam ut se patefecit; Nec alibi se patefecit, nisi in Ecclesia visibili, in qua sola sonat vox Evangelii. Nec aliam fingamus Ecclesiam invisibilem et mutam hominum in hac vita tamen viventium, sed oculi et mens coetum vocatorum, id est, profitentium Evangelium Dei intueantur, et sciamus oportere inter homines publice sonare Evangelii vocem, sicut scriptum est: In omnem terram exivit sonus eorum. Sciamus oportere ministerium Evangelii publicum et publicas congregationes esse, ut Eph. 4. dicitur, et ad hunc coetum nos adiungamus. Simus cives et membra huius visibilis coetus, sicut praecipit Psal. 25. [vs. 8.] Dilexi decorem domus tuae. Et Psal. 83. [vs. 2.] Quam dilecta tabernacula tua, Domine. Hi et similes loci non de idea Platonica, sed de visibili Ecclesia loquuntur, in qua sonat vox Evangelii et in qua ministerium Evangelii conspicitur, per quod patefecit [81]) se Deus et per quod est efficax.

Nec laudemus errones, qui vagantur et ad nullam se Ecclesiam adiungunt, quia nusquam inveniunt talem ideam, in qua non desideretur aliquid in moribus aut disciplina; sed quaeramus Ecclesiam, in qua articuli fidei recte docentur et non defenduntur idola, et ad hanc nos adiungamus; Hanc docentem audiamus et diligamus, et nostram invocationem et confessionem ipsius precibus et confessioni aggregemus. Sic Cyrus et alii pii inter Ethnicos, etsi non erant Hierosolymis, tamen publica professione erant in coetu vocatorum, audiebant vocem et ministerium Evangelii, erant cives et membra visibilia Ecclesiae visibilis, invocationem et confessionem suam coniungebant cum Prophetis et toto coetu piorum, qui erat in Hierusalem, ubi erat praecipua ministerii sedes.

Haec saepe multumque cogitanda sunt, ut discamus, quid sit Ecclesia Dei et ubi sit, quomodo Deus agnoscendus sit, et nos vere ad Ecclesiam adiungamus et fovere eam discamus, ne fiant dissipationes. Nam ubi nullae sunt congregationes, vox Evangelii conticescit, ut Tyranni Mahometici in multis locis omnia templa deleverunt et nullas congregationes fieri, ne quidem suorum, permittunt. Tales Diabolicas vastitates et dissipationes intelligamus ingens et summum malum esse. Ideo et [82]) Deum oremus, ut servet suos coetus, et nos ipsi omnibus eos officiis foveamus.

Sit autem haec definitio: [83]) Ecclesia visibilis est coetus amplectentium Evangelium Christi et recte utentium Sacramentis, in quo Deus per ministerium Evangelii est efficax et multos ad vitam aeternam regenerat, in quo coetu tamen multi sunt non renati, sed de vera doctrina consentientes. Ut Mariae tempore erant Ecclesia Zacharias, Simeon, Ioseph, Elisabet, Maria, Pastores et alii [84]) multi similes, qui de pura doctrina [85]) consentiebant [86]) et audiebant non Saducaeos aut alios impios Pontifices, sed Zachariam, Simeonem, Hannam, Elisabet, Mariam et similes. Servat enim Deus aliquas suas reliquias inter ministros et subinde ministerium instaurat: Et inter hos auditores Zachariae et Elisabet aliqui erant non renati, habentes delicta contra conscientiam; Qui tamen, quia de vera doctrina consentiebant, erant cives et membra Ecclesiae in hac vita.

Interim vero [87]) Pontifices, Pharisaei et Saducaei, pugnantes cum verbo Dei, etsi tenebant gu-

---

80) *Seqq.* Semper in conspectu — — foveamus. Sit autem haec definitio: *absunt ab* Editt. 1. 3.

81) patefecit] Editt. 2. 6. 7. 9. 12. patefacit

82) et *omittunt* Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2.

83) Editt. 1. 3., *ea, quae antecedunt, omittentes, pro seqq.:* Ecclesia visibilis — doctrina consentientes. *habent haecce:* Ecclesia visibilis est coetus amplectentium Evangelium Dei, et obedientium Evangelio, et renatorum Spiritu sancto, cui coetui admixta est in hac vita magna multitudo non renatorum, sed tamen de doctrina consentientium.

84) alii *omittunt* Editt. 1. 3.

85) de pura doctrina] Editt. 1. 3. de doctrina pura

86) *Pro seqq.* et audiebant — — in hac vita *sunt in* Editt. 1. 3. *haec:* et aliorum pugnantes cum verbo Dei, et tamen in hoc exiguo coetu, qui sentiebat cum Zacharia et Simeone, erant aliqui, qui habebant delicta contra conscientiam, et non erant renati.

87) vero *omittunt* Editt. 1. 3.

bernationem; tamen non erant membra Ecclesiae, iuxta illud [Galat. 1, 9.]: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit [88]) etc. Sic Eliae tempore erant Ecclesia Elias, Elisaeus et eorum auditores, neque erat Ecclesia sine ministerio. Erant enim ministri Evangelii Prophetae ipsi, et erant aliqui pii sacerdotes eis adiuncti, fuit enim mediocris multitudo sanctorum, ut[a]) Textus dicit [2. Reg. 19, 18.]:

88) *Pro seqq.* etc. Sic Eliae — — — usque ad consummationem seculi (*pag.* 840) *in* Editt. 1. 3. *haec sunt:* Et Ioan. 8. Vos ex patre Diabolo estis, quia non potestis audire sermonem meum. Sic Eliae temp. er. eccl. El. El. et eorum auditores passim dispersi in tota gente et in vicinia. Et quia erat mediocris multitudo, ut textus inquit: Reliqui mihi septem millia etc. Huic coetui admixti fuerunt multi, qui etsi de doctrina consentiebant, tamen culpandos mores habebant. Interim non erant ecclesiae membra sacerdotes Baal, et similes, qui cultus pugnantes cum verbo dei defendebant. Est igitur ecclesia coetus, similis scholastico coetui passim disperso, sed tamen professione eiusdem verae doctrinae coniuncto.

Sed humana sapientia, quia talem dissipationem existimat sine capite, sine ordine et sine gloria esse, offenditur hac imagine, et quaerit ecclesiam similem imperiis, alligatam ad certos titulos et ordinariam successionem personarum, quae tenent hos titulos, et ad quaedam vincula humana, ut politiae humanae alligatae sunt ad certos titulos et humanas leges. Regnum Francicum est multitudo obtemperans regi Francorum et legitimis successoribus, ordinata certis legibus et utens iudiciis a suo rege constitutis. Haec politica incurrunt in oculos, et placet ordo et coniunctio legibus et iudiciis devincta. Ideo ecclesiam cogitant homines similem politiam esse, praesertim cum et Deus tali quodam ordine instituerit politiam Mosaicam, in qua certe Moses, Aaron, David, Sadoc et similes principes et Pontifices vere erant ecclesiae membra.

Definiunt igitur ecclesiam esse coetum amplectentium Evangelium bonorum et malorum alligatum ad Petrum et successores, qui eodem titulo regnant, et ad eorum leges, et his successoribus et turbae eis coniunctae tribuunt proprias praerogativas ecclesiae, quod non possint errare in fide seu necessariis. Haec politica imaginatio plausibilis est. Ideo cum alia imago ecclesiae proponitur alligatae ad verbum Dei, non ad titulos, loca, leges humanas vel successionem ordinariam personarum, quae eos titulos gerunt, vehementissime commoventur homines politici, amantes ordinis et tranquillitatis. Dicunt furores esse et faces seditionum, fingere ecclesiam velut errones, sine capite, sine ordine, sine imperio. Si, inquiunt, talis esset ecclesia, ubi quaerenda esset? nec esset durabilis, imo nec visibilis. Scriptum est autem, Dic ecclesiae; ergo oportet visibilem aliquem coetum esse, et visibili ac certa politia comprehensum, ad quem referri controversiae possint. Removeantur, aiunt, ista deliria plena absurditatis et amentiae, pugnantia cum communi sensu, fingentium talem ecclesiam non alligatam ad certos titulos et certam politiam ac successionem.

His declamationibus, ut Prophetae et Apostoli praegravabantur, ita nos quoque horribiliter premimur. Haec sunt fulmina, de quibus dicitur: Et cum sceleratis reputatus est. Et Ioannis 16. Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo. Item 1. Cor. 4. Tanquam *καθάρματα* huius mundi sumus.

Quanquam igitur ingentem dolorem afferunt moderatis ingeniis hae falsae criminationes, tamen animus erigendus et confirmandus est his testimoniis, quae iubent Deo obtemperare et fugere idola, etiamsi unus aliquis prorsus solus esset ac a toto mundo desertus. Omnium hominum iudiciis ac voluntatibus anteferendae sunt hae voces: Non habebis Deos alienos; item: Fugite idola; item: Hic est filius meus dilectus, hunc audite.

Hanc sententiam de anteferendo verbo Dei omnibus hominibus, creaturis et omnibus opinionibus discere necesse est. Nam et tunc, cum luctabimur cum morte, deserimur ab omnibus creaturis. Ibi certe singuli hanc unam habent consolationem, quae in voce Dei proposita est. Quare exaggeretur auctoritas et successio Episcoporum, quantum fieri potest, tamen cum constet defendi ab eis idola et impios errores, adversari necesse est.

Ubi igitur quaerenda est ecclesia? Semper deducunt nos Prophetae, Christus et Apostoli ad Evangelium Dei; Semper is coetus est ecclesia, qui retinet Evangelium Dei sincerum. Ad id alliganda est, non ad titulos et successionem Episcoporum. Nec est propterea invisibilis ecclesia, sed maxime vult Deus esse coetum visibilem. Ideo enim condidit genus humanum, ideo redemit ecclesiam, ideo tam miranda spectacula proposuit, eductionem ex Aegypto, populi defensionem, resuscitationem mortuorum, ut ipse innotescat, vult conspici et audiri ecclesiam, vult eam reclamare mundi erroribus et suscipere certamina propter Evangelii propugnationem, sicut inquit versiculus: In omnem terram exivit sonus eorum. Est igitur visibilis et certus coetus ecclesia; sed tamen imperiis regum dissimilis, subiectus cruci et in hoc mundo miserabiliter dispersus, ac talis fuit ecclesia Dei inde usque ab initio, alias magis, alias minus aerumnosa.

Erat ecclesia familia prima, sed Cain statim discessit a parentibus, et posteritas ab eo orta condidit urbem et antecelluit potentia. Sic post diluvium condita Babylone fuit admodum exigua ecclesia familia Sem, Abrahae, Loth, Abimelech, et aliquae vicinae familiae. Postea in Aegypto facta est magna accessio, cum Ioseph regem Aegyptium et magnam populi partem de vero cultu Dei docuisset, sed brevi successerunt impii reges, qui abiecta vera doctrina instauraverunt idola et amplexi sunt studia magiae et ecclesiam dura servitute oppresserunt.

Postea in populo Israel etsi iam sedem aliquam et certam politiam erat nacta, ut esset certus locus, in quo filius Dei nasceretur et certa testimonia ederentur, tamen quantum fuit calamitatum! plerumque dissidium fuit inter Reges et Prophetas. Erat igitur ecclesia oppressa servitute, videlicet Prophetae et eorum auditores. Postea cum Apostoli in totum orbem missi essent, et Romana monarchia saeviret in discipulos Apostolorum, qualis ibi fuit ecclesiae politia? Et saepe in eo corpore, quod vocatur populus Dei, fuerunt reges et pontifices hostes ecclesiae, ut reges Israel defendebant cultum Baal; Interim alius coetus erat ecclesia, qui audiebat Prophetas, Eliam, Eliseum et alios. Et Arianis temporibus maxima pars Episcoporum erat contaminata veneno Arii; Interim erat ecclesia alius coetus, qui retinebat puritatem Evangelii. Semper enim Deus suas aliquas reliquias servat, ut inquit Esaias: Nisi reliquisset nobis Deus semen, sicut Sodoma et Gomorra facti essemus; et Sophon. 3. Et faciam reliquum populum pauperem et egenum, sperantem in nomine Domini.

Et semper in eo coetu, qui sincere retinet Evangelium, sunt aliqui vere Deo placentes et haeredes vitae aeternae. Promisit enim Deus se Ecclesiam sibi aliquam semper servaturum esse, et servat suis beneficiis, non humanis consiliis, vinculis, ordinationibus et praesidiis. Ideo apud Esaiam

a) ut *omittunt* Editt. 2. 4. 6. 7. 9. 12.

Reliqui mihi septem millia etc. His admixti erant aliqui, quorum mores culpandi erant, qui tamen, quia de vera doctrina consentiebant, erant membra Ecclesiae in externa societate et functione ministerii. Interim vero sacerdotes Baal et similes, qui defendebant impios cultus, non erant membra Ecclesiae. Haec historica exempla ideo scripta sunt, ut doceant discrimen verae et falsae Ecclesiae.

---

cap. 59. dicitur: Hoc est foedus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, neque ab ore seminis tui, dicit Dominus, nec a posteris tuis usque in sempiternum. Hoc dictum affirmat semper mansuram esse aliquam ecclesiam, et quidem docet, ubi sit, videlicet, ubi retinetur hoc ipsum verbum, quod est in ore Prophetae Esaiae, hoc Evangelium per ipsum promissum, Ibi etiam erit Spiritus sanctus efficax.

Sic et Christus inquit: Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi; nec alligat se Christus ad titulos Episcoporum, sicut ipsi interpretantur, sed ad eum coetum, in quo sincere sonat vox Evangelii, ut clare testantur haec dicta. Ioan. 10. Oves meae vocem meam audiunt. Ioan. 15. Si manseritis in me, et verba mea manserint in vobis, quicquid volueritis, petetis, et fiet vobis. Gal. 1. Si quis aliud Evangelium docebit, anathema sit. Eph. 2. Aedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, super angularem lapidem ipsum Iesum Christum, in quo totum aedificium coagmentatum crescit in templum sanctum Deo, id est, aedificati super verbum traditum per Prophetas et Apostolos. Ad id nos alligat et ibi Christus testatur exaudiri homines: Si verba mea manserint in vobis, quicquid petetis, fiet vobis.

Ex his dictis perspicuum est Ecclesiam ad Evangelium alligatam esse, quod cum non retinent hi, qui tenent titulum Episcoporum, adversari eis necesse est. Ideo praemonuit nos Christus in ipso coetu, qui gloriatur se esse populum Dei seu ecclesiam, fore pseudoprophetas, qui dicent: Ecce hic est Christus, ecce illic est. Sed norma diiudicans veram Ecclesiam ab his, qui sibi falso titulum arrogant, haec est, videlicet, Evangelium traditum per Prophetas, Christum et Apostolos. Sicut dictum est: Oves meae vocem meam audiunt.

Et hic coetus, qui vere est populus Dei, non est invisibilis, etsi est aerumnosus et dispersus, et alias maior, alias minor, alias ornatus maiore gloria, alias minore. Tempore Esaiae ornatus est illustri testimonio, pulso exercitu Sennacherib, item regressu Solis. Tempore Ieremiae, etsi ipsa gubernatio Ieremiae erat magna gloria, tamen eam pauci intelligebant, ac visibilis coetus erant auditores Ieremiae, et dissentiebant ab ordinaria potestate.

Dictum est, quid sit ecclesia, et ubi sit, et quod sit visibilis coetus, sed tamen dissimilis aliis politiis, neque tamen est sine capite, sine ordine, sine gloria.

Caput est filius Dei, sicut dicitur Eph. 1. Et ipsum dedit caput super omnia ecclesiae, quae est corpus eius integrum perficientis omnia in omnibus. Hic nominatim dicit tale caput esse, quod non est otiosum, sed revera fovet et adiuvat membra Spiritu sancto. Ne autem sit ignotum caput, additum est certum signum et testimonium, per quod agnoscitur et invocatur, videlicet Evangelium. Huic credamus, et vere statuamus Christum esse caput ecclesiae non otiosum, sed fovens et defendens membra.

Sed coeca ratio humana et obruta tenebris fingit abesse Christum et ecclesiam ab eo negligi. His impiis imaginationibus opponamus dicta certa et perspicua, quae testantur non negligi ab eo ecclesiam, sed vere foveri et iuvari eam. Sicut clare dicit: Ego ero vobiscum usque ad consummationem seculi. Item: Ego sum vitis, vos palmites; Sine me nihil potestis facere. Item: Ubicunque duo aut tres congregati sunt in nomine meo, in medio eorum sum. Item: Omnia per ipsum facta sunt, quae facta sunt. Item: Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Item: Ascendit, dedit dona hominibus. Item Eph. 1. Qui perficit omnia in omnibus. His et similibus dictis confirmemus fidem, et statuamus nos non habere caput otiosum, sed curans nos et fovens; Idque agnoscendum esse fide per Evangelium, et hac fide nos vere fieri membra huius regni.

Haec vera sunt, etiamsi displicent his, qui capti imaginationibus politicis sine fine quaerunt ecclesiam similem imperiis mundi, in qua sit visibilis monarcha, alligatus titulo et successioni ordinariae et habens potestatem regiam interpretandae scripturae, condendi leges et cogendi ceteros, ut assentiantur. Ridiculum videtur cogitare coetum sine capite visibili et inermi. Nec satis esse iudicant monstrari illud caput in Evangelio. Sed relinquamus illis politicas imaginationes et sinamus eos ridere Sardonium, nos vero agnoscamus et invocemus filium Dei, et petamus, ut nos gubernet, cum quidem nos invitet non contemnenda voce: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos; et experiremur haec non frustra dici, si fidem in invocatione exerceremus. Dixi de capite.

Ordo etiam est gratus piis. Etsi enim Spiritus sanctus toties ecclesiam dicit esse dispersam, et oculi sapientum politicorum nihil vident nisi dissipationem et confusionem, tamen in illa ipsa dispersione manet ordo: sunt ministri, pastores et doctores, quibus proponentibus Evangelium obedientia debetur; sunt et gradus donorum et variarum vocationum: Erat ordo inter Eliam et Eliseum et auditores. Sic Paulus de hoc ordine saepe loquitur: Obedite praepositis vestris. Item 1. Cor. 14. Prophetae duo aut tres loquantur, et caeteri diiudicent. Et ad Eph. inquit: Dedit dona, alios quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Pastores etc. Hic enim significat dissimiles donis gubernatores et doctores esse.

Concedendum est igitur in ecclesia esse ordinem et ministeria; Sed gradus non sunt alligati titulis seu successioni ordinariae, ut volunt sapientes illi. Etiamsi Ephesi fuit Episcopus Iohannes, tamen fieri potest, ut successores omnino degenerent et aliud genus doctrinae amplectantur. Sed vocat Deus alibi alios doctores, ut disputat Paulus Rom. 9. et 1. Cor. 1. Elegit stulta et infirma mundi etc.

Quid autem pulchrius cogitari potest integro ordine universae ecclesiae? quem spectabimus, cum Deum coram videbimus conditorem et filium mediatorem ac ducem Ecclesiae Deinde vero gradus, Patres, Adam, Seth, Noe, Sem, Abraham; Deinde agmen Prophetarum, Mosen, Samuelem, Davidem, Eliam, Elisaeum; Postea apostolos, deinde, reliquos coetus donis differentes; Et his omnibus agminibus admixtos sanctos angelos. Hanc totam aciem animo cogites, cum audis nomen ordinis hierarchici. Non cogites regna Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, Abbatum, Canonicorum, ad quae appellatio hierarchici ordinis transfertur, ut fucus fiat indoctis.

Sed iam loquamur de ecclesia in hac vita, in qua diximus esse ordinem divinitus sancitum et constitutum, ut ministerio Evangelii auditores obtemperent in iis, quae praecipit Evangelium. Hunc ordinem qui conturbant, deficiunt a Deo, videlicet qui impia dogmata serunt, item qui non obtemperant, cum in manifestis delictis reprehensi non agunt poenitentiam.

Politica gloria est, sapientia, virtute, victoriis, successibus magnis, opibus, legibus, iudiciis et praesidiis ornata et stabilita esse regna, ut videantur duratura. Haec bona sunt

Quod autem in descriptione haec verba recitata sunt, in quo coetu Deus per ministerium Evangelii est efficax, duae sunt particulae insignes non omittendae, quoties Ecclesiae definitio constituitur. Non enim fingenda est Ecclesia sine notitia aliqua promissionis de Christo et sine ministerio, non est Ecclesia in eo coetu, ubi nec notitia est promissionis de Christo nec vox nec ministerium Evangelii: ideo

necessaria imperiis: ideo maxime volunt sapientes et populum Dei his rebus instructum esse. Tale regnum Messiae semper somniarunt et adhuc somniant Iudaei. Ac difficile est etiam has imaginationes piis abiicere, difficile est credere Deo curae esse homines dissipatos, qui sunt sine imperio, sine praesidiis. Ideo Christus dixit: Regnum meum non est de hoc mundo. Item: Qui vult me sequi, tollat crucem suam et sequatur me. Item: Reges gentium dominantur, vos autem non sic. Item: Beatus qui in me non fuerit scandalisatus. Et Paulus inquit: Infirma mundi elegit Deus. Item: Arma militiae nostrae non sunt carnalia etc.

Haec doctrina tenenda est, ut, cum videmus coetum obedientem Evangelio in servitute esse sine imperio et sine praesidiis, sciamus non ideo reiectum esse a Deo, sed vere esse ecclesiam Dei. Nam in hac vita adhuc velut in sepulcro est, ut Christus erat ante resurrectionem. Et non habet gloriam similem imperiis mundi, et tamen suam quandam gloriam habet, ut inquit Psalmus: Omnis gloria filiae regis intus est, videlicet vera agnitio et invocatio Dei, et multae magnae virtutes et dona Dei. Et singularis gloria est, quod, cum inde usque ab initio mundi Diabolus semper conatus sit delere ecclesiam vel manifesta vi vel fraudibus, tamen nunquam delere potuit, sed semper manserunt reliquiae, et subinde mirabili liberatione excitatae sunt, et accedunt saepe gloriosa testimonia, ut res gestae Eliae, Elisaei, Esaiae, Ieremiae, Danielis et multorum aliorum.

Non habent Apostoli politicam gloriam, ut Prophetae, sed tamen habuerunt miranda testimonia et mirandas liberationes, ut Petrus, Paulus, educuntur ex carcere per angelos, et experitur ecclesia omnibus temporibus aliquas mirandas liberationes. Haec de gloria monuisse satis sit. Nam illustrior gloria expectatur post resurrectionem. Et singularis est sapientia ecclesiae intelligere, quod oporteat eam subiectam esse cruci et cur sit subiecta.

Mirantur homines, cur Deus oneraverit genus humanum tantis aerumnis, ac multo magis mirantur, cur maxime iustos et receptos in gratiam tam duriter affligat Deus. Huius mirandi consilii caussas nulla Philosophia monstrat, quae arbitratur propter materiam existere mortem et morbos, et propter errores et voluntatum imbecillitatem accersi multas calamitates; sed primos fontes non monstrat. Hos novit ecclesia ex divinis testimoniis, et sunt hae duodecim caussae, cur ecclesia praecipue sit subiecta cruci.

Prima.

Peccatum commune generis humani, propter quod omnes homines mersi sunt in mortem, et ingentes miserias communes et privatas.

Secunda.

Ad hoc accedunt singulares morsus Diaboli, qui praecipue insidiatur ecclesiae et eam implicat aerumnis, ut ad desperationem et blasphemias impellat.

Tertia.

Quia mundus non curat peccatum et iram Dei, ideo magis premitur ecclesia, ut ipsa peccatum et iram Dei vere agnoscat, et singuli sciant se debere Deo poenas et obedientiam in poenis propter morbum nobiscum nascentem et peculiaria delicta, iuxta illud: Iudicium a domo Dei incipit. Item: Humiliamini sub potenti manu Dei.

Quarta.

Ut ecclesia vocetur ad poenitentiam et agnitionem promissae salutis, iuxta illud: A Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.

Quinta.

Ut conspiciatur potentia Dei in nostra infirmitate. Esaias, Ieremias, Paulus, cum res maximas gesserint, tamen vagantur ut miseri, et interficiuntur tandem, ut appareat eas res divinitus gestas esse, non illorum viribus.

Sexta.

Ut calamitates huius [Ed. 3. huic] vitae sint testimonia futuri iudicii. Quia enim videmus interfici a malis eos, quos Deus testatur se approbare, certum argumentum est restare aliud iudicium, in quo Deus discernet bonos a malis et ostendet se non neglexisse suos.

Septima.

Ut singuli admoniti suis et alienis aerumnis agnoscant propriam infirmitatem, deponant fiduciam sui, minus sint audaces ad movendum aliquid, sine vocatione. Sicut Pompeius dementatus superioribus successibus movit civile bellum, Salomon in secundis rebus factus est insolentior.

Octava.

Ut singuli agnoscentes infirmitatem suam, magis intelligant opus esse Deo gubernante et iuvante, et accendantur ad assiduam invocationem; Sicut dicitur: Invoca me in die tribulationis etc.

Nona.

Ut palam fiat, quod obedientiam sancti praestent non suae tranquillitatis et utilitatis caussa, sed vere, ut Deo obediant, item ut dent testimonium Evangelio. Nam in afflictionibus conspicitur, an serio sentiamus vera esse, quae profitemur.

Decima.

Ut, cum in afflictionibus sensimus nos vel sustentari vel gubernari vel eripi, haec testimonia confirment fidem, ut magis statuamus vere nos respici et iuvari. 1. Reg. 17. Dominus, qui eripuit me [*in* Ed. 3. ***deest*** me] a leone et urso, ipse me liberabit ab hoc Philistaeo. Rom. 5. Probatio spem efficit, id est, cum cognovimus nos iuvari, spes confirmatur. Certum est enim Ideo liberationes fieri, ut spes confirmetur 2. Cor. 1. Qui ex tanta morte nos liberavit, et in quem speramus, quod iterum nos liberaturus sit. Multa huc pertinent Psalmorum dicta, ut Psalmo 9. Factus est Dominus refugium pauperi, et sperent in te, qui noverunt nomen tuum. Psalmo 33. Accedite ad eum etc. Pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum. Psalmo 117. Castigans castigavit me Dominus etc.

non sunt membra Ecclesiae Aristides, Cicero et similes, etiamsi habent excellentes politicas virtutes, quas Deus dat propter imperia, tantisper dum vult genus humanum in hac vita manere.

Quod autem necesse sit notitiam esse Christi in Ecclesia Dei, haec dicta testantur. Ioan. 3. [vs. 18.] Qui non credit, iam iudicatus est; Qui non credit filio, non videbit vitam, et ira Dei manet super eum. Ioan. 17. [vs. 17.] Sanctifica eos in sermone tuo, sermo tuus est veritas. 1. Cor. 1. [vs. 21.] Cum mundus per sapientiam non cognovisset Deum in sapientia, placuit Deo per stultam praedicationem salvos facere credentes. Rom. 10. [vs. 14.] Quomodo invocabunt, si non credent? Quomodo credent, si non audierint? Eph. 4. [vs. 11.] Christus sedens ad dextram Dei dat alios quidem Prophetas, alios Apostolos, alios Pastores, alios Doctores, et diserte inquit: servari ministerium Evangelii, ut non agitemur variis doctrinarum ventis. Quemadmodum Ethnici, cum verbum Dei non audirent, inciderunt in horrendos furores, et finxerunt subinde alios Deos et multa portenta et multos prodigiosos cultus. Idem accidit haereticis, Manichaeis, Anabaptistis etc. quia relinquunt verbum Dei.

Sciamus igitur Ecclesiam Dei coetum esse alligatum ad vocem seu ministerium Evangelii; Nec extra hunc coetum, ubi nulla est vox Evangelii, nulla invocatio Christi, esse ullos haeredes vitae aeternae, sicut scriptum est [Act. 4, 12.]: Non est aliud nomen, in quo oporteat salvos fieri etc. Ideo et Iesaias dicit cap 8. [vs. 16.] Obsigna Legem in discipulis meis, id est, video quidem magnas tenebras sequuturas esse, sed te, Deus, oro, ut auditores Prophetarum serves et in eis obsignes doctrinam tuam Prophetis traditam, ne verbum aut intellectus verus verbi extinguatur. Manent aliquae Ecclesiae reliquiae, et hae sunt hic coetus retinens verbum tuum incorruptum, quod a Prophetis acceperunt. Ideo addit [vs. 20.]: Ad legem et ad testimonium, Qui non dixerit iuxta verbum hoc, non erit ei matutina lux. Non enim apprehenditur voluntas Dei, nisi per verbum, quod tradidit, et Deus ita vult agnosci et invocari, ut ipse se patefecit. Deinde et hoc additum est, quod Deus vere per hoc ministerium, id est, per vocem Evangelii auditam, lectam, cogitatam sit efficax, moveat mentes Spiritu sancto, velit nos assentiri, adiuvet assentientes et inchoet in eis vitam aeternam. Sic scriptum est Rom. 1. [vs. 16.] Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Et 2. Cor. 3. [vs. 6.] Novum Testamentum est ministerium spiritus. Haec continent salutarem doctrinam et consolationem, cum videlicet scimus vere praestari hoc ipso modo per verbum promissionem aeternae vitae.

Nec imaginandum est, in Socrate, Platone, Xenophonte, Cicerone et similibus fidem esse, quia est in eis quaedam notitia Legis de Deo. Haec enim nondum est notitia de Christo. Ecclesia autem simpliciter et prorsus alligata est ad promissionem de Christo. Invocari nomen Christi super omnes oportet, et in omnibus, qui sunt doctrinae capaces, oportet esse agnitionem, invocationem et confessionem filii Dei. Ac talis ab initio fuit Ecclesia, inde usque ab Adam post editam promissionem, coetus alias maior, alias minor, qui fiducia promissi Domini accepit remissionem peccatorum et Deum vere invocavit.

Postquam autem hoc constitutum est, oportere in Ecclesia esse vocem Evangelii et ministerium, oriuntur deinde quaestiones de personis: An Ecclesia alligata sit ad Episcopos et eorum collegia, quae dicuntur tenere ministerium; Item: An alligata sit ad ordinariam successionem Episcoporum et collegiorum?

Respondeo.

Ecclesia ad ipsum Evangelium Dei alligata est, quod ut sonet in ministerio, Deus subinde excitat aliquos recte docentes, ut Eph. 4. [vs. 11.] dicitur, etiamsi inter hos alii plus, alii minus lucis habent. Cum autem ministri sive Episcopi sive Collegia sive alii docent pugnantia cum Evangelio et doctrina Apostolorum, necesse est sequi regulam Pauli [Galat. 1, 9.]: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Ex hac regula iudicari potest,

---

Undecima.

Propter exemplum puniuntur singulares lapsus sanctorum, ut Davidis adulterium punitur multis ingentibus poenis, parricidiis, seditione, caede civium, stupris coniugum. Salomonis lapsus punitur distractione regni, quae postea peperit infinita mala. Psalmo 88. Visitabo in virga iniquitates eorum, et in his poenis sciant singuli se debere Deo obedientiam, iuxta illud Pauli: In tribulatione patientes. Item: Nolite murmurare etc.

Duodecima.

Ut fiamus similes imaginis filii Dei, qui cum sese in morte obtulerit Patri, nos quoque similes hostias afferre oportebit et intelligere, cur hic cultus requiratur. Christus obtulit suam mortem propter aliena peccata; nos offerimus, ut simili cultu obedientiam declaremus, etiamsi nostra oblatio non est pretium pro peccato, sed poena seu debitum officium.

Hae duodecim caussae passim in Prophetis et Apostolis traduntur, quas ideo in breves notas contraxi, ut sint in conspectu. Hinc enim sumuntur verae caussae tolerantiae, et confirmantur obedientia et invocatio, et sumuntur hinc multae consolationes in calamitatibus, cum intelligimus, propter quas caussas et propter quos fines totum genus humanum, et praecipue ecclesia subiiciatur ingentibus aerumnis.

Ecclesiam non alligatam esse ad certos titulos aut successionem ordinariam. Nam cum hi errant, qui ordinariam potestatem tenent, non sunt audiendi.

Haec sententia vera est, sed politicis viris ingrata est, qui vident inde oriri dissipationes: Ideo intuentes imperia et politias humanas quadam imitatione transformant Ecclesiam in regnum. Ut regnum Francicum est multitudo Francico Regi subiecta, distincta Legibus et locis iudiciorum a ceteris Gentibus, munita praesidiis, alligata ad successionem ordinariam Regum, et in iudiciis necessario obtemperans Legibus et interpretationi Regis, cuius interpretatio propter auctoritatem valet: Ita imaginantur multi, Ecclesiam multitudinem esse, uni Romano Pontifici subiectam, distinctam a ceteris Gentibus per ceremonias, quas instituerunt Pontifices, alligatam ad successionem ordinariam Episcoporum et ad interpretationem scripturae, quam Pontifices aut Synodi tradunt. Quia enim saepe incidunt dissensiones de scripto, dicunt aliam oportere regulam certam esse, scilicet vocem gubernatoris, ut in regno vox Regis auctoritatem habet interpretandi Leges. Haec valde plausibiliter dicuntur apud potentes. Amat enim humana ratio talem picturam Ecclesiae congruentem cum civilibus opinionibus, et potentes intelligunt augeri hac opinione suam auctoritatem, et hanc formam existimant ad pacem utiliorem esse.

Sciant autem pii, in hac imitatione vel potius κακοζηλία multos errores esse. Concedendum est, Ecclesiam esse coetum visibilem; Neque tamen esse regnum Pontificum, sed coetum similem Scholastico coetui. Vult enim Deus Ecclesiam non prorsus abditam esse in latebras aut ignotam, sed vult eam exaudiri, vult agnosci filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, vult se semper ab aliqua parte generis humani invocari, vult excerpere ex genere humano haereditatem Filio; Ideo scriptum est [Psalm. 18, 5.]: In omnem terram exivit sonus eorum. Et Christus ipse dicit Psal. 2. [vs. 7.] Praedicabo de praecepto. Mansura est igitur vox Evangelii et ministerii, et erit aliquis visibilis coetus Ecclesia Dei, sed ut coetus Scholasticus. Est ordo, est discrimen inter docentes et auditores, et sunt gradus: Alii sunt Apostoli, alii sunt Pastores, alii Doctores; et recte intelligitur de visibili coetu, quod scriptum est [Matth. 18, 17.]: Dic Ecclesiae. Sed primum videndum est, qui sint membra huius visibilis Ecclesiae. Nam condemnantes manifestam veritatem Evangelii et exercentes saevitiam ad stabiliendos manifestos errores non sunt membra huius coetus, de quo scriptum est: Dic Ecclesiae. Deinde neque hoc recipiendum est, maiorem partem suffragiorum anteferendam esse; quia, etiamsi sunt multi recte sentientes, retinentes lucem Evangelii, tamen plerumque plures sunt vel palam contradicentes vel infirmi et dubitantes, ut Apostoli ipsi diu retinebant somnium de imperio mundano. Quis igitur erit iudex, quando de scripturae sententia dissensio oritur, cum tunc opus sit voce dirimentis controversiam?

Respondeo: Ipsum verbum Dei est iudex, et accedit confessio verae Ecclesiae. Semper enim sequuntur verbum tanquam iudicem aliqui pii, et confessione firmiorum adiuvantur infirmi, ut inquit Christus [Luc. 22, 32.]: Et tu conversus confirma fratres tuos. Hoc modo dirimuntur controversiae de doctrina. Et cum maior pars hunc verum iudicem et hanc veram confessionem non audit, ut saepe accidere etiam vetera exempla ostendunt, Deus Ecclesiae iudex tandem dirimit controversiam delens blasphemos, ut, cum maior pars Iudaeorum contradiceret Ieremiae et deinde Apostolis, tandem[89]) blasphemi deleti sunt.

Est igitur dissimilitudo aliqua iudiciorum Ecclesiae et iudiciorum politicorum. Nam in politicis aut Monarcha solus auctoritate sua pronuntiat aut in senatu valet sententia maioris partis; Sed in Ecclesia valet sententia congruens cum verbo Dei et confessione piorum, sive sint plures, sive pauciores impiis. Ita veteres damnaverunt Samosatenum et deinde Arium. Iudex erat verbum Dei, id est, testimonia ex Evangelio bona fide et sine sophistica prolata, quae convincunt non calumniose iudicantem; Sed tamen multum adiuvabantur tunc quoque infirmi in pronuntiando confessione firmiorum, scilicet eorum, qui Apostolos aut eorum discipulos audierant et quos constabat fuisse fideles custodes doctrinae, ut Polycarpi, Irenaei, Gregorii Neocaesariensis: Ab his recentiores audierant λόγον significare personam. Postea ipsi collatis dictis Evangelii agnoscunt hanc nativam esse sententiam, quam ab illis audierant. Aliqui etiam non solum discunt a prioribus, sed etiam tanquam a firmioribus confirmantur. Ita Petrus Alexandrinus refutabat Meletium, citabat Evangelium, quod satis perspicue docet recipiendos esse lapsos, qui emendantur; Sed simul adiuvabatur exemplis prioris Ecclesiae, quae semper ante lapsos receperat.

Ita nos pronuntiamus de Baptismo Infantium.[89a]) Habemus testimonia in scripturis manifesta, quae affirmant extra Ecclesiam non esse salutem: Ergo inserimus Ecclesiae infantes. Deinde et primae Ecclesiae testimoniis iuvamur. Ita iudex est verbum Dei, et accedit purae antiquitatis confessio. Vult enim Deus in Ecclesia esse ministerium vocis. Quare audienda est Ecclesia ut doctrix, sed Fides et Invocatio nituntur verbo Dei, non humana

89) tandem] Editt. 20. 25. errore typ.: tamen

89a) Infantium.] Editt. 2. 4—14. 19. infantum.

auctoritate. Discamus[90]) ab Ecclesia, quod λόγος in narratione Ioannis cap. 1. significet personam; Sed credimus filium Dei esse natura Deum, et eum invocamus, quia ipse hoc revelavit et in Evangelio tradidit.

Hoc discrimen considerandum est, non contemnamus docentem Ecclesiam, et tamen iudicem esse sciamus ipsum verbum Dei. Ita in utramque partem caveantur incommoda, videlicet ne tyrannis pravae consuetudinis stabiliatur, nec tamen laxetur frenum audacibus ingeniis, quae si non audiant veram Ecclesiam, fingunt opiniones, quae nulla habent testimonia ullius temporis in Ecclesia, ut nostro tempore fecerunt Servetus, Campanus, Anabaptistae et alii multi. Docentem Ecclesiam amare, vereri et venerari discamus, et purioris Ecclesiae testimonia inquiramus, sicut in allegoria Samsonis dulcissime significatum est [Iud. 14, 18.]: Nisi arassetis mea vitula, non invenissetis, id est, nisi audissetis laborantem Ecclesiam in ministerio, quae est custos verbi Dei, prorsus ignotum esset vobis verbum Dei. Et Psal. 67. [vs. 27.] In Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israël, id est, celebrate doctrinam et quidem in publica confessione in coetu audientium Evangelium, sed haurite eam ex fontibus Israël, id est, ex ministerio Prophetarum et Apostolorum.

Dixi de definitione Ecclesiae et de quaestione, ubi sit quaerenda, scilicet, ubicunque sonat vox Evangelii incorrupta, praesertim quod ad fundamentum attinet, ut Paulus loquitur, id est, ubi articuli fidei integri et sine corruptelis traduntur et non defenduntur manifesti cultus idolorum. Cum autem ingens sit imbecillitas etiam in sanctis in hac vita, alii plus, alii minus lucis habent. Ideo Basilius, Ambrosius, Epiphanius, Augustinus, Bernhardus, et multi alii, etiamsi fundamentum recte tenuerunt, tamen aliquid interdum dicunt inconsiderate de ritibus humanis, ut omnibus aliquid contagii aspergit[90a]) consuetudo sui seculi. Ideo Paulus praecipit, ut fundamentum praecipue consideremus, et significat multa vera membra Ecclesiae habere aliquid infirmitatis et aliquos naevos.

Fundamentum, inquit, non potest poni aliud, praeter id, quod positum est, quod est Iesus Christus. Hoc dicto complectitur cognitionem incorruptam omnium articulorum fidei et prohibitionem cultus idolorum. Deinde sequitur: Alius superaedificat aurum, alius stipulas, ut Polycarpus extruxit aurum super fundamentum, id est, illustravit necessariam doctrinam, refutato Marcione de essentia Dei, de caussa mali et de aliis multis articulis, et cultus praestitit praeceptos a Deo et summos, recte gubernavit Ecclesiam et ornavit confessionem admiranda constantia in supplicio. Haec omnia continentur appellatione Auri. At Basilius et alii multi extruxerunt stipulas super fundamentum, qui retinuerunt quidem articulos fidei, sed tamen instituerunt ritus Monasticos, et illa exercitia praetulerunt vitae politicae, et offuderunt hominum animis opinionem, ut putarentur esse cultus Dei. Deinde multo magis erraverunt multi, qui finxerunt tales ceremonias mereri remissionem peccatorum.

Inquit autem Paulus [1. Cor. 3, 13.]: Uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Alludit enim ad materiam aedificiorum. Aurum non consumitur igni, stipulae facile concipiunt flammas et celerrime deflagrant. Ita in tentatione agitata et disputata doctrina vera et necessaria manet, et consolatur mentes, ut nunc doctrinam de iustitia fidei cognitam omnes pii libenter amplectuntur, et intelligunt firmam consolationem esse. Econtra vero evanescunt ritus Monastici, quia iam intelliguntur, nec ad agnitionem Dei nec ad mores prodesse. Haec ideo recensui, et ut Pauli dictum attente consideretur, et ut deploretur infirmitas humana, quae etiam in veris Ecclesiae membris saepe conspicitur, et prudenter de scriptorum dictis iudicetur, et agnoscatur, quae condonanda sint et quae non condonanda.

Ut autem discrimen Ecclesiae et Politiarum magis conspiciatur, collatio fiat. In imperiis mundi haec tria necesse est esse: ordinem, gloriam et praesidia; Ut in regno Gallico est ordo, ut sit unus Rex, quo mortuo necesse est parere succedenti ordinaria successione. Deinde sunt certae Leges et iudicia certorum locorum et gradus Principum et populi. Gloria est praestantia consilii et virtutum, ac victoriae, quia, cum nunquam sit certa pax, sicut Plato dicit, in imperiis pacem inane nomen esse, semper enim aut cives inquieti aut hostes tumultuantur, necesse est multos esse prosperos successus et victorias gubernatorum, alioqui cito dissiparentur imperia. Praesidia sunt exercitus et opes necessariae ad sumptus domesticae gubernationis et ad bella gerenda.

Haec tria aliter se habent in Ecclesia, quam in Imperiis.

Ordo est, quia revera unum est caput dans vitam et bona aeterna Ecclesiae, scilicet filius Dei. Sed hoc caput non conspicitur iam oculis corporis, nec tenet coetum uni alicui loco alligatum, nec tamen nullus[90b]) est ordo, sed semper est ministerium Evangelii. Et iure divino debetur obedientia ministris Evangelii in omnibus, quae praecipit Evan-

90) Discamus] Editt. 2. 4—14. 19. Discimus

90a) aspergit] Editt. 20. 25—27., Corp. 1—8. aspersit

90b) nullus] Editt. 18. 20. 25—27., Corp. 1—8. ullus

gelium. Non est autem alligatus hic ordo ad successionem ordinariam: Sed cum Episcopi et Pastores defendunt errores et idola, vitandi sunt. Praeterea sunt gradus donorum, ut Paulus antecedit Barnabae Hi gradus considerandi sunt, ut amemus et honore afficiamus singulos suis donis ornatos.

Gloriam politicam, id est, victorias corporales non semper habet Ecclesia, quales habuit, cum Saul aut David pepulit exercitus hostiles, sed plerumque Ecclesia fuit, est et erit subiecta cruci, et tamen ingentem habet gloriam sapientiae et virtutum et multorum miraculorum, quae non cernuntur ab impiis. Summum decus est, quod Deum recte agnoscit et invocat. Semper enim aliqua sunt vera membra Ecclesiae, quae fundamentum retinent, etiamsi deinde ingens est multitudo infirmiorum, qui tamen, quia Deum recte invocant, magnum decus habent. Ceterum supra dictum est, non esse membra Ecclesiae illos, qui pertinaciter errores cum fundamento pugnantes defendunt, etiamsi nomen et titulum Eccllesiae praetexunt.

Deinde magnae victoriae sunt omnium recte invocantium, videlicet quod non evertuntur Diaboli insidiis, terroribus tyrannorum et aliis tentationibus, et miracula multa sunt quotidiana, liberationes crebrae in magnis periculis, quarum multae propter preces Ecclesiae fiunt, ut Paulus scit, se et navim suam servari a Deo, etiamsi alii existimabant casu eam servatam esse.

Magna gloria est felicitas in vocatione, studiis, consiliis, iudiciis: Sicut econtra summa deformitas et calamitas est et turpitudo omnium maxime fugienda, esse parricidam Eccesiae aut patriae.

Postremo praesidia visibilia Ecclesiae alligata[91]) certis locis nulla sunt, id est, nec Reges nec opes nec exercitus nec sedem unam aliquam certam aut perpetuam in hac vita habet Ecclesia post deletam politiam Israël Ideo Christus inquit [Matth. 8, 20.]: Non habet filius hominis, ubi reclinet caput. Vult enim Deus, Ecclesiam subiectam esse Cruci, ut caussae alio loco multae recensentur, quae non sunt notae Philosophiae, sed tantum in Evangelio patefactae.

Quanquam autem interdum Deus aliquos Reges aliquantisper ad Ecclesiae defensionem exuscitat, ut excitavit Cyrum, Constantinum et alias alios; tamen non semper adiungit Ecclesiae regna ad eam defendendam, sed vult eam petere et sperare defensionem universi corporis divinitus, ut Ies. 46. [vs. 4.] dicitur: Ego vos in utero meo gesto, ego etiam senescentem Ecclesiam gestabo. Et Ose. 1. [vs. 7.] Servabo vos non in arcu nec in gladio, sed in Domino Deo vestro. Quid tristius est hac specie? Vagatur iam Ecclesia, ut Scholastici exulantes, et quanquam Deus alicubi praebet mediocria hospitia, tamen maior est potentia hostium Evangelii, et defensores quam sint firmi et quam diu duraturi, incertum est. Cyrus fovebat Ecclesiam, Cambyses et Darius opprimebant. Hanc formam Ecclesiae consideremus, ut intelligamus pericula, et simul discamus, Ecclesiam colligi, servari, instaurari, defendi, non humanis consiliis aut praesidiis, sed potentia Dei, sicut in Paradiso Adam et Eva rursus liberati sunt a peccato et tyrannide Diaboli. Semper igitur adest custos Ecclesiae filius Dei, sicut dixit [Matth. 28, 20.]: Ego vobiscum usque ad consummationem seculi.[88])

91) alligata] Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. alligatae

CONTRA DONATISTAS.

Descripsimus Ecclesiam visibilem, in qua diximus multos non renatos admixtos esse sanctis, sed hic discerni malos oportet. Alii de doctrina recte sentiunt, nec sunt hostes Evangelii seu haeretici, sed tantum habent aliqua morum vitia. Tales si non sint excommunicati, etsi vocantur mortua membra, tamen sunt in externa societate Ecclesiae, et cum funguntur munere docendi aut administratione Sacramentorum, valent[91a]) ministeria et sunt efficacia, et licet eis uti.

Estque acriter taxandus error Donatistarum, qui contendebant nec Evangelium nec Sacramentum ullum esse efficax, si ministri mores sint vitiosi. Contra hunc errorem tenendae sunt sententiae perspicuae. Matth. 13. [vss. 47 sq.] Christus confert Ecclesiam sagenae, in qua boni et mali pisces sunt; Dicit item [vs. 30.]: In Ecclesia mansura esse[91b]) zizania usque ad resurrectionem; Item [Matth. 24, 27.]: Sicut in diebus Noë etc. Ex his sententiis perspicuum est, semper in Ecclesia usque ad resurrectionem fuisse, esse et futuram esse magnam multitudinem malorum. Cum igitur sint in Ecclesia mali, nec hypocrisis humano iudicio agnosci possit, possunt in ministerio esse etiam hypocritae. Fieret igitur incerta fides, si vis Evangelii et Sacramentorum penderet ex dignitate ministri. Ideo sciendum est, Evangelium et Sacramenta efficacia esse propter promissionem Dei, non propter ministri personam. Revocat igitur Christus mentes nostras et fidem nostram a persona ministri ad sese inquiens [Luc. 10, 16.]: Qui vos audit, me audit; quasi dicat: Nec Evangelium est vestrum, nec opus vestrum est salvos facere auditores, sed Dei opus est, qui hoc mirabili modo, sparsa voce Evan-

91a) valent] Ed. 22. typ. errore: valet

91b) esse] Corp. 1—8. est

gelii, colligit sibi aeternam Ecclesiam. Sicut et Ioannes inquit [Matth. 3, 11.]: Ego baptizo vos aqua, alius autem baptizabit vos igni et Spiritu sancto, id est, Evangelium et Sacramenta sunt efficacia propter Christum et per Christum. Citatur etiam huc dictum Christi: Super cathedram[92]) Moysi sedent Scribae et Pharisaei etc. quae verba significant: Etiamsi sunt in ministerio hypocritae, tamen valere functionem ipsam, si tamen sedeant in cathedra Moysi, id est, doceant doctrinam a Deo traditam, non sedeant in alia cathedra, non proponant doctrinam pugnantem cum fide.

Haec tota caussa contra Donatistas copiose tractata est ab Augustino in multis voluminibus, et epistola 166. recenset hoc argumentum: Si penderet vis Evangelii et Sacramentorum a dignitate ministri, fides nostra fieret incerta; Ut igitur fides sit certa, necesse est reiici et damnari fanaticum delirium Donatistarum.

Refutatur et a Nazianzeno hic error, qui hac utitur similitudine. Eadem est figura sigilli, sive aureo sive ferreo annulo insculpta sit; ita idem esse ministerium inquit, sive boni sive mali teneant. Haec de Donatistis monere necesse est, ut contra tales furores pii praemuniantur et discant intelligere vim ministerii. Nam et nostra aetate Anabaptistae renovant errores Donatistarum, et impii abiiciunt ministeria, et dum iactitant se constituere Ecclesiam, in qua nulli sint[92a]) mali, prorsus ut[93]) Circumcelliones, magnam colluviem pessimorum latronum contrahunt, ut ostendit Monasteriense exemplum, quod meminisse prodest, ut bonae mentes maiore cura et diligentia caveant, ne assententiantur falsis opinionibus, et cogitent ex uno errore paulatim oriri multiplices et insanabiles furores.

Quid igitur faciendum est? an dissimulanda sunt aperta crimina ministrorum Evangelii? Respondeo: Polluti manifestis criminibus excommunicandi sunt communi voce Ecclesiae. Sicut Paulus 1. Cor. 5. incestum eiecit ex Ecclesia; Et Christus Matth. 18. [vs. 17.] inquit: Dic Ecclesiae. Eaque severitas non erat negligenda, sed si negligitur, tamen ministerium valet, ut dictum est.

Praeterea et magistratus, qui gladium gerunt, punire crimina suis legibus debent, ut adulteria, caedes et alia.

Sed praeter publica crimina sunt infirmitates in moribus omnium hominum: Alius est morosior aut iracundior, Alius indulgentior aut minus temperans, quam oportet; Alius est ad rem attentior, in alio fastus, in alio segnities reprehenditur; Denique omnes habent suas quasdam infirmitates. De his communibus moribus, cum non accedunt crimina, sciamus piae mentis esse, sequi usitatam regulam: Mores amici noveris, non oderis. Item: Remittite, et remittetur vobis. Item: Universa delicta tegit dilectio. Ac praecipue piorum gubernatorum et doctorum mediocres mores tolerandi sunt, sicut Christus iubet, ut pedes mutuo lavemus, id est, ut tales infirmitates inter nos mutua lenitate sanemus.

Est autem usitatum, calumniose exaggerare vitia gubernatorum. Ideo toties praecipit Spiritus sanctus, ut eos honore afficiamus, ut gravissime dicitur ad Hebraeos [13, 17.]: Obedite iis, qui praesunt, ut cum gaudio et non gementes faciant suum munus, quasi dicat: Per sese difficilis et aerumnosa res est gubernatio, sed cum accedit contumacia inferiorum, duplicatur miseria. Ut enim Herodotus inquit: Quantum bellum differt a pace, tantum differt seditio a bello; Ita gubernatori aerumnosius est cum suis quam cum aliis[94]) certare, et in munere alioqui difficili ab illis ipsis impediri, a quibus iuvari debebat. Ideo et 1. Thess. 5. [vs. 12.] dicit Paulus: Petimus, ut eos, qui praesunt, excellenter putetis diligendos esse propter ministerium, et pacem cum eis habete. Denique de hac re multa extant praecepta. Ut autem Cham punitur propterea, quod patrem deridet; ita sciant se poenas daturos esse Deo omnes, qui ministris recte docentibus, si sit mediocritas aliqua in moribus, molesti sunt. Sicut et ad Abraham dictum est: Benedicam benedicentibus tibi et maledicam maledicentibus tibi. Haec regula haud dubie pertinet ad Ecclesiam et recte docentes. Sciamus ergo, propter mores docentium non esse discedendum a reliqua Ecclesia, nec schismata facienda esse, si nullus sit error doctrinae.

Sed alii sunt mali polluti falsis opinionibus, qui impiam doctrinam defendunt et oppugnant veram et interficiunt pios propter verae doctrinae professionem. Sicut Ieremiae, Machabaei,[95]) Christi tempore fuerunt Pontifices et eorum sectatores, qui palam contradicebant verae doctrinae et sanctos interficiebant. Cum hoc coetu, etiamsi tenet gubernationem per tyrannidem, piis non sit societas, et culpa schismatis penes ipsos est, quia mandatum Dei est: Fugite idololatriam. Item: Si quis aliud Evangelium docebit, anathema sit. Sic Apostoli a Caipha et ab eius coetu recedebant.

Estque diligenter observandum discrimen eorum: Ministerium non mutatur, etiamsi mores ali-

92) cathedram] Editt. 1. 3. cathedra

92a) sint] Editt. 11. 13. 15—17. 21. sunt

93) mali, prorsus ut] Editt. 14. 18 — 20. 25 — 27., Corp. 1 — 8. mali prorsus, ut; Editt. 1—13. mali, prorsus, ut

94) aliis] Editt. 1—9. 12. alienis

95) Machabaei,] Editt. 1—3. 9. Macabaei, Editt 6. 7. 12 Maccabaei, Editt. 16. 17. 21. Macchabaei,

quorum sunt vitiosi: Sed cum falsa doctrina defenditur, et stabilitur idololatria, mutatur ipsum ministerium. Ideo horum ministerium relinquendum est, qui doctrinam corrumpunt. Etsi autem principalis pars ministerii est doctrina, tamen interdum pars ministerii, ut Sacramenti alicuius administratio, possidetur etiam ab his, qui corrumpunt doctrinam. Ut Israëlitae retinebant circumcisionem, etiamsi cultus impios postea addebant; Caiphas et Pharisaei retinebant circumcisionem, etiamsi in aliis materiis graves errores amplectebantur, valebat tamen circumcisio non propter has personas, sed quia fiebat vice Ecclesiae.

Sic de Baptismo dicamus eorum, qui baptizati sunt in Ecclesiis, ubi regnarunt mali doctores. Valuit enim Baptismus, quia fiebat vice verae Ecclesiae, et retinentur verba institutionis et eorum sententia sine idololatria in hoc Sacramento. Sed Samosateni, Manichaeorum, Arianorum Baptismus non valebat, quia non retinebant sententiam verborum: Baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Haec breviter attigi, ut muniantur pii contra Anabaptistas et cogitent saepe in Ecclesia dominari malos. Sicut ait Christus, similem esse Ecclesiam sagenae, in qua sunt boni et mali pisces. Valet igitur ministerium, quod retinent in his Sacramentis, quae non ex professo corrumpunt.

Etsi [96]) autem Baptismus eorum, qui retinent verborum sententiam, valet, ut dixi; Tamen, quia docent impia [97]) de ceteris rebus, praebent caussam, cur necessario ab ipsis Ecclesia discedat.

Discrimen est etiam [98]) inter personas, quae peccaverunt [99]) ignorantia, et illas, quae palam sunt blasphemae, ut post resurrectionem Christi erant Caiphas et similes. Nec dubium est, blasphemos et manifesta idola defendentes relinquendos esse, sicut scriptum est: Fugite idola.

DE SIGNIS MONSTRANTIBUS ECCLESIAM, QUAE ALII NOTAS NOMINANT.

Signa, quae monstrant Ecclesiam, sunt Evangelium incorruptum et legitimus usus Sacramentorum. Et quanquam Ecclesia non semper floret simili gloria, tamen subinde aliquae significationes Spiritus sancti in miranda gubernatione accedunt. Quod autem Evangelium sit signum monstrans, qui coetus sit Ecclesia, supra testimonia recitavi, et satis perspicua sunt haec. Eph. 2. [vs. 20.] Super fundamentum Apostolorum et Prophetarum extructi estis etc. Item Ies. 59. [vs. 21.] Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui [100]) in ore tuo, non recedent ab ore tuo nec ab ore seminis tui in aeternum etc.

Alii κακοζηλία humanarum politiarum addunt Ecclesiae haec signa: Ordinariam successionem Episcoporum et obedientiam in traditionibus humanis. Et postea Episcopos audacissime armant duobus regiis nervis, potestate interpretandae scripturae et potestate legum ferendarum et cultus novos instituendi. Admonendi sunt autem pii, ut has insidias diligenter caveant. Nam omnibus aetatibus in Ecclesiae gubernatione homines politici, ignari doctrinae Evangelii, pinxerunt sibi Ecclesiam tali imitatione politiarum, et magni errores hoc modo stabiliuntur.

Quare cum haec nomina audis, successio ordinaria, potestas interpretationis, potestas ferendarum legum, scias insidias verae doctrinae strui et quaeri praetextus ad stabiliendos errores in Ecclesia. Removenda est igitur illa imago humanarum politiarum et aliter de Ecclesia sentiendum. Dixi supra, Ecclesiam non esse alligatam ad successionem ordinariam, ut vocant, Episcoporum, sed ad Evangelium. Cum Episcopi non recte docent, nihil ad Ecclesiam pertinet ordinaria successio, sed necessario relinquendi sunt.

De potestate vero interpretationis sciendum est, magnum discrimen esse inter potestatem et donum. In Ecclesia donum est interpretationis, non alligatum certo ordini, sicut propter locum vel titulum non datur Spiritus sanctus. Id donum non est potestas alligata ordini seu titulo, cui propter ordinem parere necesse sit, sicut regiae vel praetoriae interpretationi propter ordinem parere necesse est. Deus enim dedit magistratibus civilibus potestatem condendi leges congruentes cum ratione et eas interpretandi. Sed de voce Evangelii in Ecclesia longe alia res est, hanc filius Dei ex sinu aeterni Patris protulit. Et est sententia supra rationem posita de agnitione Dei, de ira Dei adversus peccatum, de magnitudine peccati, de Iustitia donata per filium Dei, de Timore, de Fide, de Cruce, de Auxilio Dei, de Resurrectione, de Ecclesia, de vita aeterna, de duabus naturis in Christo, de Patre, Filio et Spiritu sancto.

Cum igitur iusserit Deus audiri Filium, deinde et Filii mandato missi sint [1]) Apostoli, ut eos audiamus, necesse est retinere doctrinam per Apo-

96) Etsi] Corp. 8. typ. errore: Est

97) impia] Corp. 1—8. impie

98) est etiam] Corp. 1—8. etiam est

99) peccaverunt] Editt. 1—17. 21. peccarunt

100) posui] Editt. 1. 3. sunt

1) sint] Editt. 1. 3. sunt

stolos traditam, ac nos discipulos esse doctrinae ipsorum, non affingere interpretationes pugnantes cum certis et perspicuis ipsorum testimoniis, sicut Iudaei fingunt corruptelas, ut eludant dicta de Christo.

Deinde, qui volunt esse discipuli Evangelii, nec audiunt, ut calumniose depravent, sed ut Deum agnoscant, celebrent et ei obediant: in his, cum assentiuntur verbo Dei cum timore et fide. accenditur lumen, quo iuvantur, ut discernant Evangelium ab humana sapientia, et articulos doctrinae de Deo, de Peccato, de Iustitia, de Christo, de Ecclesia, de vita aeterna dextre accipiant.

Tertio, iidem illi iuvantur etiam verae Ecclesiae testimonio. Ut, cum Samosatenus noluit Verbum interpretari personam, in his dictis, In principio erat Verbum etc. pii iuvabantur Irenaei testimonio, qui Polycarpum Ioannis discipulum audierat; Iuvabantur et Gregorii Neocaesariensis et Alexandrinae Ecclesiae testimoniis, quae affirmabant hanc sententiam inde usque ab Apostolis retentam esse, cum qua videbant pii cetera testimonia in Ioanne et Paulo congruere.

Et quanquam Ecclesia audienda est, iuxta illud, Nisi arassetis vitula mea, non invenissetis; tamen fides non nititur Ecclesiae auctoritate, sed ipsa voce Evangelii. Invocamus filium Dei, quia dictum est [Ioh. 1, 1.]: Et Deus erat verbum. Item [Ioh. 5, 17.]: Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Item [Ioh. 15, 5.]: Sine me nihil potestis facere. Item Stephanus inquit: Domine Iesu, accipe spiritum meum.

Item cum Ecclesiae testimonia quaeruntur, videndum est, ubi et quae sit Ecclesia, quae tempora sint puriora, qui scriptores sinceriores. Sic nos adiuvamur contra Anabaptistas: Scimus primum ex Evangelio, infantes nasci reos et obnoxios peccato originis, et id remitti his, qui sunt in Ecclesia, et infantes debere fieri membra Ecclesiae et afferri ad Christum. Deinde accedit testimonium primae Ecclesiae, quam legimus baptizasse infantes. Censemus igitur nequaquam cedendum esse furori Anabaptistarum, qui tot millia infantum ex Ecclesia extrudere et perdere conantur et uni errori multos miscent.

Donum igitur interpretationis est lumen, quod accendit Spiritus sanctus in horum mentibus, qui assentiuntur Evangelio, ut Christus inquit Ioan. 14. [vs. 26.] Spiritus sanctus docebit vos omnia et rediget vobis in memoriam omnia, quae dixi vobis. Hic alligat Apostolos et totam Ecclesiam ad ea, quae ipse dixerat,[2]) et addit de dono, de hoc ipso verbo Spiritum sanctum nos commonefacturum esse.

2) dixerat,] Editt. 22. 24. 28., Opp. 1. 2. dederat,

Et Ioan. 6. [vs. 45.] citat Christus ex Iesaia: Et erunt omnes docti a Deo. Econtra de impiis dicitur [Dan. 12, 10.]: Non intelligent[3]) omnes impii. Item [1. Cor. 2, 14.]: Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei; stultitia enim ei est, et non potest intelligere. Item Ies. 6. [vs. 9.] Audite audientes et non intelligite.

Haec testimonia perspicue ostendunt, interpretationem esse donum piorum, nec esse alligatam[4]) potestati aut maiori parti, quae plerumque est impia, et quidem praecipua poena est impietatis caecitas, ut[5]) Psal. 68. [vs. 24.] et Rom. 11. [vs. 10.] dicitur: Obscurentur oculi eorum, ne videant. Et manifesti furores Gentium ac Iudaeorum ostendunt, caecitate praecipue puniri impietatem.

Si ordinaria potestas aut maior pars haberet ius interpretandi, fuissent anteferendae sententiae Pharisaeorum sententiis Zachariae, Simeonis, Elisabeth, Mariae, Hannae et similium. Sed Ecclesia vera plerumque est exiguus coetus, in quo dominatur magna multitudo impiorum; sicut inquit Iesaias [1, 9.]: Nisi Deus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma essemus. Ideo nequaquam alliganda est interpretatio ad ordinariam potestatem et maiorem partem. Et insidiae cavendae sunt, cum adversarii hoc praetextu stabilire errores conantur.

Ceterum et ipsum donum agnoscendum est, et Deo gratiae agendae, quod semper ita gubernavit Ecclesiam, ut, cum obscurata esset doctrina, rursus eam accenderit. Ut post Noë interpres promissionis fuit Abraham, sic post Moysen missi sunt Samuel, David, et ordine ceteri; Regnantibus Pharisaeis et Saducaeis erant tamen Simeon, Zacharias, Hanna, Maria et alii multi, in quibus donum interpretationis fulgebat, in aliis magis, in aliis minus illustre. Ita postea Deus in Ecclesia subinde excitavit flammam verae doctrinae. Hanc igitur accensam non extinguamus praetextu multitudinis vel ordinariae potestatis propugnantis idola et errores.

Ceterum et labi possunt, qui antea recte senserant, et recte sentientes aliquid habent caliginis et suas stipulas, ut ad Cor. dicitur. Quare sententiae ex verbo Dei tradito et dextre collato iudicandae sunt. De similitudine traditionum et de Legibus Episcoporum infra dicetur. Nec enim unitas Ecclesiae collocanda est in similitudine humanarum traditionum, quia retinenda est haec sententia, quod humanae traditiones non sint cultus; Item,

3) intelligent] Editt. 22. 24. 28., Opp. 1. 2. intelligunt

4) alligatam] Editt. 1—14. 19. alligatum

5) ut *omittunt* Editt. 18—20. 22—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2.

quod [6]) propter eas non sint damnandi hi, qui alioqui recte sentiunt.

[XIII.]

DE SACRAMENTIS.

Initio constituamus simplicem vocabuli descriptionem. Sacramentum nunc quidem, ut in Ecclesia loquimur, vocatur ceremonia in Evangelio instituta, ut sit testimonium promissionis, quae est Evangelii propria, videlicet promissae reconciliationis seu gratiae.

Homines profani cogitant Sacramenta esse signa professionis, quae discernant a ceteris hominibus nos, qui quasi huic foederi adiuncti sumus, ut discernebat Romanum toga ab aliarum nationum hominibus: seu esse signa quorundam officiorum erga homines. Ut enim quondam in foederibus faciendis mos erat, una vesci ex sacrificatis rebus; Ita nunc multi humano more existimant, coenam Domini tantum esse talem notam mutui foederis inter homines. Sed quanquam multi sunt fines Sacramentorum ordinati, tamen longe omnibus anteferendus est hic principalis finis, quod sint signa voluntatis Dei erga nos, videlicet testimonia addita promissioni gratiae. Ac intueamur totam Ecclesiam, in qua statim post lapsum Adae, edita promissione gratiae, additae sunt ceremoniae, videlicet sacrificia Adae, quae incendebantur de coelo: Offerebatur agnus, qui consumebatur coelesti flamma; Id significabat venturae hostiae passionem, de qua promissio facta erat, et testimonium erat reconciliationis.

Deinde cum renovaretur promissio, additum est novum testimonium, scilicet circumcisio. Deinde iterum instaurata luce doctrinae accessit mactatio agni, et aliae ceremoniae. Ita in Ecclesia voci Evangelii additi sunt ritus, Baptismus et coena Domini; De aliis postea dicam. Hi ritus non sunt humana spectacula, ut Graecorum tragoediae institutae, ut qualiscunque memoria rerum gestarum traderetur posteris; Sed habent alios longe superiores fines.

Primum enim sunt signa voluntatis Dei erga nos seu testimonia promissae gratiae. Ideo Paulus de Abraham inquit, accepisse eum circumcisionem tanquam sigillum iustitiae fidei, id est, testimonium, quo Deus testatus est, eum receptum esse in gratiam. Et quia Sacramenta sunt addita promissionibus, ideo, sicut promissionem accipi fide necesse est, ita oportet in usu Sacramentorum accedere fidem intuentem promissionem.

Postea possunt accedere multi fines: Confessio, discrimen a ceteris sectis, publici conventus celebritas, admonitio de certo opere. Ut Coena Domini primum est testimonium gratiae erga nos. De toto Evangelio, de morte et resurrectione Christi nos admonet, testatur nobis donari beneficia Christi. Et hic necesse est fidem accedere, quae credat promissioni gratiae.

Deinde accedunt alii fines. Theodosius credens Evangelio hoc exemplo publice confitetur, quid sentiat; Item per hunc ritum intelligitur seiunctus a ceteris sectis.

Tertia, Quia Deus vult Ecclesiam non in latebris iacere prorsus ignotam, sed vult eam conspici et audiri, ut nomen suum celebretur et doctrina propagetur; Ideo etiam vult honestos coetus esse, vult in publica congregatione sonare Evangelium. Ut igitur in tali conventu ostendatur confessio et sint exercitia fidei, semper voluit esse publicos aliquos ritus, ad quos publice conveniret Ecclesia. Et quanquam Diabolus varie dissipare et deformare tales conventus conatur, tamen Deus eos subinde repurgat et mirabiliter conservat. Ita et coena Domini propter hanc utilitatem instituta est, ut sit nervus publicae congregationis.

Postremo admonet ritus de multis officiis: Primum de gratiarum actione praestanda Deo, postea de mutua benevolentia membrorum Ecclesiae; Sicut una vescebantur rebus sacrificatis hi, qui foedera faciebant.

DE NUMERO SACRAMENTORUM.

Consuetudo est non vetustissima, numerare septem Sacramenta. De hoc numero rixae sunt, quarum hic modus sit, ut res necessariae retineantur et discernantur a non necessariis. Discernantur etiam ceremoniae divinitus institutae in praedicatione Christi ab aliis operibus, quae non proprie ad novum Testamentum pertinent.

Si generaliter omne opus praeceptum a Deo, cui est addita promissio aliqua, Sacramentorum vocari volunt: erunt Sacramenta: oratio, tolerantia in cruce, Eleemosynae, condonatio iniuriae. Nam his operibus semper fuerunt additae divinae promissiones. De oratione nota sunt mandata et promissiones [Psalm. 49, 15.]: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te. Et Deut. 4. [vs. 7.] dicitur: Nec est alia Gens, quae habeat Deum appropinquantem sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Item in Evangelio [Ioh. 16, 24.]: Petite, et accipietis. Nec esset inutile numerare Orationem inter Sacramenta, ut haec ipsa appellatio homines mone-

---

6) Item, quod [illegible] 1. 3. Item quod extra casum scandali omitti possint. Item, quod

ret de promissionibus et de fructu huius maximi operis.

De tolerantia in cruce sunt promissiones, Psal. 50. [vs. 19.] Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Item [Psalm. 115, 15.]: Pretiosa mors Sanctorum. Item: Psal. 71. [vs. 14.] Pretiosus sanguis eorum coram me. Et in Evangelio plurimae sunt tales sententiae [Matth. 26, 24.]: Qui vult me[7]) sequi, tollat crucem suam et sequatur me. Item [Matth. 19, 29.]: Recipiet in hac vita centuplum etc.[8])

De Eleemosyna notissimae sunt sententiae [Luc. 6, 38.]: Date, et dabitur vobis; [Ies. 58, 7.] Frange esurienti panem etc.

De condonatione iniuriarum [Luc. 6, 37.]: Remittite, et remittetur vobis. Haec est insignis promissio, addita nostrae condonationi, non quod nostra condonatio possit iram Dei placare, sed ut admoneat nos de Evangelio, sicut alia Sacramenta.

Si igitur non tantum ad ceremonias, sed etiam ad opera moralia accommodabitur nomen Sacramenti, poterit etiam Coniugium dici Sacramentum. Nam et mandato Dei praecipitur et ornatur promissione, ut Psal. 127. [vs. 6.] Videbis filios filiorum tuorum, pacem super Israël. Et est institutum propagandae et conservandae Ecclesiae caussa. Deinde etiam imago est et amoris Christi erga sponsam Ecclesiam et afflictionum et officiorum Ecclesiae. Sicut maritus vere amans coniugem et liberos propugnat eos et sua bona impertit eis; Sic Christus Ecclesiam vere amat, donat suis bonis, iustitia sua et vitae aeternae societate. Hunc amorem et hanc *στοργὴν* in marito honesto significat Paulus ideo inditam esse naturae, ut sit imago adumbrans verum amorem Christi erga sponsam Ecclesiam. Praeterea afflictiones et officia domestica sunt imago afflictionum et officiorum Ecclesiae.

Sed cum hoc modo generaliter utimur appellatione Sacramenti, non de solis ceremoniis institutis primum in praedicatione Christi loquimur; Verum quoquo modo illa opera vocantur, semper meminerimus in Decalogo proponi summam omnium operum moralium, quae necessaria et a Deo praecepta sunt; Deinde quaeramus passim additas promissiones et comminationes et earum exempla.

Sciamus etiam discrimen esse inter promissiones legales et promissionem Evangelii propriam, quae est promissio reconciliationis gratuitae.

Cum autem vocabulum Sacramenti ceremoniis intelligitur institutis in praedicatione Christi, numerentur haec Sacramenta: Baptismus, Coena Domini, Absolutio, quae sunt externi ritus et sunt signa totius Evangelii, et quidem proprie sunt testimonia remissionis peccatorum seu reconciliationis, de qua praecipue dicitur in definitione usitata: Sacramentum est signum gratiae, id est, reconciliationis gratuitae, quae propter Christum donatur et in Evangelio praedicatur.

Mihi maxime placet etiam addi Ordinationem, ut vocant, id est, vocationem ad ministerium Evangelii et publicam eius vocationis approbationem; quia haec omnia mandato Evangelii praecipiuntur, ut ad Titum [1, 5.]: Constitue Presbyteros, ut iussi: et est addita promissio omnium maxima et dignissima cognitione, quae testatur Deum vere efficacem esse per ministerium eorum, qui voce Ecclesiae electi sunt, ut testatur dictum universale de Apostolis et omnibus sonantibus verbum traditum per Apostolos [Rom. 1, 16.]: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Et Christus inquit Ioan. 17. [vs. 9.] Rogo non pro eis tantum, sed pro omnibus credituris per verbum eorum. Et Ioan. 20. [vs. 23.] Quorum remiseritis peccata, remittentur eis etc. Et Eph. 4. [vs. 8.] Ascendit, dedit dona hominibus, Prophetas, Apostolos, Pastores, Doctores. Luc. 10. [vs. 16.] Qui vos audit, me audit.

Ioan. 15. [vs. 1.] Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, et ego in eo, ille feret fructum copiosum. Et 2. Cor. 5. [vs. 18.] Deus posuit in nobis verbum reconciliationis, Pro Christo igitur legatione fungimur tanquam Deo adhortante per nos. Et 2. Cor. 3. [vs. 6.] Fecit nos ministros novi Testamenti, non literae, sed spiritus. Hae et pleraeque similes sententiae clare testantur, Deum efficacem esse per hoc ipsum ministerium docentium Evangelium, quod in Ecclesia vult perpetua vocatione conservare. Expresse enim loquitur Paulus de verbo externo seu de ministerio sonante vocem Evangelii, cum inquit [Rom. 10, 8.]: Prope est verbum in ore tuo. Item [2. Cor. 5, 19.]: Posuit in nobis verbum reconciliationis, pro Christo igitur legatione fungimur. Et mandatum Ecclesiae datum est, ut eligantur ministri seu legati tales, ut ad Titum expresse scribitur.

Admoneat igitur nos ritus ordinationis de hoc mandato et de his promissionibus, et Deo gratias agamus, quod instituit et conservat hoc ministerium, et quod hoc modo nos recipit ac a peccato, a potestate Diaboli et aeterna morte liberat, ac iustitiam et vitam aeternam nobis restituit. Hac fide et nos veneremur et tueamur ministerium, et eo utamur, discamus et audiamus Evangelium, exerceamus fidem usu Sacramentorum, et sciamus per hoc ministerium exhiberi nobis aeterna bona, oremus item Deum, ut det ministros idoneos et eos adiuvet, ut iubet Christus orare, ut Deus extrudat operarios in messem suam. Et Col. 4. [vs. 3.] iu-

7) vult me] Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. me vult

8) etc. *addunt* Editt. 1—9. 12.

bet Paulus precari ceteros, ut Deus ipsum adiuvet in sua functione.

Est et haec magna consolatio, cum hoc ministerium a Deo institutum sit, etiamsi semper in mundo varie quassatur, et multi homines ab eo desciscunt ac pereunt, tamen non poterit funditus deleri. Christus enim inquit Matth. 16. [vs. 18.] Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, id est, super hoc ministerium, et portae inferorum non praevalebunt adversus eam. Hac consolatione pii etiam hoc tempore se sustentent, et sciant mansuras esse reliquias Ecclesiae et veri ministerii, etiamsi ruant [9]) imperia. Quanquam id non fit sine cladibus Ecclesiae, sed tales sunt et fuerunt semper mundi poenae, sicut Amos [9, 8.] inquit: Ecce oculi Domini super regnum damnatum, et delebo illud de terra, sed Iacob non delebo, verum ut triticum in cribro concutiam, nec decidet granum in terram. Hic Propheta simul minas et consolationem proponit. Nec mirum est puniri imperia, quia cum deberent iuvare et tueri ministerium, sicut Psalmus [23, 9.] inquit: Aperite portas, Principes, vestras, impii Principes delere Ecclesias conantur. Alii mediocres sua negligentia deformant, non fovent studia, non quaerunt eruditos ministros, non curant eis victum mediocrem, non student conciliare voluntates eorum. Denique hanc partem publici status vel negligunt tanquam extremam vel arte premunt.

Basilius queritur suo tempore evectos esse ad gubernationem Ecclesiae servorum omnium vilissimos, indoctos et ignavos. Postea, cum opes creverunt, functiones Ecclesiasticae fuerunt praedae potentibus. Ipsum vero ministerium neglectum est et per mercenarios indoctos partim superstitione partim avaritia depravatum est.

Nunc rursus etiam in illis locis, ubi doctrina sincera recepta est, admittuntur ad ministerium multi indocti et ignavi; quia potentes totam hanc rem negligunt nec tuentur studia nec curant ali ministros. Ita perpetuis difficultatibus in hoc mundo Ecclesia conflictatur, quas pii considerare debent, ut suo quisque loco, quantum potest, eas leniat, ut etiam Deus mitiget poenas.

Et quidem haec officia, quae prosunt ad ministerii conservationem, Deus severissime requirit et magnis praemiis compensat, sicut hae sententiae testantur [Matth. 10, 42.]: Qui dederit alicui ex minimis horum tantum aquae potum propter doctrinam, amen dico vobis, non perdet mercedem. Et exempla sunt illustria, viduae Sareptanae, quae excepit Eliam; Abdiae, 3. Reg. 18. [1. Reg. 18, 4.] qui centum Prophetas in speluncis abditos defendit et pavit; Ezechiae, 2. Paral. 31. Aethiopis, qui servat Ieremiam.

9) ruant] Editt. 1—17. 21. ruent

De his rebus omnibus, de efficacia ministerii, de precatione pro ministerio, de officiis, quae ei debentur, de poenis spreti ministerii admoneat nos doctrina de Ordinatione, cum inter Sacramenta recensetur, admoneat nos et ritus ipse, cum publice spectamus antiquissimum morem haud dubie a primis patribus acceptum, videlicet impositionem manuum, quae semper signum fuit rei destinatae ad cultum Dei, fuit et signum benedictionis. Hoc ritu Iacob benedicit filiis Ioseph; Hoc ritu Moyses ordinat Iosue ad gubernationem populi Dei, Num. 37; Hoc ritu Christus benedicit pueris; Hoc ritu pecudes ordinabantur ad hoc munus, ut fierent victimae. Praecipue autem ritus victimarum significavit Christum. Deus aeternus Pater imposuit ei manus, id est, delegit eum, benedixit ei, unxit eum et subiecit sibi ac pressit ingenti onere ac fecit victimam pro nobis. Hunc praecipue significat hic ritus impositionis manuum. Postea vero ad ministros transferatur significatio. Christus pontifex imponit eis manum, id est, deligit eos voce Ecclesiae, benedicit eis ac ungit eos donis suis, sicut scriptum est: Ascendit, dat dona hominibus, Prophetas, Apostolos, Pastores, Doctores, quos ornat luce doctrinae et aliis donis. Deinde subiicit eos sibi, ut solum Evangelium doceant, solius Christi regno serviant, non quaerant sibi potentiam, non constituant imperia praetextu religionis, sint etiam victimae, id est, perferant odia, aerumnas et supplicia propter veram doctrinam, sicut Psalmus [43, 22.] inquit: Propter te mactamur tota die.

Cum igitur cogitabis, non casu, non sine aliqua significatione hunc ritum a primis Patribus et ab Apostolis usurpatum esse, excitetur animus ad agnoscendam muneris efficaciam, ad reverentiam, ad quaerendas significationes, quae nos de Christo pontifice et de officiis huius muneris admonent. Econtra vero in doctrina de Ordinatione etiam considerandae sunt depravationes. Sacrificuli, qui missas pro aliis faciunt, fingunt ordinationem ideo fieri, ut detur potestas sacrificandi pro vivis et mortuis, et quidem dicunt se offerre filium Dei et sua oblatione mereri aliis remissionem peccatorum. Addunt item, sine hoc sacrificio non prodesse Ecclesiae mortem Christi. Etsi autem quaedam sumpta sunt ex *κακοζηλία* Levitici sacerdotii male intellecti, tamen et alia multa affinxerunt ex Ethnicis opinionibus. Hi errores reiiciendi sunt, qui pepererunt multiplicem *εἰδωλομανίαν*, quam Turcica tyrannide puniri non dubium est. Sed propter munus Evangelii docendi et efficaciam eius muneris Ordinatio retinenda et magnifacienda est.

Anabaptistae autem una cum ministerio contemnunt ordinationem, fingunt expectandas esse novas revelationes et illuminationes a Deo, easque petendas magnis macerationibus corporis, sicut

Monachi et olim ἐνθουσιασταὶ finxerunt. Haec fanatica deliramenta execranda sunt; Oriuntur autem ex falsis persuasionibus de disciplina Legis et ex ignoratione doctrinae fidei.

Nos contra sciamus, Deum immensa bonitate patefecisse voluntatem suam in Evangelio, nec alias illuminationes quaerendas esse, sed fidem et invocationem excitari hoc ipso Evangelio nobis exhibito, et Deus vult esse publicum ministerium, idque mirabiliter conservat et subinde repurgat, ut ad hoc Evangelium exhibitum sciamus Ecclesiam alligatam esse. Haec dicit Paulus Eph. 4. [vs. 14.] his verbis: Institutum esse ministerium Evangelii, ut Evangelium conservetur, Ne circumferamur omni vento doctrinae.

CONFIRMATIO.

Olim fuit exploratio doctrinae, in qua singuli recitabant summam doctrinae et ostendebant se dissentire ab Ethnicis et Haereticis, et erat mos ad erudiendos homines, item ad discernendos profanos et pios admodum utilis. Postea fiebat publica precatio, et Apostoli imponebant eius manus. Ita donabantur manifestis donis Spiritus sancti. Sed nunc ritus Confirmationis, quem retinent Episcopi, est prorsus otiosa ceremonia. Utile autem esset, explorationem et professionem doctrinae fieri et publicam precationem pro piis, nec ea precatio esset inanis.

DE UNCTIONE.

Unctio olim curatio medica fuit. Nam Deus ut auctoritatem aliquam Patribus et Prophetis circumdaret, inde usque ab initio ornavit eos dono sanandi, ut Abraham, Isaac, Iacob, Iesaias et similes viri professione medici fuerunt. Estque per hos viros una cum doctrina verae religionis propagata doctrina Physica de plantis et multis naturae partibus. Hunc veterem morem renovavit Christus, cum misit Apostolos, iussit eos mederi aegrotis et instruxit dono sanandi. Hoc donum mansit in Ecclesia etiam postea, et certum est adhuc multos precibus Ecclesiae sanari. Haec moneri utile est, ut discamus Dei donum esse corporis incolumitatem, quam tribuit, ut aliis inserviamus. Hanc vult peti et quadam diligentia foveri. Sed ritus unctionis, qui nunc est, tantum est superstitiosa ceremonia; Et accessit mortuorum invocatio, quae est impia. Ideo unctio illa cum suis appendicibus reiicienda est.

DE BAPTISMO.

Baptismus est integra actio, videlicet mersio et verborum pronuntiatio: Ego baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Principalis autem significatio et finis Baptismi discitur ex promissione [Marc. 16, 16.]: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Ideo enim baptismus proprie Sacramentum dicitur, quia huic promissioni additus est, ut testetur promissionem gratiae vere ad hunc pertinere, qui baptizatur. Ac perinde sentiendum est de hoc testimonio, ac si [10]) Deus nova aliqua voce de coelo testaretur se hunc recipere. Postquam ergo baptizatus doctrinam intelligit, exerceat hanc fidem, credat se vere a Deo recipi propter Christum et sanctificari Spiritu sancto. Sic utendum est Baptismo. Postea in vita quotidie nos commonefaciat: Ecce hoc signo Deus testatus est te receptum esse in gratiam. Hoc testimonium non vult contemni. Quare credas te vere receptum esse, et hac fide eum invoces. Hic est usus assiduus Baptismi. Ita Abrahae circumcisio erat perpetuum testimonium scriptum in ipsius corpore, quo admonebatur de semine venturo et de promissa benedictione propter Semen, quoties cogitabat de circumcisione, acquiescebat fide statuens se Deo placere et ei gratias agebat et eum invocabat.

Ut autem promissionis amplitudo melius aspiciatur, verba Baptismi consideremus, quae complectuntur Evangelii summam et sunt benedictio, qua consecramur Deo et per quam super nos invocatur nomen Dei: Ego, inquit minister, mandato divino et loco Christi baptizo te, id est, hoc signo testificor ablui peccata tua, et te reconciliatum esse vero Deo, qui est Deus aeternus, pater Domini nostri Iesu Christi, et misit pro te Filium mirando et inenarrabili consilio, ut tibi peccata remittat, et inchoët in te novam iustitiam et vitam aeternam Spiritu sancto. Haec benedictio consecrat nos Deo et discernit Ecclesiam ab omnibus Gentibus, quia nulla alia Gens vere invocat Deum, sicut se patefecit, scilicet Patrem Domini nostri Iesu Christi placatum per Filium et sanctificantem Spiritu sancto. Et quia summa Evangelii his verbis continetur, amplissimae consolationes nobis proponuntur. Quam gratum est enim audire, quod iam vere sis a Deo ac aeterno Patre receptus, quod Filii beneficia tibi donata sint, quod velit te Deus regere Spiritu sancto, quod eripuerit te a morte aeterna et a vinculis Diaboli? Quo attentius cogitabis verba Baptismi, eo magis accendetur animus agnitione misericordiae Dei, et magis confirmabitur fide et excitabitur ad invocandum.

Ut autem verba nobis proponunt promissionem et consolationem, ita vicissim postulant fidem et hanc obligationem, ut hunc verum Deum aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi et Filium eius et Spiritum sanctum agnoscamus. De hoc mutuo

---

10) si *omittunt* Editt. 20. 25., Corp. 1—4.

foedere dicitur 1. Petr. 3. [vs. 21.] Baptisma, quod est non sordium corporis depositio, sed stipulatio bonae conscientiae erga Deum per resurrectionem Christi. Intelligit enim mutuam obligationem et mutuum foedus. Deus profitetur se nos recipere, id conscientia credens amplectitur et hac fide iam vere agnoscit Deum et invocat. Haec recta de Deo aententia vocatur bona conscientia, videlicet recte agnoscens Deum, recte invocans. Additur autem: Per resurrectionem Christi. Docet enim Baptismum efficacem esse propter regnantem Christum, et iubet fide agnoscere, donatam esse hanc reconciliationem propter Christum.

DE SIGNIFICATIONIBUS

Dixi supra in Sacramentis multas esse significationes, sed unam praecipuam, videlicet gratiae, anteferendam esse ceteris. Hanc etiam ritus pingit, quia Ablutio significat ablui peccata propter Christum et nobis applicari beneficium passionis Christi, cum mergimur in aquam velut in mortem Christi. Postea non est absurdum, addere alias significationes. Sicut iter Israëlitarum per mare rubrum fuit imago afflictionum Ecclesiae et liberationis, Ita mersio in Baptismo imago est afflictionum et liberationis. Sed altera significatio longe anteferenda est, quae nos de promissione et de gratia admonet et requirit fidem.

Ut autem satis fuit semel circumcidi, cum esset mandata circumcisio; ita semel tantum fiet baptismus, ut haec gravissima ratio ostendit. Peccatum est abuti nomine Dei et invocationem veram improbare: Qui autem rebaptizant, improbant priorem baptismum, iudicant inanem et [11]) inutilem fuisse. Atque ita improbant veram invocationem Dei factam de hoc baptizato. Ideo non est repetenda ipsa ceremonia. Ceterum de Anabaptistis plura mox dicemus, qui multos perniciosos errores suo anabaptismo admiscent.

Sciant autem pii, semel factum Baptismum manere perpetuum testimonium et foedus. Davidi [12]) post lapsum non erat opus nova circumcisione; Sed illa prior circumcisio de utraque re admonebat eum, videlicet ideo hanc naturam circumcidi, quia sub peccato est, et redeundum esse ad promissionem reconciliationis illis ipsis, qui lapsi essent. Sic lapsi iam sentiant, non iterent ceremoniam, sed admoniti foedere, quod antea factum est, in quo fit mentio Filii, quae est testimonium remissionis peccatorum, redeant ad propositam reconciliationem. Ita Baptismus magnam doctrinam et consolationem lapso affert, quia ipsa mentio Filii admonet nos de poenitentia et de remissione peccatorum, et testatur redeuntes iterum fieri membra populi Dei.

DE BAPTISMO IOANNIS ET APOSTOLORUM.

Totum ministerium Ioannis Baptistae opus Dei fuit et inchoatio novi ministerii, quod post Legem secuturum erat. Ideo baptismum eius non cogitemus inepte otiosum spectaculum fuisse. Et quod aliqui dicunt tantum poenitentiam significatam esse, non remissionem, est absurdum. Nam praedicatio poenitentiae sine remissione est Ethnica, Estque pradicatio irae et mortis aeternae, quae non sonat in Ecclesia sine praedicatione remissionis. Ideo Lucas et Marcus expresse dicunt: Praedicans Baptismum poenitentiae ad remissionem peccatorum.

Etsi igitur differentia erat in hoc articulo, Ioannes de passuro Christo, Apostoli de passo et resuscitato praedicant; tamen ministerium fuit idem et effectus eosdem habuit in credentibus. Docebat enim Ioannes de utraque re, de remissione peccatorum et de efficacia Spiritus sancti in his, qui Filio crederent, sicut inquit [Matth. 3, 11.]: Baptizabit eos Spiritu sancto. Item [Ioh. 1, 16.]: Ex plenitudine eius omnes accepimus, ubi testatur, non ita recipi credentes, ut non sit efficax in eis Christus, sed docet novam lucem et iustitiam in eis inchoari.

Sed cur Ioannes discrimen facit inquiens: Ego baptizo vos aqua, qui autem post me venturus est, baptizabit vos Spiritu sancto et igni? Respondeo: Non discernit externum ministerium, sed personas, vult intelligi discrimen Messiae et ministrorum. Ministri tantum adhibent externum ministerium; Sed per illud efficax est Christus, propter eum et per eum datur reconciliatio, Spiritus sanctus et vita aeterna. Haec non efficiunt ministri, quare necesse est personam Christi a ministris discerni. Id discrimen non observant ignari Evangelii, qui imaginantur Christum tantum esse doctorem, sicut Pharisaei putabant, Nec intelligebant eum esse missum, ut esset victima, item, ut esset dator novae et aeternae vitae ac iustitiae.

DE BAPTISMO INFANTIUM.

Gravissime praecipitur a Paulo, ut explorentur Spiritus, et Christus regulam tradit inquiens [Matth. 7, 16.]: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Certum enim signum est fanaticae mentis et agitatae malo spiritu, insignes aliquos errores pertinaciter defendere. Porro Anabaptistae non tantum hunc

11) et] Editt. 1. 3. ac

12) Davidi] Editt. 22. 24. 28. 29. 31—33. David

unum articulum de Baptismo infantium [13]) labefactant, sed multos prodigiosos errores miscent. Estque totum eorum delirium confusum ex multarum veterum sectarum furoribus, ex Manichaeis, ex Enthusiastis, ex Iudaeorum recentium fabulis. Non intelligunt discrimen iustitiae spiritualis et civilis. Ideo negant licere Christianis imperia tenere, magistratus gerere, iudicia exercere, dare legitimum iusiurandum, contendunt discedendum esse a propriis facultatibus et oportere eas in commune conferri, aiunt relinquendos esse coniuges, qui abhorrent ab Anabaptistico dogmate.

Hi furores non possunt non oriri a Diabolo et sunt faces seditionum. Quia enim non intelligunt Evangelii praecipuum locum de Iustitia fidei, sed maxime contendunt hominem propter propria opera et duras afflictiones, ut ipsi loquuntur, iustum esse; Ideo fingunt sibi talia opera Monastica, ut aliquid novi et duri facere videantur. Addiderant Anabaptistae Monasterienses magis prodigiosos errores, finxerant Iudaico more futuram esse Monarchiam piorum ante resurrectionem, et ut illam Monarchiam constituerent, seditiose [14]) arma ceperant. Haec amentia erat perspicua nota Diaboli, quae sanos convincit, ut intelligant fugiendum esse contagium Anabaptisticum.

Sed etiamsi qui sunt moderatiores, tamen semina similium furorum retinent. Denique omnes de peccato originis, de Iustitia fidei et de ministerio externo errant, tollunt manifesta amentia peccatum Originis, nec iudicant peccatum quicquam aliud esse, nisi facta seu actiones externas pugnantes cum Lege Dei. Iam audio nova deliria ab eis fingi, Christum passum esse, non ut aboleret peccatum, sed ut aboleret mortem corporalem. Hoc non solum falso, sed etiam stolide dicitur, quia abolere mortem est abolere peccatum. Nam, ut Paulus dicit [Rom. 5, 12.], Per peccatum irrupit mors. Denique nunquam unus aliquis insignis error solus defenditur, sed plures misceri necesse est. Ideo Iudicium de fanaticis opinionibus facile fieri potest, conquisitis talibus notis. Cumque manifestae sint notae mali spiritus in confusione dogmatum Anabaptisticorum, fugiamus eorum contagium, nec hypocrisi eorum moveamur.

Quod autem baptismus infantium non sit recens mos, sed primae et purioris Ecclesiae testimonio comprobatus, sequentes sententiae ostendunt, quas recitabo, quia non dubito pios Ecclesiae purioris exemplo confirmari.

Origenes 6. cap. ad Rom. sic scribit: Itaque et Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam parvulis dare baptismum. Sciebant enim illi, quibus secreta divinorum mysteriorum commendata fuerunt, quod essent in omnibus genuinae sordes peccati, quae per aquam et spiritum aboleri deberent. Haec Origenis verba perspicuum testimonium continent de duobus articulis, de Peccato originis et de Baptismo infantium. [15])

Cyprianus scribit in Synodo damnatam esse opinionem cuiusdam, qui infantes non volebat ante octavum diem baptizari. Censuit enim Synodus infantes baptizandos esse, nec observari oportere praescriptum tempus octavi diei.

Augustinus de Baptismo contra Donatistas libro 4. inquit de Baptismo parvulorum: Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur.

I. Argumentum.

Sed sumemus etiam argumenta ex Evangelio, quae, quia bona consequentia ex certissimis sententiis sequuntur, necessario valent. Ac primum hoc certissimum est, regnum Dei, id est, promissionem gratiae et vitam aeternam non ad solos adultos, sed etiam ad infantes pertinere, qui tamen inserti sunt Ecclesiae, quia Christus clarissime de infantibus inquit [Matth. 19, 14.]: Talium est regnum coelorum. Item: Non est voluntas Patris, ut pereat unus de parvulis istis. Hae dulcissimae voces testantur magnam Ecclesiae Dei partem esse infantes, super quos invocatum est nomen Dei. Quare haec dicta et amemus et tueamur, nec sinamus eludi ea sycophanticis cavillationibus, ut Anabaptistae contendunt, nihil promitti infantibus, sed praecepta esse adultis tradita, ut imitentur infantum [16]) innocentiam, qui nondum habent studium nocendi. Haec cavillatio non impediat, quo minus statuas haec dicta vere esse promissiones, testantes Deo placere hos infantes, de quibus loquitur, id est, infantes insertos Ecclesiae.

Certum et hoc est, extra Ecclesiam, hoc est, apud eos, super quos non est invocatum nomen Dei per Baptismum et qui sunt sine Evangelio, non esse remissionem peccatorum et societatem vitae aeternae, ut apud hostes Christi et blasphemos Iudaeos, Mahometistas et similes. Id clare probatur hoc dicto [Act. 4, 12.]: Non est aliud nomen datum hominibus, quo oporteat salvos fieri, nisi nomen Iesu Christi. Item Eph. 5. [vs. 25.] Paulus describens Ecclesiam inquit: Christus dilexit Eccle-

13) infantium] Editt. 1. 3. infantum

14) seditiose] Editt. 18. 20. 22. 24. 25. 28 — 34.. Corp. 1 – 8.. Opp. 1. 2. seditiosa

15) infantium.] Editt. 1. 3. infantum.

16) infantum] Corp. 1—8. infantium

siam et se ipsum pro ea tradidit, ut eam sanctificet mundans eam lavacro aquae. Definit Ecclesiam esse regnum Christi, quam sanctificat, et addit Ecclesiae signum, ut discernat eam a reliquis Gentibus, super quas non est invocatum nomen Christi. Item Rom. 8. [vs. 30.] Quos elegit, hos et vocavit. Nulla igitur est electio[17]) eorum, qui non inseruntur Ecclesiae externa vocatione. Item Matth. 18. Ubi sunt duo aut tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum. Ergo in eo coetu, qui non est congregatus in nomine Christi, Christus non adest. Tenenda est igitur haec sententia firmissime: Extra Ecclesiam non esse remissionem peccatorum et salutem aeternam. His duabus propositionibus constitutis, quod ad infantes pertineat promissio gratiae et quod non pertineat ad infantes extra Ecclesiam, clare sequitur conclusio: Infantes necessario inserendos esse Ecclesiae per Baptismum, in quo super eos invocatur nomen Dei. Magna res est invocatio nominis Dei, quae fit per ministerium. Ideo Christus coniunxit haec duo: Sinite parvulos venire ad me, quia talium est regnum coelorum. Talium, id est, eorum, qui mihi offeruntur, super quos invocatur nomen meum.

Itaque non dubito convinci omnes sanos hoc argumento: Extra Ecclesiam non est salus, id est, ubi nec ministerium Evangelii sonat, nec Sacramenta administrantur. Ad infantes pertinet promissio salutis; Ergo infantes necesse est inseri Ecclesiae per Baptismum, in quo super eos invocatur nomen aeterni Patris, Filii et Spiritus sancti. Hoc argumentum ita firmum est, ut everti non possit. Nequaquam enim affirmari potest, pertinere salutem ad infantes extra Ecclesiam, ut sine ullo testimonio furenter contendunt Anabaptistae.

II. Argumentum.

Infantes nascuntur cum peccato, nec fiunt haeredes vitae aeternae sine remissione peccati. Instituit autem Deus in Ecclesia ministerium remittendi peccata et distribuendi remissionem per Sacramenta. Vult ita dari[18]) remissionem, cum eius ministerio utimur. Quare infantibus impertiendum est hoc beneficium per Baptismum.

Quod vero Anabaptistae in universum negant totam doctrinam de peccato Originis, magis produnt suam amentiam. Nam si sunt sine peccato, Christus non est passus pro infantibus. Collegimus autem alio loco testimonia Prophetica et Apostolica, quae ostendunt omnes nascentes secum afferre peccatum, ut Rom. 5. [vs. 12.] Mors pervasit in omnes homines, eo quod omnes peccaverunt, id est, sunt rei. Et Eph. 2. [vs. 3.] Eramus et nos natura filii irae, id est, rei seu addicti irae seu damnati. Cum igitur non dubium sit in infantibus esse peccatum, debet aliquod esse discrimen infantium[19]) Ethnicorum, qui manent rei, et infantium[20]) in Ecclesia, qui recipiuntur a Deo per ministerium.

III. Argumentum.

Ad quos pertinet promissio, ad eosdem pertinet et signum. Nam signum traditum est propter promissionem. Certum est autem promissionem gratiae pertinere ad infantes; Ergo necesse est eis applicari signum per ministerium, quo super eos nomen Dei invocatur.

IV. Argumentum.

Mandatum de Baptismo est universale, ac ad totam Ecclesiam pertinet [Ioh. 3, 3.]: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non intrabit in regnum coelorum. Pertinet igitur etiam ad infantes, ut fiant pars Ecclesiae. Nec dubium est semper fuisse aliqua signa, quibus infantes in Ecclesia Deo oblati sunt, ut fuit circumcisio masculorum inde usque ab Abraham, et aliae ceremoniae, quibus infantes masculi et femellae Deo offerebantur, id est, in quibus ceremoniis nomen Dei super eos invocabatur, et applicabatur eis benedictio divina promissa Patribus. Habuerunt Patres et ante Abraham alia signa a Deo tradita. Oportet enim teneri hanc hypothesin: Infantes, qui sunt in Ecclesia, super quos invocatum est nomen Christi, recipi in gratiam, non Turcicos, non Iudaicos.

Sed reclamant Anabaptistae, negant prodesse baptismum infantibus, cum non intelligant verbum et ceremonia sine fide accipientis sit otiosa. Ad hoc respondeo: Verissimum est, in omnibus adultis requiri poenitentiam et fidem; Sed de infantibus hoc satis est tenere: Spiritus sanctus per baptismum eis datur, qui efficit in eis novos motus, novas inclinationes ad Deum pro ipsorum modo. Nec id temere affirmatur; Nam haec certa sunt, recipi infantes a Deo per hoc ministerium, dari item semper cum remissione peccati Spiritum sanctum, et neminem placere Deo, nisi sanctificatum a Spiritu sancto; Sicut clare inquit Christus [Ioh. 3, 3.]: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non intrabit in regnum coelorum. Item 1. Cor. 15. [vs. 50.]: Caro et sanguis, videlicet sine Spiritu sancto, non possunt regnum Dei possidere. Et Rom. 8. [vs. 14.]: Qui

17) est electio] Editt. 1. 3. electio est

18) dari] Editt. 1—17. 19. 21. dare

19) infantium] Editt. 1—16. infantum

20) infantium] Editt. 1—17. infantum

spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Cum ergo certum sit, hos infantes esse partem Ecclesiae et placere Deo, certum et hoc est, Deum in eis efficacem esse, quia vitam aeternam oportet in hac vita inchoari.

Haec de Baptismo pie et diligenter consideremus omnes, ut nos etiam grandiores pacto et foedere illo nos consolemur, ut supra dixi. Maxime vero adolescentes caveant, ne donum Baptismi effundant, neve illam ingentem gloriam amittant, quam praedicat Christus de infantibus in Ecclesia [Matth. 18, 14.]: Non est voluntas Patris, ut pereat unus de parvulis istis. Quae potest maior gloria cogitari, quam quod affirmat, hos certo placere Deo et ei curae esse? Et parentes hac fide de Baptismo invocent Deum pro infantibus et eos Deo commendent ac statim, cum doceri possunt, assuefaciant eos, ut ipsi invocent Deum et Filium eius, et paulatim eis tradant [21]) summam Evangelii. Denique cum pueri sint magna pars Ecclesiae, sciant parentes et praeceptores sibi non exiguum thesaurum commendatum esse; Quare praestent fidem et diligentiam in docenda et regenda iuventute.

DE COENA DOMINI.

Saepe dictum est, singulare et ingens Dei beneficium esse et admirabilius ipsa creatione rerum, quod Deus se patefecit humano generi certis et illustribus testimoniis et voluntatem suam de nostra salute traditis claris promissionibus nobis declaravit, et harum promissionum voce Ecclesiam sibi inde usque ab initio post receptos primos parentes condidit et collegit. Haec ipsa patefactio manifeste convincit nostras mentes, ut statuere cogantur, nos Deo curae esse et ab eo respici. Ideo historiae omnes patefactionum, quae scriptae sunt, saepe cogitentur, ut cum lapsos primos parentes Deus recepit et primam promissionem edidit, cum Noae [22]) mandavit, ut arcam conderet, cum Abrahae promissionem novam tradidit, cum populum ex Aegypto eduxit et Ecclesiae suae [23]) certum domicilium, ut ita dicam, et certam sedem dedit, cum misit Prophetas ac denique filium Dominum nostrum Iesum Christum, et resuscitatione mortuorum et aliis miraculis declaravit vere a Deo missos esse.

Quoties autem fit mentio promissionum et conditae seu instauratae Ecclesiae, simul consideres a Deo addita testimonia quaedam incurrentia in oculos, quae essent quasi σφραγῖδες promissionum.

Et tres caussae magnae ac praecipuae sunt, cur illi externi ritus additi sint promissioni.

Prima, ut privatim commonefacerent utentes de promissione et de voluntate Dei erga nos, atque ita per ea fides in nobis erga Deum excitaretur et confirmaretur.

Secunda caussa fuit et est, ut memoria publice durabilior esset et propagari ad omnem posteritatem promissio certius posset. Nam ritus incurrentes in oculos sunt diuturniores, ut videmus Ethnicos etiam retinuisse ritus acceptos a Patribus, amissa doctrina Patrum, quos ritus tamen corruperunt, cum subinde novas opiniones et nova idola fingerent. Ceterum manifestum est, ritus ad memoriam et propagationem conducere. Et multi ritus pinxerunt promissiones, ut circumcisio admonebat Abraham et posteros de semine. Mactatio victimarum admonebat Patres de morte venturi Domini.

Tertia caussa fuit et est, ut ritus illi essent nervi publicorum congressuum. Vult enim Deus ministerium Evangelii publicum esse, non vult in latebris, ut Eleusinia, tantum teneri inclusam Evangelii vocem, sed exaudiri eam vult a toto genere humano, vult se agnosci et invocari. Ideo vult esse publicos et honestos congressus, et in his vult [24]) sonare Evangelii vocem, vult se ibi invocari et celebrari, vult etiam hos ipsos congressus testes esse seiunctionis Ecclesiae Dei ab aliarum Gentium sectis, factionibus et opinionibus. Convenit Ioannes Ephesi cum suo coetu et docet Evangelium, et usu Sacramenti totus coetus ostendit se hanc doctrinam amplecti et hunc Deum invocare, qui Evangelium tradidit, et seiunctum se esse a Dianae, Iovis et aliorum Idolorum cultoribus. Vult enim Deus conspici et audiri suam Ecclesiam in mundo, et vult seiunctam esse multis publicis notis a reliquis gentibus. Sic habuerunt suos coetus Adam, Seth, Enoch, Noa, Sem, Abraham, et deinceps politia Israel habuit multos ritus, ut seiunctio illa a gentibus esset conspectior.

Quanquam autem Diabolus semper conatus est et conatur delere ministerium Evangelii et dissipare hos coetus et congressus Ecclesiae per tyrannos et haereticos, tamen Deus sua immensa misericordia semper servavit et subinde restituit et ministerium Evangelii et publicos Ecclesiae congressus. Quid nunc arma Turcica aliud moliuntur, nisi ut deleant vocem Evangelii et [25]) dissipent

21) eis tradant] Editt. 1. 3. tradant eis

22) Noae] Editt. 1. 3. 6. 7. 12. Nohae; Editt. 4. 5. 8. 10. 11. 13—27. 30. 34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2. Noe

23) et ecclesiae suae] Editt. 1—14. 19. 20. 25—27., Corp. 1—8. et suae ecclesiae; Ed. 16. suae et ecclesiae

24) *Hocce* vult *omittunt* Corp. 2—8.

25) et *addunt* Editt. 1—7. 9. 12.

congressus Ecclesiae Dei? At Deus servaturum se Ecclesiam suam promisit, et servabit. Ac in ipsa Coena Domini inclusa est haec promissio, quae affirmat non interituram esse Ecclesiam Dei in hoc mundo: Iubet enim annuntiari mortem Domini et hanc coenam distribui, donec venerit. Haec consolatio piis grata esse debet. Et retinentes puritatem Evangelii et pium usum Sacramentorum haud dubie defenduntur.[26]

Haec praefatus sum, ut cogitemus de caussis institutae Coenae Domini, quae et ipsa testimonium est insigne patefactionis Dei. Non aliter audias verba huius Coenae, quam si ipsum Christum coram tecum loquentem audires, et simul de ipsius resurrectione et ceteris miraculis cogites, quibus se vere Deus nobis patefecit. Ac scias institutum esse hoc Sacramentum, primum ad commonefaciendos singulos et excitandam et confirmandam fidem in nobis, deinde ut memoria passionis et resurrectionis Christi perpetuo propagetur hoc ritu, denique ut sit nervus publicae congregationis, in qua Ecclesia Dei ostendat se seiunctam esse a ceterarum gentium opinionibus.

Post haec exordia, haec quatuor[27]) considerentur:

Primum, quomodo instituta sit coena Domini.

Secundum, quibus prosit manducatio.

Tertium, qui sint ad eam admittendi.

Quartum, de abusu et profanatione Sacramenti.

De primo.

Ritus describitur a Matthaeo, Marco, Luca et a Paulo. Et nominatim inquit Paulus: Convenientibus vobis. Vult publici congressus ceremoniam esse hanc coenam, et simul vult ibi doceri Evangelium, invocari Deum mentione et fiducia Domini nostri Iesu Christi, et agi gratias. Ideo dictum est: Hoc facite ad recordationem mei.

Nec est inane spectaculum, sed Christus revera adest dans per hoc ministerium suum corpus et sanguinem manducanti et bibenti. Sicut et veteres scriptores loquuntur. Cyrillus in Ioanne inquit: Unde considerandum est, Christum non solum per dilectionem in nobis esse, sed etiam naturali participatione, id est, adesse non solum efficacia, sed etiam substantia.

Et Hilarius ait: De naturali enim in nobis veritate quae dicimus, nisi ab eo didicimus, stulte et impie diceremus. Ipse enim inquit: Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus, et deinceps. Haec accepta et hausta efficiunt, ut et nos in Christo et Christus in nobis sit. Non imaginemur esse memoriam hominis mortui, ut sunt spectacula de Hercule aut[28]) similia. Abiiciamus has profanas cogitationes, ac hoc testimonio commonefacti credamus, vere Christum pro nobis factum esse victimam, ac mortuum, sed revera etiam resuscitatum iam regnare et adesse suae Ecclesiae, et in hoc ministerio vere nos sibi tanquam membra adiungere.

De secundo.[29])

In Ecclesiis quae recte docentur, invitandi sunt et assuefaciendi auditores, ut crebrior usus sit Sacramenti corporis et sanguinis Christi, et ut in usu simul excitetur ardentior invocatio et gratiarum actio. Sed[30]) simul docendi sunt homines, quibus prosit manducatio. Utrumque vituperandum et deplorandum est, quod multi, qui volunt videri membra Ecclesiae, totis annis decem vix semel aut bis sumunt Sacramentum; Et simul cum hac negligentia obrepunt profanae opiniones, extinguitur invocatio, et accedunt alia vitia.

Olim initio Ecclesiae multo erat frequentior usus Sacramenti, ut veteres Historiae et Canones ostendunt. Est et alteri malo magna diligentia et severitate occurrendum, ne ignari quid agant, et polluti manifestis vitiis sine poenitentia ad communionem accedant.

Ideo utile et pium institutum est, prius singulos explorare, quid intelligant, quid didicerint, et in eo colloquio rudiores docere, et quid sit Sacramentum, et quis sit usus, et quibus prosit.

Deinde manifestum est de hac parte saepe dicendum esse, non prodesse manducationem iis, qui non agunt poenitentiam, sed perseverant in delictis contra conscientiam, sicut Paulus clara voce affirmat: Qui manducaverit panem hunc aut biberit poculum Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Manducant autem indigne, qui non afferunt timorem Dei et fidem, seu poenitentiam et fidem, et scientes perseverant in delictis contra conscientiam. Alii indulgent libidinibus, alii odiis et iniustae cupiditati vindictae; Alii aliis sceleribus pollutos se[31]) esse norunt, nec deponunt propositum malefaciendi. Haec mala per sese offendunt Deum. Sed Paulus cumulari hanc offensionem no-

26) defenduntur.] Editt. 1. 3. defendentur.

27) quatuor] Editt. 26. 27., Corp. 1—8. quatuor capita

28) aut] Editt. 20. 25., Corp. 1—8. et

29) De secundo.] Ed. 30. De secundo capite

30) Sed] Corp. 1—8. Et

31) se *omittunt* Editt. 28. 29. 31—33.

va tristiore offensione inquit, quod contumelia afficiant[31a]) corpus et sanguinem Domini. Deinde addit alteram comminationem: Edens et bibens indigne iudicium sibi edit et bibit, non discernens corpus Domini, id est, poenam sibi accersit non solum pro prioribus peccatis, sed etiam pro hoc scelere, quod contumelia afficit corpus Domini. Necessaria est igitur poenitentia seu timor Dei in his, qui accedunt ad communionem.

Et quidem de utraque re, de poenitentia et de fide, concionatur haec ipsa actio, celebratur memoria mortis Christi. Audis, corpus Christi pro te datum esse; Audis, sanguinem pro te effusum esse. Haec verba nos primum de ingenti ira Dei adversus nostra peccata commonefaciunt, quam cum nullorum hominum aut Angelorum virtutes aut merita placare potuerint, sed Filii morte placari oportuerit, pia mens iudicare potest, peccatum non esse leve malum. Multae magnae calamitates humanae, morbi, exilia, supplicia, inopiae, bella, neces et aliae aerumnae signa sunt irae Dei adversus peccatum, et nobis impositae sunt, ut de iudicio et ira Dei admoneamur; Sed longe illustrius testimonium est ingentis irae Filius Dei sudans sanguinem, luctans cum ira Dei, laceratus, pendens in cruce. Hoc testimonio si quis non movetur, nec expavescit cogitatione irae Dei et mortis Christi in hac ipsa actione et manducatione, non considerat, quid hic agatur. O Iesu Christe, Fili Dei vivi, pro nobis crucifixe et resuscitate, accende mentes nostras, ut ad Deum convertamur, nec contemnamus iram eius et tuam mortem, sed vere ad agnitionem tuorum beneficiorum et mirandi consilii de tua morte flectamur.

Longe superat hoc consilium universam sapientiam omnium creaturarum. Ideo tu nos, Fili Dei Iesu Christe, erudias, qui dixisti [Luc. 10, 22.]: Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui Filius revelaverit.

Deinde et fides necessaria est, petens et accipiens remissionem peccatorum. Nam hic offertur remissio peccatorum et applicatur credenti. Cum enim hic dicatur, Hic est sanguis novi Testamenti, admonemur de universo Evangelio, de toto beneficio novi Testamenti. Et haec promissio requirit fidem, ut supra dictum est copiose. At non agens poenitentiam nec petit nec accipit remissionem. Hac igitur doctrina praemoniti exuscitemus animos ad poenitentiam et afferamus fidem. Digne igitur accedunt, qui serio agunt poenitentiam, et ideo ad Coenam Domini accedunt, ut commonefacti hoc testimonio et promissione novi Testamenti fidem confirment. Ad hoc igitur prodest manducatio agenti poenitentiam, videlicet ad fidem confirmandam, qua sumens vere consequitur remissionem peccatorum et Spiritum sanctum. Si nova vox Dei de coelo sonans, testaretur te recipi in gratiam, tum vero ingenti animo diceres te Deo crediturum esse ac gratias ageres; Sic oportuit in hoc[32]) usu Sacramenti nos sentire. Testatur Christus hoc tanto pignore te recipi, te fieri membrum sui corporis. Hoc testimonio admonitus vere te recipi ab ipso credas et hac fide invoces Deum, agas gratias Christo, quod morte sua placarit iram Dei, quod dederit nobis Evangelium et sua testimonia.

Reiiciendus est igitur error Monachorum et Sacrificulorum, qui finxerunt ex opere operato, ut loquuntur, sine bono motu utentis prodesse sumptionem. Unde haec Pharisaica deliramenta in Ecclesiam irrepserunt? Clare dicitur [Rom. 1, 17.]: Iustus fide sua vivet. Quare in sumptione necesse est accedere fidem, plurimas res maximas cogitantem, iram Dei adversus peccatum, mortem Filii Dei, qua Pater placatus est, donationem Evangelii et Sacramentorum, quibus nobis applicat promissam remissionem peccatorum. Nam Sacramenta singulis applicant promissionem. Et in hac actione Christus nos sibi tanquam membra adiungit.

Hac cogitatione et fide cum invocamus Deum et ducente Christo Pontifice ad eum accedimus, accenduntur corda nostra Spiritu sancto. Ideo externa vox Evangelii sonat, ut corda eam fide accipiant, ut inquit Paulus: Fides ex auditu est. Ita externa actio Sacramenti ideo proposita est, ut corda commonefaciat et fidem exuscitet, non ut ipsa sit finis et meritum reconciliationis.

Postquam autem de principali fine, videlicet de confirmatione fidei, dictum est, recte adduntur multi alii fines; Nam unius actionis possunt esse multi fines, sed ordinati.

Necessario autem ad confirmationem fidei addatur proximus finis, gratiarum actio. Ideo nomen huic ceremoniae attributum est *εὐχαριστία*. Hic enim et in docendo commemorari debent Christi beneficia et publica voce et in privatis precationibus expressa gratiarum actio dicatur.

Omnipotens Deus, aeterne Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum et conservator cum Filio tuo coaeterno Domino nostro Iesu Christo et Spiritu sancto tuo, miserere mei propter Iesum Christum Filium tuum, quem mirando et inenarrabili consilio voluisti pro nobis fieri victimam; Ac simul ostendisti iram tuam adversus peccatum et immensam misericordiam tuam erga genus humanum, sanctifica, rege et iuva me Spiritu sancto tuo, rege et serva Ecclesiam tuam et politias, quae sunt hospitia Ecclesiarum.

Gratias etiam ago tibi, omnipotens Deus, aeterne Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum et conservator cum Filio tuo coae-

31a) afficiant] Editt. 22. 24. 28. 29. 31—33., Opp. 1. 2. afficiunt.

32) hoc *omittunt* Editt. 1. 3.

terno Domino nostro Iesu Christo et Spiritu sancto tuo, quod te immensa bonitate patefecisti Ecclesiae tuae, et Filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum, misisti, ut pro nobis victima fieret, et per eum nobis donaretur remissio peccatorum et vita aeterna: Et quod haec tua immensa beneficia per Evangelium et Sacramenta tua nobis impertis et Evangelii ministerium et Ecclesiam servas, nec deleri sinis. Utinam grati ardenti pectore possimus hanc tantam bonitatem tuam et ingentia beneficia considerare et celebrare. Sed te oro, ut accendas nos Spiritu sancto tuo, ut vere sint gratae mentes, et luceat in moribus nostris gratitudo etc.

Tibi etiam, Iesu Christe Fili Dei, crucifixe pro nobis et resuscitate, ago gratias, quod ingenti amore erga nos intercessisti apud aeternum Patrem pro genere humano et factus es victima pro nobis et in te derivasti iram Dei adversus nostra peccata; Accende corda nostra, ut hoc ingens beneficium tuum magis intelligamus et vera gratitudine celebremus etc.

Talem aliquam formam expressam rudiores teneant, ut se ad cogitationem harum maximarum rerum exuscitent. Nam fides alitur et accenditur cogitatione. Movetur animus, cum cogitas iustitiam Dei severam, quod non remisit peccatum sine pretio, vere igitur et horribiliter irascitur peccato. Iam quantus amor Filii est, quod intercessit pro nobis et iram in se derivavit? Quanta haec abiectio sui fuit? quod iacuit coram Deo sentiens iram eius tanquam pollutus tuis et tot turpissimorum hominum flagitiis, idolis, libidinibus et aliis probris. Quid nos superbimus? cum filius Dei in tantam humilitatem sese abiecerit. Haec in gratiarum actione cogitare utile est.

Tertius finis accedat, videlicet ut tuum exemplum prosit ad retinendam publicam congregationem. Nam si pauci uterentur Sacramento et paulatim homines abducerentur ab hoc congressu, tandem Ecclesiae prorsus obliviscerentur publicae congregationis, concionum et Sacramenti, sicut accidit in magna parte orbis terrarum, ubi soli sacrificuli legunt Missas, populus abest a templis, nec audit conciones, nec intelligit usum Sacramenti.

Est autem mandatum Dei, ut singuli suo exemplo invitent alios ad hanc publicam congregationem, ut docet praeceptum de Sabbato, quia Deus vult ministerium esse publicum, vult publice sonare vocem Evangelii, vult omnes hanc audire et discere. Promisit etiam se interfuturum his congressibus et preces exauditurum, ut Matth. 18. [vs. 20.] clare dicitur: Ubi sunt duo aut tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum. De quacunque re duo consenserint etc. fiet eis a Patre meo coelesti. Hac dulcissima promissione commendat nobis Christus publicam congregationem, vult nos amare coetus, Ecclesiam esse κοινωνικούς, odit distractiones et dissipationes.

Quartus finis est Confessio doctrinae. Cum sumis Sacramentum, ostendis te eius Ecclesiae doctrinam approbare et velle membrum esse eius coetus, cum quo manducas agnum.

Quintus finis est: Simul manducare mutuae dilectionis vinculum est. Sicut olim usitatissimum fuit in faciendis foederibus vesci iisdem rebus consecratis. Et Paulus admonet hanc communionem vinculum esse mutuae dilectionis: sicut panis est unus, ita multi sumus unum corpus. Haec de finibus ita intelligantur, ne principalis finis omittatur, neve aliquid affingatur, quod pugnet cum principali fine, et doctrinam de vero usu Sacramenti et de exercitio fidei obruat.

De tertio capite.[33])

Qui sint admittendi, ex dicto Pauli satis intelligi potest [1. Cor. 11, 29.]: Qui manducat indigne, iudicium sibi manducat. Sumunt autem indigne, ut dictum est, qui perseverant in delictis contra conscientiam seu manifestis seu arcanis, item qui non afferunt poenitentiam et fidem.

Sed ministri iudicare non possunt, nisi de manifestis delictis. Arceant ergo eos, qui polluti manifestis delictis non emendant se. Et meminerint praecepti [Matth. 7, 6.]: Nolite sanctum dare canibus.

Illud etiam ad Pastorum officium pertinet: Explorare doctrinam et fidem singulorum in populo; Et profiteri fidem et ostendere, quid sentiamus de doctrina, apud Pastores singuli debemus. Sicut Petrus praecipit, ut parati simus reddere rationem de fide nostra.

Qui vero agunt poenitentiam et serio expavescunt, hi non fugiant Sacramenti usum propter priores lapsus; Sed sciant ideo hoc tantum pignus propositum esse, ut fides de remissione peccatorum accendatur et confirmetur, et mens reconciliata Deo rursus eum invocet et serviat ei bona conscientia. Nitatur mens non propria dignitate et puritate, ut Filius prodigus rediens ad patrem non praedicat sua officia et merita, sed agnoscit, accusat et deplorat suam culpam: Ita nos nostras sordes agnoscamus et accusemus, et confugiamus ad misericordiam propter Christum promissam, cuius misericordiae pignus est haec ipsa Coena, in qua Christus nos sibi tanquam membra adiungit et testatur donari nobis remissionem peccatorum gratis, hoc

33) capite *omittunt* Editt. 6. 7. 12.

est, non propter nostram dignitatem, sed quia ipse pro nobis factus est victima. Haec cum in usu Sacramenti de invocatione pie cogitantur, ex his ipsis exercitiis fidei magis intelliguntur, quam ex longis disputationibus; Et collatio facile discernit abusus.

De quarto capite.[34])

Contra huius Sacramenti pium usum, de quo dixi, pervaserunt in Ecclesiam horrendae profanationes, quas taxari et vitari necesse est, iuxta illud [1. Cor. 10, 14.]: Fugite idola. Ac primum teneatur regula perspicua et firma: Ceremonia non habet rationem Sacramenti, id est, non est signum gratiae Deo placens, cum aliquid instituitur extra et praeter verbum Dei, aut cum transformatur ceremonia in opus genere diversum, id est, cum[35]) alius finis constituitur, quam qui a Deo propositus est, ut si quis aquam Baptismi circumferret spectandam et doceret in ea inclusum esse Spiritum sanctum, aut si quis Baptismo uteretur ad sanandam lepram. Ita nunc Iudaica et Turcica circumcisio nullam habet rationem Sacramenti, hoc est, non placet Deo, sed est spectaculum impium et damnatum a Deo, fit enim contra verbum Dei.

Ex hoc exemplo multi manifesti abusus Coenae Domini iudicari possunt. Spectaculum, in quo panis circumfertur, certe non est manducatio. Dixit autem Christus [Matth. 26, 26.]: Accipite, manducate. Nihil ad Sacramenti rationem quadrat, partem auferre et alligare ibi Christum prorsus sine ullo verbo divino. Sic transformatur ceremonia in opus genere diversum, cum dicunt se offerre filium Dei pro vivis et mortuis et mereri eis remissionem peccatorum. Longius etiam disceditur ab institutione, cum confertur ad bona corporis impetranda, ad victoriam, ad felicitatem in mercatu, ad depellendum morbum. Cum sic offert Sacrificulus, ut aliis haec bona impetret, res aliena ab institutione agitur. Alienissima vero est, cum Sacrificuli ignari, quid agant, tantum sui ventris caussa hanc oblationem (ut vocant) faciunt.

Etsi autem scio pertinacissime defendi hos abusus et excusari praestigiis astute cogitatis et variis fucis pingi; tamen pii pios hortentur, ut hanc horrendam profanationem fugiant, iuxta illud, Fugite idola, et discant pium usum Sacramenti. Ut autem semper publicae calamitates, regnorum ruinae, bella, vastationes, seditiones, furores principum, fames, pestilentiae, fuerunt poenae horum scelerum, praecipue cultus idolorum, iniustarum caedium et libidinum; ita arbitror grassari arma Turcica, praecipue propter idola in Ecclesiam invecta, profanationes Missarum, invocationes mortuorum et propter vagas libidines. Oremus igitur filium Dei, ut errores corrigat et poenas mitiget.

Nec vero opus est longa disputatione in re manifesta. Ut olim Pharisaici sacerdotes fingebant se mereri remissionem peccatorum suis mactationibus; ita finxerunt Monachi et sacrificuli sua oblatione mereri se[36]) remissionem peccatorum sibi et aliis, vivis et mortuis. In hoc errore multae falsae et[37]) perniciosae persuasiones continentur, videlicet quod una Christi passio non satisfecerit pro universa Ecclesia, deinde quod homines consequantur reconciliationem propter illud opus sacrificuli, non fiducia misericordiae promissae propter filium Dei pro nobis crucifixum. Et sequuntur alii errores plures.

Opponenda est igitur his furoribus doctrina vera de merito passionis Christi, de quo dicitur Cap. 10. [vs. 14.] ad Hebraeos: Una oblatione consummavit sanctos. Sola igitur Christi mors fuit sacrificium pro omnibus nostris peccatis, non alia opera Levitica aut postea secuta.

Deinde manifestum et[38]) hoc est, remissionem peccatorum fide nos propter Christum, non propter ullum opus nostrum aut sacrificuli accipere, iuxta sententiam notissimam et firmissimam: Iustus sua fide vivit.[39]) Ex his facile ab omnibus piis diiudicari possunt horrendi abusus, quos sacrificuli, qui coenam Domini in quaestum conferunt, defendunt.

Postremo unde ortum est, quod dicunt se filium Dei offerre? Magna res est offerre, videlicet agnoscere iram Dei[40]) adversus peccata generis humani, et huic irae sese subiicere, et Mediatorem esse inter Deum et genus humanum, et ingredi in sanctum sanctorum ad Deum. Ideo ad Hebraeos Cap. 9. [vs. 12.] dicitur: Per proprium sanguinem intravit semel in sancta sanctorum, aeternam redemptionem inveniens. Item: Qui Spiritu aeterno se ipsum obtulit inculpatum Deo. Sese obtulit Christus: nostrum est agnoscere illam ab ipso factam oblationem et credere per eam nobis placatum esse aeternum Patrem et pro ea gratias agere. Haec considerent pii et vera testimonia veteris Ecclesiae

34) capite *omittunt* Editt. 6. 7. 12.

35) cum *omittunt* Editt. 1—4. 6. 7. 9. 12.

36) se *omittunt* Editt. 1. 3.

37) et *omittunt* Editt. 1. 3.

38) et *omittunt* Editt. 1. 3.

39) vivit.] Editt. 21. 22. 24. 28 — 34., Corp. 2 — 8., Opp. 1. 2. vivet.

40) iram Dei] Editt. 1. 3. Dei iram

inquirant. Scio multos multa futilia testimonia recentium congerere. Sed diligentia est piis necessaria, discernere notha ac adulterina testimonia a veris. Retineatur ergo mos Apostolicus, qui annos circiter trecentos in Ecclesia inde usque ab Apostolis mansit, recitentur piae lectiones, erudiatur populus salutari concione, fiant precationes, deinde recitentur verba Christi de Coena, et Sacramentum distribuatur aliquot piis exploratis petentibus, deinde dicatur gratiarum actio. Nec fiant privatae singulorum oblationes.

Et quia haec caussa postulat explicationem ostendentem, quae res sit sacrificium, et an sit una appellationis ratio, adiiciam hanc declarationem, ut ego quidem existimo, necessariam.

DE SACRIFICIO.[41]

Etsi autem puerile videtur vocabula Sacramenti et Sacrificii discernere, tamen res postulat, ut in ceremoniis discrimen observetur et diversi fines. Aliae sunt signa et notae promissionum, in quibus Deus nobis aliquid exhibet: Aliae vero ceremoniae non sunt proprie signa promissionum, sed opera, quae nos Deo reddimus.

Haec in ceremoniis discrimina necesse est observare, quibuscunque tandem vocabulis utamur. Et quoniam haec vocabula Sacramenti et Sacrificii in usu sunt, nos quoque ea retinebimus. Est itaque Sacramentum ceremonia, quae est signum promissionis, per quod Deus aliquid nobis promittit aut exhibet. Circumcisio erat signum, quo pollicebatur Deus se recipere circumcisos. Baptismus signum est, quod Deus nobiscum agit et recipit nos in gratiam et quasi baptizat nos ipse; Nam minister baptizat vice Christi. Sacrificium est ceremonia vel opus nostrum, quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus, hoc est, testamur nos agnoscere hunc ipsum, cui hanc obedientiam praestamus, vere esse Deum, ideoque nos ei hanc obedientiam praestare.

Sunt autem Sacrificii species proximae duae, nec sunt plures Quoddam est Sacrificium propitiatorium, videlicet opus, quod meretur aliis remissionem culpae et poenae aeternae seu opus reconcilians Deum et placans iram Dei pro aliis et satisfactorium pro culpa et poena aeterna. Altera species est Sacrificium *εὐχαριστικὸν*, quod non meretur remissionem peccatorum aut reconciliationem, sed fit a reconciliatis, ut pro accepta remissione peccatorum et pro aliis beneficiis Deo gratias agamus seu gratiam referamus hac nostra obedientia. Haec distinctio satis clare probari potest ex Epistola ad Hebraeos; Haec enim docet tantum unum in mundo Propitiatorium Sacrificium fuisse. Relinquitur igitur, cetera omnia esse opera, in quibus reconciliati obedientiam declarare debuerint.

Porro in has duas species, quas dixi, distribui possunt omnia Levitica sacrificia tanquam in sua domicilia. Dicebantur enim quaedam in lege Propitiatoria sacrificia propter significationem seu similitudinem, non quod mererentur remissionem peccatorum coram Deo, sed quia significabant futurum CHRISTI sacrificium. Ceterum ibi merebantur remissionem peccatorum in externa conversatione, hoc est, ne illi excluderentur ex politia Moysi. Dicebantur itaque Propitiatoria pro peccato, pro delicto, Holocaustum. Illa vero erant *εὐχαριστικά*, Oblatio, Libatio, Retributiones, Primitiae, Decimae.

Sed revera unicum tantum in mundo fuit Propitiatorium sacrificium, videlicet passio seu mors Christi, ut docet Epistola ad Hebraeos [10, 4.]: Impossibile est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Et paulo post [vs. 10.] de voluntate Christi: In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Christi semel etc.

Nam et[42]) Christus ipse suum Sacrificium pro nobis applicat, cum pro nobis orat. Ioan. 17. [vs. 20.] Pro eis sanctifico me ipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate; non pro eis autem rogo tantum, sed et pro iis, qui credituri sunt per verbum eorum in me. Ecce haec sunt nostri Pontificis ac Sacerdotis verba, quibus se pro tota Ecclesia offert ac pro ea orat, quae semper in conspectu et in animo habere debemus. Iesaias etiam interpretatur Legem, ut sciamus mortem CHRISTI vere esse satisfactionem pro peccatis nostris seu expiationem, non ceremonias Legis. Quare inquit Capite 53. [vs. 10.] Postquam dederit animam suam hostiam pro delictis, videbit semen longaevum etc., quasi dicat: Alia hostia restat, quae vere tollet peccatum et mortem. Ergo istae usitate ceremoniae non tollunt peccatum et mortem. Paulus hanc sententiam reddidit, cum inquit: Factus est maledictum. Item: De peccato damnavit peccatum, id est, peccatum punivit et delevit per hostiam pro peccato. Ipsam enim hostiam Hebraei peccatum seu delictum vocant, sicut Latini piaculum. Teneamus igitur hoc, fuisse unicum tantum in mundo sacrificium Propitiatorium. Nam illa, quae in Lege dicebantur Propitiatoria, ut dixi, propter similitudinem sic vocabantur, ideoque abolita sunt, postquam Christus apparuit. Porro cum Evangelium ideo promissum sit, ut exhiberet veram propitiationem, necesse est ceremonias Levi-

41) *Hanc inscriptionem omittunt* Editt. 1—4. 6. 7. 9.

42) et] Editt. 18. 20. 22. 24. 28. 29. 31—33., Opp. 1. 2. ut

ticas non fuisse veras propitiationes, quia cessaverunt revelato Evangelio.

DE EUCHARISTICO SACRIFICIO.

Nunc reliqua sunt Sacrificia Eucharistica, quae vocantur Sacrificia laudis, praedicatio Evangelii, Fides, Invocatio, Gratiarum actio, Confessio, Afflictiones sanctorum, imo omnia bona opera sanctorum. Haec Sacrificia non sunt satisfactiones pro facientibus vel applicabiles pro aliis, ut mereantur eis ex opere operato remissionem peccatorum seu reconciliationem. Itaque praeter unum sacrificium propitiatorium, scilicet mortem Christi, cetera sacrificia in novo Testamento tantum sunt εὐχαριστικά, sicut docet Petrus 1. cap.[43]) 2. [vs. 5.] Sacerdotium sanctum, ut offeratis hostias spirituales. Opponuntur autem hostiae spirituales non tantum pecudibus, sed etiam humanis operibus ex opere operato oblatis, hoc est, sine fide et bono motu cordis, quia spirituale significat motus Spiritus sancti in nobis. De his Sacrificiis loquitur et Epistola ad Hebraeos cap. 13. [vs. 15.] Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo. Et addit interpretationem: Fructum labiorum confitentium nomini eius, id est, Invocationem, Gratiarum actionem, Confessionem et similia. Haec valent non ex opere operato, sed propter fidem. Id monet particula, Per ipsum offeramus, hoc est, fide in Christum. Est autem insignis consolatio Christianae mentis, scire, quod omnia bona opera et omnes afflictiones sint Sacrificia, id est, opera Deo placentia, et quibus Deus sibi honorem haberi pronuntiat.

Et de hoc genere sacrificiorum plurimae extant sententiae in Psalmis et Prophetis. Ut Psal. 49. [vs. 14.] Immola Deo sacrificium laudis; Invoca me in die tribulationis etc. Item Psal. 50. [vs. 19.] Sacrificium Deo spiritus tribulatus etc.

Secundo sciendum est, cultum in novo Testamento spiritualem esse, hoc est, esse iustitiam fidei et fructus fidei; quia novum Testamentum affert iustitiam et vitam spiritualem et aeternam, iuxta illud [Ierem. 31, 33.]: Dabo Legem meam in corda eorum. Et Christus ait [Ioh. 4, 23.]: Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate, hoc est, vero cordis affectu. Ideoque sunt abrogati Levitici cultus, quia debent succedere cultus spirituales mentis et horum fructus et signa.

Ex his sequitur nullum esse sacrificium aut cultum novi Testamenti, qui ex opere operato mereatur facienti vel aliis remissionem peccatorum. Repugnat enim sententia: Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate etc. Imo Pharisaica persuasio est, quod aliquis cultus mereatur remissionem peccatorum ex opere operato. Cumque hac persuasione Iudaei suos cultus cumularent, ut videlicet multa mererentur, gratiam et reliqua beneficia, propter cumulata sacrificia, Prophetae acerrime reclamabant.[44]) Damnat hanc persuasionem Psalmus 49. [50.] qui repudiatis victimis requirit invocationem [vs. 13.]: Numquid manducabo, inquit, carnes taurorum etc. Et Ies. 1. [vs. 11.] Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? Et Ierem. 7. [vss. 22 sq.] Non sum locutus cum patribus vestris, et non praecepi eis de holocaustis et victimis. At constat, Legem praecipere de sacrificiis. Verum Propheta damnat persuasionem de opere operato. Talia sacrificia non requirit Deus. Prorsus in Ecclesia simili opinione cumulatae sunt missae, quia sint sacrificia, quae Deo placeant ex opere operato, et mereantur facienti et aliis remissionem peccatorum. Docuerunt enim per Missam fieri applicationem sacrificii Christi. At unusquisque propria fide applicat sibi sacrificium Christi, et quidem gratis, id est, non propter alienum opus.

Ceterum unius operis possunt esse plures fines. Coena Domini utimur tanquam Sacramento, quatenus est testimonium, quo erigitur fides. Deinde[45]) haec ipsa fides cum externo opere est quoddam sacrificium, quia Deus pronuntiat hanc fidem, et talia exercitia in novo Testamento esse sacrificia laudis, et esse cultus. Ita haec ipsa obedientia spiritualis fit quoddam sacrificium, quo tribuitur Deo honos, quem requirit et approbat. Deinde cum hac fide necessario coniuncta est gratiarum actio pro illo summo beneficio et nobis et universae Ecclesiae collato, unde et nomen est εὐχαριστίας. Praeterea idem opus et confessio est; Nam ostendimus, nos credere Evangelio et invitamus nostro exemplo alios. Haec omnia sunt sacrificia εὐχαριστικά. Ideo veteres hanc ceremoniam appellarunt Sacrificium.

Quod autem disputant nonnulli, de natura cuiuslibet sacrificii esse, ut pro aliis applicetur, falsum est. Nam afflictiones nostrae sunt sacrificia, et tamen non sunt applicandae pro aliis, iuxta illud [1. Cor. 3, 8.]: Unusquisque mercedem accipiet iuxta suum laborem. Item: Probet unusquisque suum opus, et sic gloriam habebit in se ipso. Item [Habac. 2, 4.]: Iustus fide sua vivet. Probat item parabola de fatuis virginibus etc. Praeterea cum opera nostra sint cultus, qui debentur a no-

---

43) cap.] Editt. 1—14. 19. Pet. (Ed. 1. Petri)

44) reclamabant.] Editt. 1. 3. reclamant.

45) Deinde] Editt. 18. 20. 22. 24. 28 — 34., Corp. 1 — 8., Opp. 1. 2. Denique

his ipsis, sicut Paulus inquit [Rom. 8, 12.] Debitores sumus; Item [1. Cor. 9, 16.] Vae mihi, si non evangelizo: Deinde cum per sese sint insufficientia et habeant opus fide, quae petit, ne imputetur nobis infirmitas nostra; — qualis erit arrogantia, si talia opera ducemus esse non solum pretia pro nobis, sed etiam pro aliis, cum dicat Christus [Luc. 17, 10.]: Cum feceritis omnia, dicite, servi inutiles sumus. Item Psal. 49. [vss. 14 sq.] Sacrificium vocat invocationem in tribulatione. Item. Gratiarum actionem. Porro id opus, cum gratias agimus, non est opus, quod nos ipsi pro aliis applicare possumus, ut eis propter operis dignitatem prosit. Est igitur falsa persuasio, de natura cuiuslibet sacrificii esse, ut applicetur pro aliis. Tantum enim propitiatorium sacrificium Christi fuit applicandum pro aliis. Cetera sacrificia nostra, quae sunt εὐχαριστικά, ita prosunt facientibus, sicut quodlibet proprium bonum opus facienti prodest, nec sunt applicanda, ut mereantur aliis remissionem peccatorum etc.

Ceterum oratio pro aliis aliter se habet, quam natura operum. Non enim offert Deo opus aliquod, quod sit pretium pro aliis, sed tantum cupit accipere a Deo. Promisit autem Deus, se daturum et nobis et aliis, pro quibus petimus. Haec facile discerni possunt. In oratione non opponimus, neque offerimus Deo nostrum aliquod opus ac pretium pro aliis, sed tantum accipere volumus a Deo, et quidem propter Mediatorem Christum, sicut scriptum est [Ioh. 14, 13.]: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Aliud est fide agere cum Deo, non propter nostrum aliquod opus: Aliud est Deo opponere alicuius certi operis meritum, et quidem pro aliis. Quare applicatio operum nostrorum pro aliis, praesertim pro remissione peccatorum, nequaquam concedenda est, quia scriptum est: Iustus sua fide vivet.

Praeterea de Operibus illud sciendum est: sicut propter aliquorum peccata plectuntur alii, ita et paucorum iustitia impetrat multa bona aliis. Utriusque sententiae multa sunt testimonia in scripturis et exempla. Ut Ierem. 49. [vs. 12.] Ecce quibus non erat iudicium, ut biberent calicem, bibentes bibent. De beneficiis publicis et privatis inquit Iesaias cap. 33. [vss. 15—17.] Qui ambulat in iustitia et loquitur veritatem, qui proiicit avaritiam et iniurias et excutit manus suas ab omni munere; Qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos, ne videat malum; iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius, panis ei dabitur, aquae eius non deficient, Regem in decore suo videbunt oculi eius, et prolatos fines terrae. Hic inter cetera praemia promittit publicum statum tranquilliorem, id est, commune beneficium ad multos pertinens. Sunt et exempla. Propter peccatum Davidis plectebatur populus; Propter paucos iustos voluit Deus parcere Sodomis; Propter Naaman benefecit Syriae. Discamus ergo poenas et praemia late patere, ut ad bene operandum excitemur.

Sed tamen in talibus locis haec duo meminisse oportet: Primum quod hi loci non pertineant ad Iustificationem, hoc est, iniustis non prosunt aliena opera sanctorum ad iustificationem, sed iustis impetrant multa communia bona, quia sumus membra unius corporis. Alterum est, quod non est nostrum applicare aliis nostra merita, quia haec esset fiducia quaedam nostri operis. Sed Deo debemus permittere, quae praemia communia vel peculiaria nobis daturus sit. Oratio autem applicatur pro aliis, quia nititur non dignitate propria, sed gratuita Christi promissione. Ex his facile iudicari potest, quid sit de applicatione sentiendum. Quod enim ad Iustificationem attinet,[46]) nulla est applicatio sine fide propria. Fides autem instrumentis utitur, verbo et Sacramentis, quae testantur ad nos pertinere beneficium Christi, nec pendet hoc beneficium ex dignitate alieni operis humani. Haec satis sit de Missa verecunde dixisse.

DE POENITENTIA.

Cum Christo narrassent quidam crudele facinus Pilati, qui aliquot Galilaeos interfecerat et ceteros coëgerat in sacrificiis interfectorum sanguinem bibere; Respondens Christus non accusat nominatim Pilatum, sed potius suos auditores commonefacit, ac testatur ipsos quoque reos esse, eosque ad poenitentiam hortatur inquiens [Luc. 13, 3.]: Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Ita sciamus, omnes mundi calamitates nobis omnibus esse conciones poenitentiae.

Manent in hac vita etiam in Sanctis multa peccata, quae assidua poenitentia agnoscenda et deploranda sunt. Deinde sunt alii, qui habent lapsus contra conscientiam et sunt extra gratiam Dei, qui, nisi in hac vita convertantur ad Deum, ruent in aeternas poenas et erunt aeterni hostes Dei. Ideo praecipua vox Dei est in Ecclesia: Agite poenitentiam et credite Evangelio, ut aliqui liberentur ab aeterno exitio. Haec fuit prima concio in Paradiso, cum Deus obiurgat primos parentes post lapsum et addit absolutionem edita arcana promissione de venturo Liberatore.[47]) Ita postea semper in Ecclesia Patres, Prophetae, Christus, Apostoli

46) attinet,] Editt. 21. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. pertinet

47) de venturo Liberatore] Ed. 22. de venturo Liberatione *(errore typ.; sed inde:)* Editt. 24. 28 — 34., Opp. 1. 2. de ventura Liberatione

et omnes fideles ministri vocis divinae haec duo genera doctrinae complexi sunt, declaraverunt iram Dei adversus peccatum, ostenderunt genus humanum tot ingentibus calamitatibus subiectum esse propter peccatum et venturas aeternas poenas omnibus, qui non converterentur ad Deum. Deinde et remissionem proposuerunt conterritis et fide amplectentibus filium Dei et inchoantibus obedientiam iuxta verbum Dei.

Ut igitur nos ipsi excitemus ad poenitentiam, discamus integram doctrinam de hoc articulo et eam assidue meditemur: Colligamus omnia testimonia irae Dei adversus peccatum, privatas et publicas calamitates omnium temporum, comminationem aeternarum poenarum, denique et mortem Filii Dei. Nam haec est omnium maxime illustre testimonium irae Dei adversus peccatum. Non existimemus eam otiosum spectaculum esse. Necesse est seriam, ingentem et inenarrabilem esse iram Dei adversus peccata, cum non potuerit placari, nisi filius intercessisset et factus esset victima pro nobis. Hoc testimonium si vere intelligeret genus humanum, subito terrore omnes extinguerentur, et tamen interim mundus profana securitate haec omnia testimonia contemnit.

Sed nos excutiamus hanc securitatem, et his terribilibus operibus Dei moveamur, et rursus magnitudinem misericordiae consideremus, quod Deus noluit totum genus humanum perire, quod se patefecit nobis, ut agnoscatur et invocetur, quod dedit Filium pro nobis, ut sit Emanuel, id est, nobiscum Deus, et inter nos Adiutor noster et Salvator noster, quod dedit promissionem gratiae et vitae aeternae, quod donat Spiritum sanctum gubernatorem petentibus. Haec omnia considerantes duritiem nostram agnoscere et deplorare debemus ac petere, ut Deus nos ad se convertat, qui certo promisit, se daturum Spiritum sanctum petentibus, et mandat, ut credamus nos recipi propter Filium, ut infra dicemus.

Haec praefatus sum, ut ad assiduam huius articuli cogitationem nos ipsos excitemus. Nunc de nomine dicam. Nolo rixari de vocabulo. Voco Poenitentiam, ut in Ecclesia loquimur, conversionem ad Deum, et huius conversionis partes seu diversos motus docendi caussa discerno. Dico partes esse Contritionem et Fidem. Has necessario sequi debet nova obedientia, quam si quis vult nominare tertiam partem, non repugno. Non moveamus rixas de verbis, sed vigilantes simus in tuendis rebus, quae sunt Ecclesiae necessariae et refutandis erroribus, qui verae doctrinae caliginem inducunt.

Sed ante explicationem partium breviter refutandi sunt duo errores fanaticorum hominum, qui finxerunt renatos non posse labi et, quamvis labuntur contra conscientiam, tamen iustos esse. Haec amentia damnanda est, et opponenda exempla et dicta scripturae Propheticae et Apostolicae, ut Saul et David placuerunt Deo, fuerunt iusti et donati Spiritu sancto, tamen postea lapsi sunt, ita ut alter prorsus perierit, alter rursus ad Deum conversus sit. Dicta multa sunt. Matth. 12. [vs. 44.] Cum immundus spiritus egressus fuerit ab homine, vadit per loca deserta et inquit: revertar, et invenit domum otiosam, et fiunt posteriora hominis peiora prioribus.

Similis est concio tristissima 2. Petr. 2. [vs. 20.] Qui, cum effugissent inquinamenta mundi per agnitionem Domini, rursus intricantur, his fiunt posteriora deteriora prioribus. Et 1. Cor. 10. [vs. 12.] Qui videtur stare, videat ne cadat. Et Apoc. 2. [vs. 5.] Memor esto, unde lapsus sis, et poenitentiam age et facito priora opera.

Haec et similia dicta de renatis testantur posse eos labi, et lapsos contra conscientiam non placere Deo, nisi rursus convertantur. Quare non ita blandiamur nobis ipsis, ut securi imbecillitatem nostram non regamus et lapsus negligamus, sed simus vigilantes et intenti, repugnemus nostrae infirmitati et acerrima cura caveamus insidias Diaboli, sicut Petrus [1. ep. 5, 8.] monet: Adversarius vester Diabolus tanquam Leo rugiens circumit, quaerens quem devoret, cui resistite fortes in fide.

Econtra non confirmemus desperationem, quae odium adversus Deum gignit. Sicut Novatiani et *Καθαροὶ* fecerunt, qui negarunt lapsos post Baptismum iterum consequi remissionem peccatorum. Ac mirum est hunc crassum et venenatum errorem vetustissimis temporibus in illo Ecclesiae flore tam late grassatum esse.

Narrat Epiphanius, Alexandriae, cum Petrus Episcopus, quem postea Tyrannus Maximinus interfecit praeesset, fuisse quendam Meletium, qui, quamlibet reclamante Petro, sparsit hoc delirium, negandam esse veniam lapsis; et addit tanta in admiratione hanc hypocrisin fuisse, ut magna pars populi in Aegypto et Syria hunc Meletium secuta sit, contempta Petri sententia. Estque memorabile, quod narrat Petrum in defensione veritatis citasse et scripturas et exempla superioris temporis tradita ab Apostolis et eorum discipulis. Extat adhuc exemplum in Ioannis Apostoli historia apud Eusebium lib. 3. pag. 60.[48]) de Adolescente lapso, quem Ioannes revocat ex sodalitio latronum. Porro satis apparet delirium Catharorum ortum esse ex in-

---

48) Pag. 60.] scil. Editionis supra p. 620 sq. nota 51. descriptae Historiae eccles. Eusebii a Ruffino translatae, in qua hic locus inscriptus est: Capitulum 17.; in Schwegleri Ed. textus graeci legitur cap. 23., §. 6—19.

scitia doctrinae de Iustitia fidei. Nam postquam finxerunt hypocritae homines propria dignitate iustos esse et sine peccato esse, affinxerunt amissa hac puritate non superesse spem veniae.

Opponamus autem ex scripturis testimonia. David, Manasse, Petrus post lapsus horrendos iterum consecuti sunt remissionem peccatorum. Lapsa fuit et Galatarum Ecclesia, et a Paulo revocatur ad poenitentiam. Item Paulus ipse Corinthium incestum iubet recipi post poenitentiam 2. Cor. 2. [vss. 6—8.].

Addamus et dicta scripturae. Ezech. 33. [vs. 11.] Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, Et sunt similes aliae conciones apud Prophetas, ut Ies. 1. Haec autem Ezechielis est memorabilior, quod iusiurandum additur, Vivo ego, ut conscientiae eo magis erigantur, cum audiunt non solum promissionem, sed etiam confirmatam iureiurando. Hanc igitur consolationem infigamus animis, et cogitemus, quanta vis sit amoris divini erga nos, quam ardenter desideret nostram salutem, sicut vere dicitur in Tobia [3, 22.]: Non delectaris, Deus, perditione nostri. Et hac cogitatione nos ad poenitentiam et veram invocationem excitemus.

Nec valet hoc loco cavillatio, quod vetus Testamentum habuerit beneficium de convertendis lapsis, in Novo dissimile esse. Nam concio Ezechielis ad universam Ecclesiam omnium temporum pertinet, et eadem semper est Ecclesia omnium temporum et idem Evangelium.

Sed sumamus probationes ex novo Testamento. Christus inquit Matth. 18. [vs. 15.] Si peccavit in te frater tuus, corripe eum, si audierit te, lucratus es fratrem. Cum dicat, lucraberis fratrem, clare pronuntiat se de his loqui, quibus illa emendatio prodest. Et quod de fratribus loquatur, hoc est, lapsis post iustificationem, id quoque testatur, quod tunc demum vult eiici eum ex Ecclesia, cum non auscultat; Loquitur ergo de his, qui antea fuerunt in Ecclesia. Et deinde cum Petrus [Matth. 18, 21.] interrogat: Quoties dimittam? Christus respondet: Septuagies septies. Ergo lapsi post iustificationem possunt veniam consequi. Nam cum iubet Ecclesiam remittere, vult et ipse remittere petenti et credenti. Ideo supra dixit: Lucraberis fratrem.

Scio disputari a quibusdam, utrum hic locus de Reconciliatione fraterna, an vero de Ministerio publico, quod Remissionem divinam annuntiat, loquatur; Sed valet argumentum adversus Novatianos, etiamsi textus tantum ad fraternam reconciliationem accommodetur. [49]) Dicit enim: Lucraberis fratrem. [Matth. 18, 18.] Quicquid solveritis super terram, erit solutum et [50]) in coelis. Ceterum et haec ipsa verba testantur hunc locum de ministerio concionari. Voluit enim Christus instituere Ecclesiae disciplinam et labentium correctionem et aiunt hunc morem fuisse vetus Synagogae institutum. Voluit item Christus discernere correctionem Ecclesiae propriam a politica, vult praecedere admonitionem, ut primum saluti hominis consulatur. [51]) Politia [52]) est iracundior, properat ad poenam, nec prius de salute hominis deliberat. Deinde constituit Christus poenae modum, vult eiici contumacem [53]) extra Ecclesiam, nec addit politicas poenas, sed has relinquit Magistratibus.

Sed redeo ad testimonia. Ad Gal. 6. [vs. 1.] dicitur: Si praeoccupatus fuerit homo aliquo peccato, vos, qui spirituales estis, corrigite eum spiritu lenitatis. Hic praecipit revocari lapsos ad poenitentiam. Apoc. 2. [vs. 5.] Memor esto, unde lapsus sis, et poenitentiam age et facito priora opera. Luc. 15. [vs. 7.] Gaudium est Angelis super uno peccatore poenitentiam agente. Et in ea concione loquitur Christus de poenitentia filii perditi, id est, de talibus, qui antea fuerant pii.

Sed Novatiani duos locos ex Epistola ad Hebraeos obiiciunt. Hebr. 6. [vs. 4.] Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, revocari [54]) ad poenitentiam etc. Quamlibet durus videtur hic locus, tamen, si conscientia communita est veris testimoniis supra citatis, non potest hoc loco perturbari. Sed postquam ex superioribus testimoniis certo constat, lapsis non negandam esse veniam, facile potest iudicari, non posse hic retineri τὸ ῥητὸν, sed addendam esse commodam interpretationem. Alii aliter mitigant hunc locum, ut fit in obscuris et ambiguis, Graece non sonat usque adeo incommode. Ait enim: Non est possibile renovari eos, qui Christum crucifigunt et ludibrio habent. Hoc simplicissime intelligo in hanc sententiam: Tales non possunt renovari, qui non auscultant amplius Evangelio, sed contemnunt, nec illa initia pietatis, de quibus dixit, retinere student, scilicet Baptismi et poenitentiae doctrinam. Haec est, ut mihi quidem videtur, germana eius loci sententia et nihil habet incommodi, tantisper non possunt renovari, dum non auscultant Evangelio, sed crucifigunt Christum et ludibrio habent.

---

49) accomodetur.] Editt. 1—7. 9. 12. accommodaretur.

50) solutum et] Editt. 22. 24. 28 — 34., Corp. 2 — 8., Opp. 1. 2. et solutum

51) consulatur] Editt. 22. 24. typ. errore: consolatur

52) Politia] Editt. 1. 3. Politica

53) contumacem] Editt. 26. 27., Corp. 1—8. contumaciam

54) revocari] Corp. 2—8. renovari

Fatendum est etiam esse aliquod irremissibile peccatum, quia id expresse affirmat Christus. Ad id accommodetur et hic locus Epistolae ad Hebraeos. Sed hic aliqui obiiciunt, fieri incertam remissionem, si aliquod irremissibile delictum sit. Semper enim angitur animus disputans, se fortasse habere tale peccatum, et exercuit haec quaestio multos, sed piis plana et facilis est explicatio.

Est aliquod irremissibile, sed quod sit, tantum a posteriori iudicandum est, id est, illis tribuendum est, qui ad extremum perseverant in suis furoribus adversus Deum, in Epicureo contemptu aut odio Pharisaico aut desperatione, ut Neroni, Pharaoni, Sauli, Iudae et similibus, nec aliter nisi hoc modo de peccato irremissibili a posteriore iudicandum est; quia nos in nostris cordibus, antequam illud iudicium patefactum est, debemus semper retinere haec tria: Promissionem gratiae, Mandatum, quod iubet credere Filio, et Mandatum solvendi Ecclesiae traditum [Matth. 18, 18.]: Quicquid solveris[54a]) super terram etc. Promissio his verbis dulcissimis[55]) illustrata est a Paulo [Rom. 5, 20.]: Gratia exuberat supra delictum. Summa blasphemia est, Christum infra peccatum abiicere et diminuere eius meritum. Deinde mandatum aeternum et immutabile ac longe supra Legem est, credere Christo. Et haec sunt universalia, promissio et mandatum, ut dicitur [Matth. 11, 28.]: Venite ad me omnes. In hanc universalem se quisque includat.

Postquam praemunitus est animus et scit mandatum Dei esse, ut credamus nobis omnia peccata remitti, deinde discat, non esse de peccato irremissibili iudicandum, nisi a posteriore, videlicet postquam iudicium Dei declaratum est. Pharao, Iudas habuerunt tale peccatum, quia res ostendit eos non rediisse ad Deum. Ideo satis commode dixit Augustinus, Blasphemiam esse finalem impoenitentiam seu desperationem, quia haec peccata extreme pugnant cum Gratia. Nam cetera peccata, cum ad gratiam confugimus, remittuntur. Contemptus vero Epicureus aut desperatio repudiat Gratiam. Ideo sic interpretatur dictum Christi [Matth. 12, 32.], Qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum, id est, qui verbum praedicatum et[56]) confirmatum testimoniis Spiritus pertinaciter ad extremum repudiat, is habet irremissibile peccatum. Haec sententia Augustini satis commoda est.

Non enim omnis lapsus post agnitam veritatem iudicari debet peccatum irremissibile, sicut Novatiani contenderunt. Supra enim recitavimus exempla et testimonia, quae docent tales lapsus condonari posse, nec omnis persecutio Evangelii iudicari debet peccatum irremissibile, quia Manasses, Nabuchodonosor, Paulus, Iustinus, Augustinus, denique innumerabiles persecutores sanati sunt, sicut et Petrus dicit [Act. 4, 10.]: Quem vos crucifixistis. Sed quorundam singularis est furor, qui veritatem agnoverunt et admoniti ac convicti contra conscientiam sine fide tamen damnant veras sententias et exercent aut confirmant saevitiam. De talibus dicitur Rom. 11. [vs. 8.] Reliqui indurati sunt, dedit eis spiritum exacerbatum, oculos, ne videant, et aures, ut non audiant.[57]) Hoc dicto et similibus describuntur perseverantes in Evangelii persecutione, qui caecitate puniuntur, postquam saepe admoniti non redeunt ad Deum. Talis fuit furor Anabaptistarum Monasterii.

Quare talibus dictis et exemplis admoniti caveamus, ne pertinaciter propugnemus errores. Labi et errare commune est omnibus hominibus, sed pertinacia, quae gignit sophisticos praetextus sine fine, peccatum maius et multiplex est, ex quo non multi eluctantur. Ideo et Paulus inquit [Tit. 3, 10.]: Haereticum hominem post unam atque alteram admonitionem vitabis, quia proprio iudicio damnatus est, id est, sua pertinacia declarat se implicitum esse laqueis Diaboli.

Ceterum nobis semper in conspectu sit haec doctrina, debere nos obtemperare mandato et promissioni Evangelii. Aeternum et immutabile mandatum est, quod praecipit agere poenitentiam, item audire Filium et credere nos propter Filium Dei recipi. Tenendum est et Pauli dictum [Rom. 5, 20.]: Gratia exuberat supra peccatum.

Iuxta haec mandata iudicare nos debemus et eis obtemperare, quod cum facimus, certum est nos non habere peccatum irremissibile.

Citatur et altera sententia ex Epistola ad Hebraeos [10, 26.]: Voluntarie peccantibus post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia, sed terribilis expectatio iudicii. Si dextre volumus iudicare, hic locus non negat lapsos posse resurgere, sed facit immediatam collationem beneficii Christi et poenarum in hanc sententiam. Haec duo extrema sunt et immediata: Retinens beneficium Christi salvatur, non retinens ruit in exitium. Hic non negat lapsos posse ad beneficium Christi redire, sed excludit alias hostias et nova Sacrificia. In Lege erant crebrae expiationes immunditiarum, et Pharisaei docebant eas mereri remissionem peccatorum. Ita postea in Ecclesia multi finxerunt satisfactiones et Missas, nec solum falsi cultus excogitati sunt, sed etiam persuasio de illa expiatione per talia Sacrificia aluit

54a) solveris] Corp. 2. 4. solveritis

55) dulcissimis] Ed. 18. dulcis., Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. dulcissime

56) et] Editt. 21. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. aut

57) et aures, ut non audiant.] Editt. 1—14. 19. dorsum eorum semper incurva.

securitatem et indulgentiam. Has Pharisaicas imaginationes gravissime taxat Epistola ad Hebraeos. Vult certe retineri beneficium Christi, sicut postea dicit: Non vult conculcari sanguinem Christi, nec contumelia affici Spiritum gratiae. Hae gravissimae adhortationes iubent cavere, ne amittamus beneficium Christi, Neque tamen interim vetant lapsos ad Christum redire. Haec est simplex et germana sententia.

DE CONTRITIONE.

Etsi nulla Creatura magnitudinem irae Dei adversus peccatum satis intelligere potest, ac ne posset quidem sensum irae Dei perferre, sicut dicitur Deut. 4. [vs. 24.] Deus ignis consumens est; Tamen vult Deus in Ecclesia sua aliquo modo agnosci iram suam adversus peccatum, non vult contemni peccatum, non vult corda esse ferrea et sine dolore, ut Eph. 4. de impiis dicitur. Ideo semper in Ecclesia hoc fuit exordium concionum: Agite poenitentiam. Sic Christus exorsus est, et ante ipsum Baptista. Sic Paulus inquit [Rom. 1, 18.]: Revelatur ira Dei de coelo super omnes. Sic Prophetae exorsi sunt, Ies. 1. [vs. 4.] Vae Genti peccatrici. Imo in Paradiso haec post lapsum prima concio fuit arguens peccatum et declarans iram Dei.

Postremo omnes calamitates generis humani, mors, morbi, inopia, fames, caedes, bella, excidia et clades multiplices sunt revera conciones de ira Dei adversus peccatum, ut Psal. 38. [vs. 12.] Propter iniquitatem corripis homines.

Postremo testimonium omnium maximum irae Dei est, quod Filium oportuerit[58]) fieri victimam. Hanc iram certe vult Deus aliquo modo a nobis agnosci, et nos moveri ipsius iudicio et indignatione. Necesse est igitur in nobis existere aliquam[59]) contritionem. Ac vocamus Contritionem, ut Ecclesia usitate loquitur, pavores conscientiae agnoscentis iram Dei adversus nostra peccata et dolentis propter peccatum. Hanc contritionem praecipiunt haec dicta: Agite poenitentiam. Et 2. Cor. 7. [vs. 9.] Contristati estis ad poenitentiam. 1. Cor. 11. [vs. 31.] Si nos iudicaremus ipsi, non iudicaremur a Domino, id est, si vero dolore afficeremur, agnita ira Dei. Ioël 2. [vs. 13.] Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra. Ierem. 31. [vs. 19.] Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum, confusus sum et erubui. Nah. 1. [vs. 6.] Ante faciem indignationis eius quis stabit? Quis resistet in ira furoris eius? Indignatio eius effusa est ut ignis, et petrae dissolutae sunt ab eo. Item Ies. 66. [vs. 2.] Ad quem respiciam, nisi ad humiliatum et contritum spiritu et trementem sermones meos? Ies. 1. [vs. 16.] Desinite perversa[60]) agere. Psal. 37. [vs. 5.] Iniquitates meae supergressae sunt caput meum. Item: Initium sapientiae timor Domini. Et passim coniungunt Psalmi Timorem et Fidem [Ps. 146, 11.]: Beneplacitum est Domino super timentes eum et erga eos, qui sperant in misericordia eius. Eodem pertinent multa dicta Pauli [Rom. 6, 6.]: Vetus noster homo simul crucifixus est, ut aboleatur corpus peccati.

Addantur et exempla, ut Adam, Eva, obiurgati a Deo, David, obiurgatus a Nathan, horribiliter perterrefiunt. Dolet et mulier peccatrix Luc. 7. Et Luc. 22. Petro acerbae lacrimae erumpunt. Haec et similia testimonia ostendunt necessariam esse aliquam contritionem, quae quidem etiam crescere debet, ita, ut non solum externa delicta, sed etiam interiorem immunditiem agnoscamus, videlicet, Dubitationem de Deo, Securitatem, Admirationem nostri seu Superbiam, Despectionem aliorum, Malevolentiam, Avaritiam, Flammas pravi amoris et alios vitiosos affectus.

Nec est poenitentia in hypocritis, qui nullo sensu doloris aut pavorum afficiuntur, quos describens Ieremias [6, 15.] inquit: Erubescere nescierunt; Et Paulus ad Ephesios vocat dolore carentes.

Ut autem hanc pravam securitatem animis excutiamus, saepe et multum dicta de Contritione, de Ira Dei, de Poenis praesentibus et aeternis, exempla ipsa poenarum, calamitates proprias et alienas, imo et mortem filii Dei nobis proponamus, ut miseriam nostram et iram Dei agnoscamus et expavescamus. Estque ministerii in Ecclesia, quod instituit Christus, pars necessaria, arguere peccata, sicut Paulus clare inquit [Rom. 1, 18.]: Nunc revelatur ira Dei de coelo super omnem impietatem. Utendum est autem voce Legis moralis, ut vocant, ad hanc ministerii partem. Est enim lex illa aeterna et immutabilis sententia Dei declarans iram Dei adversus peccatum. Etsi enim Deus recipit hominem confugientem ad Christum, tamen peccatum non approbat. Ideo Paulus inquit: Per legem cognitio peccati; et semper sonuit in Ecclesia inde usque ab initio post lapsum, ut Gen. 4. apparet, et deinceps.

Ac prorsus falsa, absurda et perniciosa imaginatio est, fingere Legem nihil esse aut non praedicandam esse. Quia ideo praedicata est per patres et deinde terribili voce in Sina revelata et as-

58) oportuerit] Editt. 1—10. 12. oportuit

59) existere aliquam] sic Editt. 20. 22. 24. 28—3.. Corp. 1—8.. Opp. 1. 2.: ceterae Editt.: aliquam existere

60) perversa] Editt. 1. 3. perverse

sidue repetita per Prophetas, Christum et Apostolos, ut sciamus esse aeternam et immutabilem sententiam Dei declarantem iram adversus peccatum. Sciamus item omnes homines in hac corruptione naturae hac sententia Dei condemnatos esse atque ita sub Lege esse; Sicut Paulus inquit [Rom. 3, 9.]: Causati sumus omnes sub peccato esse, id est, condemnatos et reos coram Deo. Sicut semper manet mens divina, ita semper manere Legem necesse est. Et huius Legis notitia manet in nostris conscientiis et est explicata voce Dei, Patrum, Prophetarum, Christi et Apostolorum. Ideo et Christus toties inculcat Legem, ut Matth. 5. et quidem addit declarationem, ut sciamus accusari Lege non solum externa delicta, sed etiam interiora vitia, Caecitatem, Iniusta odia, Flammas libidinum etc. Vult ergo Deus in Ecclesia semper sonare vocem huius Legis, quae concionatur de obedientia cordis.

Utendum est et voce Evangelii, quae accusat in mundo contemptum irae et misericordiae, quae cernitur exhibito filio. Ideo inquit Christus [Ioh. 16, 8.]: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quod non credunt in me. Iam cogitemus, quam late pateat haec praedicatio accusans et condemnans peccata. Totum genus humanum complectitur, omnes sumus pleni dubitatione, securitate, negligentes aut errantes in invocatione, contaminati pravis cupiditatibus, leviter curamus iram Dei, abutimur beneficiis, omnes sumus ingrati filio Dei. Ideo non miremur universum mundum opprimi fatalibus poenis, quae sunt signa irae Dei; Sed cogitemus, ut Paulus inquit, Omnes sub peccato esse et totum mundum reum esse Deo, et sua quisque peccata accuset et deploret.

Haec omnia saepe et multum cogitemus; Nam quod dicitur, Spiritus sanctus arguet mundum, id fit per verbum declarans iram Dei, et in huius verbi cogitatione Spiritus sanctus est efficax. Et 2. Tim. 2. [vs. 25.] Paulus clare iubet doceri et erudiri adversantes, quis scit, an Deus det aliquibus poenitentiam? Et apud Ierem. [31, 19.] Postquam ostendisti mihi, confusus sum et erubui. 1. Reg. 2. [1. Sam. 2, 6.] Dominus mortificat et vivificat. Haec fiunt per verbum Dei, ut Hebr. 4. [vs. 12.] dicitur: Vivum est verbum Dei et efficax et penetrantius gladio etc. Quare in iis, qui negligunt et contemnunt verbum Dei, non est efficax Spiritus sanctus, sed confirmatur ferocia. Sicut in Genesi [6, 3.] dicitur: Non iudicabit Spiritus meus in homine, quasi dicat: posteaquam contemnere verbum incipiunt, desiit iudicium spiritus, Agnitio peccati, Invocatio etc.

DE FIDE.

Sed ad Contritionem, hoc est, ad hos terrores necesse est accedere consolationem, scilicet Fidem, quae statuat nobis remitti peccata propter filium Dei et tantae misericordiae agnitione rursus erigat nos, ne oppressi desperatione ruamus in aeternum exitium. Nisi enim accederet Fides, Contritio fieret mors aeterna. Est igitur altera pars Fides, quae est non tantum historiae vel legis notitia, sed fiducia, qua credit unusquisque sibi vere remitti peccata a Deo propter Christum gratis, id est, non propter nostram dignitatem aut nostra merita.

De hac parte, hoc est, de Fide accipiente remissionem peccatorum, libri Monachorum muti sunt. Sed nos sciamus hanc esse praecipuam et propriam Evangelii vocem, et hanc doctrinam de Fide prorsus necessariam esse Ecclesiae, et simul complectendam quandocunque de poenitentia dicitur.

Multi hic disputant, quod sit discrimen contritionis Petri et Iudae, Davidis et Saulis. Et sunt spinosae disputationes de amore Iustitiae et Timore poenae. Sed hoc discrimen planum et illustre est. Ad contritionem Iudae non accessit fides, ideo oppressus terroribus ruit in aeternum exitium; Econtra ad contritionem Petri accessit fides, ideo revixit ex suis ingentibus doloribus. Et cum fide erigimur, accedit agnitio bonitatis Dei, et non tantum metu poenarum angimur, sed etiam puriore dolore, quod Deum offenderimus, cui debetur obedientia et gratitudo. Sed non est opus hos affectus subtiliter divellere. Vult Deus iram suam metui, et hanc in poenis vult conspici. Accedat autem et fides, ne[61]) fugiamus Deum, sed ad eum redeamus, petamus nos recipi, et statuamus aeternam et immutabilem Dei voluntatem esse, quod velit recipere perterrefactos, qui credunt sibi ignosci propter Mediatorem. Hoc praecipit nobis certo credere et statuere.

Haec fides illustre discrimen facit inter Timorem servilem et filialem. Timor servilis est pavor sine fide et re ipsa fugit Deum; Sed Timor filialis est pavor, ad quem accedit fides, quae inter pavores erigit et consolatur animum et accedit ad Deum, petit et accipit remissionem. Hae descriptiones sunt planae et in exercitiis nostris intelligi possunt. Contritio sine fide est horribilis pavor et dolor animi fugientis Deum, ut in Saule, Iuda: Quare non est bonum opus. Sed contritio cum fide pavor et dolor est animi non fugientis Deum.

61) ne] Editt. 18. 20. 22—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2. nec

sed agnoscentis iustam iram Dei et vere dolentis, quod neglexerit aut contempserit Deum, et accedentis tamen ad Deum et petentis veniam. Talis dolor fit bonum opus et sacrificium, ut loquitur Psalmus [50, 19.]: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

Et tamen necesse est taxari et abiici opinionem, quae finxit homines contritione mereri remissionem peccatorum seu dari remissionem propter dignitatem contritionis. Sed retinenda est vox Evangelii, quae clamat gratis remitti peccata propter Filium Dei. Haec exclusiva retinenda est, ut Christo debitus honos tribuatur, item ut mentes perterrefactae teneant certam consolationem. Nam adigerentur[62]) ad desperationem, si sentire deberent, se non habere remissionem, nisi dolor satis dignus et sufficiens esset. Haec simplex sententia multos labyrinthos disputationum tollit.

Constituamus igitur necessariam esse aliquam contritionem, veros pavores ac dolores, sed tamen remissionem peccatorum non dari propter contritionem seu dignitatem ullam nostram, sed propter solum Filium Dei, qui pro nobis admirando consilio victima, Mediator et Deprecator factus est.

Ac ut teneamus in conspectu doctrinam Contritionis, haec capita nobis proponamus:

Legem Dei,
Iram Dei,
Poenas aeternas,
Mortem,
Calamitates praesentes, publicas et privatas,
Amissionem donorum,
Inopiam,
Morbos,
Infamiam,
Infelicitates consiliorum,
Infelicitatem studiorum.[63])
Errores et furores,
Infelicitatem liberorum,
Diaboli tyrannidem impellentem in plura peccata et maiores miserias,
Poenas interiores, videlicet quod peccata peccatis puniuntur, caecitate et furoribus sequentibus,
Scandala,
Discordias publicas,
Bella.

62) Nam adigerentur] Editt. 1. 3. 6. 7. 12. Adigerentur; Editt. 2. 9. quem adigerentur

63) Infelicitates consil., Infelicitatem stud.] Editt. 26. 27., Corp. 1 — 8., Opp. 1. 2. Infelicitatem consil., Infelicitatem stud.; Editt. 22. 24. 28—34. Infelicitatem (Ed. 22. Infelicitates, Ed. 24. Infelicitas) studiorum. Infelicitatem consil.

E regione beneficia Dei considerentur, ut ingratitudinem nostram accusemus:

Creatio,
Patefactio Dei,
Missio Filii,
Donatio verbi et Evangelii,
Donatio Spiritus sancti,
Promissio vitae aeternae,
Nutritio, defensio corporis et animae,
Depulsio Diaboli,
Literarum et verae doctrinae ostensio,
Gubernatio divina in moribus et consiliis,
Felicitas consiliorum,
Felicitas studiorum et rectitudo iudicii,
Felicitas liberorum,
Bona exempla et vitatio scandali,
Bona fama,
Concordia publica,
Pax et mediocris status Politiae,
Constitutio salutaris Ecclesiae.

Exempla cogitemus Saulis et Davidis, qui et beneficia, quae recensui, tenuerunt ante lapsum et post lapsum exuti tantis bonis poenas senserunt, quas recitavi. Et Saul prorsus periit oppressus aeternis poenis; David vero rursus ad Deum conversus est,[64]) sed tamen sensit onus poenarum corporalium et scandalorum tota vita. Et quantam ruinam trahat unus lapsus, consideremus in Adae et Evae exemplo, item in Davidis adulterio et Salomonis delirio, propter cuius idolum postea regnum Israël divulsum est; Et haec divulsio peperit infinita mala, religionis dissipationes[65]) et bella civilia. Haec considerantes non existimemus nostros lapsus levia et parva mala esse et ad paucos pertinere, ac simus in regendis moribus diligentiores.

Haec expendere utilius est, quam illas nugas agitare, An actui finito iuste respondeat poena infinita. Tales frivolas quaestiones fugiamus, ac sciamus in delicto esse contemptum infiniti boni. Hic contemptus et violatio infiniti boni, dignus est infinita poena.

Postquam autem de Contritione dictum est, explicemus et alteram partem. Nam ministerium in Ecclesia non solum arguit peccata, sed etiam annuntiat remissionem peccatorum perterrefactis et credentibus in Christum. Statuant igitur perterrefactae mentes certo se consequi remissionem peccatorum gratis fide propter Christum. Nec intelligatur Fides tantum de historiae notitia; Sed intueatur hunc articulum in Symbolo: Credo remissionem peccatorum. Nec satis est in genere credere, quod Deus aliquibus ignoscat sicut et Diabolus credit.

64) est *omittunt* Editt. 1. 3.

65) mala, religionis diss.] Editt. 1. 3. mala religionis. diss.

Non enim ignorat in Ecclesia reconciliationem esse, sed singuli[66]) statuere debemus, nobis ipsis ignosci, nos ipsos a Deo recipi. Hac fide speciali, ut sic dicam, quisque sibi applicare beneficium Christi debet. Videtur[67]) hoc absurdum humano iudicio, de re tanta nos statuere debere, videlicet quod placeamus Deo. Sed discamus ideo Deum se patefecisse, ut hanc suam voluntatem nobis revelaret, Ideo promissiones traditas esse, ideo missum Filium ac sparsum Evangelium in mundum, ut haec sententia, quam nulla creatura cernere poterat, patefieret. Immensum bonum est Reconciliatio divina, ideo difficulter assentimur. Sed excitemus nos ad credendum Evangelio et cogitemus nos in hac vita verbo Dei involutos sustentari oportere, sicut foetus in utero materno sedet involutus alvo seu secundina, nec rumpamus hoc nostrum involucrum, scilicet Evangelium, quod affirmat de voluntate Dei. Postea vero egressi in vitam et lucem aeternam coram cernemus voluntatem Dei et admirandum consilium.

Testimonia.

Act. 10. [vs. 43.] Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, Remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Haec est plana et clara sententia, in qua testatur Petrus se enarrare summam Propheticae scripturae, et opponit hanc sententiam vulgari persuasioni, quam populus habuerat de Messia, ac affirmat ideo a Patre missum esse, ut victima fieret pro peccato et propter ipsum detur remissio peccatorum iis, qui credunt in eum, id est, qui sic amplectuntur Messiam, ut credant se propter eum recipi. Et quia hoc dictum allegat omnes Prophetas, sciamus hic verum consensum Catholicae Ecclesiae citari.

Rom. 5. [vs. 1.] Iustificati Fide pacem habemus erga Deum, id est, habemus certo Deum propitium, sumus recepti in gratiam et liberati ab ira et aeternis terroribus.

Sed haec dicta eludunt adversarii. Fatentur fidem, id est, professionem historiae necessariam esse, qualis scilicet est in Diabolis, sed negant Gratis remitti peccata, et iubent dubitare, an sint remissa. Hi errores supra refutati sunt in loco de Iustificatione, quare hic breviter tantum commonefaciam Lectorem. Utile est enim in quotidiana invocatione nosse haec exercitia fidei. Nemo ignorat Deum misericordem esse; Nec quaerunt homines, an velit Deus aliquibus remittere peccata, sed cogitant dignis remitti, non indignis, et deprehendimus singuli in nobis multiplicem indignitatem. Deinde altera quaestio fatigat animos de particularitate. Necesse est igitur in conspectu habere testimonia, quae confirmant nos, ut sciamus haec duo, scilicet promissionem universalem esse et gratuitam. Rom. 3. de utroque extant testimonia. De promissione universali dicitur [vs. 22.]: Iustitia Dei in omnes et super omnes credentes etc. Deinde addit [vss. 24 sq.]: Iustificamur gratis ipsius gratia per redemptionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine suo. Tenenda est igitur exclusiva et opponenda tentationi assiduae de dignitate. Semper enim obstrepit nobis vox Legis, quae deterret nos, ne statuamus nos recipi, quia simus indigni. Adversus hanc ipsam vocem sciamus Evangelium revelatum esse ex sinu aeterni Patris, quod testatur recipi nos propter Filium Mediatorem, non propter dignitatem nostram.

Haec quotidie in invocatione cogitanda sunt, et sciendum, non excludi contritionem et ceteras virtutes, ne adsint. Nam certe poenitentia necessaria est, sed caussa remissionis peccatorum non transferenda est in nostram dignitatem, sed in Christum. Statuendum est igitur, remissionem peccatorum non propter dignitatem nostrae contritionis aut nostrorum operum contingere, sed tantum fiducia beneficii Christi, ut Eph. 2. [vs. 8.:] Gratia salvati estis; Dei donum est, non ex vobis.

Rom. 4. [vs. 16.] tractatur principale argumentum ex caussis et vi promissionis ortum: Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio, id est, si penderet reconciliatio ex dignitate contritionis nostrae aut operum nostrorum, cum nunquam Legi satisfaciamus, fieret incerta, et promissio reconciliationis fieret irrita. Syllogismus hic est tractatus a Paulo:

> Oportet promissionem reconciliationis esse certam;
> Promissio pendens ex conditione Legis fit incerta;
> Ergo promissio reconciliationis non pendet ex conditione Legis.

Minorem probat Paulus inquiens [Rom. 4, 15.]: Lex iram efficit, semper accusat etc. Et considera summam disputationis Paulinae. Ideo tantopere contendit Christum esse victimam pro peccatis nostris, ut hac ipsa antithesi stabiliat exclusivam, quod nostra opera non sint meritum remissionis peccatorum. Cetera testimonia sumantur ex loco de Iustificatione, ubi etiam de vocabulo Fidei dictum est, quod quidem in ipsa lucta clarius intelligi potest, ubi pia mens experitur se acquiescere in misericordia propter Christum promissa, et intelligit hanc misericordiam Fide, id est, fiducia apprehendendam esse. Hic Fides non tantum historiam, sed hunc articulum etiam intuetur, Credo remissionem

66) singuli] Ed. 22. simul

67) Videtur] Editt. 18. 20 25—27. 31—33. Corp. 1—8. Videtur autem

peccatorum, et amplectitur promissionem, ut Rom. 4. [vs. 16.] clare dicitur. Porro Fides, quae assentitur promissioni, est fiducia misericordiae.

Postremo in his testimoniis conferamus Apostolorum et Prophetarum dicta, ut videamus perpetuum consensum universae Ecclesiae inde usque ab initio. Ideo et Paulus citat ex Psalmis quaedam, et plurima, quae huic sententiae suffragantur, passim occurrunt. Psal. 31. [vs. 5.] Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remittis iniquitatem peccati mei. Psal. 142. [vs. 2.] Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Psal. 51. [vs. 6.] Tibi tantum sum peccator, ut tu iustificeris in sermonibus tuis. Hae sententiae et similes testantur nos accedentes ad Deum non afferre [68]) nostram iustitiam, nec posse opponere iudicio et irae Dei nostra merita, sed confugiendum esse ad Mediatorem Christum et statuendum vere propter ipsum gratis ignosci nobis et nos recipi in gratiam.

Ideo autem hanc partem de Fide omiserunt multi scriptores, quia iudicio humanae rationis videtur absurditas, affirmare, quod Deus tibi sit propitius. Discedendum est autem hic [69]) a iudicio rationis nostrae et quaerenda voluntas Dei in ipsius Evangelio. Cum legimus Davidi annuntiatam esse remissionem peculiari mandato Dei, miramur illud singulare beneficium, et cogitat quisque ita se libenter crediturum esse, si sibi talis vox e coelo afferretur. [70]) At scire debemus iam esse allatam hanc vocem nobis. Tam certo tibi remittitur, si credis Evangelio, quam certo Davidi [71]) remittebatur, et tam a te postulatur, ut credas voci Evangelii annuntianti remissionem, quam postulabatur a Davide, ut voci Nathan crederet.

Hactenus de Contritione et de Fide dixi. Necesse est autem et simul inchoari novam obedientiam, ut Rom. 6. [72]) [vs. 12.] dicitur: Non regnet peccatum in mortali corpore vestro. Rom. 8. [vs. 1.] Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant. Et Ioannes inquit [Luc. 3, 8.]: Facite fructus dignos poenitentiae, id est, convenientes poenitentiae. Haec nova obedientia usitate vocatur Bonum propositum; Estque vere et sine hypocrisi statuere et velle Deo obedire et retinere iustitiam bonae conscientiae. Ac ut firmitas ista voluntatis fiat, adiuvamur a Spiritu sancto, qui datur, cum fide nos sustentamus, ut Gal. 3. [vs. 14.] dicitur: Ut promissionem Spiritus accipiamus per Fidem. Item Rom. 8. [vs. 15.] Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater. Cum enim fide assentimur promissioni, agnoscimus misericordiam et praesentiam Dei respicientis, curantis et recipientis nos, et incipimus eum vere invocare et nos ei subiicere, timere eum et obedire ei.

Ideo in Zacharia duae particulae eruditissime coniunguntur, Gratia et Invocatio [12, 10.]: Effundam super domum David spiritum gratiae et precum. Scilicet primum Spiritu sancto movemur, ut agnoscamus et statuamus nos recipi in gratiam. Est autem praecipuus cultus Dei et solius Ecclesiae opus vera invocatio, quae oritur ex agnitione gratiae. Nam mens ignara reconciliationis fugit Deum, non invocat. Sed recepti in gratiam accedunt et invocant, ut Rom. 5. [vs. 12.] dicitur: Per hunc habemus accessum fide. Eph. 3. [vs. 12.] Per quem habemus fiduciam [73]) et accessum confidenter per fidem. Quomodo autem placeat nova obedientia, cum procul a perfectione Legis absit et reliquiae peccati in hac vita in reconciliatis maneant, dictum est supra.

DE CONFESSIONE.

Diligentia digna est eruditis, videre, quam varius usus sit vocabuli Confessionis. Vulgus intelligit nomen Confessionis plerumque de enumeratione singulorum delictorum, quae fit coram ministris Ecclesiae, a quibus absolutio petitur, et fortassis initio mos ille enumerationis singulorum delictorum ortus est ab iis, qui delicta publica coram ministris aut Ecclesia confitebantur. Tales enim olim non recipiebantur, nisi coram ministris [74]) professi essent se delicta agnoscere, petere veniam et promittere emendationem.

Saepe autem repetitur nomen Confessionis, etiam apud Apostolos et Prophetas, ut Matth. 3. [vs. 6.] Baptizabantur in Iordane confitentes peccata sua. Item Nehem. 9. [vss. 1 sq.] Filii Israël conveniebant in ieiunio et confitebantur peccata sua. Et Levit. 16. [vs. 21.] Aaron confiteatur omnes iniquitates filiorum Israël. Ubi mos publicus describitur, in quo voce summi Sacerdotis tota Ecclesia fatebatur se ream esse. In his locis Confessio non tantum significat arcanam agnitionem culpae coram Deo, sed etiam publicam professionem in genere coram Deo et Ecclesia profitentium se reos esse et veniam petentium.

Apparet igitur hanc publicam et generalem

---

68) afferre] Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. offerre

69) hic *omittunt* Editt. 22. 24. 28., Opp. 1. 2.

70) afferretur.] Editt. 18. 20. 23. 25., Corp. 1—8. offerretur

71) Davidi] Editt. 22. 24. 28. 29. 31—33. David

72) 6.] Editt. 22. 24. 28., Opp 1. 2. male: 5.

73) fiduciam] Editt. 22. 24. 28. 29. 31—33., Opp. 1. 2. fidem

74) ministris] Editt. 20. 25., Corp. 1—8. ministro

professionem admodum veterem morem esse. Sed cum David inquit [Ps. 31, 5.]: Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam Domino; Hic Confessio significat arcanam agnitionem culpae coram Deo, quae agnitio est ipsa contritio, coniuncta cum petitione veniae. Iacobus et nomine confessionis usus est loquens de Reconciliatione [5, 16.]: Confitemini mutuo peccata vestra, id est, hi, inter quos fuerunt simultates, fateantur utrimque sua delicta et redeant in mutuam gratiam. Sicut dicitur in Salomone [Prov. 18, 17.]: Iustus primum sese accusat, postea inquirit alterum, id est, Deus non vult nos connivere ad nostra errata et in alios acerbam censuram agere, sed vult nos in nostram conscientiam primum inquirere, nostra errata fateri et emendare, ut Matth. 7. [vs. 5.] dicitur: Eiice primum trabem ex oculo tuo etc.

Postquam igitur varius usus vocabuli animadversus est, discernantur veteres significationes a recenti more enumerationis.

Est autem duplex Confessio: Altera iudicii publici; cum coram Ecclesia accusantur rei manifestorum criminum, ibi de manifesto delicto palam fateri debemus nos lapsos esse et dolere, quod Deum offenderimus et Ecclesiam polluerimus. Hic satis constat, cum crimen sit manifestum, enumerationem seu recitationem criminum non omitti. Sed altera est Confessio privata seu arcana. Hic dicimus enumerationem non esse necessariam, et quanquam multi valde vociferantur hoc vinculo laxato disciplinam solvi, tamen et in altera parte videndum est, ne lux Fidei obscuretur et ne conscientiis laquei iniiciantur. Et tamen quomodo disciplinae ratio habenda sit, postea dicemus.

Tres sunt autem caussae, propter quas necesse est extare doctrinam, quod enumeratio non sit necessaria: Prima, quia Monachi finxerunt enumerationem esse cultum et meritum remissionis; Secunda, quia postulant eam, ut possit indici satisfactio; Tertia, quia conscientia adducitur in dubitationem et desperationem scrupulosa enumeratione. Hi errores taxandi sunt; Nam remissio non pendet ex conditione enumerationis, et retinenda est vox Evangelii de gratuita condonatione. Deinde deliramenta de Satisfactione magis etiam taxanda sunt. Postremo enumerationem constat fuisse piis duram carnificinam, qui, cum viderent se non posse omnia delicta colligere, nunquam acquiescebant, et dubitatione illa fides extinguebatur. Huic malo necesse fuit pios doctores mederi.

Quod igitur in arcana confessione enumeratio omnium vel paucorum delictorum non sit praecepta iure divino, manifestum est, quia Christus aut Apostoli nusquam eam praecipiunt. Deinde impossibilis est enumeratio omnium, iuxta illud [Psalm. 18, 13.]: Delicta quis intelligit? Multa sunt enim[75]) errata ignorantiae in maximis deliberationibus, ut Iosiae moventis bellum non necessarium; Item in aliis negotiis, ut[76]) quaedam errata doctrinae, ut qui stipulas extruunt supra veras sententias, quas obscurant. Item plurima sunt peccata omissionis, quae non intelligimus. Absurdum est igitur dicere necessariam esse enumerationem omnium, cum sit impossibilis. Ideo autem praecipue haec illustrentur, ne obscuretur doctrina de remissione gratuita et Fide.

Ceterum propter absolutionem privatam, quae in Ecclesiis retinenda est, mos etiam petendae absolutionis retinendus est, et sunt aliae utilitates multae retinendi illius colloquii privati, etiamsi non accedat enumeratio.

Prima est, ut petatur absolutio.

Secunda, ut Pastor interroget suos auditores de doctrina. Nam utrumque mandatum est pastori, ut exploret auditorum iudicia de doctrina et cognoscat, an proficiant, castiget et erudiat segniores, populo vero ut exponat, quid sentiat.

Tertia. Certe priusquam rudes admittantur ad Sacramenta, de doctrina audiendi sunt, et hoc colloquium vice Catechismi est.

Quarta. Etsi cogere pastor non debet, ut quisquam dicat arcana facta, tamen pro aetate et vitae genere quaedam de moribus interrogare et utiliter monere potest. Ut si quis audiat mercatores, interrogare potest, quales contractus exerceant.

Quinta. Sicut in Nehemia et Matthaeo dictum est, Confitebantur peccata, id est, fatebantur in genere se reos esse, subiiciebant se Deo, ostendebant dolorem suum; Sic in petitione absolutionis, etiam cum recitatio singulorum omittitur, tamen necesse est significari in genere, quod fateamur nos reos esse et subiiciamus nos Deo, vere doleamus, quod Deum offenderimus, quod Ecclesiam polluerimus, quod cumulaverimus poenas publicas. Cum hoc modo prudenter et graviter hic mos retinetur prodest ad disciplinam.

Sexta. Omnium maxime haec caussa prudentes omnes movere potest. Mos petendae absolutionis testimonium est huius articuli, quod lapsi emendantes se recipiantur a Deo et sint ab Ecclesia recipiendi. Utile est autem hoc illustre testimonium in Ecclesia conservari. Nam et Petrus Alexandrinus refutavit Meletium serentem Catharorum deliria, citato more usitato in Ecclesia, et protulit exempla absolutionis. Valde moventur animi omnium

75) sunt enim] Editt. 22. 24. 28 – 34., Corp. 2 – 8., Opp. 1. 2 enim sunt

76) ut] Ed. 22. typ. errore: aut

hominum iis ritibus, qui assidue sunt in conspectu et incurrunt in oculos, confirmati non solum antiquitate, sed usu etiam talium gubernatorum, quorum pietatem et doctrinam certa testimonia comprobarunt. Quare et tunc profuit mos ad confirmationem verae sententiae Petri, et nobis prodesse huius perpetui moris cogitatio potest. Deinde cum clare dicat Christus [Matth. 18, 18.] Quicquid solveritis in terra, erit solutum in coelo, certe mandatum datur absolvendi. Etsi autem absolutio seu receptio lapsorum etiam [77]) fieri intelligitur, cum admittuntur rursus ad synaxin, tamen haec expressa absolutio non abolenda est.

Apud Ethnicos prorsus fuit amissa doctrina de remissione peccatorum propter Mediatorem filium Dei, sed doctrina Legis utcunque retenta est. Natura enim hominum facile obliviscitur Evangelii, cum sit doctrina non nata in humana mente, sicut et Monachi oppresserunt Evangelii lucem de gratuita remissione, confictis deliriis de satisfactione et aliis. Iam igitur si mos absolvendi aboleretur, rursus secuturae essent tenebrae et obscurior fieret doctrina de recipiendis lapsis. Quare utile est retinere [78]) morem, cum quidem semper in Ecclesia fuerit. Sciantque pii in hoc more retinendo se[79]) non solum suae necessitati, sed etiam posteritati servire.

Hanc tam piam et utilem caussam spero valituram apud multos, ut morem petendae absolutionis et magis ament et libentius retinere studeant. Cum accedis ad petendam absolutionem, haec tria cogites: ut semper fuit in Ecclesia confessio generalis, qua pii ostenderunt [80]) se agnoscere suos lapsus et se reos esse irae Dei professi sunt, Ita tu quoque deplores tuam culpam, te quoque reum esse fatearis, ut Daniel inquit [9, 7 sq.]: Nobis confusio. Deinde vocem Evangelii, qua annuntiatur remissio peccatorum, tibi applicari petas. Et hac voce te ipsum consoleris et ad fidem excites. Tertio, Hunc morem cogites retinendum esse, ut etiam posteritas sciat lapsos, cum se emendant, a Deo recipi et ab Ecclesia recipiendos esse.

Utile est autem rudiores ad aliquam generalem enumerationem iuxta ordinem Decalogi institutam assuefacere. Haec diligentia prodest non solum eo, quod tanquam catechesis commonefacit recitantes, qui morbi et qui lapsus sint peccata, et qui sint gradus peccatorum, et quid intersit inter Forense iudicium et iudicium Evangelii de peccatis, sed etiam quia cogit homines se ipsos considerare et agnoscere suos morbos et lapsus, de quibus multi petentes absolutionem ne cogitant quidem. Quomodo autem potest existere contritio aut dolor aliquis sine mediocri cogitatione de nostris lapsibus, de ira Dei, de poenis praesentibus et aeternis?

Praeterea magna pars populi peccata tantum intelligit illa atrocia delicta esse, quae publicis suppliciis puniuntur, de falsa invocatione, de vitiis cordis nihil norunt. Assuefaciendi sunt igitur homines ad Decalogum, qui, etsi alias saepe declarandus et illustrandus est a docentibus, tamen melius intelligetur a populo, cum quisque suam vitam ad illud speculum confert et animadvertit propria errata. Ut

De primo praecepto.

Deberem equidem recte cogitare de Deo et firma fide statuere, hunc unum esse Deum creatorem omnium rerum et futurum iudicem omnium hominum, qui se patefecit dato verbo suo et misso Filio. Deberem vero timore ei obedire et metuere iram eius et iudicium, vera fide eum invocare propter Filium et diligere eum et sentire aliquem grati pectoris motum erga Deum.

Deberem affici magnitudine misericordiae, quod se nobis patefecit, quod vere diligit genus humanum, vere vult nos salvos fieri; Deberem Filii beneficiis moveri, quod pro nobis passus est, quod dedit Evangelium, quod promittit Spiritum sanctum gubernatorem et vitam aeternam.

Sed haec omnia levius movent animum meum, quam debebat fieri, non satis timeo, saepe dubito, et quadam perpetua dubitatione frigidius peto bona a Deo, frigidius invoco, confido interim rebus praesentibus, et quaero praesidia vitae, neglecto ordine, quem Deus praecipit. Saepe etiam falsa invocatione errans offendi Deum, invocavi homines mortuos, putavi magis ad hanc statuam invocandum esse Deum aut Sanctum, quam alibi. Saepe nunc quoque aberro, ne cogitem de vero Deo, qui se patefecit per Filium, nec cogitem de Filio et de promissione. Denique non ardeo invocatione, ut oportet.

De secundo praecepto.

Deberem Evangelium diligenter discere, celebrare sermone et ornare exemplis, agnosco autem meam negligentiam in hac re. Imo saepe praetexo privatae cupiditati Evangelium. Saepe meis exemplis et scandalis praebeo occasionem aliis male-

77) etiam *omittunt* Editt. 1. 3.

78) retinere] Editt. 1—17. 19. 21. 23. 26. 27. retineri: Editt. 24. 28—34., Corp. 2—8., Opp. 1. 2. et retinere

79) se *omittunt* Editt. 1. 3.

80) ostenderunt] Editt. 1—16. 19. ostendunt

dicendi Evangelio, aut alieno aliquos: Interdum erravi in aliquo dogmate et eo errore deformavi doctrinam coelestem.

De tertio praecepto.

Saepe negligo publicas conciones et ceremonias in die Festo, non impeditus aliis caussis, et meo exemplo alios abduco; Non ago gratias Deo pro instituto ministerio, pro conservatione Ecclesiae, pro conservatione Propheticorum et Apostolicorum scriptorum, non adiuvo Ecclesiam precantem pro publico statu in coetu, nimis leviter afficior cura miseriarum communium, quod inscitia, discordiis, bellis dissipantur Ecclesiae et politiae, et multorum animae et corpora pereunt, non adiuvo ipse ministerium Ecclesiasticum meis officiis, non vereor, ut debeo, pios ministros; Interdum eis maledico et meo exemplo confirmo contemptum aut odium eorum, non solvo eis debitas mercedes; saepe dies festos male colloco in[81]) res turpes, et irrito Deum adversus multos.

De quarto.

Sum negligens in mea vocatione, in studio, in regenda familia. Sum ingratus Deo pro beneficiis ordinis politici. Interdum irascor iniuste Magistratibus et maledico eis, nec tribuo eis debitam reverentiam ex animo; Interdum rixas excito contra Leges et violo politicum ordinem cum scandalo et aliorum detrimento, meis stultis tumultibus impedio alia publica negotia necessaria. Non sum intentus, ut in meo ordine me coërceam et caveam, ne turbem communem harmoniam publici status, sum πλεονεκτικὸς et meae utilitati magis servio, quam publicae, aut capto occasiones turbandi.

De quinto.

Saepe incendor iniusta indignatione et cupiditate vindictae. Addo malas execrationes, quae ex cupiditate nocendi erumpunt; Moveor aemulatione, Doleo alterius potentiam aut auctoritatem crescere, et premere eum cupio; Sum superbus, despicio pares, et me eis anteferri postulo; Sum suspicax, et ex falsis suspicionibus interdum iniusta odia concipio, sero et confirmo discordias, saepe perfero rumores et sermones, qui sauciant animos et accendunt odia; Habeo aliquid livoris et malevolentiae, delector obtrectatione Interdum calumniose depravo aliena dicta et facta, non studeo sanare offensiones et conciliare voluntates, sino crescere odia privato livore vel alia privata caussa, maledico absentibus, Interdum afficio contumelia praesentes, impedio invocationem meam et aliorum excitatis odiis aut dissidiis.

De sexto.

Habeo errantes motus et flammas varias libidinum, indulgeo oculis et cogitationibus impudicis, contaminatur et corpus Haec mala augeo intemperantia et crapula. His incendiis et crapulae fastidiis impedio pias meditationes et precationes, et accerso beluinam feritatem, cumulo mea impuritate iram Dei adversus me, meam familiam et civitatem.

De septimo.

Fruor liberalitate parentum aut stipendio publico et non bene colloco, defraudo meos fratres aut alios pauperes, sum iniustus in contractibus, non studeo propter Deum servare aequalitatem, maligne solvo debita pretia, exerceo aucupia pecuniae quaerendae iniusta, sumo mutuum[81a]) variis praetextibus, ac ne curo quidem solvere, retineo res alienas, non sum fidelis et diligens in mandato labore, res vitiosas vendo, res locatas corrumpo.

De octavo.

Non praesto candorem et veritatem, quam Deus requirit in dictis et factis, admisceo sophisticam consiliis et negotiis aut doctrinae, interdum propugno falsa ex odio, iracundia aut iniusta pertinacia aut adulatione aut metu, in moribus etiam est hypocrisis, simulatio[82]) virtutis aut falsa iactantia.

Denique agnosco me miserum in hac caecitate et securitate horribiliter negligere iram Dei et multis modis aberrare ab eius praeceptis ac multis scandalis alios laedere, et accersere mihi et aliis poenas, nec posse me magnitudinem aut multitudinem meorum vitiorum aut lapsum intelligere, sed fateor me meritum esse praesentes et aeternas poenas, ac

81) colloco in] Editt. 1. 3. colloco et in

81a) mutuum] Editt. 22. 24. 28—34., Corp. 1 — 8., Opp. 1. 2. mutuo

82) simulatio] Editt. 24. 28—34., Corp. 2—8., Opp. 1. 2. simulatione

vero dolore clamo: Tibi tantum sum peccator, coram te malefeci, ut iustificeris etc. Vere doleo Deum a me offensum esse, et laedi ac pollui Ecclesiam et reliquum genus humanum, et confugio ad Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum propitiatorem, propter hunc oro, ut Deus aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi, bonus, sapiens, iudex et fortis, iram suam a me avertat et mihi peccata remittat propter Filium et me sua immensa misericordia recipiat, sicut dixit [Ezech. 33, 11.]: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Ac polliceor me repugnaturum esse peccato et nihil facturum contra conscientiam et oro Deum, ut me regat Spiritu sancto suo, et a vobis tanquam ministro Christi peto, ut vocem Evangelii mihi annuntietis, cui credo, et simul Ecclesiae promitto me mores emendaturum esse et scandala vitaturum.

Ad talem aliquam formam generalem rudiores assuefaciendi sunt, ut cogitent, quid agant, cum petunt absolutionem, seque ipsi scrutentur, agnoscant se magnos et multiplices lapsus habere, et gradus considerent, discant ex ipsa Decalogi serie intelligere latentes morbos, ut repugnare suis vitiis et se moderari incipiant.

Denique quomodo existere dolor in animo potest sine aliqua cogitatione nostrae miseriae? Non frustra dixit Christus [Ioh. 16, 8.]: Spiritus sanctus arguet[83]) peccatum. Id autem fit cogitatione verbi et irae Dei et nostrae immunditiae. Ut igitur Spiritus sanctus arguat te et tibi veros terrores incutiat ac corrigat securitatem et superbiam, ut expavescas et te Deo subiicias et abiicias te infra ceteros homines, aspice utrumque, scilicet verbum Dei et tuos furores, ne accedas ad petendam absolutionem securus et sine gemitu, sicut Pharisaeus Luc. 18. [vs. 11.] qui inquit: Non sum sicut ceteri homines. Et utile esset talem aliquam generalem confessionem saepe in concionibus aut catechesi proponere.

Nunc redeo ad disputationem de enumeratione singulorum, quam his duobus praetextibus quidam necessariam esse contendunt.

Non potest fieri absolutio sine cognitione,
Hic petenda est absolutio,
Ergo cognitio est necessaria.

Respondeo ad maiorem. Differunt iudicium et ministerium Evangelii. In iudicio necesse est fieri cognitionem; At ministerium Evangelii est mandatum certum impertiendi beneficii, scilicet annuntiandae remissionis peccatorum, sive nota sint sive ignota. Plurima enim remittuntur, quae nec meminit nec intelligit ille ipse, qui absolvitur, et fide vox absolutionis accipienda est. Non hic disputandum est, an forma iudicii satis servata sit, nec nitatur fides illo opere Sacerdotis, sed intueatur Christum propitiatorem, propter hunc sciat iram Dei a nobis averti, et hanc voluntatem Dei sciat in voce Evangelii nobis patefieri et annuntiari.

David pavore et moerore extinctus esset, cum obiurgaretur a Nathan, nisi postea etiam absolutionem audivisset [2. Sam. 12, 13.]: Dominus abstulit peccatum tuum. Hac voce divina audita, rursus acquiescere, reviviscere et Deum invocare coepit. Sic autem quisque nunc cogitat: si singulari voce tali Deus significaret se mihi ignoscere, bene mecum ageretur. Haec imaginatio corrigenda est, considerata voce Evangelii seu absolutionis. Hoc ipsum tibi et unicuilibet nostrum annuntiat vox Evangelii seu absolutionis, quod Davidi de remissione dictum est; Nec minus Evangelio sonanti per ministros credi oportet, quam tunc Davidem credere oportebat.

Haec est igitur vera et firma responsio ad argumentum: Absolutio non fit sine cognitione, verum est in iudicio, sed non in hac functione ministerii Evangelici, quo tribuitur nobis beneficium. Et illustratur vis ministerii, cum homines admonentur de discrimine iudicii et ministerii. Nam ministerium ad conscientiam pertinet et est testimonium divinae absolutionis. Sed iudicium alia res est et ad manifesta crimina pertinet. Nemo sine cognitione excommunicandus aut recipiendus est, sed ibi fit cognitio non de conscientia, sed de externis moribus et ea absolutio coram Ecclesia valet, etiamsi is, qui absolvitur, simulat tantum poenitentiam.

Quod autem Evangelium publice multis et privatim singulis applicari possit, testatur haec sententia [Ioh. 20, 23.]: Quorum remiseritis peccata, remittentur eis. Item [Matth. 18, 21.]: Quoties in me peccabit[84]) frater, et remittam ei? Loquitur enim de Remissione, quam Deus approbat.

Quod vero aliqui obiiciunt, Homines non posse remittere peccata, id verum est, sed annuntiare verbum Dei et possunt et debent, quo Deus testatus est sese remittere. Remittit enim Deus per ministerium Evangelii et Sacramentorum. Ac satis apparet eos non attendere, quid sit vox Evangelii aut ministerium, qui non[85]) volunt expresse annuntiari remissionem. Ideo autem misit Deus Filium, ut hanc arcanam voluntatem de remissione peccatorum ex sinu Patris prolatam patefaceret et annuntiari eam in Ecclesia iuberet. Et Sacramenta sunt applicationes remissionis, id est, testantur beneficium Evangelii ad singulos pertinere. Ego baptizo

83) arguet] Editt. 1. 3. arguit

84) in me peccabit] Editt. 1. 3. peccabit in me

85) qui non] Editt. 22. 24. non qui

te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, id est, Ego mandato Dei profiteor te iam recipi ab hoc vero Deo, qui est aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi, et a Filio eius Domino nostro Iesu Christo, qui pro te passus est, et a Spiritu sancto, qui datur in corda reconciliatorum, ut eos regat et inchoët vitam aeternam. Remitti igitur tibi peccata et te fieri haeredem vitae aeternae testor.

Quidam novo commento defendunt Canonem de Enumeratione hoc modo: Consensus perpetuus Ecclesiae videtur esse dogma a Spiritu sancto traditum; Semper autem fuit mos Enumerationis in Ecclesia; Necesse est igitur eum retineri.

Respondeo ad minorem: Mos fuit manifesta peccata recitandi et deplorandi, sed vetustas non mandavit singulis arcana recitare; Sicut clare Chrysostomus inquit in enarratione Psalmi 50. Si pudet alicui dicere peccata, dicito ea quotidie in anima tua, non dico, ut confitearis conservo tuo, ut tibi exprobret, dicito Deo, qui sanat ea. Et citantur similia dicta ab aliis, quae opponi possunt iis, qui allegant perpetuum consensum, ut superstitiosissimi [86]) Canonis acerbitatem defendant, qui conscientiis laqueos iniicit. Est autem pii pastoris, prospicere et cavere conscientiarum pericula et doctrinae corruptelas, et tamen videre, quomodo pie retinenda sit disciplina.

DE SATISFACTIONE.

Vetus mos in Ecclesia fuit, non recipere lapsos, qui defecerant ab Evangelio metu suppliciorum aut polluti fuerant caede aut manifestis libidinibus, nisi prius castigatos. Et hic mos cum exempli caussa initio sic servabatur, ut alii admoniti diligentius regerent mores, tum vero explorarentur animi, an serio redirent ad Ecclesiam. Fuitque tota res politicus ritus non pertinens ad conscientiam seu remissionem peccatorum coram Deo. Sed postea, ut fit, multae superstitiosae opiniones accesserunt, ex quibus deinde inextricabiles labyrinthi orti sunt. Quare necesse est et [87]) de hac parte Ecclesias recte doceri, praesertim cum in refutatione errorum simul multae gravissimae res explicandae sint. Illustratur doctrina de Remissione peccatorum, monstratur discrimen remissionis culpae et remissionis poenarum temporalium, recitantur poenae temporales, in quibus vult Deus iram suam adversus peccata conspici; ut in poena Davidis, Manassae [88]) etc. traditur discrimen verorum et commenticiorum cultuum. Has tantas res complecti necesse est.

Ac ut de externo ritu harum castigationum initio dicam, arbitror morem a primis Patribus sumptum esse. Nam vestigia manserunt etiam apud Graecos, ubi aliquis caedem iniustam fecerat aut commiserat incestum, excommunicabatur, hoc est, excludebatur ex consuetudine communium [89]) officiorum, et addebantur signa quaedam in vestitu, quae significabant eum hominem reum, pollutum et vitandum esse, ac nemo una cibum capiebat, donec illa signa reatus gerebat. Erant etiam certae imprecationes et dirae, quae contra pollutum dicebantur. Sic Phoenix apud Homerum narrat, contra se propter stupratam coniugem patris diras recitatas esse. Et Orestes discurrit in Graecia abstinens ab aliorum convictu ac gerens signa reatus, et passim multa exempla inveniuntur, ut Pelei, Antilochi, Adrasti, qui ad Croesum venit gerens signa reatus. Haec exempla satis apparet a primis Patribus sumpta esse, qui hos ritus disciplinae caussa observarunt, ut homines cogitarent magnitudinem irae Dei adversus pollutos et eo magis abhorrerent a talibus sceleribus.

Huius vetusti moris imago etiam in Ecclesia in excommunicatione servata est, excludebantur lapsi ex communi consortio, ac denuntiabatur eis ira Dei, nec denuntiatio illa fuit irrita, sed divinitus sequebantur poenae, et cum petebant se recipi lapsi, aliquot diebus ante absolutionem explorabantur, stabant extra locum coenae Domini cum signis reatus, id est, plorantes et sordidati, et publice petebant absolutionem. Hac promulgata, rursus admittebantur ad coenam Domini et recipiebantur in consortium.

Hunc ritum publicae castigationis et explorationis nequaquam improbamus; Imo optaremus eum graviter sine falsis opinionibus, sine superstitione, sine immodicis oneribus servari, et prodesset exemplum ad disciplinam, ut laudat Ecclesiam Corinthiam Paulus 2. Cor. 7. quod graviter hanc censuram contra incestum exercuerat, quod eum excluserat, postea vero publice declarantem poenitentiam receperat: Tristitia, inquit [vs. 11.], vestra quantam excitavit indignationem, zelum et vindictam, id est, poenam, videlicet ipsam excommunicationem polluti stupro novercae.

Sed post Apostolos superstitione creverunt canones mulctarum, indicebantur aliquot anni ieiunio-

86) superstitiosissimi] Editt. 2. 4—9. 12. superstitiosi; Editt. 10. 11. 13—16. 18. 19. 22—24. 26—29. 31—33. superstitiosiss.; Editt. 20. 25., Corp. 1—8., Opp. 1. 2. superstitiosissimam

87) et *omittunt* Editt. 18. 20. 22. 2[illegible]. 25. 28—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2.

88) Manassae] Editt. 1—5. 8—10. Manasse

89) communium] Editt. 1. 3. omnium

rum, et accedebat falsa persuasio, haec opera mereri remissionem peccatorum et compensationes esse pro peccatis. Ideoque satisfactiones vocabantur. Ita obscurabatur lux Evangelii de Fide accipiente remissionem propter Christum. Tandem Canones illi cum iam intolerabiles essent, relicti et neglecti sunt, nomen mansit et umbra, de qua disputant Monachi et multas corruptelas Evangelii hic gignunt, de quibus breviter dicam.

Primum autem sciendum est, satisfactiones hic non intelligi civiles satisfactiones, ut qui defraudavit alios, compensare furtum debet, qui alterum iniuria affecit, qui convicìatus est aut iniustam violentiam exercuit, laeso satisfacere debet et retractare convicia ac pro violentia poenam subire, haec sunt opera debita et ad contritionem pertinent, iuxta illud: Desinite malefacere. Qui alterius uxorem raptam detinet, non habet Contritionem, donec eam retinet. Sunt igitur civiles illae satisfactiones rerum et famae restitutiones opera debita, mandata Lege Dei, necessaria ad veram contritionem et bonum propositum ac bonam conscientiam.

At Monachi hic definiunt Satisfactiones opera non debita, quibus volunt redimi poenas Purgatorii aut certe alias poenas temporales. Sic enim docent, Deum, cum sit misericors, remittere culpam, sed cum sit etiam iustus et vindex, mutare poenam aeternam in temporalem Purgatorii. Deinde addunt, partem poenarum remitti potestate clavium, partem redimendam esse satisfactionibus. Haec est summa commenti. Recte autem fatentur, non remitti culpam propter satisfactionem, sed postea de compensatione poenae aeternae hallucinantur. Error est enim sentire, quod aeternae poenae remittantur propter nostram compensationem, et multo absurdius est, quod fingunt propter opera non debita remitti, de quibus dictum est: Frustra colunt me mandatis hominum.

Sic ergo sentiendum est: Iungatur[90]) remissio culpae et mortis aeternae. Id enim unum et idem beneficium est Christi gratuitum, ac tollere culpam est placare iram Dei, nec aliud est Mors aeterna, quam sentire horrendam et inenarrabilem iram Dei manentem, sicut Ioannes inquit [3, 36.]: Ira Dei manet super eum. Sciamus igitur culpam et mortem aeternam simul tolli propter Christum, non propter ullam nostram compensationem. Ideo Paulus inquit [1. Cor. 15, 56.]: Aculeus mortis peccatum est, Deo autem gratia, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Et Rom. 6. vs. 23.] Donum Dei vita aeterna per Iesum Christum. Et Oseae 13. [vs. 14.] Ero mors tua, o mors, et pestis tua, inferne. Ideo sentiendum est fide propter Christum gratis nos liberari a culpa et a morte aeterna. Sicut Paulus inquit [Rom. 5, 1.]: Iustificati fide pacem habemus erga Deum. Christi beneficia haec sunt: Tollere culpam et mortem aeternam, id est, placare ingentem iram Dei. Quare Christum contumelia afficit, si quis remissionem mortis aeternae transfert in nostram compensationem.

Secundo. Quanquam non divelli debent remissio culpae et remissio mortis aeternae, tamen necesse est discerni remissionem culpae a remissione poenarum temporalium huius vitae. Imo quoties de poenitentia cogitamus, magnitudo irae Dei consideretur etiam in poenis temporalibus huius vitae. Etsi enim multae caussae sunt, cur Ecclesia cruci subiecta sit, tamen praecipua caussa est Peccatum haerens in carne. Totum genus humanum oppressum est ingentibus calamitatibus et morte, sed magis etiam Ecclesia. Quia vult Deus in Ecclesia intelligi iram adversus peccatum, quam mundus contemnit; Ideo Ecclesiam duriore sarcina onerat, ut agnoscamus nos circumferre poenas, esse reos et Deum vere irasci peccato, sed propter Filium nos recipi. Adam etsi agnovit se recipi in gratiam, quia Filius Dei pro genere humano deprecatus erat et illud mirabile decretum de redemptione humani generis in consilio aeterni Patris, Filii et Spiritus sancti factum erat; tamen subiectus est corporalibus poenis, ut agnosceret suum lapsum, et secutae sunt tristissimae castigationes, in quibus vidit Adam vere sibi circumdari signa reatus, ut ingentem luctum propter scelus Cain et necem Abel, et similia multa, quae tot annis viderunt miserrimi parentes. Praeterea praeter communes aerumnas sancti singularibus poenis propter privata quaedam peccata puniuntur. David propter adulterium quantas aerumnas sustinuit longo tempore! Primum stuprata est filia, stuprum caedes filii secuta est. Deinde mota seditio a filio, stupratae coniuges, interfecti cives, pater pulsus est, et minus fuit Davidem regno spoliari, quam exui ingenti gloria virtutis et favoris Dei. Hic se vere sensit excommunicari et sibi has tantas miserias et dolores tanquam signa reatus circumdari, non ab homine, sed a Deo, ut agnosceret Deum vere irasci peccato, sese Deo subiiceret, non arrogaret sibi laudem iustitiae, nec efferret se supra ceteros peccatores, Item ut alii hoc exemplo monerentur. Sic puniti sunt peculiaribus suppliciis Samson, Salomon, Osias percussus lepra, Iosias, Nabuchodonosor, et alii sancti innumerabiles quotidie tales aliquas poenas peculiares sustinent. Nec loquor de impiis et reiectis, quorum scelera enormia Deus, cum sit custos politicae Iustitiae et societatis, re-

90) Iungatur] Editt. 1—14. 18—20. 23. 25—27., Corp. 1—8. iungantur

gulariter insignibus suppliciis in hac vita punit, ut de Catilina, Nerone et quotidianis latronibus; sed de Ecclesia et de Sanctis loquor, horum multi lapsus omnibus temporibus peculiaribus poenis puniuntur, iuxta hoc dictum Psalmi 88. [vs. 33.] Visitabo in virga iniquitates eorum. Item [1. Petr. 4, 17.]: Iudicium a domo Dei incipit.

Tertio sciendum est: etsi sustinent conversi poenas temporales, tamen hae prorsus nihil pertinent ad potestatem clavium, nec imponuntur, nec remittuntur potestate clavium, ut res ipsa ostendit nec mortem nec morbos nec bella imponi aut tolli posse a ministris Evangelii. Sed his aerumnis sinit nos Deus tanquam signis reatus circumdari, cum certa peccata punit, ut nos ipsos et alios de iudicio suo adversus peccatum admoneat. Et quoniam hae poenae plerumque sunt exempla, multi insignibus calamitatibus onerati tanquam in spectaculo monstrantur. Nam Davidis expulsio quam triste spectaculum fuit! Quam atrox tragoedia est Mauritii Imperatoris interitus! Hunc cum Phocas ex fuga retraxisset, iubet eum[91]) ad se cum coniuge, filiabus et filiis adduci. Hic primum filias inspectantibus patre Mauritio et honestissima coniuge interfici mandat, postea filium adolescentem; aberat autem minimus natu apud nutricem, hunc cum afferri iussisset, nutricis maritus affert non alumnum, sed suum filium. Tanta erat fides in eo amico. Sed cum aspexisset puerum Mauritius, interpellat Phocam monens hunc alienum esse, nec se velle calamitatem suam in amicum derivare. Affertur igitur Mauritii filius ac interficitur. Postea misera mater trucidatur. In tanta calamitate nulla vox impia ex Mauritio audita est, sed astitit spectator harum ingentium aerumnarum et confessionem suae culpae edidit inquiens: Iustus es, Domine, et rectum iudicium tuum. Postremo et ipse occisus est. Fuit autem Mauritius et aliis magnis virtutibus praeditus et Christianae religionis cultor. Sed cum esset iracundior, quaedam fecit asperius. Ideo in has poenas incidit, ante quas admonitus egit poenitentiam. Sed Deus hac calamitate et in ipso augere poenitentiam et alios de suo iudicio admonere voluit. Satis autem intelligi potest, has poenas nihil pertinuisse ad potestatem clavium.

Quarto. Nec sunt hae poenae compensationes Purgatorii aut pro morte aeterna. Imo multorum calamitates, ut Ioannis Baptistae, Ieremiae, Iesaiae,[92]) longe alias caussas habent, nec sunt poenae propter ipsorum delicta aliqua irrogatae, sicut Deus ipse Iob excusat.

Caussae igitur aliae, cur Ecclesia subiecta est cruci, cognoscendae sunt, quas quidem prodest saepe cogitari. Possunt autem hoc ordine numerari.

Prima est: Peccatum commune generis humani, propter quod omnes homines universaliter subiecti sunt morti.

II. Cum mundus non agnoscat illum morbum et contemptum Dei et iram Dei adversus hoc malum, Deus magis premit Ecclesiam, ut agnoscat haec mala et vocemur ad poenitentiam.

III. Quia Diabolus rabiosius[93]) saevit in Ecclesiam.

IIII. Vult Deus crescere in nobis agnitionem infirmitatis nostrae et deponere nos fiduciam nostri et accendi invocationem Dei, ideo magis exercet sanctos, ut Paulus inquit [2. Cor. 1, 9.]: Responsum mortis in nobis habuimus, ne essemus confidentes nostrae virtuti, sed invocaremus Deum.

V. Ut afflictiones sint testimonia immortalitatis et futurae gloriae. Quia enim hic non est discrimen inter Neronem et Paulum, postea futurum esse necesse est.

VI. Ut afflictiones sint testimonia doctrinae. Quia enim sancti anteferunt confessionem suae vitae, apparet eos serio sic sentire.

VII. Ut efficiamur similes imaginis Filii Dei. Sic Abel, Isaac, Baptista, Ieremias, Iesaias fuerunt typi Christi.

VIII. Saepe afflictiones sunt poenae certorum delictorum, ut Davidis, Manassae exilia, Regis Babylonici morbus.

IX. Ut appareat sanctos obedientiam praestare non suae voluptatis caussa, sed propter Deum.

X. Ut Ecclesia sciat se non humanis praesidiis niti, sed habere custodem Deum. Ideo exercetur Abraham periculis peregrinationum, in quibus circumfert doctrinam. Sic populus retinetur in deserto etc.

Haec tota doctrina de praecipuis fontibus calamitatum humanarum ignota est Philosophiae, quae putat mortis humanae caussam esse materiae fluxibilitatem, sicut beluinae mortis, et cumulari miserias aut casu aut[94]) humana imprudentia. Sed Ecclesia monstrat alias potiores caussas. Omittantur ergo fabulae de compensatione Purgatorii, quae nulla habent testimonia in scriptura Prophetica et

91) eum *omittunt* Editt. 1. 3.

92) Iesaiae, *omittunt* Editt. 22. 24. 28. 29. 31—33. Opp. 1. 2.

93) rabiosius] sic Editt. 1—3. 6. 7. 9. 12. 16. 17. 28—34., Opp. 1. 2.; Editt. 4. 5. 8. 10. 11. 13—15. 18. 19. 21—24. rabiosus; Editt. 20. 25—27., Corp. 1—8. rabiose

94) aut casu aut] Editt. 1. 3. sola

Apostolica, et cogitentur aliae maiores caussae calamitatum, ut iram Dei agnoscamus et expavescamus et rursus veram consolationem nobis proponamus. Denique sciamus hunc extremum finem esse omnium calamitatum, ut crescant Fides et Invocatio, iuxta illud [Psalm. 49, 15.]: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te.

Quinto. Etsi Deus saepe punit certa peccata certis poenis, tamen sciendum est poenas mitigari nostra poenitentia aut prorsus remitti, ut testatur historia Ionae. Et Ies. 1. [vs. 18.] dicitur: Si fuerint peccata vestra ut coccinum, erunt candida ut nix. Item [Zach. 1, 3.]: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos. Ierem. 3. [vs. 22.] Convertimini, filii, et sanabo aversiones vestras. Et 30. [vs. 11.] Castigabo te in iudicio, ne tibi innocens videaris, id est, admonebo te de tuo peccato castigatione aliqua, nec tamen perdam te. Ioël 2. [vs. 13.] Convertimini ad Deum, quia misericors est etc. et remittens poenam. 1. Cor. 11. [vs. 31.] Si nos ipsi iudicaremus, non iudicaremur. Pertinent huc et illa dicta, quae petunt mitigationem in poenis et simul testantur peccata mereri maiorem poenam, Sed Deum parcere infirmitati nostrae, ut [Psalm. 129, 3.]; Si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit? id est, Si poenas omnes exequi velles, subito omnes extingueremur. Item [Psalm. 6, 2.]: Domine, ne in furore tuo arguas me. Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum. Ierem. 10. [vs. 24.] Corripe me, Domine, verum in iudicio, et non in[95]) furore tuo, ne ad nihilum redigas me. Oseae 11. [vs. 8.] Quomodo dabo te, Ephraim, quomodo affligam te, Israël? Iuste te delerem sicut Adama et Seboim. Cor meum mutatum est intra me, exarsit commiseratio mea. Non faciam furorem irae meae, non delebo Ephraim, Quia Deus ego sum, et non homo, in medio tui sanctus; Id est: Cum inter vos me patefecerim, meum verbum vobis tradiderim, nolo vos prorsus deleri; Reliquias inter vos servabo. Habac. 3. [vs. 2.] Cum irasceris, misericordiae recordaris.

Postremo semper in conspectu sit dictum Ezech. 33. [vs. 11.] quod etiam de mitigatione poenarum concionatur: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Pertinent huc et plurima exempla eorum, quos sanat Christus, quibus praesentes poenae remittuntur.

Has sententias et similes quotidie nobis in precatione proponamus, cum de publicis et privatis poenis cogitandum est et petenda mitigatio. Ipsae nos aerumnae de his sententiis admoneant, et meminerimus utrumque, castigari nos praesentibus poenis, et mitigari eas nostra poenitentia et invocatione. Hanc esse sententiam multorum aliorum dictorum etiam iudico, ut: Eleemosynae liberant a peccato, videlicet quod ad praesentes poenas attinet, id est, merentur mitigationem calamitatum huius vitae. Haec doctrina de poenis praesentibus et earum mitigatione utilis est ac pias mentes de multis magnis rebus admonet, de ira Dei, de caussis multarum magnarum calamitatum, de promissionibus divinis, de exercitio fidei et bonorum operum. Docemus enim tota poenitentia mitigari poenas hominum, non illis ritibus satisfactionum, de quibus Monachi loquuntur, quos dicunt esse opera indebita et valere etiam cum fiunt in peccato mortali. Sed multa sunt deliramenta in opinione Monachorum, quorum aliqua satis est refutasse.

Sexto. Satisfactiones Monachorum obscurant Legem et Evangelium, et amplificant dignitatem traditionum humanarum. Fingunt enim in satisfactionibus aliquid amplius fieri quam Legem Dei, somniant reliquis operibus Legi Dei satisfactum esse. Necesse est autem in Ecclesia extare hanc doctrinam, quod in hac vita procul absint etiam renati a perfectione Legis.

Deinde obscurant Evangelium, quia fingunt mortem aeternam nostra compensatione aboleri; Imo indocti facile transferunt satisfactiones etiam ad remissionem culpae.

Tertio amplificant traditiones humanas, definiunt enim satisfactiones esse opera non debita, hoc est, ceremonias humanas, certorum dierum ieiunia, certorum ciborum abstinentiam, certarum precum lectionem. Necesse est autem in Ecclesia extare hanc vocem: Frustra colunt me mandatis hominum, id est, observationes humanae non sunt cultus Dei, ac multo minus aestimationis tantae, ut sint compensatio[96]) pro morte aeterna.

Ex his omnibus constat: etiamsi vetustas ritus aliquos habuit, quibus[97]) polluti a ceteris discernebantur, tamen opiniones Monachorum de Satisfactionibus et Compensationibus commenticias et inanes esse. Falsum est enim mortem aeternam aboleri nostra compensatione, sed piae mentes deducendae sunt ad Christum propitiatorem, et lux fidei retinenda est, ut meritum Christi agnoscatur. Haec docet gratis, non propter nostra opera, tolli culpam et mortem aeternam, et tamen interim sciendum est Ecclesiam cruci subiectam esse et saepe puniri certa delicta certis poenis temporalibus, Has vero mitigari tota poenitentia nostra et debitis operibus. Quare ut poenitentia crescat, accendatur studium proficiendi in bonis operibus vocationis et

95) in *omittunt* Editt. 1—4. 6. 7. 9. 12.

96) compensatio] Ed. 1. compensatione, Ed. 3. compensationes

97) quibus] Editt. 1. 3. quo

universa obedientia Deo debita, et discernantur veri cultus ab observationibus humanis.

Clament alii de ceremoniis Canonicarum satisfactionum, quantum volent, tamen haec, quae dixi, vera, perspicua, firma et piis utilia sunt et in Ecclesia saepe proponenda.

Nec ego ignoro quaeri nunc varios praetextus ad defensionem eius ceremoniae. Sophistica enim infinita est. Allegant Cyprianum, qui de censura loquitur, quae erat mos politicus, ad exemplum pertinens, non ad remissionem peccatorum. Denique opiniones Monachorum de compensatione poenarum purgatorii etc. nondum natae erant Cypriani tempore.

Quidam contendunt Satisfactionem castigatoriam retinendam esse, sicut incestum castigavit Paulus. Ea castigatio erat excommunicatio, quae, cum fit vero iudicio, est grave fulmen, addit enim Deus poenas, ut scriptum est [Genes. 12, 3.]: Maledicam maledicentibus tibi. Toties autem diximus contumaces excommunicatione feriendos esse. Si vult Ecclesia etiam exempli caussa cum quadam gravitate et moderatione addere notam in recipiendis lapsis, talis mos non improbatur, modo non misceantur opiniones de compensatione. Nec fingatur mos ille necessarius esse propter compensationem poenarum aeternarum aut Purgatorii, sicut olim superstitutione ritus satisfactionum creverunt.

Obiiciunt adversarii haec argumenta: Sicut misericordiae Dei est remittere peccata, sic iustitiae est punire. Necesse est igitur fieri commutationem poenarum, sicut non remisit Adae et Davidi sine poena. Respondeo: Verum est antecedens. Est iustitiae Dei punire, et principalis poena ac placans iram Dei translata est in Filium. Deinde in conversis etiam universaliter punit Deus peccata in contritione, sicut inquit Ezechias [Ies. 38, 13.] Sicut leo contrivit omnia ossa mea. Hic dolor in Adam, in Davide et aliis piis multo acrior est, quam mors ipsa. Deinde punit et pleraque delicta certis poenis praesentibus, saepe tamen etiam parcit, nec omnes poenas exequitur. Nam haec infirma natura tantam iram sustinere non potest, sicut dicitur [Ps. 129, 3.]: Si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit? Et Psal. 77. [vs. 38.] Et non accendit omnem iram suam. Ideo promittit mitigationem harum poenarum agentibus poenitentiam. Vult enim non subito extingui homines, sed manere Ecclesiam et multos esse idoneos ad labores vitae et Ecclesiae necessarios. Parcit igitur multis, ut hanc militiam tolerare possint.

Obiiciunt et illud: Si nos ipsi iudicaremus, non iudicaremur. Ne igitur Deus castiget, recte facit Ecclesia imponens poenas, ut antevertat divinas. Hoc argumentum, cum sit speciosissimum, diligenter considerandum est. Nam hic in re maxima fit insignis confusio hypocriticae et verae castigationis. Pauli dictum salutaris doctrina et consolatio est, ac loquitur de tota poenitentia: Si nos iudicaremus, id est, si nos ipsi accusaremus et castigaremus vero dolore et converteremur, non obrueremur poenis a Deo. Sicut sententiae supra citatae docent poenitentia tolli vel mitigari poenas. Ies. 1. Et Ioël 2. [vs. 13.] Convertimini ad Dominum, quia bonus est et remittens poenam. Et aliae similes sententiae. Et recte sequitur: Castigante Ecclesia mitigari castigationem divinam. Sed haec non intelligantur hypocritice de ceremoniis, sed de vero ministerio Ecclesiae, quae poenitentiam proponit non in ceremoniis, sed in conversione ad Deum. Est igitur vera castigatio, verus dolor cordis et morum emendatio. Non est spectaculum certi ritus excogitati ab hominibus, ut fuerunt spectacula satisfactionum. Ecclesiae ministerium spirituale est, et de conversione cordis ad Deum, de vero dolore, de vera renovatione spirituali concionatur. Haec merentur mitigationem poenarum; est enim cultus Deo placens. Nec vero castigationes aut ulla opera sine aliis partibus poenitentiae, id est, sine contritione et sine fide merentur mitigationem, quia opera sine timore et sine fide non sunt cultus Dei, quantumvis splendida sunt. Nam lex Dei de corde praecipit [Deut. 6, 5.]: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde etc. Et Rom. 7. [vs. 6.] dicitur: Serviamus in novitate spiritus, non in vetustate literae, id est, vera conversione cordis ad Deum, non externis tantum officiis et ritibus. Diligenter ergo in hoc loco observetur haec confusio, quod pro vera castigatione, id est, integra[98]) poenitentia proponunt umbram, scilicet externas ceremonias satisfactionum, cum dictum Pauli, Si nos iudicaremus etc. transferunt ad sua spectacula satisfactionum. Estque fallacia a dicto secundum quid ad simpliciter, [99]) iuxta exemplum: Est homo pictus, ergo est homo, ubi umbra pro rebus ostenditur.

Ornant satisfactiones et titulo mortificationis: cum praeceptum sit de mortificatione carnis, recte (inquiunt) Ecclesia imponit aliquas mortificationes agentibus poenitentiam. Hic iterum admonendi sunt pii, ut discernant hypocrisin seu opera indebita a mortificatione debita. Mortificatio non simulata est aut verus dolor in contritione aut patientia sustinens veras afflictiones, ut David obiurgatus a Nathan, cum vere expavisset agnitione irae Dei et esset in vero dolore; Item deinde cum calamitates, quae secutae sunt, perferret, sustinuit mortificationem, de qua dicitur 2. Cor. 4. [vs. 10.] Undique

98) integra] Editt. 22. 24. 28—34. in integra

99) ad simpliciter,] Editt. 26. 27., Corp. 1—8. ad dictum simpliciter,

mortificationem Domini Iesu Christi [100]) in corpore circumferentes. Et Rom. 6. [vs. 6.] Vetus noster homo simul crucifixus est. Et Rom. 12. [vs. 1.] Exhibete corpora vestra hostiam viventem, rationalem etc. Haec dicta non de simulata torvitate, sed de vero dolore et vera tolerantia loquuntur, de quibus in Psal. [50. 19.] dicitur: Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Et apud Petrum [1. ep 5. 6.]: Humiliamini sub potenti manu Dei etc. Haec patientia debitum opus est et verus cultus Dei, de quo alias dictum est. Et cum Ecclesia cruci subiecta sit, intelligit hunc cultum Deo necessario praestandum esse, et longe discernit a simulatis externis exercitiis aut commenticiis satisfactionibus. Nec sunt mortificationes sine mandato Dei accersitae corporis lacerationes, sicut sacrificuli Baal sibi ipsi vulnera faciebant. Tales ultro accersiti cruciatus pertinent ad regulam: Frustra colunt me mandatis hominum. Item pugnant cum his praeceptis [Exod. 20, 13.]: Non occides; Item: Habete honorem corpori etc. Vult enim Deus nos agnoscere hanc nostram vitam et mirificam omnium partium ac sensuum naturam et harmoniam suum opus et donum esse, imo et Dei imaginem continere. Ideo reverenter tractari et servari vult hominum naturam, non vult contaminari sceleribus, non vult corrumpi eam seu voluptatibus seu cruciatu. Sed quia peccatum haeret in nobis, alioqui satis erit calamitatum, quae cito hanc mortalem naturam absumunt. Has ferre iubet, cum inquit [Matth. 6, 34.]: Sufficit diei afflictio sua, id est, non accersite vobis ultro maiores calamitates, sed recte tolerate illas, quae propter mundi miseriam vos attingunt etiam non accersitae. Haec de vocabulo mortificationis utile est monere, ut ab hypocrisi discernantur veri dolores. Deinde est alia quaedam voluntaria diligentia coërcendi carnem, videlicet temperantia in cibo, potu, sedulitas in laboribus, acris intentio in studia, precationem et alia negotia vocationis, reprimere errantes motus libidinum, frenare iracundiam. Haec omnia sunt opera debita et virtutes, de quibus saepe praeceptum est. Luc. 21. [vs. 34.] Cavete, ne corda vestra graventur crapula. Rom. 6. [vs. 13.] Non exhibete membra vestra arma iniustitiae. 1. Cor. 9. [vs. 27.] Captivo corpus meum et in servitutem redigo.

Haec exercitia coërcendae carnis docenda, praecipienda et praestanda sunt, non ut sint compensationes pro praeteritis peccatis, sed ut deinceps arceant peccata. Nam luxus, otium et negligentia invitant multa vitia, ut dicitur: Sedit populus manducare et bibere et surrexit ludere, et quotidiana vita declarat verissime dictum esse:

> Luxuriant animi rebus plerumque secundis. [1])

Item:

> Pectora dum gaudent, nec sunt astricta dolore,
> Ipsa patent, blanda tunc subit arte Venus. [2])

Ac potest esse diligentia coërcendi carnem etiam in non renatis, ut in Socrate, Pomponio Attico et similibus fuerunt multae virtutes, temperantia, continentia, mansuetudo. Sed in renatis aliae sunt caussae adiuvantes et alii fines. In Ioseph haec concurrunt: ipse regit oculos suos et fugit adulterium, simul autem petit auxilium Dei, ut adiuvetur, ne vincant illecebrae; Deinde suam continentiam refert ad gloriam Dei, non vult doctrinam scandalis deformare. Hanc luctam pios intelligere oportet, et quia res difficilis est, ideo Paulus nomine mortificationis et hanc luctam comprehendit, ut cum inquit: Si actiones carnis spiritu mortificabitis, vivetis. Non enim tantum coerceri praecipit, ut Socrates coercuit, sed spiritu, id est, intuentes Deum, deplorantes infirmitatem naturae, petentes auxilium Dei, repugnantes Diabolo. Sic et alibi dicit: Mortificate membra vestra, expavescite cogitatione iudicii Dei et frenate pravos affectus.

Haec exercitia sciamus et debita esse et oportere esse perpetua, non ut satisfactiones certi temporis et modi erant. Ideo Ecclesia perpetuo ea praecipit in concionibus. Sed quae singulis forma conveniat, cuiusque conscientiae et opportunitati relinquendum est, ne laquei conscientiis iniiciantur, et praescriptio certae formae, certorum ciborum ac ieiuniorum, cum sit traditio humana, pertinet ad regulam, Frustra colunt me mandatis hominum, et ad temperantiam non multum conducit. Nos vero memores simus perpetui mandati de temperantia et continentia: Ebriosi, Fornicatores non possidebunt regnum Dei.

[XIV.]

DE PRAEDESTINATIONE.

Cum nulla sit politia humana, nullus coetus magnus sine multis vitiis, et omnes gentes aliae aliis calamitatibus exerceantur, saepe quaerunt animi hominum, an aliqua pars generis humani peculiariter curae Deo sit, et quae sit illa pars, an Deus aliquos audiat, aliquibus opem ferat, an aliquid agat cum ullis, nisi ut movent caussae secundae.

100) Christi *omittunt* Editt. 1. 3.

1) Ovid de arte am. II, 437.

2) Ibid. I. 361 sq.

Deinde accedit difficilior quaestio, cum res ipsa loquatur, nulla imperia perpetua esse et magnas accidere omnium gentium dissipationes, ubi mansura sit Ecclesia Dei in hoc mundo. Vidit eam Ioannes Ephesi, Smyrnae et locis[3]) vicinis. Nunc in iisdem locis omnia plena sunt Turcicis furoribus damnantibus Evangelium, nec sedes ulla perpetua est Ecclesiae Dei in hac mortali vita. Adversus has quaestiones firmis et illustribus testimoniis Deus ipse nos munivit, ac primum esse aliquem coetum, quem diligat, curet et aeternis bonis ornaturus sit, ipse manifestis miraculis declaravit, ad quae oculos referamus, ut nos confirmemus, ad servationem Noë in diluvio, ad eductionem populi ex Aegypto, ad missionem et facta Prophetarum, ad restitutionem mortuorum factam a Christo, Prophetis et Apostolis. Haec omnia testantur esse coetum illum Deo curae, cui exhibentur haec beneficia, et Deum vere illis adesse et multa agere praeter ordinem et motum secundarum caussarum. Est igitur aliqua Ecclesia Dei, nec totum genus humanum ad interitum et praesentes miserias ac vices materiae pereuntis conditum est, ut poma aut pecudes, quarum materia ruit subinde, aliam formam in his vicibus generationum et corruptionum induens. Etsi vero oculi vident humana corpora nunc similiter obnoxia esse morti, tamen illa miracula et resuscitatio mortuorum testantur humanum genus aliter et ad alios fines conditum esse; Ac Ecclesiae patefacta est origo hominum et caussa mortis et restitutio humani generis.

Haec doctrina humanis opinionibus et illis de materia speculationibus opponenda est, et cogitemus non minus beneficium Dei esse, quod sese patefecit humano generi tam multis et tam illustribus testimoniis, quam ipsam rerum creationem. Quanquam autem assiduae et magnae sunt regnorum ruinae, tamen mansuram esse Dei Ecclesiam, sciamus ex ipsis Dei testimoniis. Ut hanc consolationem teneamus, utile est aliquid de electione seu de praedestinatione praecipere.[4])

Christus inquit Ioan. 10. [vs. 27.] Oves meae vocem meam audiunt, et ego novi eas, et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et nemo rapiet eas de manibus meis. Et Eph. 1. [vs. 4.] dicitur: Elegit nos in Christo ante creationem mundi. Et 2. Tim. 2. [vs. 19.] Fundamentum Dei stat firmiter habens hoc sigillum, Novit Dominus suos.

Mansura est igitur semper aliqua electorum Ecclesia, quam Deus mirabiliter etiam in hac vita servat, defendit et gubernat, sicut Ies. 46. [vss. 3 sq.] dicitur: Portamini in utero meo, gestamini in mea alvo,[5]) usque ad senectam ego portabo, id est, etiam ultimis tristissimis temporibus ego senescentem Ecclesiam portabo, ego feci, ego feram, ego gestabo et salvabo etc. Talibus sententiis ac promissionibus consolemur nos, cum in his confusionibus et ruinis imperiorum solliciti quaerimus, ubi mansura sit Ecclesia.

Semper autem disputatum est de caussa electionis. Sicut fratres duo, Cain et Abel, disputarunt, cur alteri praelatus sit; Disputarunt idem Esau et Iacob. Ac plerumque hi, qui nihil nisi rationis aut legis doctrinam norunt, cogitant ut de iudice humano, caussam electionis legem esse seu nostra merita et dignitatem. Sic Iudaei sentiebant, sic scripserunt plerique Sententiarii. Sed nos teneamus has tres hypotheses.

Prima est: Nec ex ratione nec ex lege iudicandum est de electione, sed ex Evangelio.

Altera est: Totus numerus salvandorum propter Christum electus est. Quare nisi complectamur agnitionem Christi, non potest de electione dici.

Tertia est: Non aliam iustificationis, aliam electionis caussam quaeramus. Ideo Petrus est electus, quia est membrum Christi, sicut ideo iustus est, id est, Deo placens, quia fide factus est membrum Christi. Ut igitur, cum de iustificatione loquimur, ab Evangelio seu agnitione vocis Evangelii ordimur; sic de electione dicturi complectamur vocem Evangelii. Sic nobis iudicandum est, qui a Christi agnitione et Evangelio ordiri debemus.

Quaeramus ergo promissionem, in qua voluntatem suam expressit Deus, et sciamus non esse aliam voluntatem quaerendam de gratia extra verbum, sed mandatum Dei immutabile esse, ut audiamus Filium, sicut dixit: Hunc audite. Haec vox promissiones omnes complectitur. Sit igitur infixum animis, et in quotidiana invocatione semper cogitetur mandatum Dei aeternum et immutabile esse, ut promissioni gratiae credamus, quae est summa Evangelii, sicut perpetuo consensu docent Prophetae, Christus et Apostoli, ut Ioan. 3. [vs. 16.] dicitur: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut omnis, qui credit in eum, non pereat. Et Ioan. 6. [vs. 40.] Haec est voluntas Patris, ut omnis, qui credit in Filium, habeat vitam aeternam.

Denique haec propria et praecipua vox est Evangelii. Ut autem praedicatio poenitentiae universalis est et omnes arguit, ut Rom. 3. clare dicitur; ita et promissio gratiae est universalis, ut mul-

3) locis] Editt. 1. 3. in locis

4) praecipere.] Editt. 1—9. 12. dicere.

5) in mea alvo] Editt. 18. 20. 22. 24—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2. in meo alvo; Editt. 15—17. 21. in alvo meo

ta dicta testantur. Matth. 11. [vs. 18.] Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis. Ioan. 3. [vs. 16.] Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat. Rom. 3. [vs. 22.] Iustitia Dei per fidem Iesu Christi, quae est in omnes et super omnes credentes. Rom. 10. [vs. 12.] Idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant eum. Rom. 11. [vs. 32.] Conclusit Deus omnes sub inobedientiam, ut omnium misereatur, id est, arguit omnium inobedientiam, omnes vocat ad poenitentiam, rursus etiam omnibus misericordiam offert.

Sic et Iesaias in utraque concione ponit universales particulas cap. 53. [vs. 6.] Omnes nos quasi oves erravimus, et posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum. Act. 10. [vs. 43.] Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Act. 13. [vs. 39.] In hoc omnis, qui credit, iustificatur. Sic intelligantur simpliciter et haec dicta [1. Tim. 2, 4.]: Deus vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire. Act. 10. [vs. 34.] Non est acceptor personarum Deus. Deut. 10. [vs. 17.] Deus potens et terribilis non accipit personam; et saepe alibi. Cum enim sit iustus Deus, est aequalis aequalibus. Omnes arguit propter peccatum; Econtra omnes, qui confugiunt ad Filium, recipit.

Postquam constitutum est, promissionem esse universalem, illud etiam sciendum est, gratuitam esse, id est, recipi nos propter filium Dei, non propter nostram dignitatem etc. Omnes sumus rei, et, ut Pauli verbo utar, Omnes conclusi sumus sub peccatum, et Paulus saepe ac diligenter inculcat particulam Gratis. Tradidit igitur promissionem statim primis parentibus, et saepe instauravit et late sparsit, Imo per Apostolos circumtulit inter omnes gentes, quia vult Ecclesiam aeternam Filio colligi. Caussam igitur reprobationis certum est hanc esse, videlicet peccatum in hominibus, qui prorsus non audiunt nec accipiunt Evangelium, aut qui abiiciunt fidem, antequam hinc discedunt. In his certum est caussam esse reprobationis peccatum ipsorum et humanam voluntatem. Nam verissima est sententia, Deum non esse caussam peccati nec velle peccatum. Nota est enim vox Psalmi [5, 5.]: Non Deus volens iniquitatem tu es. Et Oseae 13. [vs. 9.] dicitur: Perditio tua est, Israël, tantum in me auxilium tuum est. Saul volens effudit Spiritum sanctum, volens moventi Spiritui sancto repugnavit. Haec de caussa reiectionis seu reprobationis certa sunt; Promissio enim requirit fidem.

Econtra vero recte dicitur, caussam electionis esse misericordiam in voluntate Dei, qui non vult perire totum genus humanum, sed propter Filium colligit et servat Ecclesiam. Hoc vult Paulus, cum 9. cap. [vs. 15.] ad Rom. citat dictum: Misereor, cuius misereor. Negat propter legem, propter praerogativam generis, homines electos esse, ut fiat illustrius, propter Filium electam et conditam esse Ecclesiam; sed tamen in accipiente concurrere oportet apprehensionem promissionis seu agnitionem Christi. Nam ideo electi sumus, quia efficimur membra Christi. Ergo ut[6]) in iustificatione diximus, aliquam esse in accipiente caussam, non dignitatem, sed quia promissionem apprehendit, cum qua Spiritus sanctus simul est efficax, ut Paulus inquit, Fides ex auditu est; ita de electione a posteriore iudicamus, videlicet haud dubie electos esse eos, qui misericordiam propter Christum promissam fide apprehendunt nec abiiciunt eam fiduciam ad extremum.

Sic cum Ioan. 6. [vs. 44.] dictum esset, Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum; sequitur statim: Omnis, qui audit a Patre et discit, venit ad me. Orditur Deus et trahit verbo suo et Spiritu sancto, sed audire nos oportet et discere, id est, apprehendere promissionem et assentiri, non repugnare, non indulgere diffidentiae et dubitationi.

Etsi autem multa disputantur durius, tamen quantacunque moles disputationum cumulatur, necesse est in vero agone ad hanc arcem confugere, videlicet quod de voluntate Dei iudicandum sit ex verbo expresso et quod promissio sit universalis, et quod sit mandatum Dei aeternum et immutabile, audire Filium et assentiri promissioni. Obtemperemus igitur, nec vagentur animi nec se mergant in tenebras quaerentes electionem extra verbum et relicto Christo et omisso mandato de amplectenda promissione, sed teneamus certa,[7]) nec dubitemus Deum vere patefecisse voluntatem suam in promissione et vere praestare, quod promisit.

Statuamus promissionem gratiae non inanem fabulam esse, sed vera fide erecti petamus beneficia et praestari ea nobis statuamus, quae in promissione proposita sunt. Haec fides crescat in quotidiana invocatione, sicut scriptum est [Ioh. 16, 24.]: Petite, et accipietis. Item [Luc. 11, 13.]: Quanto magis Pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus, non ait contemnentibus aut repugnantibus, sed agnoscentibus miseriam et quaerentibus auxilium. Item [Matth. 25, 29.]: Habenti dabitur. Item [Psalm. 67, 26.]: Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis. Et Philipp. 1. [vs. 6.] Qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque ad diem Iesu Christi, id est, adiuvamur a Deo, sed nos opor-

---

6) ut *abest ab* Editt. 22. 24. 28. 29. 31—33., Opp. 1. 2.

7) certa,] Editt. 17. 18. 20—22. 24. 28—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2. certo

tet audire verbum Dei, non repugnare Deo trahenti.

Sic et dulcissima promissio traditur ad Philipp. 2. [vs. 13.] Deus est, qui efficit in vobis, ut velitis et ut perficiatis, ut ipsi grata fiant. Deus trahit mentes, ut velint, sed assentiri nos, non repugnare oportet, et promittit se affuturum nobis, ut perficiatur inchoata salus, ut aliqua bona fiant inter homines ipsi grata, quasi diceret: In mundo furenter ruunt Diaboli et eorum organa, ut faciant ingrata Deo, confirment Epicureos furores, idola, oppressionem Evangelii, iniusta bella, flagitiosas libidines, furta, mendacia, quae iram Dei irritant. At ne totum genus humanum ad perniciem conditum sit, oportet aliqua fieri Deo grata et placentia. Haec fiunt a piis in Ecclesia, videlicet vera Dei invocatio fiducia Christi, gratiarum actio, propagatio Evangelii, tolerantia in cruce, iustitia erga proximos, amor castitatis, veritatis, pacis et aliae virtutes. Et haec bona fiunt a petentibus, ut dictum est [Luc. 11, 13.]: Dabit Spiritum sanctum petentibus. Ad Eph. 1. [vs. 4.] dicitur: Elegit nos in Christo, ut doceat nos, caussam electionis esse non nostram dignitatem, sed Christum, ne remoto Christo et Evangelio de electione cogitemus, sed caussam electionis in promissione Christi quaeramus. Item Rom. 8. [vs. 30.] Quos elegit, hos et vocavit. Dulcem, salutarem et multiplicem consolationem continet haec sententia, quae tamen velut inanis ab otiosis lectoribus praeteritur.

Prima consolatio est, quod affirmat nusquam esse electos, nisi in coetu vocatorum. Vocati autem sunt[8]) soli hi, qui audiunt, discunt et profitentur Evangelium. Hic visibilis coetus est Ecclesia, in qua semper necesse est aliquos esse electos et haeredes vitae aeternae. Plurimum autem prodest piis scire, Ecclesiam electorum in hac visibili Ecclesia collocatam esse, ut sciamus nos omnes ad vocem et ministerium Evangelii alligatos esse, nec alibi electionem aut peculiares revelationes quaerendas esse. Commendat igitur nobis hoc dictum curam audiendi et discendi Evangelii, colendi ministerii et amandae societatis Ecclesiae, et affirmat in hoc coetu visibili electos esse.

Secunda consolatio est, quod monet haec sententia non removendam esse vocationem a consilio electionis. Elegit Deus, quia vocare nos ad Filii agnitionem decrevit, et vult generi humano suam voluntatem et sua beneficia innotescere. Approbat igitur ac eligit obtemperantes vocationi. Quare vocationem intueamur, assentiamur Evangelio et non repugnemus ei; Per id enim trahit Deus, et assentientes certo recipit et adiuvat. Toties enim iam dictum est, Deum efficacem esse per Evangelium. Ideo Augustinus, quamlibet durus est in hac disputatione, tamen in libro de Praedestinatione et Gratia sic scripsit: Eos, qui vocationis munus congrua pietate susceperunt, et, quantum in homine est, Dei in se dona servantes adiuvat.

Tertia consolatio est, quod testatur huic vocato visibili coetui vere adesse Deum et in hoc coetu vocato ac visibili efficacem esse. Id enim haec verba convincunt [Rom. 8, 30.]: Quos vocat, hos et iustificat; Quos iustificat, hos et glorificat. Observet igitur lector hic doctrinam de Ecclesia, de praesentia Dei in hac visibili Ecclesia, de electione et vocatione coniungenda.

Quare non deflectamus oculos atque animos a promissione universali, sed in hanc nos ipsos includamus et sciamus vere in ea voluntatem Dei expressam esse, sicut Paulus deducit nos ad verbum inquiens [Rom. 10, 6.]: Ne dixeris, quis ascendet in coelum, ne vagentur animi quaerentes sine verbo Dei voluntatem eius, sed prope est verbum in ore tuo et in corde tuo. Nec caput nonum ad Romanos dissentit ab hac sententia, quam recensui, quod dextre intellectum dulcissima consolatio est piis mentibus. Ut enim tunc Iudaici pontifices propter ordinariam successionem et legem damnabant Apostolos; ita nunc pontifices et ceteri, qui defendunt eorum errores propter titulum seu successionem ordinariam, ut vocant, iactitant se esse veram Dei Ecclesiam et promissiones ad se transferunt et dicunt Ecclesiam non posse errare, damnant et occidunt alios, qui Evangelii puritatem amplectuntur, et tanquam seditiosos dicunt bellum inferre Ecclesiae. Adversus hanc speciem de successione ordinaria necessaria est doctrina et consolatio tradita in cap. 9. ad Romanos.

Ac duplex consolatio proponitur: Docemur, quae sit vera Ecclesia, videlicet coetus credens in filium Dei, et praemonemur hanc Ecclesiam veram non alligatam esse ad titulum seu successionem ordinariam Pontificum et collegiorum. Deinde docemur nec legem esse caussam electionis, sed propter filium Dei offerri misericordiam omnibus apprehendentibus. Et quidem aperte dicit caussam reprobationis esse pertinaciam adversus filium. Quare Israël sectando legem iustitiae non pervenit ad legem iustitiae? Quia, inquit, non ex fide, sed tanquam ex operibus legis, id est, ideo reiiciuntur, quia nolunt audire filium et assentiri promissioni, et praetexunt caussam, quia defendant iustitiam legis, quod videatur laxatio disciplinae fieri, cum detrahitur gloria operibus.

Cum igitur fascinati errore suo adversantur Evangelio, caussa reprobationis in ipsis est, sicut et postea in cap. 10. clare dicitur [vs. 21.]: Tota die expandi manus meas ad populum contradicen-

8) autem sunt] Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. sunt autem

tem. Hic affirmat Deus offerre se beneficium omnibus, sed contradicentes non accipere. Econtra dulcissime dicit: Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis, id est, misericordia est caussa electionis, sed hanc oportuit in verbo revelari et verbum accipi oportet. Ideo expresse proponit universalem, repetita eadem sententia in utroque capite: Omnis, qui credit in filium, non confundetur. Vult igitur cum misericordia concurrere apprehensionem in accipiente promissionem.

Sciant etiam studiosi phrasin Hebraicam in illis verbis, Ego indurabo cor Pharaonis, significare promissionem: Ego sinam indurari. Ut [9]) in quotidiana precatione: Ne nos inducas in tentationem. Et occurrunt [10]) exempla passim, quae testantur hac phrasi Hebraica saepissime permissionem [11]) significari.

Magna caligo est in animis hominum, in cogitatione de Deo, ac sine luce divina homines plerumque aut habent Epicureas imaginationes aut Stoicas, id est, magna pars imaginatur homines non curari a Deo. Alii fingunt Deum sedere in coelo et scribere fatales leges quasi in tabulis Parcarum, secundum quas velit distribuere [12]) virtutes et vitia, sicut Stoici de fato suo sentiebant, et cogitant ita fatali [13]) motu impelli Paridem et similes. Sed nos abiectis his deliramentis humanae caliginis referamus oculos et mentem ad testimonia de Deo proposita; Sciamus Deum esse agens vere liberum et tantum velle bona, nec velle peccata, et hanc voluntatem suam expressisse ac se patefecisse perspicuis et ingentibus testimoniis, resuscitatione mortuorum et aliis, et alligasse nos ad Evangelium suum, in quo dicit Christus [Matth. 11, 28.]: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos. Libere et vere iuxta promissionem recipit confugientes ad filium, et sinit ruere in horrendam iram aspernantes filium.

Removeamus igitur a Paulo Stoicas disputationes, quae fidem et invocationem evertunt. Quomodo enim potest Saul credere aut invocare, cum dubitat promissionem ad se pertinere, aut cum obrepit illa tabula Parcarum? Iam decretum est te reiiciendum esse, non es scriptus in numero electorum etc. Adversus has imaginationes discamus voluntatem Dei ex Evangelio, agnoscamus promissionem esse universalem, ut fides et invocatio accendi possit.

9) indurari. Ut] Editt. 1. 3. indurari, et

10) occurrunt] Corp. 2—8. concurrunt

11) permissionem] Corp. 2. 4. promissionem

12) distribuere *excidit in* Editt. 1. 3.

13) ita fatali] sic recte Editt. 1—3. 9.; Editt. 4. 6. 7. 12. in fatali; ceterae Editt.: fatali

Ceterum de effectu electionis teneamus hanc consolationem, Deum, volentem non perire totum genus humanum, semper propter filium per misericordiam voçare, trahere et colligere Ecclesiam et recipere assentientes, atque ita velle semper aliquam esse suam Ecclesiam, quam adiuvat et salvat; sicut Christus inquit [Ioh. 10, 27 sq.]: Oves meae vocem meam audiunt, et ego novi eas, et sequuntur me, et vitam aeternam do eis, et nemo rapiet eas de manu mea. Haec de effectu electionis prodest scire, ut statuamus nos exaudiri et iuvari, et sciamus Ecclesiam a Diabolo non posse deleri. Magnum certamen significat haec vox: Nemo rapiet eas de manu mea. Excitemus igitur fidem et invocemus Filium Dei servantem oves suas, quia simul dicit: Audiunt me et et sequuntur me.

[XV.]

DE REGNO CHRISTI.

Evangelium clare docet regnum Christi esse spirituale, hoc est, Christum sedere ad dextram Patris et interpellare pro nobis et dare remissionem peccatorum et Spiritum sanctum Ecclesiae, hoc est, credentibus in ipsum et invocantibus Deum fiducia ipsius, eosque sanctificare, ut resuscitet eos in novissimo die ad vitam et gloriam aeternam. Et ut haec beneficia consequamur, ordinatum est ministerium Evangelii, per quod vocantur homines ad agnitionem Christi. Et Spiritus sanctus per Evangelium est efficax etc. Interim vero ante novissimum diem Ecclesia in mundo patietur persecutionem, et erunt mali bonis admixti in Ecclesia. Haec est vera et germana sententia Evangelii de regno Christi et Ecçlesiae. Estque execrandus et damnandus error ille Iudaicus Anabaptistarum, qui fingunt Ecclesiam ante novissimum diem politiam quandam mundanam futuram esse, in qua regnent pii et armis deleant omnes impios et occupent omnia imperia etc.

Colligemus itaque testimonia de spirituali regno non solum ad refutandos fanaticos spiritus, sed etiam quia prodest has sententias habere in conspectu, ut nos consolentur et exuscitent ad exercitia spiritualia, ad fidem, ad orationem, [14]) ad poenitentiam. [15]) Nam error ille Iudaicus praeter cetera incommoda hoc quoque habet, quod obscurat et prorsus obruit consolationes spirituales et delet exercitia spiritualia, quia mentes humanae expectantes tantum illa nova imperia obliviscuntur rerum

14) orationem,] Editt. 2. 9. errore typ.: ordinationem,

15) poenitentiam.] Editt. 1—3. 6. 7. 9. patientiam.

spiritualium et opprimuntur desperatione, cum non contingit illud speratum otium, quod somniarunt.

QUOD REGNUM CHRISTI SIT SPIRITUALE. 16)

Ioan. 17. [vs. 2.] Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam aeternam; Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant[17]) te solum Deum verum et quem misisti Iesum Christum. Hic Christus testatur suum beneficium et regnum suum esse vitam aeternam; Et definit, quid sit vita aeterna, videlicet, non aliqua mundana dominatio, sed vera et ardens[18]) notitia Dei et Domini nostri Iesu Christi.

Rom. 8. [vs. 34.] Qui est in dextra Dei et interpellat pro nobis etc. Et Ies. 11. [vs. 10.] Stabit radix Iesse, ipsum gentes deprecabuntur etc. Hae sententiae describunt sacerdotium et regnum Christi, et testantur utrumque spirituale esse, Hoc est, Christum non constituere aliquod mundi imperium, sed apud Patrem pro nobis interpellare, ita regnare, ut velit invocari, exaudire, sanctificare, custodire Spiritu sancto eos, qui ipsum invocant. Sicut et alias scriptum est [Rom. 8, 14.]: Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Item [Ierem. 31, 33.]: Dabo Legem meam in corda eorum. Haec beneficia obscurantur, cum expectamus regnum corporale etc.

Rom. 8. [vs. 17.] Cohaeredes Christi, siquidem simul patimur, simul etiam glorificabimur. Item [Rom. 8, 24.]: Spe salvi facti sumus. Item [ibid. vs. 29.]: Quos praescivit, hos vult conformes fieri imaginis filii sui. Item [ibid. vs. 36.]: Propter te mactamur tota die, reputati sumus velut[19]) oves occisionis etc. Hae sententiae testantur, quod glorificatio non contingat in hac vita, sed oporteat nos in hac vita afflictiones et persecutionem pati. Matth. 16. [vs. 24.] Si quis vult me sequi, abneget se ipsum et tollat crucem suam et me sequatur. Ioan. 16. [vs. 22.] In hoc mundo pressuram habebitis. Et 2. Tim. 3. [vs. 12.] Omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur. Hae sententiae clarissime docent Ecclesiam in hac vita subiectam esse afflictionibus. Col. 3. [vs. 3.] Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo; Quando Christus manifestabitur, qui est vita vestra, tunc et vos cum eo manifestabimini in gloria. 1. Ioan. 3. [vs. 2.] Nunc filii Dei sumus, sed nondum manifestum est, quales erimus; scimus autem, cum manifestabitur, similes nos ei futuros esse, quia videbimus eum, quemadmodum est etc. Docet et hic locus gloriam regni Christi non esse imperium mundanum, sed spirituale, hoc est, ut resuscitati habeamus novam et aeternam iustitiam ac vitam, qualis est Christi resuscitati gloria.

Item Paulus clare dicit, Antichristum dominaturum esse usque ad novissimum iudicium, in quo veniens Christus destruet regnum Antichristi; igitur[20]) vera Ecclesia non occupabit imperia, sed multo magis versabitur in maximis periculis et afflictionibus. Et 2. Petr. 3. [vs. 3.] dicitur, venturos esse postremis temporibus illusores, qui palam derideant religiones. Erunt ergo[21]) qui persequentur Ecclesiam. Et Daniel clare dicit, bestias, hoc est, imperia coniici in ignem, cum apparet Christus ad iudicandum. Durabunt igitur imperia aliqua impia usque ad novissimum diem. Ioan. 20. [vs. 20.] Cum Christus mittit Apostolos, tantum dat mandatum docendi et inquit: Sicut me misit Pater, sic ego mitto vos. Constat autem Christum missum esse ad ministerium Evangelii, non ad occupanda imperia mundi; sicut ipse inquit [Ioh. 18, 36.]: Regnum meum non est de hoc mundo. Et prohibet Apostolos[22]) imperia rapere, cum ait [Luc, 22, 25.]: Reges Gentium dominantur, vos autem non sic. Item Matth. 5. [vs. 39.] Ego autem praecipio vobis, ne resistatis malo, hoc est, ne praetextu Evangelii et novi regni constituendi arma capiatis. Sunt igitur missi Apostoli ad ministerium Evangelii, hoc est, ad docendum, non ad rapienda imperia mundi. Ideo et Paulus inquit: Evangelium est ministerium Spiritus, id est, in Evangelio offeruntur bona spiritualia et aeterna, non constituimus nova imperia mundi. Et 2. Cor. 10. [vs. 4.] inquit: Arma militiae nostrae non sunt carnalia, sed potentia Deo ad demoliendas cogitationes etc.[23]) Item 2. Cor. 5. [vs. 20.] Pro Christo legatione fungimur commendantes nos tanquam Dei ministros in afflictionibus. Item: Non dominamur fidei vestrae.

Cum igitur Apostoli tantum habeant mandatum docendi, impium est sentire, quod doctores Evangelii debeant armis constituere nova quaedam imperia; sicut Iudaei et Anabaptistae somniant, postremis temporibus regnum Dei in terris tale constituendum esse, in quo sancti dominentur et armis deleant omnes impios, nec in Ecclesia hypocritas ullos futuros esse. Atque hoc Iudaicum delirium

---

16) *Hanc inscriptionem omittit* Ed. 3.

17) cognoscant] Editt. 1 — 9. 12. agnoscant (Ed. 1. typ. errore: agnosant)

18) et ardens *absunt ab* Editt. 1. 3.

19) velut] Editt. 26. 27., Corp. 1—8. sicut

20) igitur] Editt. 26. 27., Corp. 1—8 ideo

21) ergo] Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. igitur

22) Apostolos] Editt. 1. 3. Apostolis

23) etc. *abest ab* Editt. 1. 3.

saepe in Ecclesiam irrepsit. Fuerunt enim et olim fanatici spiritus Chiliastae et Pepusiani, qui tale regnum Anabaptisticum somniarunt.

Reliquum est, ut testimonia colligamus, quae docent in Ecclesia usque ad novissimum diem promiscue futuros bonos et malos. Luc. 17. [vs. 28.] Sicut factum est in diebus Lot, sic erit, qua die Filius hominis revelabitur. Item [ibid. vs. 34.]: In illa nocte erunt duo in lecto uno, unus assumetur et alter relinquetur. Matth. 13. [vs. 30.] de zizaniis: Sinite utraque crescere usque ad messem etc. Et paulo post [vss. 39. 41.]: Messis consummatio seculi est; Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent de regno eius omnia sandala et eos, qui faciunt iniquitatem etc. Item [vss. 49 sq.]: Sic erit in consummatione seculi: Exibunt Angeli et separabunt malos a iustis et mittent eos in caminum ignis etc. Hae sententiae testantur non futuram esse separationem sanctorum ab hypocritis, nisi in novissimo iudicio.

Praeterea et hoc considerandum est, Pastores habere[24]) mandatum excommunicandi verbo sine vi corporali reos manifestorum scelerum. Non est humani iudicii corda inspicere et de illis iudicare, qui non habent manifesta delicta. Ideo Paulus dicit [1. Tim. 5, 19.]: Adversus Presbyterum non recipias accusationem nisi testibus adhibitis. Ergo qui non possunt convinci testimoniis, non debent humano iudicio separari. Impossibile est igitur talem Ecclesiam constituere ante novissimum diem, in qua nulli sint hypocritae; Sed Pastores faciant suum officium, pure et fideliter doceant et Ecclesiae glorificationem commendent Christo. Interim in hac vita semper erunt Ecclesiae admixti mali, et multi impii tenebunt imperia mundi et crudeliter persequentur Ecclesiam usque ad gloriosum Christi adventum. Et tamen in his persecutionibus Christus suo consilio aliquas reliquias servat, ne penitus deleatur Ecclesia. Tale est regnum Christi in hac vita.

Constat et illud: Etiamsi nova aliqua talis Ecclesia futura esset, tamen doctores proprio consilio sine manifesto mandato Dei non debent arma capere ad talem Ecclesiam constituendam etc. Quanquam nec ullum novum mandatum expectandum est. Non enim edet Christus mandatum contrarium Evangelio.

Quod vero Iudaei et Anabaptistae citant Prophetas, qui, cum de regno Christi loquuntur, saepe figuris utuntur sumptis ab imperiis mundi; ad hoc primum respondeo: Evangelium est interpretatio Prophetarum. Cum igitur Evangelium clare doceat regnum Christi esse spirituale, afferre bona spiritualia et aeterna, nec occupare dominationem in mundo, sed magis pati persecutionem, debemus et Prophetas intelligere iuxta Evangelium. Itaque Apostoli in Actis sententias de regno promisso Davidi clare transferunt ad hoc regnum spirituale subiectum persecutioni etc. Et Christus reprehendit ipse Apostolos, cum haberent Iudaicam persuasionem ac putarent se occupaturos esse mundi imperia.

Secundo, Prophetae ipsi quanquam variis utuntur figuris, tamen interim etiam diserte testantur regnum Christi fore spirituale. Daniel clare dicit [9, 26.]: Christus occidetur. Et Iesaias [53, 10.]: Ponet animam suam pro peccato. Ergo non habebit dominationem corporalem in hac vita. Praeterea affirmant regnum Christi esse aeternum, nulla autem corporalis politia est aeterna in hac vita. Ideo figuras corporalis politiae, quas interdum accommodant ad regnum Christi aeternum, necesse est allegorice intelligi. Atque id regnum aeternum in hac vita in Spiritu et fide inchoatur, et postea durat perpetuo post hanc vitam. Ideo Prophetae interdum ita loquuntur, ut non discernant tempora huius vitae et futurae vitae. Interdum vero discernunt et palam vaticinantur, Ecclesiam in hac vita passuram esse persecutiones. Sicut docet Psal. 2. [vs. 2.] Astiterunt Reges terrae et Principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius. Et Psal. 115. [vs. 15.] Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Et Psal. 71. [vs. 14.] Pretiosus sanguis eorum coram ipso. Et venuste describit Iesaias Ecclesiam in hac vita, cap. 30. [vs. 20.] Dabit vobis Dominus panem arctum et aquam exiguam, et non auferet ultra a te doctorem tuum etc. Hic testatur Ecclesiam conservandam esse, sed tamen inter afflictiones.

Daniel aperte vaticinatur de persecutione ante novissimum[25]) diem [11, 33.]: Et docti in populo docebunt plurimos et ruent in gladio. Et postea statim sequitur [12, 1 sq.]: In tempore illo salvabitur populus tuus omnis, qui scriptus est in libro: Et multi de his, qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt, alii in vitam aeternam, alii in opprobrium sempiternum.

Hi loci et similes tenendi sunt, ut habeamus consolationem in cruce et vere intelligere discamus regnum spirituale, hoc est, quaerere consolationes spirituales et exercere fidem. Et satis perspicue refutant hi loci Iudaicam et fanaticam persuasio-

24) habere] sic Editt. 17. 21. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2.; ceterae Editt.: habent

25) novissimum] sic Editt. 1—4. 6. 7. 9. 12.; ceterae Editt.: novissimam

nem de corporali dominatione Sanctorum in hac vita.

[XVI.]

DE RESURRECTIONE MORTUORUM.

Non solum doctrina, quae affirmat futuram esse hominum mortuorum omnium resurrectionem, secuturum[26]) postea iudicium, aeternam vitam, piorum gloriam aeternam et impiorum poenas aeternas, in Evangelio seu praedicatione novi Testamenti clare et perspicue sine ullis involucris tradita est; sed res etiam inchoata est, et initia illius novae vitae, in qua erit nova lux, sapientia et iustitia, sine peccato et sine morte, Apostolis et reliquo coetui coniuncto cum Apostolis monstrata sunt et palam ob oculos posita, cum Christus post mortem revixit et alii multi Patres et Prophetae resuscitati sunt. Id tam mirandum opus non frustra propositum est Ecclesiae. Voluit Christus hanc suam et aliorum resuscitationem et hos familiares congressus et colloquia dierum quadraginta apud Apostolos et reliquum coetum ipsis coniunctum illustre et evidens testimonium esse de resurrectione et vita aeterna. Quod si saepe cogitaremus, non solum assensus seu fides in animis nostris de hoc articulo confirmaretur. sed etiam facilius ferremus aerumnas huius vitae brevissimae et fugacissimae, intuentes in illud iucundissimum sodalitium Christi et resuscitatorum. Sublata est enim dubitatio tot dierum, quadraginta videlicet, conversatione et tot hominum congressibus, oculis, complexibus et colloquiis. Non enim cogitemus Christum et ceteros resuscitatos ut fugacia spectra, si quando Apostolos adierunt, subito evanuisse, sed crebri ac diuturni congressus fuerunt ei familiares sermones de hoc tanto Dei opere, de instauratione humanae naturae, de tanta gloria donata nobis per Filium, de propagatione Evangelii inter Gentes. Denique exhibita sunt certa vitae et laetitiae testimonia. Nihil simile aut maius ullo unquam tempore mundi accidit. Et cum rem tantam Deus non frustra spectandam exhibuerit, semper hanc scholam horum quadraginta dierum intueri nos animo oportebat. Hinc igitur et de multis aliis rebus et de Resurrectione ac vita aeterna testimonium petamus.

Teneamus etiam perspicua dicta in concionibus Christi, ut Matth. 25. [vs. 34.] Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum. Et Ioan. 5. Item 6. [vs. 40.] Haec est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam. Et ego resuscitabo eum in novissimo die. Et Paulus 1. Cor. 15. acriter propugnat et splendide illustrat hunc articulum.

Cum autem dicta in scriptis Apostolicis nota sint, colligemus vetusta Prophetarum testimonia, ut perpetua Ecclesiae Patrum, Prophetarum et Apostolorum sententia de hoc articulo et consensus universae Ecclesiae Dei conspiciatur.

Ies. 26. [vss. 19 — 21.] Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent; Expergiscimini et laetamini, qui habitatis in pulvere, quia ros tuus erit velut ros pratorum et terra mortuos eiiciet. Vade populus meus intra cubicula tua, claude ostia tua, abscondere modicum ad momentum, donec transeat indignatio mea. Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, ut dissipet iniquitatem habitantium terram contra eos, et revelabit terra sanguinem suum et non operiet ultra interfectos suos. Haec concio clarissime loquitur de resuscitandis mortuis, de gaudiis sanctorum, de poenis impiorum et de praesenti afflictione Ecclesiae. Quare diligenter consideranda est. Mortui tui (inquit) vivent. Vocat sanctos mortuos Dei, ut significet Ecclesiam hic affligi propter Deum; Quasi diceret: Filii tui et interfecti propter te, et qui tibi curae sunt, iterum vivent. Qualis autem erit vita aeterna? Laetamini, inquit, hoc est, pii perpetua laetitia, perfecta agnitione Dei et perfecta iustitia sine peccato et morte semper virebunt et florebunt, sicut prata revirescunt rore. Deinde aspergit consolationem de afflictionibus. Sed aliquantisper oportet Ecclesiam affligi et mortem perpeti. Erunt inclusi velut in cubiculo, scilicet quia servabuntur in Ecclesia et verbo usque ad iudicium. Postea concionatur de poenis impiorum et repetit sententiam de resurrectione: Non operiet terra ultra interfectos suos etc.

Ies. 66. [vss. 22—24.] Sicut coeli novi et terra nova, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum et nomen vestrum coram me. Et erit mensis ex mense, Sabbatum ex Sabbato, et veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus. Et egredientur et videbunt cadavera virorum, qui praevaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur et ignis eorum non extinguetur, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni. Describit et hic locus utrumque, poenas aeternas impiorum, gaudia[27]) iustorum; Et qualis sit vita aeterna, docet, cum ait, Perpetuos menses et perpetuum Sabbatum fore, hoc est, perpetuum festum diem, ut perpetuo adorent Dominum omnes sancti. Erit

26) secuturum] Editt. 1. 3. futurum

27) gaudia] Editt. 1. 3. et gaudia

ergo vita aeterna perpetua adoratio, id est, Dei cognitio et iustitia sine peccato et sine morte.

Ies. 65. [vss. 17—20.] Ecce ego[28]) creo coelos novos et terram novam, et non erunt in memoria priora, et non ascendent[29]) super cor, sed gaudebitis et exultabitis in sempiternum cum his, quae creo. Quia ecce ego creo Ierusalem exultationem et populum eius gaudium. Et exultabo in Ierusalem et gaudebo in populo meo, et non audietur in ea ultra vox fletus et vox clamoris. Non erit ibi amplius infans, qui non adolescat, Aut senex, qui non perveniat ad maiorem aetatem. Nam puer centum annorum morietur et peccator centum annorum maledictus erit.

Aliae sententiae alii planiores sunt. Sed tamen haec quoque testatur futuram renovationem totius creaturae et pios habituros esse perpetua gaudia [Ies. 65, 19.]: Non audietur in ea ultra vox fletus etc. Ergo erunt sine peccato et morte. Item [ibid, vs. 20.]: Infantes et senes perpetuo vivent; Sed pueri centum annorum et peccatores centum annorum, hoc est, illi, qui perseverant[30]) in impietate, dabunt poenas. Et quia hi loci docent Ecclesiam futuram esse in afflictionibus ante resurrectionem et primum glorificandam post resurrectionem et post renovationem universae creaturae, clare testantur Prophetae, Regnum Christi spirituale esse, nec esse politiam mundi ante resurrectionem, qualem Iudaei et Anabaptistae fingunt.

Ies. 25. [vss. 7 sq.] Et devorabitur in monte hoc facies involutorum, qua omnes populi involuti sunt, et operimentum, quo omnes Gentes coopertae sunt. Et mors devorabitur omnino, et absterget Dominus Deus omnem lacrimam ab omni facie et opprobrium populi sui auferet de universa terra. Docet et hic locus clare, mortem abolendam esse et populum Dei liberandum esse ab opprobrio et lacrimis, hoc est, a peccato, morte et persecutionibus. Quod autem initio dicit, Facies involutorum, etiam intelligit mortem, quia mortui solebant involvi pannis, cum sepeliebantur. Haec involucra tollentur, id est, mors tolletur.

Ies. 24. [vs. 21.] Et erit in die illa, visitabit Dominus super militiam coeli et super Reges terrae. Et congregabuntur congregatione unius fascis in lacum et claudentur ibi in carcere. Et post multos dies visitabuntur, et erubescet Luna et confundetur Sol, cum regnabit Dominus etc. Ies. 35. [vs. 10.] Qui liberati fuerint et redempti a Domino, venient in Zion cum laude et laetitia sempiterna. Ies. 9. [vs. 6.] Christus vocatur Pater aeternitatis, hoc est, auctor perpetuae vitae. Dan. 12. [vs. 2.] Et multi de his, qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt, alii in vitam aeternam, alii in opprobrium, ut videant semper. Oseae 13. [vs. 14.] De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos; Ero mors tua, o Mors, morsus tuus ero, inferne.[31]) Ezech. 37. [vs. 12.] Ecce ego aperiam tumulos vestros et educam vos de sepulcris vestris, populus meus etc. Huc pertinet et haec sententia Ezech. 33. [vs. 11.] Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

Pertinent ex prophetis huc omnes sententiae de aeterno Regno Christi et Sanctorum.

Ex Psal. 15. [vs. 9.] Caro mea requiescet in spe. Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Cum enim Propheta de Christo loquitur, etiam membra Christi complectitur. Scit enim per Christum destrui regnum Peccati et Mortis. Psal. 21. [vs. 30.] Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum; Vivent corda eorum in seculum seculi. Psal. 33. [vs. 22.] Mors peccatorum pessima. Ergo etiam cum peccatores in hac vita non puniuntur, necesse est eos postea puniri. Et econtra Psal. 115. [vs. 15.] Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Ergo sanctis bene erit post hanc vitam. Eodem pertinet locus: Multae tribulationes iustorum, sed ex his omnibus liberabit eos Dominus. Psal. 48. Conferuntur impii fortunati et pii afflicti. Hic docet in morte mutari utrorumque conditionem. De impiis dicit [vss. 15. 20.]: Velut oves in fovea ponuntur, et mors depascet eos, usque in aeternum non videbunt lumen. Econtra de piis dicit [vs. 16.]: Verumtamen Deus redimet animam de manu inferni, cum acceperit me. Eodem pertinet collatio in Psalm. 4. [vs. 8.] Ipsi abundant frumento et vino. In pace in id ipsum dormiam et requiescam.

Huc etiam pertinent omnes sententiae de aeterno regno Christi. Iob. 19. [vs. 25.] Scio, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum et rursus circumdabor pelle mea et in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse et oculi mei conspecturi sunt, et non alius. Hic est insignis locus, qui testatur vere nos eadem corpora recepturos esse, sed renovata,[32]) sicut Paulus docet, etc. Item docet, qualis sit vita aeterna, scilicet notitia Dei etc.

Ex Moyse argumentatur Christus: Ego sum Deus Abraham etc. Ergo Abraham vivit; Quia Deus non curat ea, quae nihil sunt.

---

28) ego] Ed. 1. typ. errore: ergo

29) ascendet] Editt. 8. 15 — 18. 20 — 22. 24 — 34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2. ascendet; Editt. 13. 14. 19. 23. ascendit

30) perseverant] Editt. 1—14. 19. perseveraverunt; Ed. 15. perseverarunt

31) inferne.] Editt. 1. 3. inferne etc.

32) sed renovata] Editt. 22. 24. 28—34. sed esse renovata

Et ratiocinari similiter ex promissionibus et exemplis firmissime possumus, in quibus hic articulus de aeterna vita quasi involutus est; Ut Deus promisit se servaturum esse Abraham et alios Sanctos [Genes. 15, 1.]: Ego sum protector tuus etc. At sancti in hac vita sunt afflictissimi et videntur deserti, cum tamen vere curae sint Deo. Ergo restat alia vita et ingens gloria, qua glorificabuntur post hanc vitam, in quam intuentes cogitent[33]) omnes iniurias, aerumnas, calamitates contemnendas esse et nullo modo conferendas ad illud ingens praemium.

Item in prima concione dicitur Gen. 4. [vs. 7.]: Si benefeceris, recipies; Si male egeris, peccatum tuum quiescet, donec revelabitur. Ergo necesse est restare aliam vitam, in qua Abel recipiat praemium. Sequitur et hoc, restare aliquod iudicium omnium peccatorum atque illorum etiam, quae in hac vita non sunt punita. Et huius universalis iudicii exemplum est diluvium, item Sodomorum conflagratio et similes historiae, quod Deus haud dubie puniturus sit omnium peccata.

Item prima promissio Gen. 3. [vs. 15.] vaticinatur de abolendo regno Diaboli, hoc est, de abolendo peccato et morte. Ergo natura hominis renovabitur. Et Iacob vaticinatur de Salvatore omnium Gentium, quem intelligebant Patres auctorem fore non alicuius corporalis regni, sed iustitiae et vitae aeternae. Videbant Ecclesiam in hac vita futuram in reliquiis peccati et afflictionibus, sicut viderant interfici Abel, et Abraham iussus est filium tanquam hostiam mactare. In hoc typo satis intellexit illud semen, quod promissum erat, futuram esse hostiam.

Enoch et Elias vivi translati sunt ad Deum, ut textus de Enoch clare dicit. Haec facta certe sunt manifesta testimonia vitae aeternae. Nam si extinguerentur, non essent apud Deum. Versari enim apud Deum est vivere quadam divina vita apud Deum. Haec igitur exempla plus valent, quam si promissio verbis tantum sine exemplis proposita esset. Nec dubium est, quin sancti Patres copiose explicarint, cum promissiones tum haec exempla.

Testantur et Angelorum colloquia cum Abraham et ceteris Patribus, aliam esse vitam. Et significant Angeli nos socios esse illius aeternae vitae, in qua sunt ipsi, quia nos curant et defendunt etc.

In Num. 23. [vs. 10.] dicit Balaam: Moriatur anima mea morte iustorum, et fiant novissima mea horum similia. Et 24. [vs. 17.] Videbo eum, sed non modo; Intuebor eum, sed non prope.

33) cogitent] Editt. 1–4. 6. 7. 9. 12. cogitant

[XVII.]

DE SPIRITU ET LITERA.

Cogitantibus de discrimine veteris et novi Testamenti, de Litera et de[34]) Spiritu, omnia sunt illustriora, cum mente intuemur consummationem liberationis nostrae. ut supra diximus. Cum cogitamus Resurrectionem Christi et aliorum resuscitatorum, qui tunc nova et perpetua gloria donati sunt, in his ipsis resuscitatis videmus Evangelium, Lucem, Sapientiam, Iustitiam et Vitam perpetuam afferre, non ostendere umbras morituras.

Litera igitur significat doctrinam quamcunque, cogitationes, assuefactiones, disciplinam et bonas intentiones, sine Spiritu sancto, id est, sine vero timore et sine vera fide seu fiducia consolante mentes agnitione et invocatione Christi.

Econtra spiritus significat vere Spiritum sanctum inchoantem et deinde perficientem in cordibus novam lucem, sapientiam, iustitiam et vitam perpetuam placentem Deo et motibus Spiritus sancti ardentem, videlicet timore, fide, invocatione, dilectione, et in vita aeterna fruentem conspectu Dei et celebrantem Deum. Denique, ut Petrus inquit, significat societatem divinae naturae, sicut inscriptum est [Ioel. 2, 28.]: Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Illustris enim emphasis est in particula, cum ait, De spiritu meo; Meo, inquam, qui a voluntate aeterni Patris et Filii procedit et accendit lucem, sapientiam, iustitiam et vitam congruentem voluntati divinae. Sic de Spiritu loquitur Paulus, cum ait [2. Cor. 3, 18.]: Nos revelata facie spectantes gloriam Domini in eandem imaginem transformamur tanquam a Domini Spiritu, id est, cum expavescimus agnita ira Dei et rursus erigimur consolatione et Fide acquiescimus agnoscentes misericordiam propter Christum donatam, vere cum Deo agimus, sentimus iram et misericordiam, et luce nova a Spiritu sancto perfundimur. Cum Saul hypocrita et David renatus similia externa opera faciunt seu moralia seu ceremoniarum seu politica, regia et forensia, tamen in mente dissimilitudo est. In Saule hypocrita cogitatio de bono opere et ipsa actio sunt literae mortuae et umbrae, id est, Mens est sine vero sensu timoris Dei, sine consolatione erigente animum fiducia praesentiae et auxilii divini; Sed dubitat, an a Deo respiciatur, exaudiatur, iuvetur. Hae cogitationes sunt sine luce divina et pugnantes cum luce Fidei. Ideo sunt umbrae moriturae. At in Davide seu

34) *Hoc alterum* de *omittunt* Editt. 26. 27., Corp. 1–8.

belligerante seu sacrificante semper est sensus timoris Dei et fidei consolantis animum ac statuentis vere Deum adesse, gubernare et adiuvare hanc vocationem. Hi motus oriuntur a Spiritu sancto et vere agnoscunt Deum: Nec sunt fugaces et moriturae umbrae, sed sunt inchoatio vitae aeternae. Et hanc lucem accendi et augeri petit, cum inquit [Ps. 50, 12.] Cor mundum crea in me. Deus, id est, cor recte de Deo sentiens, agnoscens iram Dei et promissam misericordiam, statuens vere nos respici, exaudiri, iuvari, protegi et servari. Et spiritum rectum, id est, firmum innova in visceribus meis, id est, sit firma haec lux de Deo, non extinguatur Diaboli praestigiis, cogitationibus Epicureis aut Academicis, sicut multi sapientes merguntur in aeternas dubitationes. [Psalm. 50, 13.] Ne proiicias mea a facie tua, et Spiritum sanctum ne auferas a me, id est, Spiritu sancto tuo guberna consilia et omnes motus meos, et accende in me motus congruentes Legi tuae, Timorem, Fidem, Dilectionem Dei, Tolerantiam, Industriam in vocatione etc. [ibid. vs. 14.] Redde mihi laetitiam salutaris tui, id est, sustenta me tua consolatione in aerumnis, ne pavoribus aut doloribus fractus peream. Spiritu spontaneo confirma me, id est, largiaris mihi robur in afflictionibus, ut sustinere eas possim et tibi volens obtemperem, non deficiam a te fremens ac dubitans de tua misericordia, sicut Saul. Sic petit ordine primum lucem, qua vere agnoscat Deum et eius agnitionis firmitatem, Deinde renovationem et gubernationem in actionibus, Postea consolationem et sustentationem in aerumnis.

Cum igitur haec lux in mente Davidis accensa est, omnes eius bonae actiones interiores et exteriores, moralis, politicae et ceremoniae sunt actiones Spiritus sancti, non sunt literae aut umbrae. Econtra in hypocrita Saule, qui est sine luce Spiritus sancti, oppressus dubitationibus hypocriticis seu Academicis, omnes actiones interiores et exteriores, bonae intentiones et opera seu moralia seu politica seu ceremoniae sunt literae et umbrae morientes, nec inchoantes vitam aeternam.

Haec est Pauli sententia 2. Cor. 3. [vss. 6—8.] cum Legem vocat literam ac ministerium mortis, Evangelium vero ministerium spiritus. Sentit enim sine notitia Evangelii legem tantum aut disciplinam philosophicam aut terrores efficere. At disciplina, id est, iustitia humanae rationis, ut Pomponii Attici aut hypocritarum sine vero timore Dei et vera fide invocante Deum agnitione Christi, nihil est nisi litera, hoc est, umbra non afferens vitam. De terroribus, ut in Saule, manifestum est mentes perterrefactas agnitione irae Dei, cum non eriguntur voce Evangelii, fugere Deum et ruere in desperationem et aeternum exitium.

At Evangelium est ministerium spiritus. Hac voce nihil dulcius ac[35]) gratius cogitari potest. Manifeste affirmat per Evangelii praedicationem dari Spiritum sanctum, sicut ad Galatas [3, 14.] dicit: Ut promissionem spiritus accipiamus per fidem. Cum mentes perterrefactae audiunt vocem Evangelii et credunt propter Mediatorem vere remitti peccata, concipitur Spiritus sanctus, et nova lux et vita in cordibus accenditur, sicut apud Zachariam [12, 10.] scriptum est: Effundam super eos Spiritum gratiae et precum, id est, mea consolatione erigam eos, et adiuvabo Spiritu sancto, ut agnoscant se receptos esse in gratiam et recepti invocent Deum et ei obtemperent. Sed Paulus diserte dicit dari Spiritum sanctum per Fidem seu credentibus. Quare iis, qui non expavescunt sensu irae Dei, nec credunt voci Evangelii, sed manent in contemptu Dei aut dubitatione, Evangelium tantum est litera et umbra sine effectu.

Explodantur ergo deliramenta Origenis, qui literam ait esse sensum Grammaticum in descriptione ceremoniarum et historiarum, Spiritum vero allegoricam interpretationem ceremoniarum et historiarum. Hanc secutus hypothesin postea nimis magna licentia et profecto non concedenda in Ecclesia, lusit fingendis interpretationibus, fere ut pictores ludunt, cum pingunt Chimaeras, Scyllas, Centauros.

Una est sententia nativa orationis Propheticae et Apostolicae in singulis membris, quam phrasis dextre intellecta iuxta praecepta harum communium artium, quae loquendi rationem monstrant, gignit. Postea ipsi ritus aut historiae sunt interdum imagines aliarum rerum aut exempla. Ut Agnus paschatos fuit signum venturae mactationis Christi. Daniel servatus inter Leones exemplum est multorum doctorum et universae Ecclesiae, quae simili Dei beneficio inter grassantes Tyrannos tegitur. Hae collationes sunt allegoricae interpretationes, quas apte et concinne instituere, magnae eruditionis, prudentiae et consilii est; et tamen ut Leges non figuratae aut narrationes Evangelii non figuratae[36]) sine ardentibus motibus a Spiritu sancto accensis sunt literae et umbrae, sic hae allegoricae interpretationes sine motibus illis sunt doctrinae ac literae.

Quod enim Paulus dixit Rom. 7. [vs. 14.] Legem esse spiritualem, manifeste de morali loquitur, nec vult eam transformari in allegorias, sed vocat spiritualem, quod sit iudicium Dei spirituale, non

---

35) ac] Editt. 1. 3. aut

36) aut narrationes Evangelii non figuratae] *haec, quae in* Editt. 1. 3. *exhibentur, exciderunt ob homoeoteleuton in* Ed. 2. *ideoque ab omnibus posterioribus absunt.*

tantum politica disciplina, id est, Leges Solonis et similes concionantur de externa disciplina; At lex Dei postulat ardentes motus spirituales, agnitionem, timorem, fiduciam, dilectionem Dei, denique obedientiam perfectam. Et econtra iudicium Dei est et horribile ministerium irae divinae opprimentis omnes homines non tantum propter externa delicta, sed etiam propter interiores tenebras et immunditiem. De hoc horrendo iudicio loquitur Paulus, non de Origenicis allegoriis aut fabellis. Dolendum est gravissimam doctrinam et Ecclesiae propriam de usu Legis, de ministerio Evangelii, de fide, de donatione Spiritus sancti, de veris fidei exercitiis in invocatione, deque motibus a Spiritu sancto accensis obscuratam et obrutam esse illis somniis Origenis non recte interpretantis Literam et Spiritum.

Semper omnibus temporibus omnis doctrina seu Legis seu Evangelii non renascentibus tantum est Litera et fugax umbra, hoc est, non afferens eis novam et aeternam lucem et vitam. At Evangelii promissio omnibus temporibus fuit ministerium Spiritus credentibus seu fide renascentibus; Quia cum accipitur donata reconciliatio propter Mediatorem et accenditur fides, Spiritus sanctus novam et aeternam lucem et vitam in nobis inchoat, ut Rom. 8. dicitur: Sensus spiritus vita est et pax. Valde autem prodest in hoc ipso articulo considerare ministerii Evangelici vim et dignitatem. Clare affirmat hic locus 2. Cor. 3. per Evangelium dari Spiritum sanctum. Non igitur alias revelationes aut Enthusiasmos sine Evangelio quaeramus, sed acquiescamus in ipsa Evangelii promissione, quod cum facimus, certum est Spiritum sanctum efficacem esse.

Ceterum de disciplina suo loco [37]) dictum est, omnes homines non renatos aut imbecilles coërcendos et ad virtutem assuefaciendos esse disciplina iuxta legem Dei, quae ad nos pertinet. Et caussas alibi [38]) quatuor commemoravi, quarum prima est, quia necesse sit Deo praecipienti disciplinam obedire. Secunda est, ut vitemus poenas, quia Deus violationem disciplinae horribiliter punit, ut omnes mundi calamitates ostendunt. Tertia est, quia reliquis hominibus opus est tranquillitate; non enim tantum nobis vivere nos putemus. Quarta est gravissima, quod videlicet Lex est paedagogus in Christum. Est autem paedagogi officium, non solum coërcere, sed etiam docere. Commendat igitur nobis haec descriptio Legem, vult eam proponi, ut doceat nos de ira Dei, de bonis operibus, assuefaciat nos ad bonos mores, ad studium cognoscendae doctrinae de Deo, coerceat etiam teneros animos metu poenarum, sed illa magna laus est, quod hac disciplina ait vocari nos ad Christum, non quod mereatur disciplina remissionem peccatorum, sed quod Christus non sit efficax in contemptoribus disciplinae, qui perseverant in violatione disciplinae contra conscientiam. Haec supra copiosius exposita sunt.

37) Scil. supra p. 654.

38) Vide supra p. 717.

[XVIII.]

DE CALAMITATIBUS ET DE CRUCE, ET DE VERIS CONSOLATIONIBUS.

Etsi omnium sapientum cogitationes et eloquentiam in Ecclesia et apud Ethnicos consumptam esse apparet in deploratione humanarum miseriarum, tamen omnes confessi sunt magnitudinem huius tristissimi oneris, quod universa humana natura sustinet, comprehendi non posse.

Quantum est horribilium exemplorum in tragoediis et historiis, quae quidem ideo recitantur, ut admoniti de nostra fragilitate simus modestiores, nec accersamus nobis pericula et poenas stultis cupiditatibus. Nec minus tamen exemplorum indoctis quotidiana vita monstrat. Ac de caussa, cur haec hominum natura, quae antecellit ceteris animantibus, tantis miseriis subiecta sit, sapientes semper disputarunt, unde mors sit, unde tot morbi, unde corporum exitia non accersita nostris consiliis, unde in imperiis tantae confusiones, mutationes, ruinae, pestilentiae, fame necati populi, mersae urbes dehiscente terra, diluviis totae gentes obrutae, magnae urbes subitis incendiis prorsus deletae, denique alia multa sunt tristia, quae vel multis vel singulis accidunt sine ipsorum consilio.

Philosophi quaerunt caussam in materia, quam aiunt ruere aeterno impetu ad alias formas ac appetere vices. Hinc extruxit Aristoteles suum illud dogma de privatione in materia. Nec dubito motum esse primum humanae mortis et miseriarum cogitatione, Deinde assiduis vicibus, quas videmus omnes generationum et corruptionum, plantarum et animantium omnium. Has incomprehensibiles vices cogitavit ita ruere, ire et redire propter vagas in materia privationes seu appetitiones.

Deinde accesserunt et alii Philosophi, qui addiderunt caussas efficientes, scilicet stellarum concursus ac positus, qui materiam varie temperant. Unde illa sunt apud Manilium [Astronom. I, 111 sq. ed. Bentl.]:

Omniaque ad numen coeli faciemque moveri,
Sideribus variis mutantibus ordine fata.

Ita quaerunt Philosophi in densa caligine mortis humanae caussas. Nec falsum est illud Menandri, quanquam *αὐτόματα* mala infinita sunt, tamen longe plura esse *ἑκούσια*, id est, quorum caussa est aut error in iudicando aut voluntas recto iudicio contumax. Ut Pompeius errore accendit bellum civile, Paris volens rapit Helenam, atque ita bellum attrahit in Asiam. Homicida voluntario scelere accersit sibi poenam. David volens rapit alterius coniugem et sibi ac universae genti horribiles calamitates accersit. Huius generis exempla velle numerare perinde est ac si velis arenas omnium aquarum numerare.

Ac de voluntariis aliquo modo vident caussam Philosophi, sed de Automatis hominum malis non vident praecipuam caussam. De hoc fonte concionatur doctrina Ecclesiae tradita ab initio voce Dei et propagata per Patres, Prophetas, Christum et Apostolos. Ideo observemus hic discrimen humanae Philosophiae et doctrinae coelestis. Nec fons tantum monstratur, sed etiam verae ac [39]) firmae consolationes et remedia proponuntur.

Principalis caussa mortis et plurimarum calamitatum totius generis humani, piorum et impiorum, est prima contumacia primorum parentum et illa ipsa labes propagata in posteros. Sic dicitur Rom. 5. [vs. 12.] Per peccatum mors intravit in mundum et in [40]) omnes homines pervasit mors, eo quod omnes sunt rei. Si natura humana non fuisset aversa a Deo, mansisset in ea vigor vivificus a Deo inditus naturae humanae, nec computruissent homines ut poma, ut flosculi, ut pecudes; Sed postquam amisit integritatem, materia languidior facta pomorum et pecudum naturae similis esse coepit. Itaque propter peccatum iratus Deus [41]) sinit miseram naturam orbatam suo dono in mortem ruere, ut Psal. 89. [vs. 7.] Defecimus in ira tua etc. Iam ad eandem caussam morbi et omnia *αὐτόματα* mala pertinent.

Deinde quia post hanc naturae corruptionem magna est caligo in mentibus, et multi errores, magna imbecillitas, multae cupiditates et errantes impetus et contemptus iudicii divini. Cain, Esau, etiamsi ex generosis parentibus nati et diligenter ad virtutem instituti sunt, tamen accenduntur pravis cupiditatibus, ambitione, invidentia. Et quotidie accidit illud, quod Graece dicitur, *διὰ ἐπιθυμίας κενοὶ κενὰ λογίζονται.* [41a]) Absolon, [42]) Antonius et innumerabiles alii similes somniant se imperiis potituros esse. Erroribus igitur et pravis cupiditatibus, quae sequuntur naturae depravationem, adeo cumulamus mala, ut etiam Ethnicus Poeta [43]) exclamaverit lugens humanas miserias:

Πλείη γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα.

Accedit autem ad nostros errores et ad cupiditates nostras incitator Diabolus, spiritus inimicus Deo et odio Dei saeviens in imbecillem naturam hominum. Cumulat igitur *αὐτόματα* et *ἑκούσια* mala, auget furores Caligulae, Neronis et similium, ut irritata ira Dei crescant poenae et miseriae. Quis hos fontes malorum satis cogitare potest? videmus in ipsis exemplis et experimur [44]) in nostris miseriis, humanas aerumnas tristiores esse, quam ut earum magnitudinem cogitatione complecti aut verbis explicare homines possint.

Sed difficilius est cogitare caussae magnitudinem, quantum malum sit peccatum, quid sit ira Dei certa lege punientis scelera, quanta sit rabies Diaboli augentis hominum miserias. Hae caussae in genere cogitentur de malis grassantibus in tota natura hominum, in Ecclesia et in impiis. Sed hic multo difficilior quaestio oritur: Cum mors et ceterae calamitates sint poenae humanorum peccatorum ac scelerum, cur multo magis Ecclesia Dei miseriis onerata est, quam impia multitudo? Cur Abel interficitur a fratre? Cur Iesaiam crudelissime scindit serra tyrannus Manasse? Cur Ieremiam interficit Apryes? Cur Zachariam Pontifices? Cur Baptistam Herodes? Cur Christum Pilatus? Denique exempla nota sunt. Plerumque Ecclesia Dei est exiguus coetus verae doctrinae professionem retinens et sustinens varias et ingentes aerumnas communes et peculiares. Iacob amittit coniugem in partu, amittit filium Ioseph, vagatur miser sine certa sede inter homines improbos et petulantes.

Et plerumque imperia tenent profani Principes ignorantes et contemnentes doctrinam Propheticam et Apostolicam, et antecellunt Ecclesiae non solum opibus, gloria et voluptatibus, sed etiam politicis virtutibus, ut quot putemus fuisse principes pios virtute Alexandro, Pyrrho, Scipioni aut similibus conferendos?

Cum autem Ecclesiae miseriae multos moveant, ut valde dubitent, an ulla [45]) pars humani generis curae sit Deo, an sit aliqua Dei Ecclesia, an hi

39) ac] Editt. 1—9. 12. et

40) in *omittunt* Editt. 22. 24.

41) iratus Deus] Editt. 1—10. 12. Deus iratus

41a) Hoc dictum est Solonis in proverb., teste H. Stephano in Thes. L. Gr. s. v. *κενός*.

42) Absolon] Editt. 1—9. 12. Absalon

43) Hesiodus Opp. et D. 101. ed. Goettling.: *πλείη μὲν γὰρ γαῖα κ., πλ. δὲ θ.*

44) experimur] Corp. 2. 4. experiemur

45) ulla] Editt. 24. 28—34., Opp. 1. 2. illa

soli sint populus Dei, qui amplectuntur doctrinam Propheticam et Apostolicam, an Deus hunc coetum exaudiat in aerumnis; Denique cum illa spectacula tristia Ecclesiae impellant multos, ut a Deo deficiant, ut amplectantur Epicureos furores, necesse est Ecclesiam adversus haec scandala praemuniri, et doceri, cur Ecclesia tantis aerumnis subiecta sit et quod tamen exaudiatur, iuvetur, sustentetur et tandem liberetur: Haec est sapientia Ecclesiae propria. Primum igitur caussae impulsivae et finales recensendae, discendae, saepe cogitandae sunt, hae videlicet.

Prima: propter lapsum primorum parentum et reliquias peccati haerentis [46]) in hac corrupta natura Ecclesia Dei subiecta est morti corporali et ceteris aerumnis, ut reliquum totum genus humanum. Rom. 8. [vs. 10.] Corpus morti destinatum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter iustitiam.

Secunda: Cum mundus hanc interiorem immunditiem humanae naturae, dubitationes de Deo et neglectionem Dei non ducat esse res a Deo damnatas et contemnat iram Dei, magis premitur Ecclesia, quia vult Deus iram suam adversus peccata conspici et vult in nobis poenitentiam crescere. 1. Petr. 4. [vs. 17.] Iudicium a domo Dei incipit. Et Ierem. 30. [vs. 11.] Castigabo te in iudicio, ne tibi videaris innocens. Et Iesaiae ultimo [66, 2.]: Ad quem respiciam, Nisi ad contritum spiritu et trementem sermones meos?

Tertia caussa: Quia Diabolus ardet maiore odio Christi et Ecclesiae, insidiatur rabiosius Ecclesiae et saepe magnas dissipationes facit, ut cum haereses excitat; saepe evertit sanctos, ut Davidem, et longam telam miseriarum texit, ut multos irretitos adigat ad desperationem. De hac caussa dicitur in Genesi cap. 3. [vs, 15.] Serpens mordebit calcaneum eius. Quanta vero miseria sint illi venenati morsus, saepe experiuntur pii, ut David impulsus vix iterum ex illis tot peccatis et scandalis eluctatus est. Item Matth. 12. [vs. 44.:] Redibo in domum meam, unde egressus sum. Item 1. Petr. ult. [5, 8.] Adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circumit, quaerens quem devoret.

Quarta: Saepissime calamitates sunt poenae certorum delictorum, quas Deus vere irascens peccatis irrogat hominibus, simul ut puniat scelera et ut retrahat lapsos ad poenitentiam. Et hae poenae cum propter ipsos lapsos [47]) irrogantur, tum vero etiam tanquam exempla proponuntur, ut ceteri commonefacti Deum timere discant et mores regant diligentius. Sic David propter adulterium et proditum Uriam multis magnis aerumnis excruciatur et punitur: Filius interficit fratrem, postea movet seditionem, expellit regno patrem, polluit incestis stupris coniuges patris; Denique nulla vox humana eloqui potest magnitudinem calamitatum, quas David multos annos sustinuit. Sic Osias punitur lepra, propterea quod contra legem sacrificaturus esset. Sic Manasse abducitur in exilium propter cultus Idolorum et propter interfectos Prophetas. Et de universi populi exilio et excidio urbis Ierosolymae inquit Ieremias cap. 22. [vs. 8.] Et dicet unusquisque proximo suo: Quare sic fecit Dominus huic magnae civitati? Et respondebunt: Eo quod dereliquerit pactum Domini Dei sui, et adoraverint Deos alienos etc. Et Amos 2. [vss. 4 sq.] Deceperunt eos idola sua et mittam ignem in Iuda, et devorabit aedes Ierusalem, quia contecrunt capita pauperum. Et filius et pater eius ierunt ad puellam unam, ut violarent nomen sanctum meum. Denique conciones et historiae Propheticae plenae sunt exemplorum et testimoniorum, quae ostendunt hanc quartam caussam latissime patere. Plerumque certa delicta puniuntur certis calamitatibus communibus aut peculiaribus, quod ut sit manifestius, saepe cum delictis poenarum formae congruunt, ut Sapientiae 11. [vs. 17.] dicitur: Per quae peccat quis, per ea cruciatur. Ut quia [48]) David rapit alienam coniugem, vicissim ipsius coniuges constupratae sunt. Item filius fratrem interficit et adversus patrem arma capit, quia semen suum adulterio polluit. Impiorum historiae habent innumerabilia exempla, in quibus poenarum formae congruunt cum sceleribus, ut Oedipus genuit ex matre, filii igitur mutua caede pereunt; Antigona filia interficitur. Ita res ostendit maledictam fuisse generationem. Ita historiae ostendunt late vagari poenas et ex uno scelere innumerabilia peccata et multiplices calamitates oriri. Quare cum miramur aut deploramus magnitudinem calamitatum humanarum, tot vitae confusiones, tot ruinas regnorum de hoc fonte cogitemus: Ut cumulantur peccata, sic cumulantur poenae, etsi Deus eas mitigat, ut postea dicam. Sed de Ecclesiae poenis proprie dicamus. Hanc quoque sciamus puniri, et testimonia nobis proponamus. Mich. 7. [vs. 9.] Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei. Psal. 88. [vss. 33 sq.] Visitabo in virga iniquitates eorum, misericordiam autem meam non auferam ab eis. Ies. 64. [vs. 5.] Ecce tu iratus es, et peccavimus ac diu in peccatis fuimus et tandem liberati sumus. Cecidimus quasi folium, et iniquitates nostrae quasi venti dissipaverunt nos. Mira descriptio est et tri-

46) haerentis] Editt. 18. 20. 25., Corp. 1—8. haerentes

47) lapsos] Ed. 25., Corp. 1—8. lapsus

48) quia *abest ab* Editt. 1. 3.

stissimum πάθος. Dissipantur Ecclesiae, Gentes, familiae tanquam ventis propter certa peccata, ut decem tribus Israël, in quibus tamen reliquiae Ecclesiae manserant [49]) abductae in exilium late dissipatae sunt. De hoc genere poenarum loquitur Christus Ioan. 5. [vs. 14.] Ne iterum pecces, ne quid tibi deterius accidat. Et Paulus 1. Cor. 11. [vs. 32.] Cum iudicamur, a Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Apoc. 3. [vs. 19.] Ego quos diligo, arguo et castigo.

Quinta caussa: Ut afflictiones sint testimonia doctrinae. Etsi enim Iesaias, Ieremias, Baptista non propter peculiaria facta puniuntur, tamen sustinent ingentes aerumnas propter alias caussas, videlicet, Primum, ut agnoscant iram Dei adversus commune peccatum generis humani; Deinde suscipiunt certamina propter confessionem doctrinae. Utrumque enim conspicitur in aerumnis Pauli, quod videlicet non circumferat Evangelium suae [50]) utilitatis aut voluptatum caussa, quia propter doctrinam magnas miserias sustinet, cum alioqui inter suos honesto loco tranquille vivere posset; Deinde quod revera ac serio sentiat veram esse hanc doctrinam, eo confirmat, quia mortem mavult sustinere, quam abiicere professionem Evangelii. De hac caussa dicitur Matth. 16. [vs. 24.] Qui vult me sequi, tollat crucem suam et sequatur me. Et 2. Tim. 3. [vs. 12.] Omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur. Psal. 125. [vs. 5.] Qui seminant in lacrimis, in exultatione metent. Psal. 115. [vs. 15.] Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.

Sexta: Ut afflictiones sint testimonium immortalitatis. Cum enim Deus promiserit suis bona, et hic horribiliter eos opprimi ab impiis sinit et tamen apertis testimoniis ostendit [51]) se approbare Baptistam, Paulum et similes, necesse est restare aliam vitam, in qua ornentur bonis Baptista et Paulus et puniantur propter hos necatos Herodes et Nero. Ideo inquit Petrus [1. ep. 4, 17.]: Si autem primum a nobis incipit iudicium, quis erit finis eorum, qui repugnant Evangelio?

Septima: Ut efficiamur similes imaginis Filii Dei, ut Rom. 8. [vs. 29.] dicitur. Et ipse dicit [Matth. 10, 24.]: Non est discipulus maior magistro. Christus subiit poenam et aerumnas propter nostra peccata, factus pro nobis victima, placavit iram [52]) Dei, ut recipiamur, quanquam indigni; sed quia recipimur, ut simus haeredes eius gloriae, quam meruit Christus, oportet prius hoc corpus peccati destrui, ut Rom. 6. [vs. 6.] dicitur: Vetus noster homo simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.

Octava: Etiam in illis, in quibus non puniuntur peculiaria facta atrocia, est tamen interior immundities, securitas, admiratio sui, dubitationes multae. Haec mala emendantur in cruce et caventur futuri lapsus, ut 2. Cor. 1. [vs. 9.] dicitur: Responsum mortis in nobis habuimus, ne mea virtute confiderem. Et ad hanc caussam multa dicta et exempla pertinent. Vult enim Deus in omnibus sanctis crescere poenitentiam et dona. 2. Cor. 4. [vs. 16.] Etsi noster homo exterior corrumpitur; tamen interior renovatur quotidie. Prov. 3. [vs. 12.] Quem diligit Dominus, corripit. Hebr. 12. [vs. 6.] Flagellat omnem filium, quem recipit. [53]) Psal. 118. [vs. 71.] Bonum mihi, quod humiliasti me, ut discam iustificationes tuas. Ies. 28. [vs. 19.] Vexatio dat intellectum. Item: Quod docebit scientiam? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus. Ies. 26. [vs. 16.] Domine, in tribulatione visitant te; angustia, in qua clamat, disciplina est eis.

Nona: Ut appareat sanctos universam obedientiam praestare non ambitione aut tantum praesentium utilitatum aliquarum caussa, sed principaliter, ut Deo serviant et ipsum celebrent, ut Psal. 43. [vs. 18.] Haec omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te etc.

Decima: Ut appareat Ecclesiam non humanis consiliis et praesidiis, sed ab ipso Filio Dei capite Ecclesiae ac duce divina potentia colligi, defendi et servari, et ut in nostra infirmitate conspiciatur praesentia et potentia Christi propugnantis nos adversus Diabolorum et Tyrannorum furores. 2. Cor. 4. [vs. 7.] Circumferimus thesaurum hunc in vasis testaceis, ut excellentia potentiae sit Dei, et non ex nobis. Psal. 19. [vs. 8.] Illi in curribus et in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri. Psal. 43. [vs. 2.] Deus, auribus nostris audivimus, et patres nostri adnuntiaverunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis; Manus tua gentes disperdidit, et plantasti eos. Nec enim gladio suo acquisierunt [54]) terram, et brachium eorum non salvavit eos, sed dextra tua et brachium tuum et illuminatio vultus tui etc. Ioan. 15. [vs. 5.] Sine me nihil potestis facere. 1. Cor. 1. [vs. 31.] Qui gloriatur, in Domino glorietur. Oseae 13. [vs. 9.] Perditio tua est, Israël, tantummodo in me auxilium tuum. Ies. 46. [vss. 3 sq.] Qui portamini in utero meo, qui gestamini in mea alvo,

49) manserant] Editt. 18. 20. 22. 24—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2. manserunt

50) suae *abest ab* Editt. 1. 3.

51) sinit . . . ostendit] Editt. 26. 27., Corp. 1 — 8. sinat . . . ostendat

52) placavit iram] Editt. 1—14. 19. placavit nobis iram

53) recipit.] Editt. 22. 24. 28. 29. 31—34., Opp. 1. 2. recepit.

54) acquisierunt] Editt. 24. 28—34., Opp. 1. 2. acquisiverunt

senescentem Ecclesiam ego portabo. Ego feci, ego feram, ego portabo et salvabo. Ies. 48. [vs. 11.] Propter me, propter me faciam, ut non blasphemer, et gloriam meam alteri non dabo.

Recensui caussas, propter quas Ecclesia ingentibus aerumnis subiecta est. Nec esse hanc commemorationem confictam utcunque ad demulcendos animos rhetorica consuetudine, sed caussas veras et magni momenti esse, ita intelligemus, si et nostras aerumnas et publicas attente considerabimus. Ridentur haec ab Epicureis et omnibus aliis, qui sunt ebrii voluptatibus, aut[55]) gloria. Sed pii in veris aerumnis ac doloribus agnoscunt hanc doctrinam et veram et diligenter meditandam esse, Et hinc excitandos esse animos ad timorem Dei et ad quaerendas veras consolationes. Ut enim remedia salutaria non possunt adhiberi morbis,[56]) non explorata caussa; Ita nos in Ecclesia veras miseriarum nostrarum caussas intelligere et deplorare discamus, ut iram Dei adversus commune peccatum et nostra peculiaria delicta agnoscamus et compescamus impetus aberrantes a lege, considerata magnitudine horribilium poenarum; Deinde etiam remedia quaeramus.

Philosophia utraque in re errat, nec caussas principales videt humanarum miseriarum, nec efficacia remedia proponere potest, defigit oculos in materiam, nec de homine aliter quam de pomis aut violis aut rosis cogitat. Unde sit in hominum natura tanta labes, ignorat. Deinde non falso accusat errores et pravas cupiditates hominum, sed radicem ignorat, nec vituperat ignorationem et contemptum Dei.

Deinde remedia proponit, quae dolorem et indignationem frementis animi augent. Tantum dicunt, malum, cum tolli non possit, necessario ferendum esse, ut si equos aut boves iuberent mortem patienter ferre. Quid iuvat (inquiunt) ad necessarium malum insuper addere inanes animorum cruciatus et nihil profecturos? Bonus animus, inquit Plautus, in re mala dimidium est mali. Nec mitigationem, auxilium aut liberationem proponunt, sed iubent fugere omnes aerumnarum occasiones, quantum omnino fieri potest. Hinc Epicurei praecipiunt vitandam esse gubernationem Reipublicae, quia manifestum est gubernationem plenam esse sollicitudinum et periculorum et saepe tragicos exitus afferre, ut Palamedis, Thrasybuli, Demosthenis, Ciceronis, Pompeii, Caesaris et aliorum innumerabilium exempla testantur.

55) qui sunt ebrii vol. aut] Editt. 18. 20. 22. 24. 25. 28 — 34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2. qui ebrii vol. sunt aut; Editt. 26. 27. qui ebrii sunt vol. aut

56) morbis] Corp. 1—8. in morbis

Aliqui graviores etiam virtutes advocant, in qua oratione etiamsi multa[57]) omittuntur, tamen hoc verum est, quod dicunt propter dolores non faciendum esse contra ullam virtutem. Cato propter moestitiam non debet sibi consciscere mortem, facit enim contra iustitiam. Coriolanus propter iracundiam non debet obsequi cupiditati vindictae et patriae bellum inferre; Obliviscitur enim pietatis, quam debebat patriae. Demosthenes pulsus civitate non debet adeo muliebriter lamentari, facit enim contra modestiam, quae in[58]) omni gestu moderationem efficit.

His consolationibus recitatis deplorant generis humani miserias et colligunt multorum calamitosorum exempla, quod levius videtur esse onus, quia cum multis ferimus communem miseriam generis humani. Tandem cum vident quaedam tragica mala nulla consolatione leniri posse, delabuntur ad illud, Optimum non nasci. Ita in Philosophica consolatione tota nusquam mentio est Dei, nulla liberatio, nulli exitus, nullus opitulator ostenditur. Etsi autem, ut recte valentes medicorum sermones non magni faciunt, ita ebrii voluptatibus nec Philosophicas nec Evangelicas consolationes considerant, tamen aegrotus animus avide inquirit et medicinam, undecunque offertur, accipit, maxime vero acquiescit, si intelligat a Deo certis testimoniis consolationem propositam esse, deinde quaerit sapientum cogitationes, quae in levioribus aerumnis etiam nonnihil leniunt dolores. Et collatio ipsa doctrinarum bonae menti suavis est et addit lucem divinis consolationibus easque dulciores efficit et animos exuscitat, ut Deo gratias agant, quod vere affici se nostrarum miseriarum cura tam illustribus testimoniis ostendit. Exhibuit enim nobis Filium suum, ut esset testis et pignus suae misericordiae erga nos, et multis concionibus amplissimis promisit auxilium et liberationem calamitosis petentibus opem, et exempla addidit liberationum insignium, et experimur ipsi exempla quotidiana. Utile est igitur habere in conspectu et ob oculos posita capita praecipua consolationum, quae in doctrina coelesti traduntur, et necesse est certas sententias annotatas tenere, quae doceant mentes de voluntate Dei. Ideo enim traditae sunt, ut cogitentur et accendant nos ad agnitionem Dei et proponant auxilium.

Recensebimus autem quinque locos consolationum traditos a Deo, quos meminisse necesse est.

Primus locus est: Omnes homines ac praeci-

57) multa] Editt. 22. 24. 28. 29. 31—33. multi

58) in *omittunt* Editt. 22. 24.

pue Ecclesiam oportet statuere non casu nos affligi, sed sciente Deo. Et quanquam afflictiones vel a materia vel a Diabolo vel ab hominum saevitia oriuntur, tamen sciamus eas permitti aliquo Dei consilio et metas esse praescriptas, ultra quas saevire Diaboli aut hominum malitia non poterit. Etsi autem hic primus locus nondum est integra consolatio, tamen initio Epicureas opiniones ex animis evelli et extirpari oportet. Imo nihil dubium est hanc ipsam ob caussam praecipue Ecclesiam exerceri tam duriter et rursus liberari, ut crescat in nobis lumen vere statuens, non casu nasci et occidere homines, sed hunc vere esse Deum, qui se patefecit misso Filio et nobis tradidit[59]) verbum suum, et vere irasci eum peccatis et sanare resipiscentes. Nec exiguum est certamen, liberare animos ab Epicureis furoribus. Ideo primum haec dicta nobis ipsi inculcemus.

Matth. 10. [vs. 29.] Nonne duo passeres asse veneunt? et unus ex eis non cadet super terram sine patre vestro. Omnes autem capilli capitis vestri numerati sunt. Ne igitur timeatis, multis passeribus meliores estis. Act. 17. [vs. 28.] In ipso vivimus, movemur et sumus. Psal. 32. [vs. 15.] Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum. Psal. 93. [vs. 9.] Qui finxit oculum, non videret? In Threnis Ieremiae manifesta refutatio est sermonum Epicureorum cap. 3. [vs. 37.] Quis est iste, qui dixit fieri haec non iubente Domino? Ex ore altissimi nec bona nec mala egredientur? Quid murmurat homo contra Deum? Psal. 99. [vs. 3.] Scitote, quod Dominus ipse est Deus; Ipse fecit nos, et non ipsi nos; Nos autem populus eius et oves pascuae eius. Ies. 45. [vss. 6 sq.] Ego Dominus, et non est[60]) alius, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum, videlicet poenas; Ego Dominus loquens iusta et annuntians vera. Sophoniae 1. [vs. 12.] Et erit in tempore illo, scrutabor Ierusalem lucernis et visitabo viros defixos in faecibus suis, qui dicunt in cordibus suis: Non faciet bene Dominus et non faciet male, et erit domus eorum deserta. 1. Reg. 2. [1. Sam. 2, 6.] Dominus mortificat et vivificat.

Huc adscribat sibi quisque plura testimonia, ut firmissime statuat, non accidere casu aerumnas, sed cerni a Deo et revera iustum iudicem irasci peccatis et punire sontes et pios calamitosos suo quodam consilio exercere. Hunc primum locum confirmant et testimonia, quae in seqentibus locis et supra in caussis citantur, quia semper complectuntur mentionem Dei tum punientis tum castigantis tum liberantis, ut [Psalm. 117, 18.]: Castigans castigavit me Dominus.

Innumerabiles homines, qui in secundis rebus aut mediocribus difficultatibus non habuerunt opiniones Epicureas, sed utcunque tenuerunt hanc persuasionem, res humanas Deo curae esse, iidem cum incidunt in magnas aerumnas, prorsus hanc persuasionem amittunt, et cogitant casu et sine ullo Dei consilio misceri omnia, oriri et occidere alia placidius, alia durius. Denique his telis praecipue Diaboli, spiritus mendaces, sauciant animos in aerumnis, ut Deum contumelia afficiant, excitatis furoribus Epicureis. Ideo diligenter animi adversus haea tela Diabolica praemuniendi sunt.

Secundus locus: Nihil diligitur aut placide fertur sine ulla boni ratione. Quare cum Saul tantum cogitat se puniri a Deo, fugit Deum tristissimo fremitu. Tenenda est igitur boni ratio in aerumnis. Caussa finalis scienda est, cur Deus puniat. Supra impulsivas et finales recensui. Sed quaecunque sunt impulsivae, quae possunt esse variae et nobis ignotae, nos semper hanc finalem teneamus certissima fide, quod Deus puniat aut exerceat, non ut perdat nos, sed ut nos retrahat ad poenitentiam aut exuscitet, ut crescant in nobis Timor, Invocatio et ceterae virtutes. Cum haec bona voluntas Dei conspicitur, iam accedere animus ad Deum et se subiicere ipsi utcunque incipit et tolerat poenam seu aerumnas placidius.

Haec est propria Evangelii doctrina inde usque ab initio per Patres, Prophetas, Christum et Apostolos tradita, humanum genus tot ingentibus aerumnis subiectum esse, non ut ruat in aeternum[61]) exitium, sed ut agnoscat iram Dei adversus peccata et hac admonitione retrahatur ad poenitentiam et redeat ad Deum opitulatorem. Id intelligebant Adam et Heva, cum viderent mortem Abel, sese admoneri de suo peccato sentiebant, sed tamen norant Deum velle, ne spem vitae aeternae abiicerent, meminerant traditam promissionem de semine, quod abolita morte redditurum erat ipsis hunc Abel interfectum. Sed tamen in tanto dolore difficile illis fuit eluctari ex dubitatione. Saepe igitur repetita est haec doctrina in Prophetis. Ezech. 33. [vs. 11.] Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Iurat Deus se punire, non ut perdat, sed ut retrahat nos ad poenitentiam. 1. Cor. 11. [vs. 32.] Cum[62]) iudicamur a Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Psal. 118. [vs. 71.] Bonum mihi, quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas. Apoc. 3. [vs. 19.] Ego quos diligo, arguo et castigo. Ies. 28. [vs. 19.] Vexatio dat intellectum. Item [ibid. vs. 9.]: Quem docebit scientiam? ablactatos a lacte, avul-

59) nobis tradidit] Editt. 1—17. 19. 21. 26. 27. tradidit nobis

60) est *omittunt* Corp. 2. 4.

61) aeternum] Editt. 22. 24. externum

62) Cum] Editt. 16. 17. 21. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. Dum

sos ab uberibus. Ies. 26. [vs. 16.] Domine, in tribulatione visitant te; angustia, in qua clamant, disciplina est eis. Ad Hebr. 12. [vs. 6.] Flagellat omnem filium, quem recipit. Prov. 3. [vs. 12.] Quem diligit Dominus, corripit. Matth. 11. [vs. 28.] Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Hic mandat Christus omnibus, qui se oppressos esse miseriis sentiunt, ut quaerant hunc opitulatorem a Deo missum. Et Ies. 61. [vss. 2 sq.] inquit se missum esse, ut consoletur omnes lugentes et det oleum gaudii pro luctu etc.

Denique et sequentis loci testimonia idem docent, quae continent promissiones, in quibus Deus pollicetur liberationem aut auxilium afflictis et testatur se adesse calamitosis ipsum invocantibus, ut Ies. 57. [vs. 15.] Habitans cum contrito et humili spiritu, ut vivificet spiritum humilium et corda contritorum. Et Psal. 33. [vs. 19.] Prope est Dominus his, qui tribulato sunt corde. Non igitur punit, ut perdat, sed iram declarat, ut nos hortetur ad poenitentiam, sicut scriptum est: Conclusit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur. Tristis carcer est concludi sub peccatum; Significat enim subiici irae Dei, morti et aerumnis. Ut David tunc concluditur sub peccatum, cum pellitur in exilium et exuitur gloria virtutis perinde ac si a Deo abiectus esset. Mauritius Imperator tunc concluditur sub peccatum, cum in eius conspectu filiae, filius, coniunx interficiuntur. Sed in his tantis miseriis tamen retinenda fuit altera sententiae pars: Ut omnium misereatur. Sciendum est in summis aerumnis tamen Deum non deserendum esse, sed statuendum, quod velit nos recipere et liberare ab aeterna ira. Sed quam difficile sit in magna calamitate hanc consolationem amplecti, experientia ostendit.

Tertius locus consolationis est promissio auxilii, mitigationis poenarum, praesentiae Dei et liberationis. Hic locus procul a Philosophia recedit. Nam humana ratio non iudicat pulso Davidi Deum adesse. Cum Cato videt Pompeium interfectum esse, Iulium vincere, incipit irasci Deo et se virum iustum, ut iudicat, et in caussa honestissima deseri iniuste dicit. Sed doctrina Evangelii testatur homines non eo abiectos esse[63]) a Deo, quia sint in calamitate, sed potius tunc Deum promittere auxilium et mitigationem malorum et liberationem. Nec putemus has consolationes inania verba esse. Res verae [64]) sunt, ac fides experitur eventus, ut exempla declarant. Primum ergo aliquas promissiones colligamus ad nos confirmandos.

Nahum. 1. [vs. 7.] Bonus est Dominus et confortans in tribulatione et agnoscens sperantes in se. Ioël. 2. [vs. 13.] Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia bonus est et misericors et mitigans poenam. Id enim vult, cum ait, Deum poenitentia affici, cum punit. Psal. 33. [vs. 19.] Prope est Dominus his, qui tribulato sunt corde. Psal. 146. [vs. 3.] Qui sanat contritos corde et alligat contritiones eorum. Psal. 49. [vs. 15.] Invoca me in die tribulationis, et eripiam te, et glorificabis me. Ies. 57. [vs. 15.] Habitans cum contrito et humili spiritu, ut vivificet corda contritorum. Ies. 66. [vs. 2.] Ad quem respiciam, nisi ad miserum et contritum spiritu et trementem sermones meos? Matth. 5. [vs. 3.] Beati pauperes spiritu, quia horum est regnum coelorum. Beati qui lugent etc.

Liberat Deus suam Ecclesiam tandem ex omnibus miseriis. Sed interim in hac vita necesse est obedire nos in aliquibus aerumnis, quia vult, ut dictum est, Ecclesiam subiectam esse cruci, et tamen quotidie multos liberat, etiam ex corporalibus miseriis, et cum non prorsus liberat, tamen mitigat. Hanc mitigationem saepe describunt et petunt Prophetae, et nos petere discamus. Nam haec infirma hominum natura non posset sustinere irae divinae magnitudinem, si exardesceret, ut nostra peccata merentur. Ideo clamat David Psal. 6. [vs. 2.] Domine, ne in furore tuo arguas me. Item Psal. 129. [vs. 3.] Si iniquitates observaveris, Domine; Domine, quis sustinebit? id est, Si ira exarserit tanta, quantam peccata nostra merentur, omnes subito peribimus. Psal. 77. [vs. 33.] Et non accendit omnem iram suam. Ierem. 10. [vs. 24.] Corripe me, sed in iudicio, non in furore, ne in nihilum redigar. Oseae 11. [vs. 8.] Quomodo dabo te, Ephraim? Quomodo obruam te, Israel? Num sicut Adama et Seboim delebo? Conversum est in me cor meum, exarsit commiseratio mea. Non faciam furorem irae meae. Non perdam penitus Ephraim, quia Deus ego sum, et non homo, in medio tui sanctus, id est, parcam per misericordiam, cum Deus sim, et non sinam deleri meum verbum, quod tibi [65]) tradidi. Abacuc. 3. [vs. 2.] Cum irasceris, misericordiae recordaris. Ies. 64. [vs. 8.] Et nunc, Domine, pater noster es tu, nos vero lutum, et fictor noster es tu, et opera manuum tuarum omnes nos. Ne irascaris, Domine, valde, nec perpetuo memineris iniquitates nostras. Ecce respice, populus tuus omnes nos.

Haec dicta de mitigatione diligentissime consideranda sunt, ut, etiam cum non penitus tolluntur

63) esse *excidit in* Ed. 2. *ideoque abest ab* Editt. 4. 5. 8—11. 13—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2.

64) verae] Editt. 22. 24., Opp. 1. 2. vere

65) tibi *excidit in* Ed. 11. *ideoque abest ab* Editt. 13 — 34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2.

miseriae, tamen sciamus nos interim iuvari, sustentari et corroborari, ut perferre onus possimus et ipsas calamitates leniri. Agar pulsa domo Abrahae cum filio in magnis aerumnis, cum paene siti periissent ipsa et filius, exauditur a Deo et iuvatur monstrato fonte. Sic singuli petamus et expectemus mitigationem aliquam, ne nostra infirmitas prorsus succumbat. Ideo et Rom. 8. dicitur: Spiritus adiuvat infirmitatem nostram.

Quartus locus. Ecclesia et singuli pii in calamitate considerantes tres locos, qnos recensui, debent addere[66]) fidem et invocationem. Ideo enim tradidit Deus has dulcissimas et amplissimas promissiones, ut nos eas fide amplectamur, ut conspecta eius bonitate sustentemur, denique ut ipse invocetur ac celebretur. Confugiamus ad Deum admoniti his dictis, Petamus et expectemus auxilium divinum, et acquiescamus in his promissionibus, ut acquiescebant pii in Aegypto aut deserto aut exilio Babylonico, scientes Deum adesse, opitulari, et tandem futuros exitus laetos.

Quaerunt omnes homines, donec possunt, visibilia praesidia in rebus adversis. Alius confidit pecunia, alius potentum amicorum favore. Haec cum fallunt, multi franguntur animis et nullam consolationem admittunt. Hos dolor iste ostendit solis visibilibus rebus confisos esse, non Deo. Licet uti rebus a Deo ordinatis, ut David utebatur suo exercitu; Sed fiduciam rerum sine Dei fiducia reiicit vox divina: Maledictus qui confidit in brachio carnis etc. Haec iniusta fiducia cito deprehenditur, cum amittimus visibilia praesidia, cum deserimur ab amicis. Hinc querelae sunt Tyrannorum potius ridiculae, quam miserabiles, *φίλων ἔρημος, ὦ τάλας, ἀπόλλυμαι.* Cur enim illis confidens immoderatas res aut iniustas movisti? Rectius David inquit [Psalm. 26, 10.]: Pater et mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me. Rectius mulier Cananaea, quae abiecta omni spe remediorum humanorum petit opem a Christo, nec deterreri se patitur, etiam cum initio durius respondet Christus. In usu vitae, in periculis, in miseriis discendum est, quam fiduciam Deus postulet, quam reiiciat. Nec intelligi haec praecepta sine aliquo usu possunt. Imo ideo Ecclesia onerata est cruce, ut in his exercitiis fides crescat, quae in otio et voluptatibus extinguitur, ut scriptum est [Exod. 32, 6.]: Sedit populus manducans et bibens, et surrexit ad ludendum. Item Deut. 32. [vs. 15.] Incrassatus est et recalcitravit. Iam ut nos ipsos de hac invocatione admoneamus, teneantur haec dicta. Psal. 49. [vs. 15.] Invoca me in die tribulationis, et eripiam te, et glorificabis me. Psal. 9. [vs. 11.] Et sperent in te, qui noverunt nomen tuum, quia non derelinquis quaerentes te, Domine. Psal. 54. [vs. 23.] Iacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet. Psal. 33. [vs. 7.] Iste pauper clamavit ad Dominum, et Dominus exaudivit eum.[67]) Psal. 144. [vs. 18.] Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum [68]) in veritate. Ioan. 16. [vs. 24.:] [69]) Petite, et accipietis. Luc. 18. [vs. 1.] Oportet semper orare et non languefieri., Philipp. 4. [vs. 6.] Ne sitis solliciti, sed in omni oratione et precatione cum gratiarum actione petitiones vestrae notae fiant apud Deum. Ac fides ita exerceatur semper, ut primum petat remissionem culpae, postea mitigationem poenae, ut infra dicam de Precatione.

Quintus locus. Cum superiores sententias de voluntate Dei in nostris aerumnis considerabis, videlicet quod non accidant casu, quod Deus puniat, non ut perdat, sed ut retrahat nos ad poenitentiam, quod velit opitulari, quod a se peti et expectari auxilium velit, ac iam bonam voluntatem Dei in nostris calamitatibus agnosces, scias postremo mandatum Dei esse, ut in calamitatibus sic sentientes ei obediamus, nec irascamur ipsi punienti nos, sed agnoscamus poenam iustam esse, nosque Dei voluntati subiiciamus, ac aliquo modo velimus, hoc est, placide feramus hanc poenam, ut iustitiae divinae obtemperemus. Vult enim Deus in omnibus poenis conspici ordinem suae iustitiae et iram adversus peccatum. Cum igitur haec obedientia et doloris moderatio etiam praeceptis divinis mandata sit, repugnandum est dolori et indignationi. Id docent haec dicta. Mich. ultimo [7, 9.]: Iram Domini portabo, quia peccavi ei. Et consolatio additur. Non enim satis est praeceptum nosse aut tolerare malum, sed, ut ante dixi, Fides et Invocatio accedant, ideo et hic Micheas addit [vs. 8.]: Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. 1. Petr. ultimo [5, 5 sq.]: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei. Praecipit, ut Deo prementi nos obediamus, et nominat potentem manum, quod de utraque re intelligatur: Manus Dei potens est et ad evertendos superbos et ad erigendos afflictos. Nulla est tanta potentia, tam florens gloria et opibus, quam non facile possit Deus evertere, ut historiae omnium temporum ostendunt. Sed memento exem-

66) addere] Editt. 11. 13—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2. adferre

67) eum *abest ab* Editt. 1. 3.

68) *Haec altera* omnibus invocantibus eum *exciderunt in* Corp. 1—8.

69) Ioan. 16.] *pro hoc loco* Editt. 1—16. 19. 23. 26. 27. *laudant* Matth. 7. (Editt. 26. 27. *typ. errore:* 6.) [vs. 7.] *ubi tamen haec sunt:* Petite, et dabitur vobis.

pla sanctorum, Davidis ac Nabuchodonosor. [70]) Hi ex summo fastigio deiecti didicerunt se prius tutos fuisse non sua virtute, non amicorum fide, non humanis praesidiis, sed Deo servante, protegente et gubernante eos. Nimis longus catalogus esset, si recenseremus Heroum casus, qui horribiliter eversi sunt: Herculis, Achillis, Aiacis, Iasonis, Philippi Macedonis, Pompeii, Caesaris, Antonii et aliorum innumerabilium. Horum tragici exitus declarant hanc vocem: Abominatio est coram Deo, quicquid sublime est in mundo, id est, quicquid gloriosum est sine agnitione et timore Dei, id evertitur. Ideo tantae ruinae sunt summorum virorum, qui non solum potentia, sed etiam virtute antecelluerunt.

Rursus potentiam suam Deus etiam in erigendis piis saepe ostendit, ut Ioseph ex carcere liberatur, [71]) David pulsus restituitur in regnum; Manasses cum diu captivus fuisset, tandem post poenitentiam incolumis dimittitur. In his exemplis scriptis affirmatur Deum esse auctorem harum liberationum, ut sciamus idem de non scriptis exemplis. Cum nobis res adversae mitigantur aut tolluntur, fit hoc Deo nos iuvante et gubernante consilia et exitus, ut Psal. 27. [vs. 7.] dicitur: Dominus adiutor meus et protector meus, in ipso speravit cor meum, et adiutus sum. Sed redeo ad praecepta, quae obedire iubent. 1. Cor. 10. [vs. 10.] Ne murmuretis, sicut quidam eorum murmuraverunt et interfecti sunt ab interfectore, ut in Numeris cap. 21. narratur de ignitis serpentibus. Psal. 37. [vs. 7.] Subditus esto Deo et spera in eum. Brevis concio est de rebus maximis et duas partes complectens, Praeceptum de Obedientia et doctrinam de consolatione a Deo petenda et expectanda. Psal. 45. [vs. 11.] Vacate et videte, quod ego sim Deus. Mirum praeceptum est et ignotum Philosophiae, sed convenit cum dicto Iesaiae [30, 15.]: In silentio et spe erit fortitudo vestra. Quod est igitur illud silentium? Quidnam illud vacare? Primum obedienter tolerare impositas aerumnas; Deinde non accersere negotia sine vocatione; Tertio, Non, ut solet humana diffidentia, discurrere ad quaerenda varia praesidia et in his aliqua iniusta aut sine iusto ordine, sicut Reges Iuda nunc inclinabant ad Aegyptios, nunc ad Syriacos Reges, nunc ad alios et[72]) impliciti stultis foederibus postea cogebantur sequi alienos furores. Huic impatientiae et discursationi quaerentium auxilia sine iusto ordine opponuntur hae voces: Vacate, id est, quiescite, expectate Dei auxilium, non discurrite in Aegyptum, in Syriam, ad Turcos, ad Afros. In bona caussa sitis tranquillis animis et a Deo defensionem expectate; et si quid secus eveniet, tamen melius est sustinere aerumnas, quam inhonestis consiliis bonam caussam deformare.

Exposui quinque locos traditos in doctrina Evangelii de tolerandis miseriis ignotos Philosophiae. Cum autem hac fide confirmati animi tolerant afflictiones, tunc vere Patientia seu Tolerantia est sacrificium, id est, cultus Dei seu opus a Deo mandatum et eo factum, ut ipsi honos reddatur. Sicut Psal. 50. [vs. 19.] dicitur: Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Et Rom. 12. [vs. 1.] Offerte corpora vestra hostias vivas etc. Nec vero ipsa laceratio corporis, ut Ethnici putabant, est sacrificium, sed voluntatis obedientia, seu tolerantia in dolore, cum quidem voluntas Deum intuetur et petit et expectat a Deo auxilium. Nec sunt sacrificia accersitae calamitates, ut sacerdotes Baal fodiebant sua corpora, seu ut Decii se devovebant pro Republica.

Hi furores Ethnici damnandi et execrandi sunt, sed illiarum calamitatum tolerantia sacrificium est, quae aut vocationem comitantur, ut Christi, Prophetarum, Apostolorum et omnium piorum aerumnae professionem veritatis comitantes, aut quae sunt poenae sequentes communem imbecillitatem aut nostra delicta, ut morbi, supplicia legitima, ut cum fures aut homicidae suppliciis afficiuntur. Harum miseriarum tolerantiam dicimus fieri sacrificium, ac de his dicitur 1 Petr. 1. [vs. 6.] Paulisper, ubi opus est contristati.

Sic igitur fur, cum ducitur ad supplicium, feret suam calamitatem. Primum statuet se non casu haerere in hac poena, sed sciente et permittente Deo certo consilio. Quonam? aut cur? Quid ego magis plector, quam tot alii Harpali in aulis multo plus furati? Te vult agnoscere iram suam adversus peccatum, te vocat ad poenitentiam. Nunc cogita, quanta fuerit infirmitas tua: Impulsus coeca cupiditate alienum rapuisti, cessisti Diabolo, qui delectatur pernicie hominum; Nunc igitur haeres in poena. Nec rursus cedas Diabolo, qui te prorsus a Deo avellere conatur. Incipe agnoscere Filium Dei Iesum Christum, et scito propter hunc te recipi. Is te consolabitur iam nunc quoque, ut latronem in cruce. Obedies igitur Deo, qui in his publicis poenis ostendit exempla irae suae adversus peccata et commonefacit homines, ut cogitent, quanta sit Diaboli malitia, qui imbecilles homines in tales miserias impellit. Dices ut Daniel: Nobis confusio, sed Deo tribuatur misericordia, qui in talibus spectaculis non prorsus abiicit

---

70) Nabuchodonosor] Editt. 1. 3. Nabugdonosor

71) liberatur,] Editt. 16—18. 21. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. liberatus

72) et *abest ab* Editt. 16 — 18. 20 — 34., Corp. 1 — 8., Opp. 1. 2.

miseros, sed confugientes ad Filium certo et vere recipit. Erigas igitur animum Fide et agnitione Christi, petas consolationem et expectes vitam aeternam, ut latro in cruce.

In tali exemplo conspici potest discrimen patientiae, de qua loquuntur Philosophi, et Patientiae, de qua Evangelium concionatur. Philosophi nihil dicunt de praecipuis caussis, nihil de Deo, nihil de auxilio divino aut liberatione. Sit igitur haec definitio huius virtutis, ut Philosophi definiunt: Patientia est obedire rationi in miseriis, ita ut dolorem moderemur eatenus, ne faciamus contra iustitiam aut alias virtutes. Ut Cato facit contra iustitiam sibi mortem consciscens. Coriolanus facit contra pietatem debitam patriae bellum civibus et cognatis inferens. Demosthenes facit contra modestiam, cum muliebriter lamentatur pulsus in exilium. Et quanquam interdum vult aliquo modo poenam iustam reus aliquis, ut Adrastus, qui casu interfecerat Croesi filium, tamen iniustam poenam, praesertim atrocem, velle humana ratio non potest. Palamedes, Socrates et similes ferunt supplicia, non quod velint poenam, sed perinde tolerant, ac si dilaniarentur a leonibus.

At Paulus vult aliquo modo supplicium, quia scit testimonium esse confessionis; David vult aliquo modo poenam, quia scit Deo debere nos hanc obedientiam, scit a Deo proponi exemplum irae toti generi humano in hac sua poena, praeterea et mitigationem expectat. Addatur ergo definitio in Evangelio tradita: Patientia Christiana est, obedire Deo in sustinendis aerumnis, ita, ne vel a Deo deficiamus vel ei irascamur vel contra alia praecepta Dei faciamus, sed moderemur animi dolorem et auxilium ac mitigationem a Deo expectemus. Collatio definitionum ostendit discrimen, quod in exemplis tamen clarius conspicitur. David intelligit se Dei consilio puniri et Deo obtemperat et petit mitigationem. Socrates miratur iniustitiam et nihil de Dei consilio cogitat, casu se opprimi arbitratur, ut si casu praeteriisset, ruente aliqua turri et eum opprimente, nec petit auxilium aut mitigationem a Deo.

Seiungamus ergo nos ab Ethnicis in nostris aerumnis et discamus praecipue hanc ipsam ob caussam totum genus humanum tantis miseriis onerari, ut ad agnitionem Dei et ad invocationem veram excitemur. Cum videmus mortem, morbos, iniurias, bella, pestilentias, diluvia, excidia urbium et alias innumerabiles calamitates privatas et communes, vult nos admiratione tantarum miseriarum attonitos de caussis et de opitulatore quaerere. Laudatur Platonis sententia in Epitaphio, quam Cicero expressit his verbis: Nam cui viro ex se ipso apta sunt omnia, quae ad beate vivendum ferunt, nec suspensa aliorum aut bono casu aut contrario pendere ex alterius eventis et errare coguntur, huic optime vivendi ratio comparata est. Verba Platonis [73]) haec sunt: *ὅτῳ γὰρ ἀνδρὶ εις ἑαυτὸν ἀνήρτηται πάντα τὰ πρὸς εὐδαιμονίαν φέροντα, ἢ ἐγγὺς τούτου, καὶ μὴ εν ἄλλοις ἀνθρώποις αιωρεῖται, εξ ὧν ἢ εὖ ἢ κακῶς πραξάντων, πλανᾶσθαι ἠνάγκασται καὶ τὰ ἐκείνου, τούτῳ ἄριστα παρασκεύασται ζῆν.* Quod monet Plato, ne pendeant universae spes nobis a fortunae bonis aut hominum coniunctionibus, recte docet; Sed quod deducit nos ad nostras virtutes, nondum satis est. Nam ad Deum deduci nos oportet. Multa enim accidunt homini, ubi humana virtus sine Dei auxilio succumbit. Hic vult Deus se agnosci et invocari, et pollicetur auxilium, et experiemur hanc consolationem non esse inanem Rhetoricam, si in vero dolore invocabimus, sicut scriptum est [Psalm 33, 19.]: Prope est Dominus his, qui tribulato sunt corde.

Dixi de caussis aerumnarum et de consolationibus, et virtutem, quae Patientia seu [74]) Tolerantia vocatur, quam Graeci nominant *ἀνεξικακίαν*, utcunque descripsi, Quae [75]) etsi eo necessaria est, quia divinitus haec obedientia postulatur, tamen et utilitates magnae exuscitent nos, nt eam maiore cura amplectamur. Ubi animi hac virtute non confirmati sunt, varie ruunt, irascuntur Deo, quaerunt auxilia inconcessa, ut Saul consulit magicam mulierem; Reges faciunt iniusta foedera, multi cupiditate vindictae movent Ecclesiam et imperia, ut Arium dolore repulsae motum aiunt ad turbandam Ecclesiam; Et vidit nostra aetas exempla talia non pauca. Magnum incendium est vindictae cupiditas in multis, ut in Alcibiade, Coriolano et aliis [76]) magnis viris. Sed discamus privato dolori anteferre publicam utilitatem, nec per impatientiam non necessarios tumultus excitemus. Quantum decus fuit Scipionis moderatio, qui cum facile posset Tribunorum iniustas criminationes armis opprimere, tamen urbe cedere maluit, quam sine necessitate movere Rempublicam.

Ac praecipue nos in Ecclesia pericula publica prospiciamus. Motae discordiae cupiditate vindictae saepe horrendas dogmatum confusiones et bella civilia excitarunt.[77]) Haec mala diligenter cavenda sunt, et graviter ac prudenter iudicandum est, quibus de rebus pugnandum sit[78]) et ubi non sit pugnandnm. Non dimicandum est de privatis

---

73) Plat. Menex. (Opp. ed. H. Steph. T. II. p. 248. A.).

74) seu] Editt. 22. 24. 28. 29. 31—33., Opp. 1. 2. aut

75) Quae] Editt. 22. 24. 28. Quā

76) et aliis] Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. et in aliis

77) excitarunt.] Editt. 1. 3. excitant.

78) pugnandum sit] Corp. 1—8. sit pugnandum

affectibus, non praetexendae publicae caussae privatis odiis et livori, sed verae et necessariae doctrinae puritas graviter et sedatis animis defendenda est.

[79]) Etsi Philosphia quaerit in materia et voluntatibus hominum propinquas calamitatum humanarum caussas, tamen aliae principales in Ecclesia Deï patefactae sunt, videlicet peccatum in natura hominis et furores Diaboli, qui, ut Deum contumelia afficiat, praesertim in Ecclesiam hostiliter [80]) grassatur.

Etsi autem inde prima initia sunt omnium calamitatum, tamen discrimina quaedam sunt. Ut alia caussa propinqua est, cur David affligatur, cum ex regno propter adulterium et homicidium eiicitur; Alia caussa propinqua est aerumnarum Ieremiae, qui in confessione veritatis interficitur. Propter hanc caussarum diversitatem genera calamitatum diversa nominari possunt, quae ideo illustribus vocabulis discerno, ut doctrina de diversitate caussarum planius intelligi et facilius explicari possit, quam quidem intelligi necesse est et propter consolationes et ad iudicandas disputationes de Satisfactionibus et alias.

Sit igitur primum genus *τιμωρίαι*, quae sunt poenae certorum delictorum, quae non quidem sunt compensationes seu satisfactiones, quae mereantur remissionem culpae aut poenae aeternae, sed sunt opera iustitiae divinae, per quae vult Deus commonefieri et nos et alios de sua iustitia, ut sciamus, et quae sint peccata, et vere irasci Deum peccatis et cum in hac vita mortali tum in futura punire, nisi rursus ad Deum convertamur. Ad hoc genus pertinent plurimae calamitates in toto genere humano, quia plerique homines etiam atrocibus delictis irritant iram Dei. Quanquam autem hae poenae sunt opera iustissimae irae Dei, quae vagantur per omnes Gentes, tamen in Ecclesia extant promissiones firmae et immotae, quas Deus immensa misericordia nobis tradidit et patefecit, quae affirmant in hac ipsa ira Deum tamen velle, ut ad Filium Mediatorem confugiamus et servemur ac salute aeterna donemur, saepe etiam et in hac vita mortali tollantur aut mitigentur calamitates. Ideo apud Micheam cap. 7. [vs. 9.] scriptum est: Iram Domini portabo, quia peccavi ei. Hic aperte de poena loquitur. Et tamen consolationem addit [vs. 8.]: Cum sedebo in tenebris, Dominus lux mea est. Ac multa discit Ecclesia in his poenis. Discit, quae sint peccata, agnoscit iustum Dei iudicium et iram adversus peccata, et tribuit Deo laudem iustitiae, ut Daniel [9, 7.] inquit: Tibi, Domine, iustitia. Simul etiam ibi accenditur lux Evangelii, quae docet gratiam exuberare supra peccatum, ut ad Romanos scriptum est. Discunt piae mentes immensa bonitate et misericordia Deum lenire suam iram iustissimam et anteferre nostram salutem indignationi suae, Et tamen, ut iustitiae satisfiat, derivatam esse iram in Filium. Harum collationum, iustitiae et misericordiae, consideratio studium erit coelestis sapientiae in vita aeterna. Sed tamen nunc ut in tirocinio initia pie cogitanda sunt.

Secundum genus sit *δοκιμασίαι*, cum non propter certa delicta, sed exercendi et confirmandi caussa affliguntur homines Deo placentes, et qui non habent saucias conscientias, ut carcer Ioseph, Davidis aerumnae, cum Saul ei iniuste insidiatur, calamitates Iob. Etsi enim in omnibus sanctis in hac vita sunt peccata, tamen alia caussa propinqua est, propter quam Deus tam duriter haec sua organa exercet. Non vult in otio et luxu Fidem et Invocationem extingui, vult in ipsis aerumnis crescere virtutes, ut in gubernatione sint vigilantiores et feliciores.

Tertium genus est *μαρτύριον*, cum propter confessionem verae doctrinae homines Deum vere colentes affliguntur aut interficiuntur, ut mors Abel, supplicia Ieremiae, Pauli et aliorum, qui in confessione veritatis interfecti sunt, nequaquam sunt poenae certorum delictorum, sed testimonia, in quibus ostendunt se, cum veritatem vitae anteferunt, serio sic sentire de Deo, ut docent, ac vere statuere nequaquam fabulosam esse doctrinam Evangelii; Testantur item restare aliam vitam et aliud iudicium post hanc vitam. Paulus revocaverat mortuos in vitam, [81]) quo exemplo testimonium divinitus ostensum est, Deo Paulum placere; Nec propterea abiicit [82]) eum, etiamsi a turpissimo Tyranno interficitur. Restat igitur aliud iudicium, in quo Deus Paulo benefaciet et de Nerone openam sumet. Et sicut Filius Dei summos et acerbissimos cruciatus sustinuit, ita praecipua lumina Ecclesiae praecipuas aerumnas sustinent, ut degustent passionem Filii Dei et quidem Abel, Isaac et alii patres et Prophetae typi fuerunt significantes mortem Christi.

Quartum genus est *λύτρον*. Est autem solius Filii Dei obedientia in omnibus ipsius afflictionibus

---

79) *Segq.* Etsi — — — disputationum explicationem. *(quibus verbis hic locus finitur) nondum sunt in* Editt. 1—9. 12.; *in* Editt. 10. 11. *in fine totius voluminis (h. e. post locum de libertate Christiana) subiiciuntur quippe suo loco inserenda ; in* ceteris Editt. *hoc loco inserta exhibentur.*

80) hostiliter] Ed. 25., Corp. 1—8. horribiliter

81) Paulus revocaverat mortuos in vitam, *omittunt* Editt. 14. 19.

82) abiicit] Editt. 10. 11. 13—20. 23. 25—27., Corp. 1—8. abiecit

et morte. Nam in hunc derivata est ira aeterni patris adversus peccata nostra.

Haec quatuor genera distincta appellationibus considerare utile est propter multarum disputationum explicationem.

[XIX.]

DE INVOCATIONE DEI SEU DE PRECATIONE.

Cum de ceteris virtutibus, de Temperantia, de Mansuetudine et aliis tam accurate scripta multa legantur, mirum est de hac virtute omnium summa, de Invocatione Dei, non solum pauca tradita esse, sed [83]) etiam corruptelas admixtas esse de Invocatione mortuorum, item negligi doctrinam de Fide, quae maxime in invocatione lucere debet, negligi item discrimen promissionis gratiae et promissionis bonorum corporalium. Utilissimum est autem recte, diligenter et copiose erudiri Ecclesiam de invocatione, quae proprium solius Ecclesiae opus est. Ceterae virtutes multae, ut Temperantia, Mansuetudo, reperiuntur etiam in his, qui Deum ignorant, ut in Pomponio Attico et [84]) similibus. Sed invocatio tantum est Ecclesiae et quidem praecipuus est Ecclesiae murus, ut Salomon inquit [Prov. 18, 10.]: Turris fortissima nomen Domini, id est, Invocatio vera Dei.

Discernantur autem gradus: Aut petimus aliquid a Deo, id proprie vocatur petitio seu oratio; Aut agimus gratias pro accepto beneficio, hoc est, testamur vere a Deo nos adiutos esse et ei gratias agimus, et celebratione huius beneficii nos et alios ad Timorem Dei, ad Fidem ac ad Invocationem invitamus. Has species saepe nominat Paulus, et nota sunt verba Philipp. 4. [vs. 6.] Non sitis solliciti, sed in omni precatione et petitione, cum gratiarum actione postulationes vestrae innotescant apud Deum. Ne igitur precatio nostra sit inanis *βαττολογία* et Ethnicum murmur, seiungamus nostram invocationem ab Ethnica, Mahometica, Iudaica, et discamus, quomodo recte invocandus sit Deus.

Ac primum saepe inter invocandum cogitemus, quid intersit inter veram invocationem, quam facit Ecclesia Dei, et Ethnicam, Mahometicam et Iudaicam. Hic sciamus praecipue duo esse discrimina: Alterum de Dei essentia, alterum de voluntate patefacta in promissione et Filio Mediatore. Quod ad prius attinet, aberrant Ethnici, Mahometistae et Iudaei, et quicunque idola aut mortuos invocant, a vero Deo, qui se patefecit dato verbo suo et misso Filio suo. Invocant Turci Deum, ut dicunt, conditorem coeli et terrae. Sed nolunt hunc esse verum Deum conditorem coeli et terrae, qui dedit nobis hoc verbum traditum per Prophetas et Apostolos, nec assentiuntur Christum esse Filium Dei. Aberrant ergo a Deo, sicut Christus clare inquit [Ioh. 5, 23.]: Qui non honorat Filium, non honorat patrem. Nec vult Deus aliter agnosci, quam ut sese suo verbo et per Filium patefecit. Ideo toties iam diximus nullam Ecclesiam electorum cogitandam esse, nisi in coetu vocato, ubi vere sonat Evangelium. Et hic tantum fit vera invocatio, quia necesse est dirigi invocationem ad hunc Deum, qui se patefecit dato hoc verbo et misso Filio suo Iesu Christo.

Alterum discrimen non minus necessarium est. Etiamsi naturalis ratio fatetur esse Deum, mentem aeternam, immensae potentiae, sapientiae, iustitiae, bonitatis, conditricem rerum, fatetur puniri sontes, tamen omnes ignari Evangelii nesciunt, an Deus velit recipere nostras preces, et cur recipiat. Ignorant Mediatorem Christum et promissiones. Non est autem invocatio, quae dubitat, an Deus recipiat nostras preces, [85]) et ignorat, cur recipiat. Inane murmur est, ut apud Virgilium [Aen. IV, 208—210.] illa Regis barbari oratio:

> An te genitor cum fulmina torques,
> Nequicquam horremus coecique in nubibus ignes
> Terrificant animos et inania murmura miscent?

Sic narrant [86]) in Creta Iovis statuam fuisse, quae nec aures nec oculos haberet, qua aliquis *ἄθεος* significavit nullam esse providentiam, non recipi preces hominum. Adversus hoc malum docendae sunt mentes, oportere afferri ad precandum hanc fidem, vere recipi a Deo preces nostras et recipi propter Filium Mediatorem iuxta promissiones.

Quare talis aliqua forma inter precandum cogitetur, quae utrumque discrimen complectitur, admonet nos de personis divinitatis et de promissione.

Omnipotens, aeterne et vive Deus, aeterne Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te patefecisti immensa bonitate, et clamasti de Filio tuo, Domino

83) sed *abest ab* Editt. 15—18. 21. 24. 28. 30. 34.

84) et] Editt. 1—10. 12. ac

85) nostras preces,] Corp. 2. 4. preces nostras.

86) narrant] Corp. 1—8. narrat

nostro, Iesu Christo, Hunc audite, conditor omnium rerum et conservator cum Filio tuo coaeterno, Domino nostro, Iesu Christo, et Spiritu sancto tuo effuso in Apostolos, sapiens, bone, misericors, iudex et fortis, miserere mei propter Iesum Christum Filium tuum, Dominum nostrum, quem voluisti pro nobis esse victimam *καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην* mirabili et inenarrabili[87]) consilio, ut ostenderes iram tuam ingentem adversus peccatum et immensam misericordiam erga genus humanum, et sanctifica ac rege me Spiritu sancto, serva et rege Ecclesiam tuam et politias, quae sunt hospitia Ecclesiarum, adiuva studia discentium doctrinam Ecclesiae et alias honestas artes etc.

Haec forma aliquo modo recitantem commonefacit de personis, de [88]) Mediatore et de promissionibus. Nam cum Mediatorem nominamus, veniunt in mentem promissiones, ut postea dicam. Cogitandum est enim, ad quem Deum dirigas invocationem, ubi et cur se patefecerit. Ingens et inenarrabile Dei beneficium est, quod tam illustribus et certis testimoniis, verbo suo et misso Filio Iesu Christo se patefecit. Vult igitur sic agnosci, ut se patefecit, et hos solos exaudit ac recipit, qui hunc patefactum Deum invocant et Mediatorem agnoscunt.

Est sane venusta et erudita descriptio apud Platonem: Deus est mens aeterna, caussa boni in natura. [89]) Dicat aliquis: Quid requirendum est amplius? An non agnovit Plato Deum, ut est, aeternum, sapientem, bonum, conditorem omnium bonarum rerum? Nondum satis dixit, nam deduci nostras mentes oportet ad Deum, ut se patefecit, et tenenda est doctrina de filio Mediatore.

Postquam haec discrimina indicata sunt, iam distribuam doctrinam de invocatione in quinque locos.

P r i m u m cogitetur, quem Deum invoces, ad quem Deum mens tua directa sit. Non enim vagentur animi nostri velut Ethnicorum, sed ut Christus inquit Ioan. 14. [vs. 6.] Nemo venit ad Patrem nisi per me. Hunc solum esse verum [90]) Deum cogites, qui se inde usque ab initio patefecit Ecclesiae suae tradito suo verbo et misso hoc Filio, Domino nostro, Iesu Christo Mediatore. Formam igitur supra posui complectentem tres personas et testimonium revelationis.

Ac mox de verbo cogitandum est. Dubitat enim mens ignara verbi Dei, an Deus velit invocari, an curet nostros gemitus, an et cur velit exaudire. Nullum videtur levius officium esse, quam invocatio. Semper enim et Ethnici et mali in Ecclesia aliquas precationes recitarunt. De his cum cogitamus, disputant animi, qui magis curat Deus nos, quam illos? saepe lapsi sumus, meruimus poenas, sumus indigni beneficiis Dei. Adversus haec argumenta, quibus invocatio in multis languefieri, in multis prorsus extingui solet, muniamus nos sequentibus locis.

Est igitur s e c u n d u s praeceptum de precando. Non solum peccata sunt caedes, furtum, adulterium, sed etiam peccatum ingens est, non reddere Deo hunc cultum, non petere, non expectare a Deo auxilium in periculis, non agere gratias pro beneficiis. Opponamus igitur praecepta incredulitati et indignitati nostrae. Cum dubitas, an Deus velit invocari, an curet nostros gemitus, lacrimas, vota, preces, propone tibi praecepta. Cum enim iubeat se invocari, non est inutile murmur oratio. Si te deterret indignitas tua, cogita, quae esset amentia in ceteris praeceptis disputare, nos ideo nolle abstinere a furtis aut caede, quia non simus digni, qui Deo obtemperemus. Si quis paterfamilias imperet servo legitimum opus, non recipiet servi excusationem, si is dicat se non esse dignum, qui obtemperet.

Praecepta igitur sint in conspectu et inter precandum saepe in mentem veniant. Matth. 7. [vs. 7.] Petite, et dabitur vobis. Est et addita universalis [vs. 8.]: Omnis, qui petit, accipit. Luc. 18. [vs. 1.] Oportet semper orare et non defatigari. Matth. 26. [vs. 41.] Vigilate et orate, ne intretis in tentationem. 1. Tim. 2. [vs. 1.] Adhortor, ut faciatis deprecationes. 1. Thess. 5. [vss. 16 18.] Semper gaudete, incessanter orate, in omnibus gratias agite. Haec est enim voluntas Dei in Christo Iesu erga nos. Psal. 49. [vs. 15.] Invoca me in die tribulationis, et eripiam te.

Dixi de praecepto. Pertinent autem hae sententiae ad secundum praeceptum Decalogi. Estque invocatio opus secundi praecepti et praecipuus cultus.

T e r t i u s locus est: Consideratis praeceptis mox quaerat pia mens promissiones, ut sciat, an et cur exaudiat Deus nos indignos et meritos tristia supplicia.

Ac ordo promissionum cogitetur. Initio nobis proponamus promissionem de remissione peccatorum. Vera est enim sententia: Peccatores Deus non exaudit, hoc est, non agentes poenitentiam et non quaerentes remissionem peccatorum. Quare in omni invocatione, etiam cum alia quaecunque petituri sumus, initio cogitetur de remissione pecca-

87) mirabili et inenarrabili] Ed. 1. fol. Mm 8b fin. *exhibet quidem male:* mirabili inenar- *(cum Custode:* rabili), *sed* fol. seq. Nn 1a *rectius repetitum:* et inenarrabili

88) de] Editt. 1—14. 19. et de

89) Conf. supra p. 610.

90) esse verum] Editt. 1. 3. verum esse

torum promissa propter Christum. Et sint nobis in conspectu aliquae clarissimae sententiae, ut Act. 10. [vs. 43.] dicitur: Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes credentes in eum. Et Rom. 5. [vs. 1.] Iustificati fide pacem habemus erga Deum.

Et prodest multa testimonia meminisse, ut supra de Iustificatione et de Poenitentia multa collegimus, ut sit infixum animis, hanc vere esse perpetuam Evangelii vocem inde usque ab edita promissione ad Adam, certo propter Christum donari remissionem, et in omni invocatione ad Deum accedendum esse fiducia Christi Mediatoris, ut Eph. 3. [vs. 12.] dicitur: Per quem audemus accedere cum fiducia per fidem in ipsum etc. Et ad Hebr. 4. [vs. 14.] Habentes Pontificem Iesum accedamus cum fiducia ad thronum gratiae.

Postquam autem de reconciliatione commonefacti sumus, deinde promissiones de bonis spiritualibus et corporalibus colligamus. Ioan. 16. [vs. 23.] Amen amen dico vobis, quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. In nomine meo, id est, me nominato, id est, Si petetis me nominato Mediatore ac Pontifice interpellante pro vobis. Iubet enim, ut accedamus ad Deum fiducia Mediatoris, sicut toties iam dictum est [Ioh. 14, 6.]: Nemo venit ad Patrem nisi per Filium. Luc. 11. [vs. 13.] Quanto magis Pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Psal. 49. [vs. 15.] Invoca me in die tribulationis, et eripiam te. Ioan. 15. [vs. 7.] Si manseritis in me, et verba mea manserint in vobis, quicquid volueritis, petetis, et fiet vobis. Haec verba alligant promissionem ad Ecclesiam, in qua recte sonat vox Evangelii. Certa sit igitur Ecclesia Christi, id est, coetus sonans Evangelium Dei, quod revera exaudiatur tantisper, dum retinet Evangelium. Eodem modo de Ecclesia dicitur Matth. 18. [vs. 19.] Si duo e vobis consenserint in terra, de omni re, quam petent, fiet eis a Patre meo coelesti. Ubi enim sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Hic quoque proponitur Ecclesiae dulcis promissio. Deut. 4. [vs. 7.] Nec est alia natio, quae habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Affirmat vere exaudiri Ecclesiam, in qua sonat verbum Dei. Psal. 144. [vs. 18.] Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet et deprecationem eorum exaudiet. Ies. 65. [vs. 24.] Antequam clamabunt, ego exaudiam, adhuc loquentibus illis ego audiam. Sirac. 35. [vs. 21.] Oratio humiliantis se nubes penetrabit et non discedet, donec altissimus aspiciet.

O inenarrabilem bonitatem et misericordiam Dei erga Ecclesiam sonantem Evangelii vocem. Praecipit, ut petamus bona, et addit amplissimas promissiones, ut invitet nos ad invocationem. Sed magna est imbecillitas, magnus stupor humani animi fugientis Deum. Excitati igitur tot praeceptis et promissionibus corrigamus dubitationem nostram et accedere ad Deum ducente Christo incipiamus, nec putemus promissiones divinas inanes sonitus esse, ut fingunt Epicurei. Non frustra Deus sese tot illustribus testimoniis patefecit, non frustra voluntatem suam declaravit, vult voce sua nostram caliginem, nostras dubitationes emendari. Praeclare igitur Taulerus inquit, Animum hominis nunquam tam avidum esse ad accipiendum, quin Deus multo avidior sit ad dandum. Est enim verax et servans suarum promissionum.

Quartus locus est: Quod fidem in invocatione accendi necesse est. Ideo enim traditae sunt promissiones, ut fides accendatur. Et ut antea de ordine promissionum dixi, ita primum hic sciendum est in omni invocatione, quaecunque res petitur, oportere praelucere fidem, quae accipit remissionem peccatorum et statuit nos placere Deo et vere recipi preces nostras propter Filium Dei Mediatorem. Ideo et testimonia de fide, quae citat Paulus, etiam cum alia obiecta externa simul complectuntur, tamen hanc fidem una comprehendunt, quod, qui non intelligunt, parum fideliter a Paulo citari sententias ex Genesi et Prophetis contendunt; Memini enim me tales cavillationes audire. Sed non poterat David petere victoriam, nisi prius statueret sibi peccata remitti, se a Deo receptum esse et preces suas accipi a Deo. Haec supra etiam attigi, cum de Iustificatione dixi.

Deinde discernendae res sunt, quae petuntur. Aut petuntur spiritualia bona, quae promisit Deus nominatim se daturum esse et vult sine conditione peti, ut remissionem peccatorum, liberationem ab impietate et morte aeterna, donationem Spiritus sancti et vitae aeternae. Haec praecipua est Evangelii promissio, quam etiam omnibus corporalibus commodis amissis vult Deus nobis certissimam esse, ut Rom. 4. [vs. 16.] dicitur: Ideo ex fide gratis, ut firma sit promissio.

In his petendis fides nullam affert conditionem, quia mandatum Dei est immutabile, quod praecipit audiri Christum et praecipit, ut credamus Evangelio, ac certo statuant agentes poenitentiam, recipi se a Deo propter Christum. Id qui non credunt, accusant Deum mendacii. Ideo hic non assuenda est conditio aliqua, sed credendum iuramento divino [Ezech. 33, 11.]: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Saul proeliis aliquot victus tamen a Deo deficere nequaquam debebat, sed potius ad eum confugere et reconciliationem petere. David exutus regno et universa sua gloria tamen non deficit a Deo, sed scivit reconciliationem pro-

missam esse et hanc promissionem fide retinendam esse, etiamsi tota rerum natura adversaretur. Etsi enim Ecclesia subiecta est praesentibus miseriis corporum, tamen propter eas non sentiendum est nos in aeternum exitium abiectos esse, ut supra recitavi sententias. 1. Cor. 11. [vs. 32.] Cum iudicamur, a Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Et Christus ait [Matth. 5, 5.]: Beati qui lugent etc.

Dixi de petitione spiritualium bonorum, nunc de beneficiis corporalibus dicam. Hic quoque, ut ante dictum est, praeluceat fides accipiens remissionem peccatorum et statuens, nos placere et recipi preces nostras propter Christum. Hanc fidem universaliter in omni petitione afferre ad Deum debemus. De rebus vero ipsis haec tria credenda sunt: Primum, quod Deus vere sit dator horum beneficiorum, nec casu obiiciantur, nec tantum humana diligentia parentur. Ut igitur agnoscamus ea dari divinitus, vult Deus ea a se peti, ut victum, defensionem, tranquillitatem, pacem, successus in officiis vocationis, bonam valetudinem. Deinde credendum, quod Deus, etiamsi Ecclesiam vult subiectam esse cruci, tamen, ne deleatur, velit ei dare [91]) beneficia corporalia, politias, hospitia mediocria, victum, defensionem studiorum doctrinae, scholas, successus in gubernatione et alias res necessarias. Tertio credendum, quod velit Deus in petendis corporalibus exerceri et crescere fidem reconciliationis.

Haec omnia in petitione corporalium bonorum cogitanda sunt. Et quoniam scimus oportere Ecclesiam subiectam esse cruci, semper haec ita petantur, ut simul offeramus obedientiam nostram, si velit Deus [92]) nos diutius exerceri. Ut David petit et expectat reductionem in regnum, cum a filio pulsus est, sed tamen offert Deo obedientiam suam, si eum non velit reducere. Sic igitur dicit 2. Reg. 15. [2. Sam. 15, 25.] Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me; Sin autem dixerit mihi, non places, praesto sum; Faciat, quod bonum videtur ipsi. Et Christus inquit [Matth. 26, 39.]: Pater, si possibile est, transeat a me calix iste; Sed non quod ego volo, sed quod tu vis, fiat. Et leprosus inquit [Matth. 8, 2.]: Si vis, potes [93]) me mundare Et tres viri Dan. 3. [vs. 17.] Deus noster, quem nos colimus, potest nos eripere. Quod si noluerit, notum sit tibi, Rex, quod Deos tuos non colimus. Et Paulus inquit [Rom. 8, 26.]: Nescimus, quid petamus, quemadmodum oportet, hoc est, caro quidem oppressa magnitudine afflictionum petit liberationem et reformidat obedientiam, sed spiritus revocat animum ad obedientiam, et quamvis petit et expectat liberationem, tamen non repugnat voluntati Dei, sed vult liberari, cum Deo placebit.

Semper igitur cum pro Ecclesia seu republica seu familia seu schola petimus, adsit fides illa generalis, ut dixi. De rebus vero ipsis credamus Deum aut liberaturum nos ab iis calamitatibus, de quibus petimus, aut eas mitigaturum esse. Cum enim Ecclesia in hac vita subiecta sit cruci, manent aliquae aerumnae, sed has piis invocantibus mitigat Deus. Sic Prophetae de mitigatione precantur. Ieremias [10, 24.]: Corripe me in iudicio, non in furore. Et Abacuc [3, 2.]: Cum irasceris, Deus, recordare misericordiae tuae. Et Ies. 64. [vs. 9.] Ne irascaris, Domine, valde.

Et in tali precatione singuli non solum pro sese petunt, sed primum pro toto corpore Ecclesiae. Id servari oremus, etiamsi singula membra parata esse ad obedientiam debent, si quid erit tolerandum. Ut David orans pro exercitu victoriam petit, ut Ecclesia sit incolumis. Interim scit aliquos venire in periculum aut interfici, et suam obedientiam offert. Nec precatio eius irrita est, recipitur enim a Deo et impetrat multis mitigationem mali. Sic cum precamur, ut pestilentia mitigetur, non de nobis solis angimur, sed totam Ecclesiam eius loci complectimur. Pro his recipitur precatio a Deo, et certo impetrat multis incolumitatem. Ac vult nos Deus in precatione affici aliorum et totius Ecclesiae cura, sicut scriptum est [Psalm. 121, 6.]: Rogate, quae ad pacem sunt Ierusalem.

Apud Euripidem cum Theseus cadavera Argivorum ad Thebas recipit ac postea suis manibus abluit, miranturque alii, cur non mandet servis hunc tetrum laborem lavandorum cadaverum, respondet quispiam, superbiam aut delicias indignas esse homine, propter calamitates abhorrere a miseriis, [94]) cum opus est nostro officio, *οὐκ αισχρὸν ἀνθρώποισιν ἀλλήλων κακά.* [95]) Huius honestissimi versiculi exemplum maxime in Christo conspectum est. Is non duxit sibi turpe esse, transferre in sese poenas nostrorum scelerum et affici cura nostrarum miseriarum, sic nos singuli Ecclesiae, Reipublicae, parentum, liberorum, amicorum calamitatibus moveamur, et non tantum nobis, sed etiam aliis opem ferri petamus.

Et quid sit Fides specialis nominatim expectans aut liberationem aut mitigationem, discamus intelligere in ipso usu, id est, cor invocans Deum in periculis aut miseriis corporalibus etiam discat fide

91) dare] Editt. 18. 22. dari

92) velit Deus] Editt. 1. 3. DEVS velit

93) potes] Editt. 18. 22. typ. errore: potest

94) miseriis,] Editt. 1. 3. miseris,

95) Eurip. Suppl. 768. ed. Barnes.: *Τί δ' αἰσχρὸν ἀνθρώποισι τἀλλήλων κακά·*

acquiescere in Deo. Quo plus est dubitationis ac diffidentiae, eo plus sentimus cruciatuum in corde. Est autem in aliis ardentior, in aliis languidior fides. Erat ardens et firma fides in Cananaea petente pro filia: Item in Centurione. Erat languidior in patre afferente filium, primum ad Apostolos, postea ad Christum. Marc. 9. inquit enim [vs. 21.]: Si quid potes, opitulare; Et postea lacrimans agnoscit imbecillitatem fidei et petit se confirmari [vs. 23.]: Credo, Domine, sed opem ferto meae diffidentiae.

Discamus et nos agnoscere trepidationes cordis fugientis Deum, etiamsi est languida fides, tamen semper caput teneamus, non esse irritas preces, non esse inutile murmur, sicut Epicurei et Academici existimant. Erigamus animos cogitatione tot promissionum, et rerum discrimina consideremus. Sciamus nominatim petendam esse reconciliationem et credendum eam accipi, nec addendam esse conditionem, si placet. Expressit enim Deus voluntatem suam, ac praecipit nominatim peti reconciliationem. Nec conturbemus ipsi nos quaestionibus de praedestinatione, quas supra dixi seponendas esse;[96] Nos enim de voluntate Dei ex verbo expresso iudicare debemus.

Deinde et de corporalibus aerumnis nominatim petamus aut liberationem aut mitigationem. Hic enim obedientia nostra necessaria est, si eam flagitet Deus. Nec tamen irrita est precatio, impetrat enim vel aliis vel tibi liberationem aut mitigationem. Laurentii precatio in craticula non est irrita, etiamsi praestat obedientiam; Nam etsi non liberatur, tamen precatio impetrat maius robur. Ionathas, etsi ab hostibus interficitur, cum patrem abiectum et infelicem sequitur, tamen non frustra pro exercitu et sese precatur. Vincit tandem ea pars, quam ipse superiorem esse magis optabat, et sustentatur ipse arcana consolatione.

Non igitur existimemus has petitiones corporalium beneficiorum irritas esse, quia non semper respondent eventus, ut nos optamus. Qui tamen saepe respondent, ut[97] Agar impetrat filio potum; Iacob impetrat defensionem in itinere, ne ab Esau fratre opprimatur; Moyses impetrat victoriam orans pro exercitu proeliante, impositis brachiis saxo; Hanna sterilis mater Samuelis impetrat foecunditatem; Iosaphat, Ezechias, Maccabaeus et alii multi precibus impetrant victorias; Ninivitae impetrant, ne civitas deleatur. In historiis Evangelicis plurima sunt exempla.

Ad has historias adiungamus quotidianas liberationes, quae impetrantur Ecclesiae precibus omnibus temporibus. Quoties tibi, quoties mihi, quoties cuilibet nostrum Deus quamvis trepidanter rogatus, sed rogatus tamen depulit aut mitigavit ingentia mala! Non enim existimemus casu accidisse liberationem, ut alioqui inter homines usitatum est, ingratos post acceptum beneficium, negligere opitulatores, a quibus adiuti sunt. Mihi scio Dei ope aliquoties magnas calamitates mitigatas esse.

Omnes igitur liberationes seu alienas, quas legimus, seu nostras, quas experimur ipsi, sciamus exempla promissionum divinarum esse, et commonefacti tum promissionibus tum exemplis discamus invocare Deum, petere et expectare auxilium, et fides seu fiducia paulatim fiat firmior, acquiescat[98] cor spe et expectatione auxilii divini. Sic discamus usu hunc versum: Iacta in Deum curas tuas, et ipse te sustentabit et non dabit perpetuam fluctuationem iusto. Dat Deus corporalia bona, sicut hanc vitam, ut semper in terris aliqua Dei Ecclesia maneat, ut sint doctores et discipuli, ne deleatur doctrina, ne literae intereant. Si mox omnes Apostoli interfecti essent, quis circumtulisset ac sparsisset in mundo Evangelium? Dat igitur Deus suum cuique doctori curriculum, et interim defendit eius corpus, praebet domicilium, politiam, scholam, victum, ut servat navim Pauli tantisper, donec in ea Paulus ad portum venit. Caussas igitur cogitemus veras, propter quas dantur bona corporalia, ut ordine et serio ea petamus tanquam Dei beneficia Ecclesiae necessaria.

Exercent etiam fidem duae circumstantiae in petendo: Modus et Tempus. Moyses nihil minus cogitat, quam se quadraginta annis cum tanta multitudine in tantis aerumnis in deserto vagaturum esse, sed sperat fortassis unius mensis iter fore. Sic plurima exempla docent Deum alio modo et alio tempore liberare, quam ut nos in hac imbecillitate nostra vel cogitamus vel optamus. Exercet enim nos, ut fide ab ipso pendeamus, non regamur nostris opinionibus. Ideo in Psal. 4. [vs. 4.] dicitur: Mirificat Deus sanctum suum, id est, non humanis consiliis liberat Deus, sed mirandis modis, quos non potest humana ratio prospicere. Sic et Eph. 3. [vs. 20.] dicitur, Deum facere posse, sed supra quam petimus aut intelligimus. Et de mora saepe dicitur, ut Luc. 18. [vs. 7.] in exemplo de iudice segni et vidua. Et Abacuc 2. [vs. 3.] Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet et non tardabit.

Non igitur nostrum est praescribere Deo modum et tempus, sed haec ipsius consilio prorsus commendanda sunt, ut oculi nostri interim non res ac eventus, sed Deum intueantur, et accendamur

---

96) supra dixi seponendas esse;] Editt. 1. 3. supra reiecimus, [Conf. pag. 760.].

97) ut *omittunt* Editt. 16—18. 20—22. 24. 28—34., Opp. 1. 2.

98) acquiescat] Editt. 15—18. 20—22. acquiescet

ad invocationem. Huius regulae exemplum illustre extat in historia Iudith cap. 8. Cum rescisset Iudith sacerdotem praescripsisse Deo quinque dierum spatium, obiurgans sacerdotem inquit [vs. 11.]: Qui estis vos, qui tentatis Deum? Hic sermo magis irritat iram [vs. 13.]: Constituistis Deo tempus opitulandi.

Ignorantes igitur modum et tempus Deum intueamur et ab ipso petamus eventus placidos, sicut 2. Paral. 20. [vs. 12.] dicitur: Cum ignoramus, quid agendum sit, hoc solum nobis restat, ut oculos nostros ad te dirigamus. Quae sententia cum dulcissimam consolationem contineat, semper in conspectu sit in omnibus rebus ambiguis, quae humanis consiliis extricari non possunt, cuiusmodi valde multa homini accidunt. Adscribam igitur Ioachimi Camerarii versiculos, quibus hoc dictum regis Iosaphat expressit, ut admoneant de hoc praecepto studiosos:

In tenebris nostrae et densa caligine mentis
Cum nihil est toto pectore consilii,
Turbati erigimus, Deus, ad te lumina cordis,
Nostra tuamque fides solius orat opem.
Tu rege consiliis actus, Pater optime, nostros,
Nostrum opus ut laudi serviat omne tuae.

Idem docet Psal. 36. [vs. 5.] Commenda Deo viam tuam et spera in eum, et ipse faciet. Et illustre exemplum est Exod. 14. Cum Pharao regium exercitum ducens accessit ad Israëlitas et oppressurus eos videretur, quia Israelitarum multitudo erat inermis et partim mari partim montibus inclusa, ne effugere posset, et periculum nullis humanis consiliis discuti posset, clamat Moyses [vs. 13.]: Nolite timere, state et videte magnifica opera Dei, quae facturus est hodie. Iubet stare, id est, non praescribere modum Deo, non discurrere ad humana praesidia quaerenda, sed huc progressos, ut Deo obedirent, in hac obedientia placide expectare defensionem a Deo, sicut sententiae supra citatae docent [Ies. 30, 15.]: In silentio et spe fortitudo vestra. Item [Psalm. 45, 11.]: Vacate et videte, quod ego sim Deus.

Quintus locus: Res petenda in precatione cogitetur et recitetur. Ideo enim precatio est cultus Dei, quia hunc honorem tribuit Deo, quod in tantis nostris miseriis opem ferat invocantibus ipsum, nec sit inane nomen, ut Epicurei furenter dicebant, nec sit alligatus ad caussas secundas, ut Stoici dicebant. Et prorsus est inanis *βαττολογία* recitatio, quae non monet accipi beneficia a Deo, nec agit gratias Deo pro acceptis beneficiis. Sciunt et Diaboli, hostes Dei, et certissime norunt Deum esse aeternam mentem, immensae potentiae, sapientiae, iustitiae, bonitatis et misericordiae, conditricem rerum, sed hac sua cogitatione non accenduntur ad amorem Dei, quia beneficia ab eo nulla petunt. Sit igitur petitio certi beneficii, ut agnoscamus Deum non solum sibi bonum esse, sed etiam erga nos beneficum. Hanc laudem postulat sibi tribui. Sunt autem res petendae res non prohibitae mandatis Dei: Non petat Saul tolli Davidem, non petat David interfici Uriam. Sed ut 1. Ioan. 5. [vs. 14.] dicitur: Haec est fiducia, quam habemus erga Deum, quod, si quid petimus secundum voluntatem eius, audit nos.

Ac de ordine saepe dictum est supra. Necesse est ante omnia peti reconciliationem, imo frustra petuntur cetera sine fide reconciliationis. Frustra peteret David victoriam, nisi simul peteret remissionem peccatorum. Praeluceat ergo fides petens reconciliationem et statuens, nos recipi propter Christum, omnibus aliarum rerum petitionibus. Deinde ingentem infirmitatem nostram consideremus, quod ad animam et corpus attinet, ut intelligamus nobis opus esse Dei auxilio. Magna pars hominum in tantis tenebris vivit, ut suas miserias ne quidem consideret. Homines ebrii voluptatibus, opulenti, sine magnis doloribus viventes fruuntur praesentibus commodis, nec putant sibi opus esse auxilio Dei, sed alii, qui aerumnas inextricabiles humano consilio sustinent, mole rerum oppressi coguntur quaerere auxilium Dei, sicut Iesaias inquit cap. 26. [vs. 16.] Domine, in tribulatione visitant te, angustia, in qua clamant, disciplina tua est eis. Primum igitur opinionum et morum pericula consideremus. Tot summi homines horribiliter lapsi sunt, Adam, Aaron,[99]) David, Petrus et alii innumerabiles, quorum multi non resipuerunt, ut Samosatenus, Arius et alii. Nec solum nostra infirmitas hic agnoscenda est, sed etiam insidiator Diabolus, qui tanquam leo rugiens circumit, quaerens quem devoret. Et longam telam texit Diabolus, non hoc tantum agit, ut Davidem et Uriae coniugem adulterio implicet, sed ut ab hoc initio longam Tragoediam et inextricabilem Davidi instituat, in qua tandem sperat Davidem periturum esse, ut Saul perierat.

Ac profecto dolendum est, tantum esse stuporem hominum, ut, cum quotidiana exempla cernamus tristissimorum casuum, quos manifestum est a Diabolo ortos esse, tamen neque adversus tam saevum hostem neque adversus tanta pericula nos diligentia et invocatione nostri custodis Christi maiore cura muniamus. Manifestus Diaboli furor erat Anabaptistica seditio in urbe Monasteriensi, et exi-

---

99) Aaron] Editt. 1—3. 6. 7. 9. 12. Aharon

tus fuit tristissimus: nondum tamen aut illius furoris turpitudine aut poena [100]) satis moventur animi hominum, ut fugiant Anabaptistarum deliria. Quoties bella sine ullis veris caussis accendit Diabolus? quoties privatim nobis ingentia vulnera facit, cum deceptos aliquo specioso consilio implicat hominum malorum familiaritatibus. Denique magnitudo malorum, quibus Diabolus implicat homines, imo Ecclesiam, describi verbis non potest, sed aliquo modo agnoscitur historiis omnium temporum et quotidianis vitae exemplis consideratis, observatis etiam nostris lapsibus.

Deinde pericula corporis, famae, rerum, liberorum, Ecclesiarum nostrarum et regionum, quae nobis et studiis honestis hospitia concedunt, plura et maiora sunt, quam ut oratione comprehendi possint. Semper Ecclesia sic vivit, ut Daniel sedens inter leones; Semper undique Diaboli nobis insidiantur et subinde multos evertunt, semper homines impii minitantur atrocia Ecclesiae, semper aliqui saevi casus expectandi sunt; Ut multae sunt [1]) subitae ruinae, ac verissime dictum est: [1a])

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu, quae valuere, ruunt.

Iuventus adhuc ignara vitae imaginatur homines nasci ad delicias et fruendas voluptates, et has otiosis animis expetit et quaerit; Sed senes, qui degustarunt communes miserias, longe aliter iudicant, ac intelligunt hanc vitam universam plenam esse aerumnarum, nec dissimilem civitati, quae cincta obsidione undique acerrime ab hostibus oppugnatur, et in quam nunc ab hac parte nunc ab alia hostes irruunt, excitant incendia, evertunt aliqua aedificia, et vix repelluntur. Mirantur certe sapientes omnes, cur haec praestans et tamen imbecilla hominum natura tantis miseriis onerata sit, quas perferre suis viribus non potest.

Vetus dictum est, Unumquemque fabrum esse suae fortunae, quasi fortuna regi nostris consiliis et prospici ac caveri humana diligentia omnes casus possint. Sed de universa hominis gubernatione dictum illud accipi non posse manifestum est. Adam non potest prospicere et impedire scelus filii Cain, nec eluctari suis viribus ex magnitudine dolorum, qui illam fratrum Tragoediam sequuntur. Aliquid prodest diligentia in hac communi consuetudine vitae, in rebus levioribus, quae pendent a nostris voluntatibus. Scipio sua moderatione faber est suae fortunae, quod ipse non accendit bellum civile cupiditate vindictae, ut postea fecerunt Marius, Pompeius, Caesar. Sed nihil dubium est multa tristia mala accidere homini, quae aut non possunt prospici, aut, si qua possunt prospici, tamen in tantis erroribus humanis non caventur, quia saepe hallucinamur et nobis ipsi [2]) bonas spes stulte fingimus, ut poterat Pompeius non movere bellum civile, sed incensus cupiditate et inani spe in consilio errabat, ut dicitur: *κενοὶ κενὰ λογίζονται διὰ ἐπιθυμίας.* [3]) Postremo, postquam alea iacta est, saepe accidunt talia, quae perferre nisi Deo adiutore non possumus. Adam, David succubuissent suis doloribus, nisi divinitus sustentati fuissent. Caussas vero tantarum miseriarum supra recitavi, quarum praecipuas ignorat Philosophia, quod videlicet Deus iustus iudex declaret his testimoniis iram suam adversus communem pravitatem haerentem in omnibus hominibus et adversus multa singulorum scelera, propter quae communes poenae cumulantur.

Ac opponit quidem ratio humana argumentum multorum disputationibus agitatum, quod hic explicari prodest.

Iustis debet bene esse,
Ecclesia est iusta,
Ergo Ecclesiae debebat bene esse.

Primum respondendum est ad minorem, Ecclesia est iusta, scilicet imputatione et inchoatione in hac mortali vita, sed adhuc in ea haeret magna caligo, multae dubitationes de Deo, multi vitiosi affectus. Multi sunt etiam multorum insignes lapsus in ipsa Ecclesia, ut Aaronis, [4]) Davidis, qui irritant iram Dei. Ac supra dixi [5]) magis premi Ecclesiam, quam reliquam partem generis humani non recte invocantem Deum, quia Deus in sua Ecclesia praecipue vult agnosci iram adversus peccatum. Tiberius et similes alii multi contemnentes Deum, etsi post hanc vitam daturi sunt poenas, tamen hic minus premuntur, quam Ecclesia, quia Deus in Ecclesia suum iudicium vult conspici et metui, sicut scriptum est [1. Petr. 4, 17.]: Iudicium a domo Dei incipit. Et accedunt aliae caussae, quas supra recensui.

Nunc ad maiorem respondeo: Iustis bene esse, congruit ordini divino et sic sancit Lex [Levit. 18, 5.]: Qui fecerit ea, vivet in eis. Item [Deut. 4, 1.]:

---

100) poena] sic Editt. 1—10. 12.; Ed. 11. poenas *errore operarum, quod tamen in* Ed. 13. *mutatur in* poenis *idque servant omnes posteriores* Editt.

1) sunt *omittunt* Editt. 22. 24. 28. 29. 31—33., Opp. 1. 2.

1a) Ovid. Epist. ex Ponto IV, 3, 35 sq.

2) ipsi] Editt. 18. 20. 22. 24. 25. 28 — 34., Corp. 1 — 8., Opp. 1. 2. ipsis

3) Hoc Solonis dictum iam supra p. 935. laudatum est.

4) Aaronis] Editt. 1—3. 6. 7. 9. 12. Aharonis

5) supra dixi] Editt. 1. 3. dixi supra

Hoc fac, et vives. Item Deut. 28. [vss. 1. 6.] Si audieris vocem Domini Dei tui, et facies omnia mandata eius, benedictus eris egrediens et ingrediens, id est, in omni gubernatione politica et oeconomica, in bellis, in pace, in liberorum procreatione, gubernatione et successione, in tuenda Ecclesiae puritate et honesta disciplina etc. Est igitur Legis vox vera et ordinis divini regula: Iustis bene esse iustum est. Sed huius regulae interpretationem tradit Evangelium: Iustis bene erit, cum Ecclesia glorificabitur. Interim Deus differt praemia. Nam Ecclesia nondum est sine peccatis. Et cum omnia bona et mala huius vitae brevia sint ac momentanea, Deus non vult iustos [6]) fugacibus bonis ornare nec iniustos brevibus suppliciis punire, sed vult suam iustitiam in rebus aeternis ostendere. Ideo praecipua praemia et praecipuas poenas differt in illam aeternam vitam. [7]) Interim in hac vita regulariter tamen atrocia scelera punit manifestis corporum poenis, tum ut nos admoneat de ira sua et de aeterno iudicio, tum politicae pacis caussa.

Philosophi attoniti admiratione huius confusionis, ut putant, cum vident hic bonis, ut Palamedi, Socrati, male esse, malis vero, ut Tiberio, bene esse, quaerunt caussas, et coniungere cum virtute praemia conantur. Hinc illae quaestiones sunt, an virtus ad beatitudinem sufficiat, an Socrates sit beatus, cum virtuti non respondeant praemia. Haec in Philosophia sunt inextricabilia, sed in Ecclesia dextre explicantur: Paulus est beatus, cum placeat Deo ac habeat Deum custodem et gubernatorem, et quanquam in hac vita scit se cruci subiectum esse propter certas caussas, tamen postea scit Ecclesiam non fugacibus, non exiguo tempore duraturis bonis, ut est huius vitae curriculum, ornandam esse. Ita suo tempore cum virtute coniunguntur praemia, et quidem perpetua, non fugacia, ut sunt bona huius vitae mortalis.

Hanc explicationem argumenti vulgaris, quo disputatur, iustis debere bene esse, recitavi, non solum ut de communi Philosophorum quaestione lector admoneretur, sed ut nos ipsi attentius consideremus et miserias nostras et earum caussas ac remedia.

Cum igitur cogitabis te ut in urbe cincta obsidione, quae undique acerrime oppugnatur, vivere, cum sentis aerumnas aliquas, ipsae res admonent, ut opitulatorem quaeramus. Ideo res petendae, ut supra dixi, in precatione comprehendantur, et earum ordo intelligatur.

Primum petenda est remissio peccatorum et reconciliatio et cum his bonis lux Spiritus sancti accendens et confirmans in nobis agnitionem Dei, fidem, timorem, tolerantiam, dilectionem, denique regens nos in vocatione et in omnibus consiliis, in docendo, in regenda republica.

Secundo loco petantur et bona corporalia communia et privata, pax earum regionum, quae Ecclesiis et piis studiis hospitium praebent, honesta civitatum disciplina, fertilitas agrorum, tempestates foecundae, [8]) bona valetudo, victus, successus in administratione tua politica et oeconomica, defensio liberorum, famae, possessionum. Et illa otiosorum hypocritarum amentia prorsus explodatur, qui dicunt, indignum esse bona corporis a Deo petere. Haec deliramenta plena sunt impietatis; Imo praecipit Deus, ut petamus corporis bona, et praecipit, ut supra dixi, propter tres gravissimas caussas, quarum prima est, ut agnoscamus et certo statuamus bona corporis non temere, non casu dissipari inter homines, sed Deum vere earum rerum auctorem esse, et ab ipso eas suae Ecclesiae dari et servari suo mirabili consilio. Deus servat vitam Abrahae, Eliae, Pauli, et curat eis hospitia vagantibus inter ingentia pericula per multas regiones, ut Christus clare dicit [Matth. 6, 32.]: Scit Pater vester vobis opus esse defensione corporum; et promissiones horum bonorum supra recensui.

Secunda caussa est, cur ea peti Deus velit, ut sciamus in hac vita servaturum esse Ecclesiam. Quamdiu doceret Paulus, si mox interficeretur? Ut igitur aliquo spatio doceat, petit vitam, victum, hospitia. Quomodo possumus servire Ecclesiae Dei, si corpora sint fracta doloribus? Petamus ergo tranquillitatem aut mitigationem miseriarum, ut servire Ecclesiae possimus, et propter hanc caussam sciamus Deum haec bona velle largiri, sicut saepe testatur, ut cum ait Christus [Matth. 6, 33.]: Primum quaerite regnum Dei, et cetera adiicientur vobis.

Tertia caussa est, quia vult Deus in his exercitiis petendorum corporalium confirmari fidem de Reconciliatione. Semper enim in his petitionibus praelucere illam fidem de Reconciliatione oportet.

Has caussas inculco, ut sint in conspectu et nos exuscitent ad invocationem. Chrysostomus et alii multi insulse depravant precationem, quam tradidit Christus, cum panem quotidianum nolunt intelligi de corporali pane. Imo sciamus has res corpori necessarias, vitam, victum, fruges, politias esse ingentia et miranda opera Dei et non temere,

---

6) non vult iustos] Editt. 1—17. 19. 21. iustos non vult

7) aeternam vitam.] Editt. 22. 24. 28—34., Corp. 2—8., Opp. 1. 2. vitam aeternam.

8) foecundae,] Editt. 22. 24. 26—34., Corp. 2—8., Opp. 1. 2. secundae

non casu spargi inter homines, sed certo consilio Deum haec adminicula vitae et attribuere Ecclesiae et servare.

Nec Stoici illi audiendi sunt, qui vociferantur, cum Deo gratis serviendum sit, non esse petenda bona corporum. Hae nugae ex magnis tenebris oriuntur. Non attendunt hi Stoici, qualis sit huius vitae imbecillitas. Non petuntur haec bona ut praemia, ut compensationes, etsi sic quoque suo ordine peti possunt, sed petuntur ut vocationum adminicula. Non posset gubernare populum Moyses, si dolore animi aut corporis extingueretur. Petit igitur vitam, consolationem, victum, ut servire possit in vocatione, et tamen liberali animo servit. Non fremit adversus Deum, etiamsi fuerit evocatus ex hoc suo curriculo aut etiamsi quae difficultates maiores, quas deprecatur, tolerandae sunt.

Cum hoc ordine petimus, ut anteferantur bona aeterna, nec deseratur [9]) Deus, si bona corporis differat aut non largiatur, placet Deo haec petitio, et hoc honore coli se affirmat. Nec opus est longa disputatione. Nota sunt enim praecepta, notae promissiones, nota exempla summorum patrum et Prophetarum, qui omissa illa Stoica seu potius Cynica Philosophia sciebant omnia bona a Deo mirande ordine condita, res magnas et non contemnendas esse, ac Deum auctorem agnoscendum esse et ab eo petendam vitam et vitae adminicula ac defensionem.

Iacob cum vidisset Dominum in scala stantem, audit pariter promissiones de rebus aeternis et de bonis corporis. Ideo enim vocat Iacob et eius posteritatem, ut condat Ecclesiam, quae existere in hac vita non potest sine hospitio, sine vita et victu docentium. De bonis aeternis inquit: Benedicentur in semine tuo omnes tribus terrae. De defensione corporum ait: Ero custos tuus, quocunque perrexeris. Ita nos universaliter, quoties promittit vox divina mansuram esse Ecclesiam Christi, (id autem saepe et clare promittitur,) complectamur argumentum, ut vocant, a connexis, simul videlicet promitti victum et domicilium Ecclesiae. Denique impietas et furor est abducere animos a petitione bonorum corporis, cum Deus hoc honore affici velit et nostram fidem his exercitiis excitari.

Petamus igitur, ut dictum est, ordine aeterna bona et corporis bona, et quanquam precatio etiam brevi gemitu fieri potest, tamen utile est iunioribus et grandioribus, sine superstitione tenere formam precationis erudite compositam, compellantem verum Deum et discernentem nostram invocationem ab Ethnica, Turcica et Iudaica, et nos simul commonefacientem de promissione divina et res certas petentem. Tales sunt pleraeque precationes primorum Patrum et populi Israël. Diligenter hi quoquo discernunt ipsa compellatione verum Deum a ficticiis ac mentionem faciunt testimonii, quo se patefecit Deus. Interdum et promissionem proponunt significantes luctam in invocatione, ut Gen. 32. [vss. 9—12,] ait Iacob: Deus patris mei Abraham et Deus patris mei Isaac, Iehova, qui dixisti mihi, revertere in terram tuam, et beneficiam tibi; minor sum cunctis miserationibus tuis. Erue me de manu fratris mei Esau, ne percutiat matres cum filiis. Tu locutus es te mihi benefacturum esse etc. Tales multae sunt formae in scriptis Propheticis. Ac prodest attente partes considerare. Compellatio est: Te verum Deum patefactum patribus meis Abraham et Isaac invoco et confugio ad te non fretus mea dignitate, sed dulcissimis promissionibus tuis; Agnosco enim me longe minorem esse tuis miserationibus, sed dixisti te mihi opitulaturum esse. Vide, ut se sustentat cogitatione promissionis et in hac acquiescit; Deinde rem petendam subiicit et caussam, ne pereat Ecclesia; Defende me, ne interficiantur matres et filii.

Et crebro sic petunt Patres et Prophetae: Deus patrum nostrorum, Abraham, Isaac, Iacob, id est, Deus, qui te certis testimoniis patefecisti patribus nostris, Abrahae, Isaac, Iacob, et tradidisti eis promissiones. Postea etiam utuntur hac forma tradita in Decalogo [Exod. 20, 2.]: Deus, qui eduxisti populum Israël ex Aegypto. Hae formae saepissime repetitae sunt in Psalmis. Denique et Patres et posteri addunt communi appellationi Dei peculiare nomen. Elohe commune est, quo etiam Gentes utebantur; Sed Iehova proprium est, quo Deum sola Ecclesia patrum et Israëlitarum compellabat. Ita hic loquitur Iacob. Et Psal. 19. [vs. 8.] dicitur: Nos nomen Dei nostri Iehova invocabimus. Et ubique obvia sunt exempla, adeoque usitatam piis consuetudinem fuisse arbitror, ut haec duo nomina recitata esse existimem a Thoma Ioan. 20. [vs. 28.] cum ad Christum inquit: *ὁ κύριός μου καὶ ὁ θεός μου.*

Assuefaciamus igitur nos ad recitationem aliquam et utamur forma pie et erudite composita sine superstitione, sine [10]) magia. Non hymnos Orphei aut Homeri aut Callimachi recitemus; Sed vero animi motu confugiamus ad Deum fiducia patefacti Christi. Sit directa mens ad illum Deum creatorem, qui se patefecit misso Filio Christo et dato Evangelio suo.

Multi ignavi, temulenti, securi contemnunt recitationem. Sed hortandi sunt pii, ut se ad recitationem aliquam, ut dixi, assuefaciant, et caussae

9) deseratur] Editt. 22. 24. typ. errore: deferatur

10) sine] Corp. 1—8. et

multae sunt gravissimae. Nam haec ipsa recitatio est confessio quaedam, qua Ecclesia privatim et publice sese ab idolis seiungit ac se quisque erudit et commonefacit de vero Deo et de vero cultu. Deinde cogitatio patefactionis et promissionum accendit affectus, fit ardentior fides, cum cogitat, quanta bonitas sit, quod se Deus patefecerit, [11]) quod ostenderit, quomodo velit invocari, quod proposuerit Mediatorem, quod exempla plurima semper proposuerit, quod vere exaudiat invocantes. Hos animi motus, hanc fidem excitari inter precandum oportet, ad quod erudita recitatio conducit. Fides enim ex auditu est, auditus per verbum Dei. Necesse est igitur cogitatione verbi divini accendi fidem.

Quidam ex Eremitis dixit, nullum esse difficilius opus, quam dicere precationes Deo. At nullum existimatur esse levius ac vulgarius opus. Sed cum Christus dicat, Veri adoratores adorabunt Patrem spiritu et veritate, difficultas facile intelligi potest; Fiat invocatio spiritu, id est, non hypocrisi, non *βαττολογίᾳ*, sed pio motu cordis, et fiat in veritate, id est, vera Dei agnitione, directa sit ad verum Deum et ad Mediatorem. Concurrere igitur necesse est cogitationem veram de Deo et motus cordis. Ideo se patefecit Deus voce, misso Filio, ut conspiceretur in carne, ut hunc Filium in precatione intueamur et de Patre admoneamur. Non contemnas hanc visibilem Filii Dei conversationem inter nos, nec putes frustra susceptam esse. Nostrae imbecillitati Deus consuluit, sic agnosci voluit, intueri nos in hunc Filium patefactum iubet, et ut visibilis fuit conversatio, ita vult recitationes et compellationes fieri huius Dei, qui hunc Filium misit, quem conspexerunt oculi tot hominum, qui pependit in cruce, qui revixit ex morte.

Sed quia difficilis est attentio in recitatione, ideo ignavi fugiunt recitationes; At Ecclesia semper eas proposuit, et publice et privatim eas exerceri iubet. Ideo Psalmi traditi sunt summo consilio compositi. Et Christus ipse formam precandi proponit, ac nominatim inquit Luc. 11. [vs. 2.] Cum oratis, dicite. Verba et recitationem certam praescribit, ut antea praescripserat Ioannes. Teneamus ergo et recitemus formam divino consilio traditam.

Pater noster, qui es in coelis.

Id est, qui ades ubique, ubique respicis et exaudis, omnipotens conditor rerum. Sed hac parte recitata animum tuum detineat Patris appellatio. Quem Deum vocas Patrem? Et cur ita nominas? Per quem aditus tibi ad eum factus est? Hic veniant in mentem Christi dicta Ioan. 14. [vs. 6.] Nemo venit ad Patrem nisi per me. Et [ibid. vs. 9.]: Qui me videt, videt Patrem. Et Ioan. 16. [vs. 23.] Amen amen dico vobis, quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Hunc igitur Deum vocas Patrem, qui se patefecit misso hoc ipso filio Christo et resuscitato, ac dato Evangelio. Et vocas ideo Patrem nostrum, quia placatus est per Filium, et hoc sacerdote perferente nostras preces recipit. Ut igitur me commonefaciam, addo haec verba: Omnipotens, aeterne et vive Deus, aeterne Pater Domini nostri Iesu Chirsti, qui te patefecisti immensa bonitate et clamasti de Filio tuo, Domino nostro, Iesu Christo: Hunc audite; conditor omnium rerum et conservator et opitulator, cum filio tuo coaeterno, Domino nostro, Iesu Christo regnante tecum et patefacto in Ierusalem et Spiritu sancto tuo effuso in Apostolos, sapiens, bone, misericors, iudex et fortis; Pater noster, qui es in coelis. Ita distinguitur invocatio ab Ethnica, Turcica, Iudaica, et admonetur mens de promissionibus.

Sanctificetur nomen tuum.

Id est, effice, ut vere agnoscaris, ut vera doceantur, per quae gloria tua vere patefiat, ut te recte invocent et colant homines. Nomen enim significat notitiam seu agnitionem et celebrationem nominis Dei et invocationem. Res igitur petenda, quae hic initio recitatur, est summum et primum bonum, de quo primum praeceptum et secundum praecipue concionantur, videlicet, ut Deus recte innotescat, ut doctrina vera de Deo vox Evangelii vere et late spargatur et recte accipiatur, et multi homines vera invocatione ac obedientia Deum celebrent.

Adveniat regnum tuum.

De effectu primae petitionis praecipue [12]) loquitur. Sparsa Evangelii voce regas etiam nos Spiritu sancto tuo, effice, ut verbo tuo credamus, inchoa in nobis regnum tuum, ut fiamus haeredes regni tui, et destruas regnum Diaboli horribiliter grassantis in genere humano et passim homines impellentis ad Epicureum Dei contemptum aut colenda idola, scelerata homicidia, libidines, mendacia et alios furores. Adversus haec mala defende nos, aeterne

11) patefecerit,] Editt. 13 — 34., Corp. 1 — 8., Opp. 1. 2. patefecit,

12) praecipue] Editt. 1. 3. praecipuo

Pater Domini nostri Iesu Christi, et rege nos Spiritu sancto tuo, sicut dixisti: Effundam de Spiritu meo.

Fiat voluntas tua.

Id est, da, ut omnes tibi obediant [13]) in terra: Da, ut pastores Ecclesiae, Reges, Magistratus, Doctores, discipuli, cives suo loco singuli officium suum recte et feliciter faciant, ac omnes tibi obediant, sicut Angeli in coelo tibi obediunt et placent tibi. Tuum opus est efficere, ut nos miseri, stulti, infirmi res geramus bonas et salutares, simus organa non irae, sed misericordiae, simus utiles Ecclesiae, non simus pestes καὶ ἀλάστορες. Politia Ezechiae felix est te iuvante; Politia Sedechiae infelix est, quia te adiutorem repellit. Nos non repellimus te, sed vero pectore, veris lacrimis oramus, ut nostras Ecclesias, doctores, scholas, principes, gubernatores, populum regas, ut aliqua fiant tibi grata, sicut inquit Paulus: Deus, qui efficit, ut velitis, efficiet etiam, ut perficiatis, ut aliqua ipsi grata fiant. Nam Diaboli et homines impii magno furore student ingrata Deo facere, confirmant Epicureos furores, idola, libidines, accendunt iniusta bella, efficiunt tristissimas vastitates. Sed ne totum genus humanum frustra conditum sit, ne omnes ingrata Deo faciant, Deus Ecclesiam vocavit et Spiritu sancto suo trahit, ut bona et grata Deo faciat, sonet veram de Deo doctrinam, audiat, recte invocet Deum, agat ei gratias, obediat ei, multos feliciter abstrahat a Diabolo, piis et salutaribus consiliis regat alios, tueatur pacem et honestam disciplinam.

Hactenus igitur petitiones complexae sunt res summas ac bona magis ad Spiritum, quam ad corpus pertinentia, communia et privata, et ordo sapienter institutus est: Primum vera agnitio Dei petitur, Deinde agnitionis effectus, ut gubernemur a Spiritu sancto; Tertio, ut in sua quisque vocatione seu functione suum officium rite et feliciter faciat. Nunc sequitur petitio rerum corporalium.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Id est, victum, pacem, defensionem, bonam valetudinem, ut labores vocationum perferre possimus, successum in rebus gerendis iuxta vocationem, liberorum educationem, mediocrem tranquillitatem, hospitia, politias honestas, disciplinae, iuris, iudiciorum custodes et non dissipatas seditionibus, laxatione [14]) disciplinae aut bellis.

Et dimitte nobis debita nostra.

Toties iam dictum est in omni precatione primum petendam esse remissionem peccatorum et Fidem de reconciliatione semper oportere praelucere ceteris petitionibus. Semper initio Mediatorem Christum intueamur, et petamus ac credamus nos propter eum recipi et exaudiri, sciamus hunc sacerdotem pro nobis interpellare, et hac fiducia ad Deum accedamus, sicut saepe dictum est [Rom. 5, 1.]: Iustificati fide pacem habemus et accessum ad Deum. Item [Hebr. 4, 14. 16.]: Habentes Pontificem Iesum accedamus cum fiducia ad thronum gratiae. Cum igitur semper in invocatione indignitas nostra nobis obstrepat ac deterreat nos a Deo, ut trepidae mentes fugiant Deum, hic simul iubet Christus, ut petamus reconciliationem, et non iuberet petere, nisi vere daturus esset. Hic igitur attenta mens de remissione peccatorum et de Mediatore Christo diligenter cogitet. Est autem insignis confessio Ecclesiae in his ipsis verbis agnoscentis se circumferre peccata et multiplicem infirmitatem. Sed consolatio hic proponitur. Cum enim ipse Christus iubeat nos petere remissionem, haud dubie eam donabit. Et in hac recitatione mens simul recordetur expressas promissiones, ut 1. Ioan. 1, [vs. 8.] Si dixerimus nos non habere peccata, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. Si confitebimur peccata nostra, fidelis est et iustus, ut remittat nobis peccata nostra.

Quod autem hic additur, SICUT NOS REMITTIMUS, admonemur de poenitentia, ne perseveremus in delictis contra conscientiam; quia, cum mens retinet contemptum Dei, non exauditur, iuxta illud: Peccatores Deus non exaudit, videlicet perseverantes in delictis contra conscientiam. Et 1. Ioan. 3. [vss. 21 sq.] dicitur: Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus erga Deum, impetraturos nos esse ea, quae petimus, id est, si non perseveramus in delictis contra conscientiam. Eodem pertinet dictum Matth. 5. [vs. 23.] Si munus offeres ad altare et recordatus fueris fratrem aliquid contra te habere etc. Et passim Prophetae inculcant hanc sententiam, non placere Deo ceremonias et precationes eorum, qui perseverant in delictis contra conscientiam, ut Ies. 1. et 58.

13) tibi obediant] Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. obediant tibi

14) laxatione] Editt. 1—3. 6. 7. 9. 12. luxatione

Cogitemus autem, quam vere miserum sit, non posse confugere ad Deum, non habere Deum protectorem, non gubernatorem, non opitulatorem, posse opprimi a Diabolo, aut humanis erroribus dementatum ruere. In his tantis miseriis et periculis sunt omnes homines, qui cum in delictis contra conscientiam perseverent, non possunt invocare Deum. Excitemus igitur nos ad poenitentiam et emendemus mores. Ceterum et hoc sciamus, agenti poenitentiam remitti culpam gratis propter Christum, ut supra saepe dictum est.

Et ne nos inducas in tentationem.

Id est, ne sinas nos pertrahi a Diabolo ad impietatem et ad alia scelera, defende nos contra Diaboli insidias, rege nos tua luce, tuis consiliis, ne sinas nos ruere deceptos nostris erroribus aut impulsos imbecillitate carnis. Magna et admiranda sapientia et virtus fuit Davidis; hunc tamen videmus aliquoties impulsum alias a Diabolo, alias humano errore, ut cum iubet numerari populum. Cum igitur magna sit infirmitas omnium, tu nos, aeterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, rege et ostende nobis salutaria consilia in privatis et publicis negotiis, et confirma corda nostra Spiritu sancto tuo, ut tibi obtemperent, ut simus non organa irae, sed organa misericordiae et utilia Ecclesiae.

Libera nos a malo.

Petitio generalis est, quae petit liberationem ab omnibus miseriis et aerumnis huius vitae, a peccatis, a tyrannide Diaboli, a scandalis, a calamitatibus publicis et privatis, ut videlicet cum universa Ecclesia erepta ex praesentibus miseriis donemur luce, iustitia et vita aeterna, et fruamur dulcissima consuetudine Dei aeterni et Domini nostri Iesu Christi; Amen.

Vides igitur res petendas optimo ordine complexum esse Christum in hac forma, quam nos recitare iussit. Expresse enim inquit, Sic dicentes precamini, ac nominat res aeternas, spirituales, corporales, praesentes et futuras. Vult te de tota vita cogitare, imo de tota aeternitate, de praesentibus et futuris periculis, quorum cogitatio certe exuscitare animos ad Invocationem debet.

Quod vero initio monui, cogitandum esse, quem Deum invoces, ubi se hic Deus patefecerit, an et cur exaudiat, id attente considerandum est, ne vagentur animi in Invocatione, sicut Ethnicorum animi vagantur. Ideo Filius Dei aeternus assumpsit humanam naturam, ac nobiscum familiariter versatus est, ut invocantes cogitent hunc vere esse Deum, qui se patefecit misso hoc filio evidentibus testimoniis, et aeternum Patrem de hoc filio testificantem alloquantur. Formam igitur supra recensui.

Omnipotens, aeterne et vive Deus, aeterne Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te patefecisti immensa bonitate et clamasti de Filio tuo, Domino nostro, Iesu Christo, Hunc audite; Conditor omnium rerum et conservator ac opitulator cum Filio tuo coaeterno, Domino nostro, Iesu Christo regnante tecum et patefacto in Ierusalem et cum Spiritu sancto tuo effuso in Apostolos, sapiens, bone, misericors, iudex et fortis, qui dixisti: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Dixisti item: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te. Miserere mei propter Iesum Christum filium tuum, quem voluisti pro nobis esse victimam *καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην*, et sanctifica ac rege me Spiritu sancto tuo, rege et defende Ecclesiam tuam et politias, quae sunt Ecclesiae hospitia.

Pia est et haec forma alloquens Christum Filium Dei: Te invoco, Iesu Christe, fili Dei vivi, crucifixe pro nobis et resuscitate, *λόγε καὶ εἰκὼν ἀΐδιον πατρὸς*, qui dixisti: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos. Miserere mei et intercede pro me apud aeternum Patrem tuum, sanctifica et rege me Spiritu sancto tuo, defende me adversus Diabolos, spiritus mendaces et homicidas, hostes tuos.

Haec compellatio Christi confessio est omnipotentiae; Nam sic invocans sentit Christum videre motus cordium omnium hominum et esse opitulatorem omnipotentem, dantem Spiritum sanctum et iuvantem nos in periculis corporis et animae. Complectitur autem et haec forma tres personas, Filium alloquitur et nominat intercessorem apud aeternum Patrem et fatetur ab ipso dari Spiritum sanctum.

Ita expressa [15]) compellatio Christi aliquoties in scriptis Propheticis et Apostolicis proposita est. Act. 7. [vs. 58.] Domine Iesu, suscipe spiritum meum. 1. Thess. 3. [vs. 11.] Ipse Deus et Pater noster, et Dominus noster Iesus Christus gubernet iter nostrum ad vos. Nec dubium est in Genesi cap. 48. [vs. 16.] Iacob concionari de Christo, cum inquit: Benedicat pueris istis Deus, et Angelus, qui eripuit me ex cunctis malis. Et Psal. 71. [vs. 15.] Et adorabunt ipsum semper.

Estque haec forma invocationis testimonium illustre docens, Christum esse natura Deum et Omni-

15) expressa] Editt. 15 — 18. 20 — 22. 24. 25. 28 — 34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2. expresse

potentem. Nec ad has compellationes adiungatur compellatio hominum mortuorum, quae obscurat et corrumpit veram invocationem, sed regula teneatur: Dominum Deum tuum adorabis et ei soli servies. Non est leve scelus stabilire invocationem hominum mortuorum, cum nulla testimonia de ea divinitus tradita sint et cum manifeste obscuret Mediatorem Christum, deinde cum invocatio invisibilium tribuat potentiam invocatis iudicandi motus cordium, quod proprium est solius omnipotentis naturae, ut 1. Paral. 28. [vs. 9.] dicitur: Omnia corda scrutatur Dominus et universas mentium cogitationes intelligit. Et Ierem. 17. [vs. 11.] Ego Dominus scrutans corda etc. Hic honos Dei non est transferendus ad Prophetas aut Apostolos aut Mariam. Et Ies. 63. [vs. 16.] clare dicitur: Abraham ignorat nos. Sed omissa invocatione Mariae, Prophetarum et Apostolorum alia de eis pie, utiliter et splendide dici possunt, gratiae Deo agantur, quod per hos se patefecit, quod per eos doctrinam suam tradidit, doctrinae genus etiam consideretur, quod singuli docuerint, agantur gratiae, quod Deus addidit evidentia testimonia per horum facta, ut per Moysi, Eliae, Elisaei miracula, quod Ecclesiam subinde per aliquos instauravit, quod proposuit exempla misericordiae receptis lapsis, ut Davide, Magdalena etc. quod proposuit exempla, quae ostendunt exaudiri nostras preces in periculis et vere impetrare liberationes, ut Agar filio potum impetrat; Iacob, David, Ezechias impetrant defensionem. His exemplis nos ad invocationem excitemus, ut imitemur illorum poenitentiam et fidem. Postremo ipsos etiam laudemus, quod Deo vocanti obtemperaverunt et Dei dona sua diligentia retinere studuerunt. Longa est oratio et plena pietatis de illis Ecclesiae luminibus, de Prophetis, Apostolis et aliis multis piis hominibus, si historiae eorum prudenter enarrentur et ad nos docendos ac ad imitationem pro nostro modo proponantur.

Haec breviter adieci, ut sciant pii lectores improbandas et fugiendas esse hominum mortuorum invocationes. Ethnicus mos est, qui et Deos multos et homines mortuos, qui virtute aut rerum gestarum gloria antecelluerunt,[16] quos Heroas nominabant, ut Herculem, Quirinum et similes, invocare soliti sunt. Nec dubium est hos furores a Diabolo ortos esse, qui veri Dei agnitionem delere conatur. Fugiamus ergo exempla Ethnicorum furorum similia et recte discamus, quid de hac summa virtute, scilicet de invocatione Dei, certis testimoniis verbi Dei traditum sit, ut recte et pie verum Deum aeternum, Patrem Domini nostri Iesu Christi et Filium eius, Dominum nostrum, Iesum Christum crucifixum pro nobis et resuscitatum et Spiritum sanctum effusum in Apostolos invocemus et vera gratitudine celebremus.

Postquam de petitione beneficiorum et auxilii dictum est, commonefaciamus nos ipsi etiam de Gratitudine, ut haec coniungit Paulus 1. Thess. ultimo [5, 16—18.]: *Πάντοτε χαίρετε, ἀδιαλείπτως προσεύχεσθε, ἐν παντὶ εὐχαριστεῖτε.* Sed hic necesse est omnes homines fateri culpam. Omnes sumus ingrati Deo, et quo res sunt tranquilliores, eo negligentius de Deo cogitamus. Imo multi in rebus secundis prorsus obliviscuntur Deum et laxant frenos cupiditatibus, ut exempla summorum virorum ostendunt et experientia has sententias peperit:

> Luxuriant animi rebus plerumque secundis,
> Nec facile est aequa commoda mente pati.[17]

Cum Sodoma manifesto Dei beneficio ab Abraham defensa fuissent, deleto exercitu Chaldaeorum, ut in Genesi narratur, post hanc eximiam liberationem securae civitates ita se luxui dediderunt post paucos annos, ut propter turpitudinem scelerum singulari exemplo [18]) a Deo deletae sint. [19])

Magna et turpis ingratitudo est omnium hominum. Accipimus a Deo vitam, ingenia, educationem, victum, litteras, Evangelium, Ecclesiam, politias, defendimur et iuvamur saepe, cum ne quidem petimus auxilium, interim securi ludimus aut quaerimus voluptates, et casu offerri nobis bona disputamus, non agnoscimus Deum auctorem esse, non studemus eius benevolentiam retinere, sed iram accendimus nostra petulantia. Haec mala deploremus et nos emendemus, et cum beneficia Dei agnovimus, fateamur ea nos a Deo accepisse, nec petulanter excutiamus Deum custodem et opitulatorem, sed ei placere studeamus, et gratitudinem nostram veris officiis vitae et voce celebremus. Postulat enim hanc confessionem, ut ipse celebretur, ac primum nos ipsos admoneamus, non casu nobis offerri bona, sed vere nos Deo curae esse, exaudiri nostras preces et nos iuvari a Deo. Deinde vult hanc nostram confessionem testimonium apud ceteros homines esse de providentia, vult confirmari alios, ut vere credant Deo curae esse res humanas, exaudiri Ecclesiae preces. Ideo toties in Psalmis pro acceptis beneficiis David offert hoc mutuum officium, videlicet beneficii celebrationem, ut Psal. 117. [vs. 17.] Non moriar, sed vivam et narrabo opera Domini, celebrabo beneficia tua et ero testis verae doctrinae. Vere postulat et ma-

16) antecelluerunt.] Editt. 1. 3. antecelluerant.

17) Ovid. de arte amat. II, 437 sq.

18) exemplo *omittunt* Corp. 2. 4.

19) sint.] Corp. 2. 4. typ. errore: sunt.

gnificat gratitudinem Deus; Ideo etsi Gratitudo etiam studium obedientiae complectitur, tamen ad certam verborum commemorationem nos quotidie assuefaciamus. Multi cum e lecto surgunt, cum eunt dormitum, cum assident ad mensam, cum discedunt a mensa, prorsus ut pecudes, ne cogitant quidem de Deo, unde sint quotidiana beneficia. Haec turpissima negligentia et vituperanda et corrigenda est. Quotidie priusquam petis bona, de prioribus beneficiis cogites et agas gratias Deo; Deinde adde petitionem, et extet publice vel in literis vel exemplis testimonium tuae gratitudinis. Forma tali uti potes:

Ago tibi gratias, omnipotens, aeterne et vive Deus, aeterne Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum et conservator ac opitulator cum Filio tuo coaeterno, Domino nostro Iesu Christo, patefacto in Ierusalem, et Spiritu sancto tuo effuso in Apostolos: quod te patefecisti nobis immensa bonitate certis et illustribus testimoniis et quod condidisti et elegisti tibi Ecclesiam perpetuam et voluisti Filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum, pro nobis fieri victimam, dedisti nobis Evangelium tuum et Spiritum sanctum, remittis nobis peccata et liberas nos a potestate Diaboli et a morte aeterna et das nobis vitam aeternam, et hactenus in hac vita me multis magnis beneficiis donasti, dedisti vitam, victum, doctrinam, pacem iis locis, in quibus vixi, et mitigasti poenas, quas meritus sum.

Ago tibi gratias etiam, Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, crucifixe pro nobis et resuscitate, Emanuel, quod copulasti tibi humanam naturam, passus es pro nobis et resurrexisti ac redemisti nos, servas ac defendis Ecclesiam contra Diabolos, hostes tuos, et das et instauras saepe lucem Evangelii, remittis nobis peccata et das nobis vitam aeternam, et es Mediator et Interpellator pro nobis assiduus, et vis nobis opitulari, sicut dixisti: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos.

Ago etiam tibi gratias, Spiritus sancte, vivificator, effuse in Apostolos, quod accendis lucem tuam in nostris mentibus, regis, doces, mones et iuvas me consilio, gubernas labores vocationis meae et sanctificas me ad vitam aeternam.

Dicta gratiarum actione sequatur petitio, ut supra recitavi. Nominatim etiam gratiae agantur quolibet tempore pro recenti beneficio tunc accepto. Haec recitatio confessio sit accepti beneficii, quam certe postulat Deus, et congruat vox cum mente. Vere sentiamus non casu periculum depulsum esse, sed nos a Deo adiutos ac servatos esse, preces nostras exauditas esse, celebret mens Deum, quod non sit inane nomen, non negligat homines, sed vere exaudiat invocantes in Ecclesia. Vere sit discrimen Ecclesiae et Gentium, quae maledicunt Christo, quod vere respiciat et iuvet Ecclesiam suam et servet[20]) promissa. Haec et nobis ipsis inculcemus et commemoremus apud alios, narremus, ubi simus adiuti ac liberati, ut alii ad agnitionem Dei invitentur. Gratum Deo munus est per sese gratitudo, sed postulatur etiam exempli caussa. Ideo Paulus dulcissime hortatur, ut multi pro se petant, quo plures postea pro accepto beneficio gratias agant 2. Cor. 1. significans gratiarum actionem praecipuum esse sacrificium et Deo gratissimum, et eo a pluribus faciendam, quia Deus a multis agnosci et celebrari se magis postulat, et cum multi celebrant acceptum beneficium, exemplum fit illustrius, et plures alii invitantur ad Invocationem, Timorem, Fidem. Horribilis est in natura hominum ingratitudo, ut perpetuae omnium temporum querelae testantur, et debiti officii praetermissio divinis et humanis sententiis damnata est, et tamen usitatius est praestare hominibus gratitudinem, quam Deo. Et adversus Deum ingratitudo crudelior est, quam adversus homines. Saul etiamsi ingratus est Davidi, tamen negare non potest Davidem bene meritum esse. Ingrati autem Deo negant Deum beneficii auctorem esse, fingunt casu pericula depulsa esse. Adversus has tenebras et hunc furorem muniamus animos testimoniis divinis et discamus vere nos respici, iuvari, exaudiri a Deo. Et cum adiuti sumus, agnoscamus, fateamur, praedicemus nobis et aliis Deum esse auctorem beneficii, ut supra recitavi aliquot sententias. Psal. 43. [vs. 7.] Non in arcu meo sperabo, et gladius meus non salvabit me. Et Christus clare inquit [Ioh. 15, 5.]: Sine me nihil potestis facere. Et Psal. 33. [vs. 7.] Iste pauper clamavit ad Dominum, et Dominus exaudivit eum. Et Psal. 26. [vs. 10.] Pater et mater dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. Psal. 59. [vs. 13.] Da nobis auxilium in tribulatione, et vana salus hominis. In Deo faciemus virtutem, et ipse rediget in nihilum tribulantes nos. Psal. 126. [vs. 1.] Nisi Dominus, aedificaverit domum etc. Psal. 115. [vss. 16 sq.] Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Ierem. 17. [vss. 5. 7.] Maledictus homo, qui ponit carnem brachium suum etc. Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia eius.

Ingens labor est piis mentibus, etiam post acceptum beneficium retinere hanc sententiam, vere nos a Deo adiutos et servatos esse. Sed testimoniis, quae et supra et iam recitavi, confirmemus nos, ut[21]) statuamus nobis non casu, sed Deo opi-

---

20) servet] Corp. 1. 2. 4. servat

21) ut] Editt. 20. 25—27., Corp. 1—8 et

tulatore pericula depulsa esse, et beneficia Dei nobis et aliis praedicemus.

Haec de praecipuo sacrificio, videlicet gratiarum actione, breviter dixi ad commonefaciendum pium lectorem, quem quidem oro, ut de eadem re diligenter consideret et colligat sententias in Propheticis et Apostolicis scriptis, ut exuscitet mentem ad Fidem, veram invocationem et veram gratitudinem. Difficile est enim retinere veram sententiam de praesentia Dei in tanta nostra infirmitate, etiam cum manifesta testimonia videmus. Sicut Israëlitae in deserto, etsi plurima testimonia praesentiae Dei viderunt, tamen toties dubitabant, a quo ex Aegypto educti essent. Et Christi facta viderant Apostoli, viderant toties resuscitari mortuos, et tamen magna erat fidei imbecillitas. Ideo cum Dei beneficiis pericula nobis depelluntur, ut saepe fit, teneamus in conspectu sententias, quae nos confirment, ut agnoscamus nos a Deo adiutos esse. Nec sinamus hanc sententiam in animis nostris obrui. Hoc certamen cum difficile sit mentibus, ut experientia ostendit et monent exempla scripta de Israëlitis in deserto, diligentiores nos esse decet in cogitatione testimoniorum, quae in scriptis Propheticis et Apostolicis tradita sunt, ut Fides et agnitio praesentiae Dei in nobis confirmetur et crescat. Sit in conspectu confessio Iacob Gen. 48. [vs. 15.] qui praedicat se a Deo patrum suorum, Abraham et Isaac, inde usque ab infantia nutritum et defensum esse, et addit mentionem Angeli, id est, Filii Dei, per quem ait se[22]) ereptum ex omnibus malis. Ita et Davidis morituri gratiarum actio nobis exemplo sit 2. Reg. 22. [2. Sam. 22, 18.] Liberavit me ab his, qui oderant me.

Agnoscamus humanis consiliis et praesidiis non posse pericula omnia discuti, sicut clare inquit Ieremias cap. 10. [vs. 23.] Scio, Domine, quod non est hominis via eius. Quam multa Moysi, Samueli, Davidi, Ezechiae, denique omnibus gubernatoribus accidunt inextricabilia humano consilio! Ergo ut illi, regi nos et iuvari a Deo petamus, et cum exitus sunt placidi, fateamur, quod res est, a Deo nos adiutos et defensos esse. Vidit et haec aetas exempla, quae praedicare decet, ut Dei beneficia celebrentur, dedit Deus pacem tot iam annos Ecclesiis nostris; Nec pacem tantum dedit, nec tantum impediit hostium conatus, sed etiam scandala multa passim exorta oppressit, et magna ex parte studia et iudicia eorum, qui praesunt Ecclesiis, ita rexit, ut doctrina in Ecclesiis nostris passim sincera[23]) tradatur. Pro his ingentibus beneficiis Deo aeterno, Patri Domini nostri Iesu Christi, gratias ago et eum propter Filium Iesum Christum, Dominum nostrum, crucifixum pro nobis et resuscitatum oro toto pectore, ut nos Spiritu sancto regat deinceps et perpetuo: Amen.

[22]) ait se] Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. se ait

[23]) sincera] Editt. 18. 20. 25., Corp. 1—8. sincere

[XX.]

DE MAGISTRATIBUS CIVILIBUS ET DIGNITATE RERUM POLITICARUM.

Hactenus Ecclesiam descripsi ac recitavi, quod doctrinae genus praecipuum et ignotum humanae rationi circumferat, et quomodo Deum invocet. Nunc quia necesse est eam inter homines vivere in oeconomiis, politiis, imperiis, ubi vult Deus audiri confessionem verae doctrinae, imo ubi colligit sibi Ecclesiam, collocanda est in oeconomiis et societate civili, et docenda, quid de Coniugio et de Imperiis sentiendum sit.

Ac necesse est de his rebus recte, dextre, explicate ex testimoniis Prophetarum et Apostolorum erudiri homines, quia saepe et olim et recens fuerunt hypocritae superstitiosi et fanatici, qui coniugia a Deo ordinata et magistratuum functiones, iudicia, leges forenses, legitimas poenas, imperia, bella legitima, militiam damnaverunt. Tales furores olim sparserunt Marcion et Manichaei, quorum deliria diu pervagata sunt Asiam et Africam. Circumtulerunt et similes errores ante trecentos annos Flagelliferi, ut vocabantur, et hoc nostro tempore Anabaptistae passim vagantes adhuc circumferunt hos errores.

Nec desinit unquam Diabolus distortas mentes accendere, ut opiniones falsas de rebus politicis amplectantur, quia simul duo mala ingentia excitat, movet seditiones in civitatibus, unde existunt multae iniustae caedes et dissipationes, et obscurat Evangelium. Dum enim fingunt iustitiam esse quandam novam barbaricam politiam, in qua sine distinctione dominiorum et sine imperiis vivant homines, amittitur vera lux de iustitia interiore et perpetua in corde, de qua Christus inquit [Ioh. 17, 3.]: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te solum esse verum Deum et, quem misisti, Iesum esse Christum. Et Paulus [Rom. 8, 14.]: Qui spiritu Dei ducuntur, hi sunt filii Dei. Iustitia, de qua concionatur Evangelium, est lux in corde, quae Fide et agnitione Christi mentes accendit ad veram Dei invocationem et alios pios motus Legi Dei congruentes, et inchoat vitam aeternam; Foris vero, ut vicibus temporum anni a Deo ordinatis, sic politiis et imperiis subiicit suo quemque loco, ut Ioseph in corde circumferebat veram agnitionem et invocationem Dei et promissi Mediatoris et initia

vitae aeternae; Foris vero in curia, in iudiciis, in contractibus, in possesione facultatum utebatur[24]) legibus Aegyptiis. Daniel similem lucem in corde circumferebat et initia vitae aeternae, ut Ioseph; Foris vero in curia, in iudiciis, in contractibus, in possessione bonorum, in regenda provincia utebatur legibus regni Babylonici.

Illud tantum[25]) spectandum est in legibus et politiis, ne pugnent cum lege naturae, sed, ut Paulus inquit, sint honori bono operi et sint terrori malo operi. Deinde, etiamsi formae legum, iudiciorum, poenarum aliquas habent dissimilitudines, ut aliae sunt leges Feudorum, ut vocant, Germanicae, aliae Gallicae; tamen sui quisque loci legibus obtemperet. Ac dissimilitudo illa nihilo plus pertinet ad iustitiam Evangelii, quam dissimilia spatia dierum ac noctium. Paulo in Macedonia longior est dies solstitialis, quam Christo in Iudaea. Haec dissimilitudo nihil pertinet ad iustitiam in corde utriusque. Sed Diabolus, ut oculis atque animis hominum tenebras offundat, ne veram Evangelii lucem de fide et agnitione Christi aspiciant, monstrosas illas opiniones de barbarica politia spargit, fingit magnam virtutem esse, non habere proprium, fugere iudicia, civiles functiones, quae tamen et necessariae sunt generi humano et a Deo ordinatae, ut in eis luceant[26]) nostra Fides, Invocatio et confessio, et ut sint exercitia obedientiae, quam lex Dei postulat, et mutuae dilectionis, ut mox dicam.

Quare in templis et scholis diligenter erudiendi sunt homines de dignitate rerum politicarum et praemuniendi adversus illos Marcionis, Manichaeorum et Anabaptistarum furores. Scio rudes moveri deformitatibus et confusionibus multis imperiorum, aularum, iudiciorum. Principes enim multa in gubernatione negligunt, multorum delicta et iniurias non vident, multae sunt in iudiciis imposturae et calumniae, multa errata, magnae in aulis ambitiones, rapacitates et aliae pestes, multae fraudes in contractibus. Nam in hac infirmitate humanae naturae et in tantis furoribus Diaboli accendentis pravas cupiditates in multis Principibus, gubernatoribus, iudicibus, ministris et privatis non mirum est multas tristes confusiones καὶ ἀκαταστασίας accidere. Hae movent animos non praemunitos, ut res totas, id est, ipsum ordinem politicum damnent et existiment imperia tantum esse oppressiones imbecillium ortas vel a Diabolo vel ab humana audacia et cupiditate.

Saepe etiam Philosophi quaerunt, unde sint imperia, cum res ostendat nullum regnum sine magnis cladibus generis humani constitui, nullum non habere horrendas confusiones, nullum etiam perpetuum esse. Quantum sui et peregrini sanguinis fudit Roma, donec imperio orbis terrarum potita est! Mox bellis civilibus Syllae, Marii, Cinnae, Caesaris, Pompeii, Bruti, Antonii, Augusti, quae furiae per universum orbem terrarum grassatae sunt! quales legum et disciplinae perturbationes excitarunt! Postea barbarae nationes, Gothica, Vandalica, Hunnica, Arabica, Turcica, infusae in Italiam, Aegyptum, Africam, Asiam, prorsus dissipaverunt imperium Romanum. Denique res ostendit veram esse querelam, quae extat apud Ovidium [Metam. XV, 420—422.]:

sic omnia verti
Cernimus, atque alias assumere pondera Gentes,
Concidere has.

Item:

summisque negatum
Stare diu.

Et Scipionem aiunt capta Carthagine spectantem incendium urbis illacrimasse ac dixisse, deplorandam esse fortunae inconstantiam in rebus humanis, se non modo dolere vicem Carthaginis, quae olim florens virtute, opibus et imperio, nunc spoliata et capta incendio pereat, sed etiam de Romae fato cogitare, quae aliquanto post simili calamitate peritura sit, quia nulla imperia perpetua sint. Mirantur igitur Philosophi, si a Deo constituuntur imperia, cur tantum accedat scelerum et miseriarum.

Sed Ecclesiae doctrina gravissime haec diiudicat ac discrimen proponit ordinis politici, personarum et miseriarum humanarum.

De ordine politico universaliter docet doctrina coelestis, hunc ordinem a Deo institutum esse et opus Dei esse, quantum boni in gubernatione reliquum manet, videlicet, quod homines certis legibus coniuncti in societate civili vivunt, quod multitudo regitur Magistratibus, iudiciis, poenis, quod Magistratus custos est disciplinae et pacis, quod dominia rerum distincta sunt et sua cuique tuta sunt, quod res legitimis contractibus transferuntur ad iuvandam communem vitam, quod latrocinia armis reprimuntur aut puniuntur.

Ac paulo post recitabo testimonia Prophetica et Apostolica, quae utrumque docent, et institutum esse politicum ordinem voce Dei, et quantum boni in gubernatione reliquum est, esse vere opus Dei, non tantum permissione, sed quia a Deo vere conservatur et iuvatur, sicut ordo motuum coelestium et terrae foecunditas. Prius enim hoc discrimen

24) utebatur] Corp. 2. 4. utebantur

25) tantum] Editt. 24. 28—34., Corp. 2—8., Opp. 1. 2. tamen

26) luceant] Editt. 26. 27., Corp. 1—8. luceat

ordinis, personarum et miseriarum humanarum explicabo, ut quaerentibus, unde tantae sint confusiones et calamitates, respondeam.

Est igitur, ut dixi, politicus ordo res bona, pulchra, grata humano generi, singulare Dei opus, quod videlicet homines coniuncti legibus in societate civili vivunt, quod multitudo regitur a Magistratibus, qui sunt custodes disciplinae, exercent iudicia, curant de Deo recte doceri cives, prohibent Epicureos furores et idola, periuria, libidines, iniurias corporum, denique qui curant, ut civitas sit modestissima schola, in qua luceat Dei notitia et exerceantur virtutis officia, communis defensio et aliorum beneficiorum communicatio.

Se dices me ideam Platonicam pingere. Quae enim fuit aut est talis civitas, in qua nihil sit vitiorum? Verum haec eo recito, ut discernamus ordinem politicum a vitiis. Et quanquam nulla est civitas sine vitiis, tamen alia gubernatio honestior est, alia perturbatior, alia plus boni retinet iuxta illam ideam, alia minus. Tempore Davidis et Salomonis magis floruit Ierosolyma et ordo politicus integrior erat, quam Herodis tempore, et tamen, quantum boni reliquum fuit Herodis tempore, Dei opus erat. Deo iuvante servabatur hospitium Zachariae, Simeoni, Elisabeth et aliis piis. Inter tot latrocinia, bella, furores Diaboli et Herodis tamen Deus texit Mariam, Elisabeth et alios sanctos innumerabiles.

Nunc igitur de personis dicam. Etsi res, videlicet ordo politicus, est a Deo, ut Coniugium, tamen saepe personae non sunt excitatae a Deo et magis turbant ordinem divinum, quam tuentur aut ornant, ut Caligula, Nero et aliae pestes plurimae grassantes in imperio, quod divinitus ordinatum erat, velut in horto apri. Veneratur Paulus imperii Romani leges ac ordinem, sed Neronem odit et execratur tanquam Diaboli organum lacerans bonum ordinem. Necesse est enim discerni imperiis salutares Principes a malis. David, Salomon, Iosaphat, Ezechias, Iosias, Nabuchodonosor[27]), Cyrus, Constantinus, Theodosius, Carolus fuerunt salutares Principes, divinitus excitati et adiuti, ut et[28]) restituerent imperia et Ecclesiam utcunque iuvarent. Sunt et hi divinitus excitati et adiuti, ut imperia et disciplinam utcunque restituerent, etiamsi Ecclesiam Dei non norant, Themistocles, Aristides, Alexander Macedo, Fabius, Marcellus, Scipio, Paulus Aemilius, Augustus. Gesserunt enim res salutares generi humano et politias constituerunt, quae aliquamdiu floruerunt. Profuit igitur eorum labor ad hoc, ut manserit posteritas, ex qua collecta est Ecclesia.

Excitari autem et[29]) iuvari salutares gubernatores omnes a Deo, saepe testantur dicta Prophetica. Psal. 126. [vs. 1.] Nisi Dominus custodierit civitatem etc. Et Psal. 143. [vs. 10.] Qui das[30]) salutem regibus. Et Salomon inquit [Prov. 20, 12.]: Ut oculus videat, ut[31]) auris audiat, Deus facit utrumque, id est, ut gubernator sit intentus et habeat felicia consilia et populus ei alacriter obtemperet, Dei opera sunt. Ut quod Scipionis consilia sunt felicia, et quod exercitus hunc ducem amat et alacriter sequitur, Dei beneficia sunt. Alii imitatores nec res similes gerunt nec diliguntur ab exercitibus. Sic et Baptista, etsi de gubernatione Ecclesiae loquitur, tamen sententiam tradidit veram de universa gubernatione. Non potest sibi sumere homo quicquam, nisi sit ei datum a Deo, id est, nulla est gubernatio felix et salutaris, nisi Deo iuvante. Ut Themistoclis consilia fuerunt salutaria patriae. At Periclis et Demosthenis politiae sunt nimis polypragmonicae, movent bella non necessaria, quae fuerunt exitio Graeciae.

Cum vero res et personae iuvantur a Deo, politiae magis florent, ut cum David regnat in Israël, cum Augustus regnat Romae. Neque tamen cuiusquam gubernatio tam placida, tam felix est, quin multae calamitates misceantur et multa vitia accedant. Nam et Diabolus varie turbare conatur politias, et magna est hominum infirmitas. Praeterea et Deus vult per Duces a se excitatos puniri Tyrannos et mutari imperia, id non fit sine magnis cladibus. Felicissimus ac mitissimus regum fuit Cyrus, et tamen huius armis florentissima pars orbis terrarum, videlicet Ionia, horribiliter vastata est, voluit enim Deus puniri libidines. Et quoties heroës excitati sunt, secutae sunt magnarum urbium et magnorum regnorum eversiones, ut Cyrus, Alexander, Romani, Gothi, Turci, quot urbes et regna everterunt!

Dixi igitur tertio loco, discernendas esse ab ordine politico miserias humanas. Davidis politia minus est tranquilla, quia a Diabolo saepe turbatur, et magnae sunt hominum imbecillitates. Cyri gubernatio est crudelior, quia Deus horribili exemplo puniri voluit Ioniam propter flagitiosas libidines. Verum tales poenae fatales, etsi nobis videntur[32]) nimis saevae, tamen revera ad ordinem politicum pertinent, quia Deus iustus iudex declarat

---

27) Nabuchodonosor] Ed. 1. Nabogdonosor, Ed. 3. Nabugdonosor

28) et *omittunt* Editt. 22. 24. 28. 29. 31—33., Opp. 1. 2.

29) et] sic Editt. 18. 20. 22. 24 — 34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2.; ceterae Editt: ac

30) das] sic (= Vulgata) Editt. 1 — 10. (sic etiam infra pag. 993.); ceterae Editt.: dat

31) ut *omittunt* Editt. 1. 3.; Editt. 20. 25 — 27., Corp. 1 — 8., Opp. 1. 2. *habent*: et

32) nobis videntur] Corp. 2. 4. videntur nobis

iram suam his horrendis poenis, ut cum evertit Sodomam, aut cum fame aut pestilentia totas Gentes delet.

Multa igitur mala in imperiis ducantur esse fatales poenae et exempla iustae irae Dei adversus scelera hominum. Imo inde usque ab initio imperia in deterius conversa sunt, crevit servitus, quia peccata hominum creverunt. Prima monarchia in statua Danielis pingitur aurea, secunda argentea, tertia aenea, quarta ferrea. Pedes partim ferrei partim lutei sunt, hoc est, postrema aetate quaedam erunt saeva imperia, ut Turcicum, quaedam infirma, plena ignaviae. Multum autem confusionum affert ignavia, ut res ostendit in multis Germaniae locis.

Longe pulchrior status fuit regni Iudaici tempore Iosaphat, quam post reditum ex Babylone, et postea cum a Syriacis et ab Aegyptiis regibus ac tandem a Romanis Iudaea multis modis vexaretur, sed tamen manebant aliqui nervi politiae. Id agnoscebant pii beneficium Dei esse. Interim mala, quae fiebant, sciebant permitti divinitus tanquam fatales poenas, et moesti ac gementes tolerabant, et sua modestia et[33]) diligentia in omni officio leniebant, non irritabant contumacia aut seditionibus, Deum etiam orabant, ut mitigaret servitutem.

Cum audissent[34]) a Ptolemaeo Lathuro interfecta esse Iudaeorum viginti millia et coactos captivos vesci carnibus interfectorum parentum et fratrum, videbant Diabolum rabiosius grassari in hunc populum, quam in ceteras Gentes, et sese de poenitentia et de invocatione commonefaciebant, et tamen norant vaticinia divina, politiam mansuram esse, donec Messias concionaturus esset. Haec praefari de discrimine ordinis politici et confusionum, quae ordinem interturbant, ut si harmoniam in cantilena bonis musicis recte canentibus alius quispiam furens clamore suo interturbaret, necessarium esse duxi, ut praeparetur lector ad cetera, nec propter confusiones, quae aliunde accedunt, damnet beneficia divina. Alias autem ordo politicus magis, alias[35]) minus est integer; alias plus, alias minus est confusionum. Sed semper in hac misera et aerumnosa vita in imperiis multae magnae difficultates existunt, tum quia Diabolus conatur facere maiores dissipationes, tum quia humana natura per sese est imbecillis et facile suis erroribus et cupiditatibus movet res iniustas et harmoniam interturbat, tum quia fatales poenae multae accedunt, in quibus magnae fiunt et regnorum et disciplinae perturbationes. Et hae caussae omnes in hac postrema senecta magis concurrunt.

Natura hominum tanquam effoeta sine ulla dubitatione imbecillior est, quam fuit initio, sicut docti distribuunt tempora iuxta hominis partes, initio aiunt regnasse τὸ ἡγεμονικόν, id est, rationem gubernatricem. Artes enim a primis patribus inventae sunt et sapientia homines magis quam vi regebantur. Deinde successit bellatrix aetas, in qua iam imperia armis constituta sunt, et quatuor monarchiae inde usque ab Abrahae tempore ad Theodosium orbem terrarum rexerunt. Secuta est aetas postrema, in qua dominari aiunt ἐπιθυμητικόν. Natura hominum facta languidior nec sapientiae studet, ut olim, nec illos acerrimos labores militiae suscipit, quos sustinebant olim viri fortes, David, Achilles, Cyrus, Alexander, Hannibal, Marcellus, Scipio, C. Caesar, sed velut enervata delicias et voluptates quaerit. Praeterea cum peccata cumulata sint tempore, poenae quoque creverunt. His occasionibus Diabolus utitur et infirmam naturam rabiosius urget. Odio etiam Dei et Christi, quem scit non ita multo post palam venturum esse ad iudicandum et Ecclesiae daturum bona aeterna et abiecturum Diabolos et impios in aeternos cruciatus, saevit in ipso fine suae tyrannidis atrocius.

Haec cogitemus, cum confusiones regnorum, tumultus, profusiones et βουλιμίας Principum, expilationes populi et alias miserias servitutis crescere cernimus, et has aerumnas pie tolerare discamus, et Deum oremus, ut aliqua[36]) Ecclesiae suae hospitia servet et regat.

Omnia regna omnibus aetatibus circa finem magis turbulenta fuerunt. Quoties multi Syriae reges uno tempore de regno dimicarunt, Antiochus, Tryphon, Demetrius et alii! Quantum fuit bellorum civilium inter Romanos Principes a Severo usque, ut de vetustioribus civilibus bellis non dicam! Vidimus et hac aetate infelicissime dimicantes duos Reges de Pannonia. Prorsus igitur Ecclesiae sapientia singulari opus est ad ferendas has miserias, de quibus et Christus nos praemonet praedicens, ultimis temporibus magna bella, magnas regnorum ruinas et populorum angustias futuras esse.

Nunc igitur redeo ad principalem quaestionem, unde sint imperia, an politica officia sint res bonae, et an Christianis liceat gerere Magistratus, emere, vendere, fungi munere iudicum, caussas afferre in forum suas vel alienas, militare, armis depellere latrocinia, bella legitima gerere. Ad haec primum respondeo: Et Coniugium et politicus ordo res sunt a Deo aeterno institutae et approbatae expressa voce divina, et quantum boni in politico ordine

33) et] Corp. 1—8. ac

34) audissent] Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. audivissent

35) alias] Corp. 2. 4. typ. errore: alius

36) aliqua] Editt. 22. 24. 28. 30. 34. aliquae

manet, servatur Deo iuvante. Voco autem politicum ordinem, ut supra monui, non iniustas perturbationes, sed ipsas leges cum ratione congruentes, coniungentes societatem civilem, ut multitudini certi homines praesint; Item contractus, iudicia, legitimas poenas, depulsionem latrociniorum, militiam.

Ac de Coniugio testimonia satis nota sunt. Est autem Coniugium perpetua coniunctio mariti et uxoris instituta certis legibus a Deo, quae ostendunt, quas personas et quomodo iungi liceat, ut Gen. 2. [vss. 23 sq.] Levit. 18. [vss. 6 sqq.] Matth. 19. [vss. 4 sq.] et [37]) 1. Cor. 7. In his locis manifeste conspiciuntur institutio, approbatio et ordinatio Coniugii, de quo alias prolixius dicetur. Nunc testimonia addam de Magistratibus seu civili gubernatione.

Paludanus [38]) sic tantum a Deo ortum esse politicum ordinem dicit, quia homini ratio sit indita et notitia legum naturae, quae iudicat [39]) hunc ordinem inter homines necessarium esse. Etsi vera est haec sententia, tamen nondum satis de caussa civilis societatis seu imperiorum dixit. Nam solis humanis consiliis et viribus nequaquam retineri honestae leges et civilis societas possunt. Sciamus ergo voce Dei institutum esse hunc ordinem et comprobatum et vere ab eo iuvari. De hac voce manifestum testimonium est tota lex Moysi, quae etsi uni populo proposita est, tamen testimonium est voluntatis Dei de hac vita politica. Est autem Lex moralis, ille ipse ordo societatis civilis, si dextre intelligatur. Et eaedem leges inde usque ab initio mundi traditae et saepe repetitae sunt. In Paradiso prohibitae sunt vagae libidines. Gen. 4. [vss. 10 sqq.] prohibita et damnata est iniusta caedes. Et Gen. 9. [vs. 6.] expresse ordinatur imperium edita hac lege: Quicunque fuderit sanguinem humanum, per hominem fundetur sanguis illius, quia ad imaginem Dei factus est homo. Hanc legem politici ordinis caput esse nihil dubium est, nec frustra putemus hanc vocem a Deo editam [40]) esse. Cumque nominatim dicat, Per hominem fundetur sanguis homicidae, instituit hominem magistratum, qui certo ordine tollat reum et iudicium Dei administret. Extant ergo testimonia institutionis.

Et cum Paulus tradit doctrinam de politico ordine Rom. 13. simul testatur et institutum esse a Deo et comprobari et ab eo iuvari. Estque caput illud magno consilio a Spiritu sancto propositum Ecclesiis, ut manifeste refutet fanaticos furores damnantium ordinem politicum seu Magistratus et imperia. Quae sunt potestates, a Deo ordinatae sunt, id est, vult suo quemque tempore et loco obtemperare legitimis Magistratibus praesentibus, ideo dicit, Quae sunt, quasi dicat, non requiras Cyri aut Alexandri imperium. Haec Deus iustus iudex multo ante evertit, et constituit alia imperia. Quae sunt igitur, id est, quae quolibet tempore regnant, haec scito a Deo ordinata esse. Et postea imperia nominat ordinationem Dei. Pondus verbi observetur, quod nominat imperia ordinationem. Primum manifeste discernit imperia a peccatis. Nam peccatum non est ordinatio Dei, sed est confusio et horrenda perturbatio divini ordinis, quam Deus semper odit et execratur. Deinde monet nos, qualis res sit civilis status seu imperium. Ordo est, inquit, videlicet series personarum et rerum, congruens ad regulam mentis divinae lucentem et in nobis iuxta Legem naturae, ut usitate vocamus.

Sit imperium ordo personarum, praesit Magistratus, obtemperent cives suo quisque loco, sit certus ordo inter maritum et coniugem, inter patrem et liberos, sit ordo iudiciorum; Leges ordinem officiorum et contractuum proponant et sanciant, monstrent ordinem generis humani erga Deum, prohibeant vagas libidines, quae sunt contrariae ordini divino in hominum natura instituto, praecipiant aequalitatem in contractibus. Quantum accipit emptor, tantum reddat. Ne laedat civis civem, sed omnes sciant se inter sese devinctos esse ad mutuam defensionem et communem salutem, quae consistit in compensatione aequali voluntatum, officiorum et rerum. Si quis autem violaverit hunc ordinem, poena afficiatur.

Non est ordinis intellectus in bestiis, sed homini impressa est ordinis notitia, cum qua, si natura hominum non corrupta esset peccato, etiam amor ordinis tuendi erga Deum et homines, verus et ardens in pectoribus, coniunctus esset. Nunc vero facile ruunt homines contra naturae ordinem, alii tamen magis, alii minus amant ordinem, ut Euripides de Cyclopibus [Cycl. 120. ed. Barnes.] inquit: *Νομάδες ἀκούει οὐδὲν οὐδεὶς οὐδενός.* Multa fera ingenia putant unum hoc esse beate vivere, non coërceri legibus, ordine, disciplina tanquam carcere, sed libere vagari et cupiditatibus obsequi sine freno. Talibus ingeniis difficile est persuadere magnum decus esse ordinis, aut declarare, quantas res hic complexus sit Paulus, et quam perspicue

---

37) et] sic Editt. 1. 3.; ceterae Editt. *hanc vocem omittunt.*

38) Petrus Paludanus (proprie de la Palu) Ordinis Dominicanorum, a. 1314. Doctor Academiae Parisiensis creatus, a. 1317. Vicarius generalis illius Ordinis, a. 1329. Patriarcha Hierosolymitanus, a. 1342. 31. Ian. Parisiis mortuus est. Scripsit Commentarios in IV libros Magistri sententiarum (Venetiis 1495. Fol.). De caussis potentiae ecclesiasticae (Paris. 1506. 4°). De confessione, aliosque libros; vide Zedleri Universal-Lex. T. XXVI. (Lips. et Hal. 1740. Fol.) p. 423 sq.

39) iudicat] Editt. 22. 24. 28. 30. 34., Opp. 1. 2. indicat

40) editam] Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. traditam

testetur magistratum et civilem statum esse res bonas Deo placentes, non peccata.

Lex erat apud Spartanos, licere cum uxore alterius consuetudinem habere, si vir permitteret. Si igitur Spartanus aliquis videat in Iudaea duci ad supplicium adulteram seu adulterum, dicet esse crudelitatem indignam hominibus. At Paulus hic monet supplicia legitima partes esse politici ordinis et congruere ad normam in mente divina. Sed homines feri non statim vident, quid dicat Paulus, praesertim cum tanta brevitate usus sit.

Afferant igitur ad hanc Pauli lectionem studiosi mentes attentas et immorentur huic loco, expendant verba, quid ordo significet, partiantur [41]) ordinem personarum et rerum, magistratuum, civium, legum, iudiciorum, contractuum, delictorum, poenarum. Deinde normam ordinis esse sciant aeternam Legem in mente divina, de qua hic dicit: Magistratus honore afficiat bona opera et puniat mala. Certissimum est autem ordinem congruentem cum mente divina rem bonam et Deo placentem esse. Hoc igitur Pauli testimonium bonis mentibus et attentis satisfacit. [42]) Utitur eodem testimonio et Irenaeus adversus fanaticos, qui illis primis temporibus furores sparserunt similes Anabaptisticis. Sed multa passim obvia sunt in Prophetis.

Dan. 2. [vs. 21.] Deus transfert regna et constituit, id est, efficit, ut floreant, durent. Id enim vocat stare. Psal. 126. [vs. 1.] Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Custos est Deus civilis status, ergo eum approbat. Psal. 143. [vs. 10.] Qui das salutem Regibus. Haec verba adiuvari gubernatores a Deo testantur. Proverb. 8. [vs. 16.] Per me reges regnant. Prov. 16. [vs. 11.] Libra et Pondus iudicia Domini sunt, 2. Paral. 19. [vs. 6.] Non hominis exercetis iudicium, sed Domini. Ies. 1. [vs. 17.] Quaerite iudicium, subvenite [43]) oppresso, defendite viduam. Praecipit Deus politica officia cuique pro sua vocatione. Non dubium est igitur approbari ab eo politicum ordinem. Et in hanc sententiam multa dicta apud Prophetas reperiuntur, quae nominatim politica officia praecipiunt.

Luc. 3. Baptista publicanis et militibus concionatur ac tradit egregia praecepta politica. Functionem igitur approbat, cum doceat recte administrare [vs. 13.]: Ne plus, quam constitutum est, poscite. Respublica sine tributis necessarios sumptus sustinere non potest. Vult igitur pendi tributa, sed non vult supra legitima tributa immoderatas expilationes fieri. [vs. 14.:] Neminem concusseritis, neque calumniemini. Exerceri vult iudicia, sed sine concussionibus et calumnia. Et postremo addit: Contenti estote stipendiis vestris. Haec tota concio politicum statum, iudicia, militiam approbat. Et discernit ab ipso ordine vitia seu confusiones, quas humana malitia admiscet. Et futilis, ieiuna et insulsa cavillatio Anabaptistarum explodenda est, qui dicunt Baptistam haec imperfectis permisisse, Christum postea docuisse aliter. Non pugnant Baptistae et Christi conciones. Nec putemus Baptistae levem auctoritatem esse. Magna eius vocatio et functio est, ut Christus ipse testatur et Deus in Baptismo Christi illustri testimonio eius vocationem et doctrinam confirmat. Sed furentes Anabaptistae non attendunt, quid dicant, cum de Baptistae ministerio contumeliose loquuntur.

Psal. 81. [vs. 76.] Ego dixi, Dii estis, id est, divinum officium sustinentes, defensionem iustitiae et pacis, quae sunt bona divina, propter quae titulum suum Deus impertit Magistratibus, quia vult eos haec bona secum impertire populis. Officium igitur approbat, cum vocat divinum. Psal. 101. [vs. 23.] In conveniendo populos in unum et Reges, ut serviant Domino. Et Ies. 49. [vs. 23.] Reges erunt nutritores tui et Reginae nutrices. Haec dicta et multa similia testantur Reges et Magistratus aliquos esse membra Ecclesiae Dei et Deo placere. Approbat igitur Deus imperia et politicum ordinem.

His confirmati testimoniis constantissime damnemus furores Anabaptistarum, qui contendunt Christiano non concessum esse gerere [44]) magistratus, improbant iudicia, leges, militiam et cetera politica munera, quasi hae res sint suo genere peccata et pugnent cum Evangelio. Magnae mihi cum multis contentiones de hac controversia fuerunt, cum Carolostadio [45]), Pelargo, Struthio et aliis, et multi agnitis fontibus huius disputationis, quos iam recitavi, in viam redierunt abiectis Anabaptistarum deliriis.

Porro ad [46]) illa dicta, quae recitavi, adiungantur exempla, quae sunt valde multa, hominum, qui Deum vere invocarunt, qui maxima regna gubernaverunt, alii aliis aetatibus, quia Deus voluit subinde per aliquos suos cultores iuvari politias, tum

---

41) partiantur] Corp. 2. 4. typ. errore: patiantur

42) satisfacit] Corp. 1—8. satisfaciat

43) subvenite] Corp. 2. 4. typ. errore: subvenito

44) gerere] Editt. 22. 24. 28. 30. 34. regere

45) Conf. Melanthonis de Carolostadio iudicium in eius epistola nuncupatoria ad Myconium 1530. scripta, quam praefixit suo libello: „Sententiae veterum aliquot scriptorum de coena Domini, bona fide recitatae. Philipp. Melan." (Witebergae M. D. XXX. — in fine: Impressum Witebergae per Ioseph. Clug. Anno M. D. XXX. 8.; recuso Ratisponae in Officina Typographica Ioannis Carbonis A. LIIII. 8. et Witebergae op. Matth. Welack 1587. 8.) Haec epist. recusa est in huius Corp. Vol. II. p. 29—32.

46) ad] Ed. 22. male: ad in

ut in eorum invocatione luceret confessio et vera doctrina latius propagaretur, tum ut Ecclesia haberet aliqua hospitia. Non dubium est primos patres in suo coetu, Adam, Henoch, Noha, fuisse etiam politicos gubernatores, sicut traditur Nohae lex de puniendis homicidis [47]). Deinde Melchisedeck expresse rex appellatur. Abraham etsi hospes fuit in alienis imperiis, tamen et Reges aliquos Ecclesiae adiunxit et rexit ipse politico imperio suam familiam et proeliatus est. Postea Ioseph non modo rexit, sed etiam novis Legibus regnum Aegyptium constituit. Nec dubium est formam regni Aegyptiaci institutam a Ioseph, donec floruit, antecelluisse omnium regnorum ordini, quaecunque fuerunt postea toto orbe terrarum, in Chaldaea, Ionia, Graecia, Romae.

Valde errant, qui Soloni aut Augusto maiorem tribuunt politicam sapientiam, quam his viris, qui divina luce regebantur et Deum vere invocabant, Ioseph, Danieli, Esdrae et similibus. Nec solus Ioseph inter Principes Aegyptios Deum recte invocabat, sed eius gubernatio regem sua aetate regnantem et multos, qui una Rempublicam regebant, ad agnitionem veri Dei pertraxit. Postea Moysen et multos gubernatores in populo Israël Deo placuisse nihil dubium est.

Quod vero furiosi Anabaptistae dicunt, propter imperfectionem populo Israel concessum esse domicilium et politica officia; Responsio est plena [48]) insulsitatis. Singulare Dei beneficium fuit, quod certam sedem Ecclesiae tradidit ac defendit annos amplius mille quadringentos [49]). Voluit enim Deus certum esse locum, in quo testimonia promissionum divinarum ederentur, et in quo Christus nasceretur, sicut supra de vetere Testamento copiosius dictum est. Cum autem in populo Israël legem et politicum ordinem approbavit et saepe testatus est se officia illa postulare, ut in eis invocatio accendatur, luceat, confessio et dilectio erga Ecclesiam exerceatur, significavit se etiam apud alias gentes legem et politicum ordinem approbare, ut exempla ostendunt. Nam Ioseph, Daniel et alii multi gubernarunt politias inter Ethnicos. Historias igitur in regnis ceteris extra Israëliticum consideremus. Daniel provinciam Ethnicam regit et suo ministerio regum praestantissimos flexit ad agnitionem veri Dei, videlicet eversorem Ierosolymae Nabuchodonosor [50]) et eius filium Darium Medum, Cyrum Persam et multos Principes. Ideo Deus populum Israel in Monarchiis alias alibi dispersit, ut doctrina vera de Deo latius propagaretur. In historiis Evangelicis mentio fit Centurionum aliquot, qui Evangelio crediderunt; Imo in totam Cornelii, militis Romani, familiam Spiritus sanctus ingenti miraculo, perinde ut in Apostolos, effusus est.

Cum igitur tot extent certa et illustria testimonia et exempla, quae ostendunt Deo placere politicum ordinem, Imo officia ordinis politici in iis, qui Deum recte invocant, esse pia opera et praecipuos cultus Dei; discamus venerari res politicas, imperia, Magistratus, leges, iudicia, distinctiones [51]) dominiorum, contractus, tanquam dona Dei, et omnia civilis vitae opera referamus ad hos fines, ut Deo in his ordinationibus obediamus, et ut invocatio et confessio nostra in hac societate luceat, et ut exerceamus dilectionem mutuam.

Recitavi exempla gubernatorum, qui Deo placuerunt, ut Ioseph, Daniel, Nahaman Syrum et similes. Hos cum constet a Deo adiutos esse, gubernationem esse opus et beneficium Dei manifestum est. Addam autem et de Heroicis viris apud Ethnicos, qui fuerunt sine agnitione vera Dei, et tamen ne genus humanum prorsus interiret, a Deo ardentibus motibus ad virtutem excitati sunt et in rebus gerendis adiuti, ut Alexander, Scipio, Augustus. Mirandi eventus in rebus gestis talium virorum moverunt omnes prudentes, ut faterentur eos habere impetus meliores et feliciores, quam reliquorum [52]) hominum multitudinem. Ideo Cicero inquit, nullum fuisse virum magnum sine afflatu divino. Cumque ad constituenda imperia aut instauranda et ad politias ac artes restituendas Deus inserat singulares motus talibus ducibus aut artificibus, manifestum testimonium ostendit praesentiae suae in politiis, sicut Plato 4. de Legibus inquit: Quemadmodum boves non a bobus, nec caprae a capris reguntur, sed a praestantiore natura, videlicet ab hominibus, sic natura humana infirmior est, quam ut se ipsam regere possit. Quare Deus praefecit civitatibus non homines, sed praestantius et [53]) divinius quoddam genus, heroas videlicet, qui cum habeant ipsi prosperos successus, nobis quoque imperia eorum grata et facilia sunt. Hi ita curant nos, ut pacem, pudorem, libertatem conservent, et addit: Verum est dictum, ubi non Deus, sed mortalis aliquis dominatur, ibi malorum et aerumnarum nullum esse effugium. Sapientissime haec et verissime a Platone dicta sunt. Et haec eius verba intimis sensibus infigamus: *Λέγει δὴ καὶ νῦν οὕτως ὁ λόγος ἀληθείᾳ, χρώμενος, ὡς ὅσων ἂν πόλεων μὴ θεὸς, ἀλλά τις ἄρχει θνητὸς, οὐκ*

47) homicidis] Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. homicidiis

48) est plena] Corp. 1—8. plena est

49) quadringentos.] Editt. 1. 3. quadringentis.

50) Nabuchodonosor] Editt. 1. 3. Nabogdonosor

51) distinctiones] Editt. 1—16. 19. distinctionem

52) reliquorum] Editt. 1—15. 19. reliquam

53) et] Editt. 20. 25., Corp. 1—8. ac

ἐστὶ κακῶν αὐτοῖς οὐδὲ πόνων ἀνάφυξις [54]). Exempla suppeditant historiae omnium aetatum. Placidum fuit imperium orbis terrarum regnante Augusto, quia Deus voluit aliquantisper restitui pacem, iudicia, leges, disciplinam, ideoque Augustum adiuvit. Sub Valentiniano, Augustulo et similibus subinde novae dissipationes exortae sunt et miseriae sine modo cumulatae.

Postremo testimonium est praesentiae Dei in imperiis etiam haec experientia, quod manifestum est divinitus atrocia scelera manifestis corporalibus suppliciis puniri: periuri, latrones, tyranni, incesti, plerique omnes haerent tandem in poenis. Differuntur interdum poenae, sed tamen plerumque tandem opprimunt sontes, et paucissimi placidos exitus habent. Exempla Tyrannorum interfectorum adeo crebra leguntur, ut scriptum sit [55]):

Ad generum Cereris sine caede et sanguine pauci
Descendunt Reges et sicca morte Tyranni.

De homicidis quotidiana exempla sunt in conspectu. Etiam cum aliquamdiu occultati [56]) sunt, proferuntur tamen in lucem mirabili modo, et quanquam initio polluti iniusta caede effugerunt manus Magistratuum, tamen postea ad poenam retrahuntur. Comitantur et incestos poenae, ut Oedipum, Aegisthum, Herodem [57]) et alios. De his poenis loquitur Christus [Matth. 26, 52.]: Qui gladium acceperit, scilicet non datum a legibus, gladio peribit. Ies. 33. [vs. 1.] Vae qui praedaris, nam vicissim spoliaberis. Iob. 9. [vs. 28.] Verebar omnia opera mea sciens, te non parcere delinquenti. Et Ecclesiastes ait cap. 8. [vs. 8.] Impius non potest evadere in bello, id est, bellis et aliis cladibus punit Deus atrocia scelera. Sic civilem iustitiam Deus in mundo tuetur, ut regulariter puniat in hac vita eos, qui civilem iustitiam violant, sicut regulariter hiems frigida est et aestas calida. Quanquam igitur, ut in tempestatibus, interdum aliquid extra regulam Deus facit et arcano consilio differt poenas et praemia, tamen regulam meminerimus et metu irae Dei coerceamus temerarios impetus.

Duae sunt autem caussae, propter quas regulariter in hac vita poena comitantur atrocia scelera: Prior, quia Deus iustus iudex vult conspici iram suam adversus peccata et nos de sua voluntate commonefacit; Altera est, ut custodiat societatem civilem, quae prorsus dissiparetur, nisi ab ipso latrocinia, tyrannides et alii furores compescerentur. Quare etiamsi Tiberius placide moritur, tamen propter unum atque alterum exemplum regula non contemnatur, quae supplicia et cruciatus in hac vita minatur Tyrannis et aliis, qui polluti sunt atrocibus sceleribus. Ruunt postea in poenas Caligula, Claudius, Nero, Domitianus, Commodus et alii innumerabiles. Non frustra maledictiones in Lege Dei propositae sunt, quas non esse irritas universa mundi historia testatur. Nam et publice ingentibus bellis et dissipationibus totae Gentes propter multorum scelera delentur, et privatim quotidie excruciantur multi magnis aerumnis et doloribus. Horum malorum caussae quae sint, conscientias nostras interrogemus. Ac commonefacit nos Iesaias tristissima concione, et dicto valde memorabili caussam nobis quasi digito monstrat, cap. 64. [vs. 6.] Et iniquitates nostrae quasi venti dissipaverunt nos.

Haec universalis experientia etiam Ethnicos movit, ut Dei providentiam et iudicium agnoscerent. Et Isocrates in oratione de Pace gravissimam sententiam opponit Epicureorum furori, qui propter pauca exempla regulam contemnunt ac sperant se impunitatem scelerum habituros [58]) esse. Etsi, inquit, non semper plectuntur scelerati, tamen plerumque dant poenas. Cum autem futurum semper sit incertum, prudentis est amplecti illud potius, quod saepius conducit. Et cum intelligas iustitiam Deo magis placere, stultissimum fuerit existimare in deteriore fortuna iustos futuros esse, quam iniustos. Cum igitur experientia perpetua testetur atrocia scelera puniri, agnoscamus Deum iudicem et vindicem esse et eum timeamus et fateamur politias ab ipso defendi, retineri et mutari.

Hactenus et dicta et argumenta recitavi, quae ostendunt politicum ordinem rem bonam esse et Deo placentem. Ad haec adiiciendum est et hoc argumentum. Cum toties praecipiat Deus precationes pro Magistratu fieri, ut gubernatio maneat inconcussa et stabiliatur, necesse est eam rem bonam esse et Deo placentem, nec esse peccatum. Non est enim petendum, ut peccata stabiliantur.

Extant autem praecepta de hac precatione. Ierem. 29. [vs. 7.] Orate pro regno Babylonico, quia in pace illius et vobis pax erit. Iubet fieri precationes pro imperio, quod tunc erat Ecclesiae hospitium. Et propter has precationes non modo exilii et servitutis aerumnae mitigatae sunt, sed etiam regum pectora Deus ad verae doctrinae agnitionem flexit. Et pro rege Abimelech precatur Abraham. Et Iacob benedicit regi Aegyptio, qui

54) Haec verba Platonis de legibus lib. IV. inveniuntur in eius Opp. ed. H. Steph. Vol. II. p. 713. E., ubi autem pro *οὕτως* et *ἄρχει* leguntur *οὗτος* et *ἄρχῃ*.

55) Iuvenal. Satir. X, 112 sq. ed. Ruperti, ubi vero pro *sanguine* legitur *vulnere*.

56) occultati] Editt. 1—16. 19. occultata

57) Herodem] Editt. 1—3. 9. Heroden

58) habituros] Ed. 22. typ. errore: habitaturos

a Ioseph acceperat doctrinam de vera Dei invocatione. Et 1. Tim. 2. [vs. 1.] Praeceptum traditur plenum eruditionis: Hortor, ut petitiones et gratiarum actiones fiant pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus, qui praesunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus, cum omni pietate et honestate. Simul et de precatione praecipit et docet, qualis debeat esse gubernatio, et ad quos praecipuos fines referenda sint consilia gubernatoris. Et petere nos debemus, ut Deus pacem nostris civitatibus donet et regat disciplinam, et boni Principes haec opera efficere debent: Primum ut domi pax sit et tranquillitas, arceant externos hostes, quantum possunt, et domi prohibeant latrocinia et seditiones. Nec finis sit pacis, ut in otio possint cives quaerere voluptates et indulgere luxui. Sed pacis ulteriores fines sunt, ut propagari vera religionis doctrina possit, ut tegantur scholae et imbecillis aetas erudiri possit, nec prorsus dissipetur Ecclesia aut deleantur seminaria Ecclesiae. Deinde, ut mores regantur honesta disciplina.

Sic David gerens bella sciebat se tantos labores suscipere et sustinere non sua caussa, ut postea otioso et securo animo frueretur voluptatibus, sed ut depulsis hostibus servaretur Ecclesia Dei, ut domi interim procreari soboles et recte erudiri de Deo et ad honestos mores institui posset, ut in scholis adolescentia et populus ad conciones tuto convenire posset; Denique ne doctrina de vero Deo, nomen Messiae, invocatio vera Dei deleretur. Hos fines intuebatur, quoties educebat exercitum, quoties instruebat aciem, quoties in hostilem exercitum impetum faciebat. Hi fines ignoti erant Alexandro, Scipioni, C. Caesari. Sed tamen norant ideo defendendam esse patriam, ut honesta disciplina homines in pace regerentur, nec prorsus interiret humanum genus aut mores fierent feri et barbari. Addidit [59]) igitur Paulus precandum esse, ut non solum [60]) pax sit, sed etiam ut in pace vivamus pie et honeste, id est, ut doctrina vera de Deo propagetur et Deus recte invocetur et sint honesti mores. Ita paucis verbis optimam politicam [61]) formam Paulus delineavit.

Postquam igitur satis ostensum est politicum ordinem esse rem bonam et Deo placentem, adiiciam aliquot regulas utiles ad pacem et ad alendam reverentiam in bonis mentibus erga Magistratus et universum ordinem civilis societatis, quae certe digna est bonis ingeniis, et cum refertur ad gloriam Dei, cultus est gratus Deo.

Prima regula. Evangelium sicut nec [62]) abolet nec improbat Arithmeticam aut Architectonicam aut Medicam artem, sic non abolet nec improbat Oeconomicum et Politicum ordinem, imo iubet agnoscere has res esse dona Dei, quibus haec vita corporalis non potest carere. Cum autem velit Deus non deleri genus humanum, sed in hac vita colligi Ecclesiam suam, servat his rebus, cibo, potu, coniugio, politico ordine, artibus, ut agricultura, architectonica, medicina, vitam corporalem.

Ut autem cibus, potus, agricultura, architectonica, medicina non pugnant cum Evangelio, quod concionatur de reconciliatione Dei, et novam et perpetuam lucem in mentibus accendit, sic non pugnat cum Evangelio gubernatio politica. Sed qui ignorant veram Evangelii doctrinam de iustitia interiore, de Fide et vera invocatione Dei, hi facile hallucinantur in hac disputatione et sibi ipsi fingunt Evangelium esse novam et barbaricam politiam. Ut hypocritae magnis laudibus vehunt solitudinem et Monasticos ritus vel potius illud Epicureum otium, quo fruuntur illi, qui nec communes labores, qui sunt in gubernatione magni et varii, sustinent, nec metuunt pericula et procellas, quibus saepe gubernatores horribiliter affliguntur, ut experti sunt Moyses, Aaron [63]), Samuel, David, Ieremias, et exempla multa quotidiana vita monstrat.

Nec adversantur huic primae regulae prohibitiones vindictae, quae passim sparsae sunt in Evangelio. Gravissimam hae doctrinam et salutarem ipsis imperiis continent: Deus ordinem instituit, ut vindicta per Magistratus exerceatur. Ut igitur in ceteris praeceptis nos vult ordini divino parere, prohibet vagari libidines, sic prohibet vagari iracundiam, vult nos sine incendiis odiorum ordini divino obtemperare ac petere, ut Magistratus suum officium faciat, defendat innocentes et coërceat ac puniat petulantes. Si facit, gratias agamus et Deo et Magistratui, et gaudeamus honeste regi disciplinam et civitates esse tranquilliores. Si non facit, non conturbent ordinem divinum privati, non moveant seditiones, reprimant iracundiam et dolorem suum, seque hac consolatione sustentent, quod sciunt Ecclesiam certis de caussis subiectam esse cruci et tamen Deo placere, imo tolerantiam iniuriarum et saevitiae alienae sacrificium esse Deo gratum.

Dictum est igitur supra duplicem esse vindictam. Altera est ordinata, id est, publica, quae fit per Magistratus certo ordine, certis legibus.

---

59) Addidit] Ed. 24. male: Additur; Editt. 28—34. Addit

60) ut non solum] Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. non solum ut

61) politicam] sic Editt. 14. 18—20. 22—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2.; ceterae Editt.: politiae

62) nec] Editt. 1—15. 19. non

63) Aaron] Editt. 1—3. 6. 7. 9. 12. Aharon

Hanc nequaquam prohibet Evangelium seu Lex Dei, imo, ut toties iam dictum est, divinitus instituta et approbata est et iuvatur a Deo. Haec vindicta est pars politici ordinis seu functionum Magistratus, sicut Paulus diserte Magistratum vocat vindicem. Ut igitur Magistratum approbari in Evangelio nihil dubium est, ita hanc vindictam, quam exercet iuxta Leges, approbari manifestum est. Haec congruunt cum hoc dicto [Hebr. 10, 30.]: Mihi vindictam, et ego retribuam. Deus iustus iudex irascitur peccato et[64]) aut sine humana ope punit, ut cum delet Sodoma aut Aegyptios in mari rubro, aut ad supplicia ordinaria, quae commendavit Magistratibus, sontes retrahit, ut cum latrones severitate Magistratuum tolluntur, cum Cyrus punit Ionum libidines, Augustus Antonium pollutum variis libidinibus et moventem bellum sine iusta caussa. Hae vindictae et similes vere pertinent ad hoc dictum: Mihi vindictam, et ego retribuam. Quod facile intelligi potest a sanis, qui mentem et dexteritatem in iudicando adhibent.

Altera vindicta est aberrans ab ordine divino, quam docendi caussa privatam voco, cum scilicet incensi iracundia aut odio, nostro furore, non iubentibus legibus, arma capimus, et dolori nostro servimus, non ordinationi Dei in aliis tollendis, ut servit suo dolori Ioab interficiens Abner.

Etsi autem ingens est incendium animi et magnus furor cupiditas vindictae, tamen pauci ita sunt intenti, ut agnoscant suum hoc vulnus, sed plerumque species aliqua iuris praetexitur, quam amplexi homines movent iniusta et perniciosa certamina sibi et Reipublicae, ut Saul, cum tantum aemulatione ac livore moveretur, fingit praetextus, queritur Davidem esse seditiosum, et alens hunc furorem tollere amicum bene meritum conatur. Ita Pompeius aemulatione ardens delere Iulium conatur.

Vulgaris est pestis et late grassatur in omnibus Gentibus, civitatibus et familiis. Ideo pii sint intenti, videant, ne indulgeant huic furori. Usitatum et notum malum est amor aberrans a lege Dei, et multorum ingentium malorum caussa est, ut propter amorem Paridis eversa est Troia et Graeci magnas clades acceperunt. At iracundia et vindictae cupiditas, undecunque oriantur, (alias enim alii sunt fontes,) saepius excitat[65]) ingentia bella et perniciosos tumultus privatim et publice, ut historiae Cain, Saul, Pompeii, Arii et aliorum multorum ostendunt.

Considerata igitur magnitudine huius pestis, videlicet privatae vindictae ruentis contra ordinem divinum, prudentes intelligent, quam necessarium et salutare praeceptum sit Christi toties severe cocionantis de coërcendo hoc impetu. Ipse enim vere intelligebat in Ecclesia et in universa hominum societate horrendas dissipationes ex hoc fonte oriri. Vidit Pompeius crescere Caesarem, et eius gloria uritur, quaerit igitur occasiones et praetextus ad eum premendum. Et adiungunt se alii similibus cupiditatibus incensi. Vidi ipse multos livore et aemulatione motos conturbasse veras sententias in doctrina Ecclesiastica.

Denique omnes prudentes norunt latissime vagari hoc malum. Ideo dicta Christi et Apostolorum infigamus intimis sensibus pectoris, et coërceamus vindictae cupiditatem. Cum igitur Christus ordinatam vindictam[66]) mandatam[67]) Magistratibus approbet et econtra privatam saevitiam et seditiones prohibeat, res ipsa loquitur his praeceptis Christi optime muniri politicum ordinem et armari Magistratus. Falso igitur calumniati sunt Evangelium Celsus, Iulianus et alii, qui scripserunt Evangelium prohibitione vindictae tollere Magistratus, disciplinam, leges, denique omnes nervos civilis societatis, ac concedere infinitam licentiam omnium scelerum. Huic calumniae nimis frigide respondent Origenes et Nazianzenus, qui fingunt concessum esse vindicare, sed perfectiorem virtutem esse non vindicare. Has ineptias supra refutavi, ubi de praeceptis et consiliis dictum est. Et quomodo calumniae Celsi et Iuliani respondendum sit, ex hac nostra distinctione satis constat, prohiberi privatam vindictam et econtra confirmari Magistratus et imperia. Haec sententia vera, pia, salutaris[68]) est privatim et publice.

Muniuntur ergo et ornantur imperia voce Evangelii. Pulcherrimus est ordo, quem in vita privata et in imperiis instituit Deus de omni genere actionum, sed humanae mentes saepe occupatae absurdis opinionibus, hypocrisi, pravis exemplis, denique fascinatae a Diabolo, ordinem illum divinum aspicere nolunt. Ita multos vidimus Anabaptistas, qui in hac quaestione mira pertinacia suos furores defendebant, cum satis clare refutarentur. Nulla est enim obscuritas in hac caussa, modo ut afferat auditor mentem docilem. Disserui autem prolixius, ut iuvenes commonefaciam, ut assuefaciant mentes ad amandum politicum ordinem et admoniti agnoscant in eo lucere sapientiam, iustitiam et bonitatem Dei erga genus humanum. Usitatum est iuvenibus ostentare ingeniorum acumen in legum et morum civilium reprehensione. Sed illam Cynicam

64) et *omittunt* Corp. 2. 4.

65) excitat] Editt. 1. 3. excitant

66) ordinatam vindictam] Editt. 24. 28 — 34., Corp. 2—8., Opp. 1. 2. vindictam ordinatam

67) mandatam *excidit in* Ed. 18.

68) salutaris] Editt. 1. 3. salubris

sapientiam et petulantiam sciamus fugiendam et detestandam esse.

Obiicitur et hoc, quod saepe imperia rapiant et teneant improbi, quod multum sit vitiorum et confusionum in imperiis. Ex hac parte argumentantur fanatici spiritus, imperia in universum res malas et a Deo damnatas esse.

Respondeas autem non esse veram et firmam ratiocinationem a dicto secundum quid ad dictum simpliciter. In generatione accedunt multae vitiosae cupiditates; Ergo generatio in universum a Deo damnata est. Supra monui ordinem politicum discernendum esse a confusionibus, quae aliunde admiscentur, partim a Diabolo, partim ab hominum malitia, partim a communi infirmitate hominum, ut fit in aliis vitae generibus ac gubernationibus a Deo ordinatis.

Nemo dubitat Ecclesiasticam gubernationem a Deo institutam esse, at quantum accedit confusionum aliunde! Et tamen vox Evangelii est efficax et Deo aeternam Ecclesiam colligit et audienda ac veneranda est. Adde exemplum Coniugii et procreationis. Omnes sani fatentur Coniugium a Deo institutum esse eique placere ac iuvari ab eo procreationem, ut scriptum est: In ipso sumus, vivimus et movemur. At quam multi sunt crudeles mariti, patres negligentes liberorum et ἄστοργοι, non curantes institui liberos ad agnitionem Dei! Haec vitia, quae aliunde accedunt, a coniugii ordine et a procreatione discernantur. Fugiamus Manichaeos et Anabaptisticos furores, ac discamus Deo tribuere res ab ipso vere conditas et ordinatas, quae erunt gratiores, cum vitia segregantur, quae non a Deo, sed a Diabolo et hominum malitia vel infirmitate oriuntur. Et de his tenendae sunt consolationes a Deo traditae, ut nunc certe pios oppressos vel Turcica tyrannide vel aliis imperiis discedentibus a legitima moderatione commonefacere necesse est, quae miseriae, quomodo ferendae sint, et quae mandata detrectanda.

Ac praecipue nunc tempora postulant moneri bonas mentes, ut agnoscant in hac senecta mundi imperia multo plus habitura esse confusionum, quam initio habuerunt, ut statua apud Danielem significat, in qua Primum imperium est aureum, Secundum argenteum, Tertium aeneum, Quartum ferreum. Planta partim ferrea est, partim testacea. Erit igitur languidior virtus. Et experientia Platonem movit, ut diceret certam esse periodum cuiusque civitatis et cuiusque regni, qua circumacta ait naturam non progredi ulterius; ut, cum planus numerus fit solidus, ventum est ad metam, nec sequuntur cubici, ut cum positis 6. fit solidus 18. non sequuntur cubici.

Et quidem hunc sermonem attribuit Plato Musis, quia caussam esse mutationis regnorum praecipuam non hominum scelera, sed arcanum ac [69]) fatalem naturae ordinem varie miscentem materiam existimat. Sed doctrina coelestis saepe clamitat, ruinas imperiorum accersi humanis furoribus ac atrocium flagitiorum poenas esse, sicut scriptum est Ecclesiastic. 10. [vs. 8.] Regnum a gente ad gentem transfertur propter hominum iniustitiam et dolos. Haec ad obiectionem, quam recensui, breviter respondi, ut admoniti pii discernant ordinem a Deo institutum a confusionibus, quae aliunde accedunt, et discant sapienter ferre servitutem, quae poena est velut carcer humanorum delictorum.

Secunda regula. Et concessum est Christianis facere oeconomica et politica opera, et necesse est eos iuxta vocationem in [70]) illis officiis servire civili vitae. Et cum pii praestant ea officia, ut Deo obediant, placent illa Deo et sunt cultus Dei et complectuntur multas magnas virtutes. Recte igitur et pie facit Christianus, cum iuxta vocationem gerit magistratus, [71]) exercet iudicia, militat, accusat nocentem in foro, dicit caussam, legitimo supplicio afficit iuste condemnatos. Haec intelligere magistratus et iudices, qui Deum non contemnunt, necesse est.

Ac primum de necessitate testimonia perspicua sunt, quod videlicet necesse sit cives etiam eos, qui vere credunt Evangelio, facere politica officia iuxta vocationem. Rom. 13. [vs. 5.] Necesse est obedire non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Luc. 3. [vs. 14.] Neminem concutiatis, neque calumniemini, [72]) et contenti estote stipendiis vestris. Ies. 1. [vs. 17.] Quaerite iudicium, iudicate pupillo, defendite viduam. Ac observet similia dicta stndiosus lector in aliis locis, saepe enim haec praecepta repetuntur.

Quod autem sint cultus Dei, saepe monent Prophetae. Taxant enim superstitionem, quae iudicat solas ceremonias esse cultus Dei et negligentiam parit in officiis civilibus. Imo monachi vitam oeconomicam et politicam vix Deo placere posse putabant. Anteferunt ergo Prophetae ceremoniis officia politica et his affirmant promitti praemia. Ies. 1. [vs. 17.] Holocausta vestra nolo, quaerite iudicium, iudicate pupillo etc. Ies. 58. [vs. 7.] Frange esurienti panem. Mich. 6. [vs 7.] Numquid placari potest Dominus millibus arietum? Indicabo tibi, homo, quid sit bonum, facere iudicium, diligere misericordiam et in timore ambulare coram Deo tuo. Zach. 7. [vs. 6.] Nonne cum com-

69) ac] Ed. 25., Corp. 1—8. et

70) in *abest ab* Editt. 1. 3.

71) gerit magistratus,] Editt. 18—20. 22—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2. magistratus gerit,

72) calumniemini,] Editt. 1—4. 6. 7. 9. 12. calumniamini,

edistis et bibistis, vobis comedistis etc. Haec dicit Dominus: Iudicium verum iudicate, viduam, pupillum, advenam et pauperem nolite calumniari etc.

Decus horum operum ita magis intelligetur, cum ipse ordo politicus et caussae ordinis considerantur. Deus condidit genus humanum ad societatem et huius societatis vincula esse voluit generationem, educationem, gubernationem, contractus, artes. Nec solus vir gignit nec sola mulier, nec genita soboles sine aliena ope vitam retinet. Colligata est ergo hominum natura aeternis vinculis. Sed ad quem finem praecipuum? Ad hunc: ut ad generationem et educationem opus est societate, ita coetu opus est ad docendum. Vult Deus agnosci et celebrari, ut igitur alii alios de Deo et de aliis rebus bonis doceant, conditi sunt homines ad societatem, cuius vincula sunt Magistratus, Leges, Politica officia.

Primum ergo in his officiis obedientia nostra erga Deum declaranda est.

Secundo luceat in societate confessio nostra. Ideo enim praecipue ad societatem conditi sumus, ut late propagetur notitia Dei et Filii eius, Domini nostri, Iesu Christi. Ostende, quid sentias de Deo, ac testeris te propter iudicium Dei vera profiteri et iusta facere.

Tertio cum plenae sint aerumnarum et periculorum ingentium oeconomiae et politiae, (ferreus est enim, [73]) qui generationis et educationis pericula non considerat; Deinde quanta moles est curarum in curia, in castris!) In his miseriis et periculis luceant Fides et Invocatio. Ideo enim his difficultatibus onerata est infirma hominum natura, ut admoniti de Fide et de [74]) Invocatione late spargamus Dei notitiam. Fiunt ergo cultus Dei labores oeconomici et politici, et quia ad hunc finem referuntur, ut Deo praestetur obedientia, et quia his ipsis laboribus misceri oportet invocationem Dei. Sicut David proeliaturus et Salomon regnum suum inchoans Deum invocant, et in Psalmo [19, 8.] dicitur: Illi in curribus et in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri [75]) invocabimus.

Quarto exercentur in his laboribus dilectio erga proximum, tolerantia et pietas in retinenda possessione doctrinae de Deo. Miscentur igitur multae virtutes laboribus oeconomicis et politicis, propter quas fiunt sacrificia seu cultus Dei, id est, opera, quibus Deus iudicat se honore affici.

Quid agit David proelians?

Primum agnoscit se obedientiam Deo in hac vocatione debere, hoc est, in hoc gradu politico, in quem collocatus est. Secundo profitetur se civem esse populi Israël et invocare Deum aeternum, qui se patefecit et verbum suum Israelitis tradidit certis testimoniis. Tertio in periculis fidem suam exercet et Deum invocat. Quarto servit hoc labore suis civibus, imo dimicat pro illis parietibus, intra quos sedent pueri et puellae discentes lectionem Prophetarum ut conservetur et propagetur doctrina coelestis. Interim quam multae aliae virtutes accedunt, iustitia, tolerantia, mansuetudo et aliae virtutes gubernatori necessariae! Quinto ad has virtutes, quia recensui, accedit in his laboribus aliud ingens bonum, scilicet testimonium praesentiae Dei, quo timor et fides confirmantur. Videmus puniri latrones et tyrannos, experimur Deum custodire politias, quae sunt hospitia Ecclesiae, experiuntur Iesaias et Ezechias exaudiri suas preces pro politia, quam gubernabant. Et David testatur adesse Deum gubernantibus inquiens [Psalm. 17, 35.]: Benedictus Deus, qui docuit manus meas ad bellum; Item [Ps. 143, 10.], qui dat salutem regibus.

Hae caussae et hi fines laborum oeconomicorum et politicorum saepe cogitandi sunt piis, et faciendae collationes politicae vitae et Monasticae, Item pii gubernatoris et impii.

Caussa mandans obedientiam in munere politico est Deus. Hic fit mentio caussae efficientis. Caussa finalis, ut luceat confessio in societate. *Συναίτιον* fides petens gubernationem in laboribus et periculis. Caussae finales ulteriores, ut serviatur proximo, Item, ut defendatur possessio doctrinae coelestis. Effectus testimonia praesentiae Dei, quae timorem et fidem augent. Harum caussarum et effectuum cogitatio ornat eitam politicam et pios consolatur in hac magnitudine laborum et accendit timorem Dei et fidem in mentibus.

Iam confer Davidem et Eremitam. Eremita tanquam ex acie fugit ex ordine politico nec praestat Deo obedientiam, quam communi societati debet. Fugit autem ideo in solitudinem, ut labores, pericula, incertos eventus negotiorum, iniurias, ingratitudines, denique ut molem curarum et dolorum vitet. Simul igitur fugit fidei, invocationis et confessionis exercitia, nec servit proximis, non docet, non confert operam ad retinendam possessionem doctrinae. Qualis autem esset vita, quomodo excolerentur aut propagarentur artes, qualis esset generatio, quae defensio puerperarum et infantum, si omnes boni vellent esse Eremitae? Reiiciamus ergo vitae genus, quod obedientiam Deo debitam in communi societate iuvanda et tuenda negligit.

Hic etiam militem pium et profanum confer. Cum Celsus calumniaretur Evangelium de prohibitione vindictae ac diceret, militiam prohiberi, re-

73) enim, *abest ab* Editt. 26. 27., Corp. 1—8.

74) de *abest ab* Editt. 20. 25—27., Corp. 1—8.

75) nostri *abest ab* Editt. 22. 24. 28. 29. 31—33., Opp. 1. 2.

spondit Origenes Christianam militiam esse pro imperiis Deum precari. Etsi de parte officiorum nostrorum recte Origenes respondit, tamen non satis dixit. Utrumque erat complectendum, et dimicat in acie Christianus iuxta vocationem, et arma invocatione Dei adiuvat, ut David invasurus Goliath instruit se precibus et funda. Antecellit igitur Christianus miles profano. Praeterea fines differunt. David proeliatur, ut defendat coelestem doctrinam. Iulius proeliatur, ut suam dignitatem defendat. Sic antecellit gubernator Iesaias Ciceroni: Cicero ad gubernationem tantum sua consilia seu prudentiam suam et diligentiam affert, Iesaias vero et preces et prudentiam, et saepe clamitat, ut scribitur 2. Paral. 20. [vs. 12.] Cum ignoramus, quid faciendum sit, oculos nostros ad te attollimus.

Haec de secunda regula breviter dixi, quae pii lectores diligenter expendant, ut discant vitae politicae dignitatem intelligere, et considerent, quid intersit inter politicum virum pium et profanum.

Tertia regula. Evangelium non praecipit, ut nostrae politiae regantur legibus forensibus Moysi, nec novam aliquam corporalem politiam constituit, sed iubet nos praesentibus magistratibus ac legibus obtemperare, quae tamen non pugnant cum legibus naturae, et praecipit, ut praesentes politias tueri et ornare studeamus. Sic enim inquit diserte Paulus [Rom. 13, 1.]: Omnis anima potestati, quae praeest, hoc est, praesenti potestati obediat. Hanc regulam ideo recensui, quia memini multos, Monetarium, Struthium et alios, qui contendebant Christianos oportere controversias forenses iudicare ex legibus Mosaicis et abolendum esse ius Romanum, quo nunc in foro utimur: Hoc quid erat aliud, quam restituere politiam Mosaicam, quam ut Deus ostenderet non oportere perpetuam esse, funditus et horribili exemplo delevit?

Saepe iam dictum est Evangelium concionari de iustitia spirituali et aeterna, ut Paulus inquit: Evangelium est ministerium spiritus, nec constituit certam corporalem politiam, sed sinit nos uti dissimilibus politiis Gentium ut dissimilibus dierum spatiis, modo ut leges non pugnent cum iure naturae, sed approbent honesta facta et puniant turpia. Nam hanc regulam iudex Christianus sequi debet, quam et Paulus recitat Rom. 13. [vss. 2 sq.] Magistratus tribuat honorem recte factis et puniat turpia. Quae vero sint honesta, quae turpia in moribus, diiudicat lex naturae.

Deinde nihil interest Ecclesiae in his, quae sunt iuris positivi, quod leges Gallicae in poenis aut divisionibus haereditatum aut successionibus dissimiles sunt Germanicis. Utatur Christianus in Armenia legibus politicis eius Gentis, at in civitate Veneta utatur legibus Venetis. Memini, qui nolebant ullos fures capitali supplici afficio, quia lex Moysi punit furem quadruplo. Etsi grassatorem, ut latronem, etiam vetustae leges capitali supplicio afficiebant, et hac ratione quidam legi usitatae non imprudenter patrocinantur, quia in his barbaricis gentibus fures plerumque sunt grassatores et telis et voluntate nocendi armati, ut latrones; tamen iudex Christianus et hoc consideret, satis esse, si lex congruat ad hanc regulam, ut turpia facta puniat, Deinde gradus permittendos esse legum conditoribus, severius puniendos esse fures in iis Gentibus, ubi disciplina laxior est, quam alibi, ubi fuerunt alia multa disciplinae vincula. Nec Deus improbat severitatem, quia peccata nostra sine dubio merentur mortem iudicio Dei. Lex Moysi filium helluonem et contumacem vult ad iudices adduci et condemnatum interfici. Haec lex honestissima nunc nimis tristis diceretur, quae tamen ostendit Deo placere disciplinae severitatem. Omitto hic longiorem disputationem; Nam haec recensui tantum ad commonefaciendos rudiores, ne moveantur clamoribus illorum, qui contendunt rursus in forum leges Mosaicas invehendas esse et ius Romanum abolendum esse.

Et de usitata πολυπραγμοσύνῃ iuvenilium ingeniorum, vetera instituta mediocria reprehendere, novas leges ferre, expeditiorem ordinem cognitionum in iudiciis praescribere, regere forum tanquam aedilitiis edictis, statuere rerum venalium pretia, ut memini Mustelam aulas docere de ordine cognitionum. Nec ego nunc diligentiam sapientum gubernatorum reprehendo, sed iuvenilem πολυπραγμοσύνην, quam frenare utile est praesertim in iis, qui ministerio Evangelii funguntur. Hi proponant doctrinam de vera Dei invocatione [76]) et de ceteris officiis pietatis. Iudiciorum autem et fori gubernationem sciant aliis artificibus commendatam esse, et praecepti usitati meminerint, ut suam quisque Spartam ornet. Ut apud Aristophanem Cleon dicitur alterum pedem in curia, alterum in castris habere, ita isti inquieti [77]) alterum pedem in curia, alterum in Ecclesia habent, et interdum perinde condunt civitatem, ut simia in fabula Hermogenis, quae aliquando capta ab hominibus viderat urbes, domos, hominum congressus, theatra, spectacula, ludos. Redit igitur ad simias ac narrat, quid viderit, hortatur, ut hominum imitatione condant domos, quibus tegantur contra tempestates, et addant moenia adversus leones, lupos, homines. Nec tantum haec utilitas proponitur, sed commemorantur theatra et spectacula. Horum imitatio magnas voluptates paritura videbatur. Placet igitur consilium. Et dimittunt vetulae simiae iuniores ad materiam caedendam aut saxa convehenda. Sed hic deprehendunt stul-

---

76) invocatione] Editt. 1. 3. agnitione et invocatione

77) inquieti etc.] Editt. 1. 3. curiosi

titiam suam simiae, deerant secures, et ratio nulla erat vel caedendae materiae vel coagmentandi lapides, denique ars tota Architectonica deerat, res igitur coëgit eas id, quod stulte instituerant, omittere. Tales Architectos civitatum multos vidimus, Struthium, Mustelam et alios. Meminerint ergo saniores praeceptum in hac tertia regula traditum, nec temere de politicis institutis, quae non continent manifestam turpitudinem, contendant.

Quarta regula. Evangelii doctrina adeo severe praecipit de obedientia, ut affirmet peccatum mortale esse, non obedire mandatis legitimi magistratus, si tamen non iubeant facere contra mandata Dei.

Haec regula expresse traditur Rom. 13. [vs. 5.] Necesse est obedire non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Primum docet esse necessarium opus, deinde necessitatem declarat. Non solum propter iram, inquit, id est, propter poenam corporalem, qua magistratus afficit contumaces, sed etiam propter conscientiam necesse est obedire. Testatur ergo contumacia offendi Deum et conscientiam ream fieri, quia Deus hanc obedientiam flagitat.

Hic expende, quantum malum sit, conscientiam ream iudicari a Deo, deseri hominem et non regi nec defendi a Deo, sed poenis in hac vita et, nisi resipiscat, perpetuae irae post hanc vitam obnoxium fieri. Nam regulam hanc servat Deus, ut atrocem contumaciam etiam in hac vita atrocibus exemplis puniat, ut ostendunt historiae Absolon [78]), Semei, Ioab et aliae innumerabiles. Hic prudens lector conferat Philosophorum politica ad hanc Pauli concionem. Quae literae Philosophorum ita munierunt Magistratum, ordinem politicum et pacem, sicut haec Pauli concio? Haec est murus firmissimus Magistratuum. Nam bonorum omnium et mediocrium animi non terrore aut potentia Magistratuum, sed hac doctrina coelesti cogi se iudicant, ut reverenter obediant voci legum et magistratuum et imperia venerentur.

Ac leges ipsae imperiorum tantum externam obedientiam in militia et in pace, labores corporum, collationem tributorum et iusta officia externa in tota civili consuetudine postulant. Sed doctrina coelestis amplius flagitat, iubet honore affici magistratus. Hic gradus obedientiae summus est, non tantum externa officia tribuere, sed etiam honorificam opinionem in mente et benevolentiam. Nam haec duo praecipue significat vocabulum Honoris. Honorifica opinio haec continet, quod totus ordo politicus, imperia et magistratus sint res a Deo institutae et approbatae et defendantur ope divina, et quod Deus velit humanum genus hac civili forma vitae regi et frenari libertatem et in ipsa gubernatione multa exempla conspici sui iudicii de sceleribus hominum, ut poenae homicidarum, incestorum, tyrannorum, periurorum manifeste testantur Deum his sceleribus irasci. Est ergo honorifica opinio, politicum ordinem, imperia, magistratus, leges, iudicia, poenas esse opera Dei, in quibus sapientia Dei, iustitia et bonitas erga genus humanum conspiciuntur. Altera pars honoris est, quia hae res sunt divinae, voluntas nostra ultro et vero studio se subiiciat imperiis propter Deum, et amet has res et ipsos magistratus, custodes politici ordinis. Haec est sententia praecepti, quod iubet honorem tribui magistratibus.

Supra autem monui discernendas esse res et personas. Agnoscebat Paulus et certo sciebat imperium Romanum singulari Dei consilio et ope constitutum esse, et ipsum ordinem ac leges amabat et venerabatur, sed Neronem ut teterrimam pestem et Diaboli organum oderat ac execrabatur et tolli eum a Deo petebat, sicut et accidit. Etsi enim prius ab eo Paulus interfectus est mirabili Dei consilio permittentis, ut a tali tam tetro, turpi et exécrando portento Apostolus Deo carus et donis amplissimis ornatus, et per quem magna pars Ecclesiae collecta erat, necaretur, tamen eodem anno sibi ipsi Nero mortem conscivit.

Ceterum hic honos praecipuus est, Deum pro politia et magistratibus invocare, quod certe facient ardenter isti, qui vere cogitant politicum ordinem opus et donum Dei esse et bonos magistratus a Deo excitari et iuvari, sicut fit. Non enim durabiles essent politiae et artes, nisi subinde a Deo excitarentur instauratores, ut post Manassen [79]) collapsum fere regnum restituit Iosias. Haec beneficia Dei qui considerant, veris et ardentibus precibus imperia adiuvant, sicut et Paulus praecipit 1. Tim. 2. [vs. 2.] Adhortor vos precari pro regibus et omnibus, qui [80]) praesunt etc. Finis etiam additur, ut vita sit tranquilla, non ut in otio voluptatibus fruamur, sed ut regantur mores disciplina et doceri Evangelium ac propagari possit et Ecclesiae crescant et nomen Dei et Domini nostri Iesu Christi celebretur. Praecipit et Ieremias cap. 29. [vs. 7.] orari pro regno Babylonico: Quaerite pacem civitatis, in qua eritis in exilio, et orate pro ea ad dominum, quia in pace illius erit vobis pax.

Addo et hanc regulam traditam voce Apostolorum [Act. 5, 29.]: Oportet Deo magis obedire, quam hominibus. Cum igitur mandant homines seu Reges seu Principes seu Pontifices, ut faciamus contra mandata Dei, non est obediendum, sed man-

78) Absolon] Editt. 1—9. Absalon

79) Manassen] sic Editt. 1—4. 6. 7. 9. 12. 18—20. 23. 25—27. Corp. 1—8., Opp. 1. 2.; ceterae Editt.: Manassem

80) qui] Editt. 1. 3. quae

datum Dei anteferendum est, ut docet historia Danielis tertio.

Dixi praecipua, quae in Ecclesia de caussis et dignitate politici ordinis et magistratuum sciri necesse est. Nunc etiam multa de officiis gubernatorum dicenda essent, sed non est nostri instituti complecti totam politicam doctrinam. Extant libri Philosophorum et Iurisconsultorum, qui continent officia magistratuum. Nos tamen brevi regula summam indicabimus. Aristoteles erudite tradidit definitionem magistratus paucissimis verbis, quae tamen evoluta continet amplissimam doctrinam: ἄρχων ἐστὶ φύλαξ νόμου. Cum quaeres, quae sint officia Magistratuum, cogita hanc definitionem, et tibi pingito magistratum, cui de collo pendeant tabulae duae legis Moysi. Harum custos esse debet Politicus gubernator, quod ad externam disciplinam attinet. Nam hae sunt summae leges, ex quibus ceterae honestae leges omnes, (ut necesse est plures esse, quae vitam Politicam et Forum regant,) tanquam ex fontibus derivantur.

Cum igitur Magistratus sit custos legum, obtemperet eis ipse et alios obtemperare cogat et earum auctoritatem fortiter defendat. Ideo enim a Deo armatus est gladio. Ac ut discrimen intelligatur Ecclesiastici gubernatoris et Politici, et simul officia conspiciantur, hanc trado definitionem politici magistratus: Magistratus est Minister Dei custodiens honestam disciplinam externam sui coetus et pacem ac [81]) coërcens ac puniens contumaces legitimis poenis corporum.

Hic differentiae comparent inter Evangelii doctorem et Magistratum. Evangelii doctor proponit verbum Dei et administrat Sacramenta, per quae Deus audientes vocat ad vitam aeternam, et est in eis efficax. Deinde coërcet et punit tantum verbo Dei, scilicet voce Evangelii et excommunicatione, sine vi corporali. At Magistratus custos est externae disciplinae et pacis, et armatus gladio coërcet et punit contumaces legitimis poenis corporum.

Cum autem dico, Magistratum disciplinae custodem esse, intellige utramque tabulam Decalogi ei custodiendam esse, id est, Non tantum est pacis custos, velut armentarius, nec tantum ventri, sed primum gloriae Dei serviat, quod ad externos mores attinet. Ut omnes politiae sanxerunt poenas adversus periuros, multae etiam apud Ethnicos sanxerunt poenas adversus Epicureos seu Atheos, qui palam dixerunt nihil esse Deum aut nullam esse providentiam Dei. Sed nos legem Dei sequamur, quae ait [Levit. 19, 4.]: Fugite idola. Item Lev. 24. [vs. 16.] Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur. Deut. 12. [vs. 3.] Evertite aras idolorum etc. Deut. 18. [vs. 10.] Non sint magi aut incantatores in terra.

Haec praecepta sunt iuris naturae et pertinent ad secundum praeceptum: Non usurpabis nomen Dei vane. Nec enim habebit Dominus hunc insontem, qui nomen Dei vane usurpaverit. Haec sententia omnibus hominibus, imo omnibus creaturis intelligentibus concionatur. Suo quisque loco prohibere manifestas Dei contumelias debet. Quare et magistratus prohibere et punire debent Epicureos sermones, idolorum honores, periuria, foedera daemonum, professionem impiorum dogmatum. Id praecipiunt et haec dicta [Psalm. 2, 10 sq.]: Et nunc, reges, intelligite, erudimini, qui iudicatis terram. Servite Domino etc. Et Prov. 25. [vs. 5.] Aufer impietatem a vultu regis, et firmabitur iustitia thronus eius. Et 1. Reg. 2. [1. Sam. 2, 30.] Glorificantes me glorificabo et contemnentes me reddam contemptos.

Ideo non solum reges pii in Iuda, sed etiam aliarum gentium Reges, postquam didicerunt veram de Deo doctrinam, prohibuerunt contumelias veri Dei, ut Nabuchodonosor [82]) et Darius Medus. Ita et Constantinus et Theodosius recte fecerunt, cum delerent idola. Etsi enim magistratus non iudicat nec mutat arcanas opiniones in mente, tamen externa delicta prohibere debet propter gloriam Dei, et ne plures corrumpantur licentia et exemplis.

Quare Reges, Principes et Magistratus etiam hoc tempore inspiciant Ecclesias et curent eas recte doceri, ut flectantur animi hominum ad veram Dei invocationem et ad alia pietatis officia, et prohibeant coli idola ac doceri et confirmari falsas opiniones pugnantes cum Evangelio, a quocunque genere hominum sparguntur [83]). Obtemperemus voci aeterni Patris praecipienti de Domino nostro Iesu Christo [Luc. 9, 35.] Hunc audite. Amplectamur ergo et illustremus Evangelium Domini nostri Iesu Christi, reiectis Ethnicis, Iudaicis, Turcicis et Haereticis furoribus. Auferant principes ex Ecclesia Ethnicam doctrinam Papae, Ethnicos ritus invocationis mortuorum et horrendas profanationes Coenae Domini. Id praecipiunt mandata Dei aeterna et immutabilia: Non assumes nomen Domini tui vane. Item: Hunc audite. Impertit Deus magistratibus societatem sui nominis hanc ipsam ob caussam, ut res divinas, id est, veram Dei notitiam et invocationem, iustitiam et pacem tueantur. Quomodo dici possunt vicarii Dei, si Dominum nec agnoscant ipsi nec ab aliis agnosci curent?

Alibi [84]) autem longiore disputatione ostendi

81) ac] Editt. 1. 3. et

82) Nabuchodonosor] Editt. 1. 3. Nabogdonosor

83) sparguntur] Editt. 26. 27., Corp. 1—8. spargantur

84) Scil. in tractatu: „De officio Principum, quod mandatum Dei

pertinere emendationem Ecclesiarum ad magistratus officium, praesertim cessantibus Episcopis aut adversantibus Evangelio. Quod enim aliqui dicunt Magistratum profanum non esse iudicem controversiarum de dogmatibus; vera et explicata responsio est, Ecclesiam esse iudicem et sequi normam Evangelii in iudicando. Cum autem Magistratus pius vere sit membrum Ecclesiae, iudicet et ipse cum aliis piis et eruditis iuxta normam, quam dixi. Omnibus Ecclesiae membris dictum est: Cavete a Pseudoprophetis. Item [Galat. 1, 9.]: Si quis aliud Evangelium docebit, anathema sit. Quare ut ceteri pii, ita Magistratus considerent dogmata, et si quis falsas et impias opiniones serit aut defendit, hunc iudicent esse anathema aut[84a]) compescant. Valde errant principes, si hanc curam non pertinere ad se arbitrantur.

De ceteris officiis magistratuum, id est, de morum civilium gubernatione, de pacis defensione, de forensi seu Praetorio munere, de severitate, de ἐπιεικείᾳ, de oeconomico[85]) seu de quaestorio munere dicendum est ab aliis artificibus, videlicet a Iurisconsultis. Evangelium monstrat caussas et dignitatem politici ordinis, et in genere docet Magistratus, ut obtemperent mandatis Dei, quia pariter Deus praecipit Regibus, Principibus et Populo, pariter iudicabit Reges, Principes et populum, sicut scriptum est [Marc. 16, 15.]: Ite, praedicate Evangelium omni creaturae. Et Zach. 10. [vs. 3.] dicitur: Super pastores iratus est furor meus. Et Mich. 3. [vss. 9. 12.] Audite, principes domus Iacob, propter vos Sion quasi ager arabitur. Et Ezech. 33. [34, 7. 9.] Propterea, pastores, audite verbum Domini etc.

Tantum unam admonitionem adiiciam. Non licet Regibus, Principibus et Magistratibus facere contra ius divinum et contra ius naturae. Est autem et divini et naturalis iuris hoc praeceptum [Exod. 20, 15.]: Non furtum facies. Haec vox discernit dominia et suas cuiusque possessiones, fundos et res proprias cingit tanquam murus. Habet autem et populus res aliquas proprias iure divino et humano. Ab his arcet principes lex illa: Non furtum facies. Non existiment Reges et Principes licere sibi ex facultatibus subditorum, quantum volunt, rapere aut nihil esse civibus proprium.

Deus in Lege sua distinxerat dominia Israëlitarum et[86]) sanxit libertatem. Quare non licuit Achab aut cogere Naboth ad venditionem vineae aut expellere eum ex possessione[87]); Sed hac lege arcebatur ab alieno: Non furtum facies. Et Deus vindex nominatim taxat hanc iniuriam, quod Achab alienam vineam occupavit, et punit eum memorabili exemplo, ut principes moneat, ut parcant civium facultatibus, sicut Baptista dixit [Luc. 3, 14.]: Estote contenti stipendiis vestris. Debet populus ordinaria tributa, ut Paulus docet Rom. 13.[88]) [vss. 6 sq.], quae Baptista vocat stipendia. Et cum Reipublicae defensio et aliqua probabilis caussa novas collationes postulat, cives opitulari Ecclesiis et patriae iustum est.

Locus vero in historia Samuelis [1. Sam. 8, 11—18.] de iure regum loquitur de stipendiis. Non concedit infinitam licentiam principibus rapiendi ex bonis civium, quantum volunt, quia tenent quaedam propria iure divino et humano.

Restant et quaestiones de contractibus, de quibus in genere sciant pii, Contractus esse partem politici ordinis et res bonas a Deo ordinatas. Imo pulcherrima imago iudicii et voluntatis Dei impressa est contractibus. In his docet nos Deus iustitiam aequalitatem esse, ut cogitantes de voluntate Dei sciamus eam iustam, id est, aequalem esse aequalibus. Tyranni non sunt aequales aequalibus, sed aliquos privato affectu complectuntur, ceteros seu pares seu meliores negligunt. Haec inaequalitas vocatur προςωποληψία, quae non est in Deo, sed scito Deum aequalem esse et tibi et latroni in cruce et Moysi et Eliae. Regulam proposuit, iuxta quam servat aequalitatem, irascitur peccato in omnibus, ac rursus certo recipit omnes confugientes ad Mediatorem Christum.

Cernitur et exemplum iustitiae Dei et aequalitatis in placatione irae Dei. Non sunt remissa peccata, nisi aequale λύτρον esset pro nobis, scilicet filius Dei. De hac aequalitate quotidiani contractus, emptiones, venditiones, mutationes, locationes, conductiones, deinde et delictorum compensationes nos[89]) admoneant.

Postremo haec ipsa aequalitas, quae in contractibus postulatur, docet nos de dilectione proximi et interpretatio est particulae, Sicut, in hoc mandato [Matth. 19, 19.]: Dilige proximum sicut te ipsum, id est, sit aequalitas inter te et proximum, non augeas tua commoda cum illius incommodo, non premas eum, ut tua existimatio crescat, non

---

praecipiat eis tollere abusus Ecclesiasticos" primum Vitebergae 1539. 8. separatim edito, postea Philosophiae moralis epitomae inserto, ubi sic inscriptus est: „An principes debeant mutare impios cultus, cessantibus aut prohibentibus episcopis, aut superioribus dominis," in huius Corp. Vol. XVI. p. 85 sqq.

84a) aut] Editt. 1—9. 12. ac

85) oeconomico] Editt. 1—16. 19. Oeconomia

86) et *abest ab* Editt. 10. 11. 13. 15 — 18. 20 — 22 24. 25 28—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2.

87) possessione] Editt. 16. 17. 21. 22. 24. 28 — 34., Opp. 1. 2. possesso

88) 13.] Editt. 1—16. 19. male; 14.

89) nos *abest ab* Editt. 1. 3.

decerpas de eius facultatibus, ut tuas cumules, denique nulla in re quaeras πλεονεκτήματα, sed ames aequalitatem, tribuas proximo ea, quae tibi tribuenda esse iudicas.

Dixi autem alias [90]) de contractibus, et nunc hanc regulam trado, ex fontibus doctrinae iuris intelligi posse, qui contractus sint approbandi, et in quibus servetur aequalitas illa, quam sapiens et iustus iurisconsultus efficiendam esse censet.

Hic, etsi nostrae cohortationes non multum auctoritatis habent, tamen hoc addam, ad Principum officium praecipue pertinere curam literarum et scholarum, in quibus literae et artes Ecclesiae necessariae traduntur, iuvandarum. Ideo Ies. 49. [vs. 23.] dicitur: Et erunt reges nutritores tui et reginae nutrices tuae, id est, reges et principes; Item, Reginae, id est, respublicae seu civitates praebeant hospitium et alimenta Ecclesiis, et foveant doctores ac discipulos doctrinae de Deo et earum artium, quae Ecclesiae necessariae sunt. Pro hoc officio magna praemia proposita sunt. Matth. 10. [vs. 42.] Qui aquae [91]) potum dabit uni ex minimis istis in nomine discipuli, id est, iuvandae doctrinae caussa; Amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

His praeceptis et promissionibus, ut gubernatores moveantur ac invitentur ad literarum studia iuvanda, faciat Dominus noster Iesus Christus, qui certe alicubi aliquas scholas et literarum reliquias servabit. Nam cum Ecclesiam promiserit mansuram esse, etsi in hac postrema mundi senecta plus erit confusionum, tamen aliqua hospitia, aliquas politias et scholas habituram esse certum est. Et hac spe studia literarum colamus et Deum aeternum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, oremus, ut nostros labores in docendo et discendo regat et adiuvet ac faciat nos ὄργανα misericordiae salutaria Ecclesiae Dei et nobis.

[XXI.]

DE CEREMONIIS HUMANIS IN ECCLESIA.

Tota superior pars huius operis primum dogmata propria Ecclesiae de Deo et de rebus aeternis, de lege Dei, de Peccato, de Evangelio, de Gratia, Iustitia et Sacramentis, postea etiam doctrinam de vita civili recitat. Nunc de gradu operum dicemus longe posito infra doctrinam et opera, de quibus supra dictum est, videlicet de ceremoniis, quae institutae sunt humana auctoritate in Ecclesia, quarum magna sunt discrimina. Aliquae enim utiles sunt ad bonum ordinem. Ut enim in scholis distribuuntur horae et materiae lectionum et fiunt classes discentium, seu ut paterfamilias ordinem pueris praescribit, quo primum mane preces recitant, deinde sumpto ientaculo discunt literas, postea faciunt operas aliquas domesticas; ita in publicis congressibus Ecclesiae ordinem aliquem natura hominum requirit.

Sed praeter has utiles ceremonias, quae propter εὐταξίαν institutae sunt, subinde homines omnibus aetatibus multas addiderunt partim superstitione partim avaritia partim consiliis tyrannicis. Et quaedam aperte pugnant cum mandatis divinis.

Cum autem humana infirmitas hos ritus ita admiretur, ut existimet eos summa opera esse placantia iram Dei, et horum admiratione fascinata lucem Evangelii de Mediatore Christo et de fide amittat, et sequantur magnae tenebrae et discordiae in Ecclesia Dei, necesse est de his legibus et operibus iudicium Evangelii proponi et illustrari.

Ac primum admoneo lectorem in hoc loco non dici de legibus Magistratuum civilium aut officiis civilibus, quae proprie pertinent ad gubernationem Magistratuum civilium et instituta sunt ad defensionem communem pacis et imperiorum tranquillitatem, sed de earum legum auctoritate loquimur, quae ab hominibus in Ecclesia conditae sunt et iudicantur esse seu exercitia peculiaria pietatis seu cultus Dei, ut coelibatus, certae formae ieiuniorum, βαττολογίαι etc.

Etsi autem viri politici non amantes Evangelium tragice queruntur labefactari legum auctoritatem, quia aliquae laxantur, et disputant exemplum perniciosum esse, tamen necesse est anteferri his querelis gloriam Christi et salutem piorum, quos erudiri necesse est, ut lux Evangelii retineatur et discrimen conspiciatur inter necessarios cultus Dei et commenticias superstitiones.

Nec illa nos caussa ab hac explicatione deterreat, quod multi abutuntur doctrina libertatis. Sed de utraque re acerrime pugnandum est in docendo, necessaria doctrina divinitus tradita pure et fideliter exponenda est, et abusus, qualescunque sunt, severe taxandi sunt, et castigandi sunt, qui praetextu huius libertatis, quae Christi sanguine parta est, indulgent pravis cupiditatibus et mores accersunt, qui homines moderatos ab Evangelio deterrent.

Tres igitur regulas recensebo.

Prima Regula. Ut Heva peccavit obtemperans

90) Scil. in dissertatione: „De contractibus" Philosophiae moralis epitomae annexa, in huius Corp. Vol. XVI. p. 495 sqq.

91) aquae *abest ab* Editt. 1—7. 9.

Diabolo hortanti, ut contra Dei mandatum [92]) faceret; Ita peccant omnes, qui obtemperant legibus aut edictis, quae iubent facere contra mandata Dei, sive leges illae ab Episcopis sive a Regibus sive aliis Magistratibus sive a Diabolis propositae sint. Vera est enim vox Apostolorum [Act. 5, 29.]: Oportet Deo magis obedire, quam hominibus. Itaque cum rex Babylonicus iussit auream statuam adorari, necesse fuit non obtemperare, et magna fidei constantia ostendere, quae sit vera Dei adoratio, ut tres Israëlitae fecerunt, ut narrat Daniel. Ita Apostoli contra mandatum summi sacerdotis docent Evangelium Act. 5. et palam testantur anteferendum esse Dei mandatum.

Hic pii leges Pontificum et Regum edicta considerent, quae iubent facere contra mandata Dei. Passim edicta impia proponuntur, ne puram doctrinam Evangelii audiat, legat, discat populus. Coguntur sacerdotes usitato more ad profanationem multiplicem Coenae Domini in Missa. Pertinaciter retinetur invocatio mortuorum, prohibetur coniugium sacerdotibus, cum tamen non omnes sint idonei ad coelibatum, et Deus coniugium praecipiat omnibus, qui coelibes non vivunt sine aliqua labe, ut 1. Cor. 7. [vs. 2.] clare dicitur: Vitandae scortationis caussa unusquisque habeat uxorem suam, Διὰ δὲ τὰς πορνείας ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐχέτω. Et postea [vs. 9.]: κρεῖσσόν ἐστι γαμῆσαι ἢ πυροῦσθαι.

Iam cogita, quanta multitudo hominum his iniustis legibus oppressa teneatur, qui invocare Deum propter labes conscientiae non possunt et avelluntur a Deo ac ruunt in aeternum exitium. Horribiliter peccant Pontifices et Reges, cum condunt leges impedientes veram Dei invocationem, hoc est, cum aliquid praecipiunt fieri, quod sine labe conscientiae non potest fieri.

Sicut autem Heva peccavit obtemperans voci Diaboli, sic peccant reliqui, cum impias leges anteferunt mandato Dei et sinunt sibi excuti veram Dei invocationem.

Nemo magnitudinem peccatorum, quae haec tristissima servitus affert, satis deplorare potest, imo nulla est tanta hominum sapientia, quae magnitudinem horum malorum satis intelligat. Iacet oppressa magna pars eius populi, qui vocatur Ecclesia, tyrannicis legibus, quae stabiliunt idolorum cultus, errores, nefarias libidines et impediunt veram Dei invocationem. Et hae leges defenduntur magna crudelitate suppliciorum. Interficiuntur homines honesti et pii plurimi, cum aliquam impiam legem violant. Multi pii sacerdotes propter coniugium crudeliter necati sunt, cum nulla barbaries unquam propter similem caussam homines occiderit.

Etsi autem vociferantur viri politici, nullas legum mutationes concedendas esse, ne sequatur extremum malorum ἀναρχία et postea labefactentur dogmata necessaria et leges divinae, et obiiciunt vetus praeceptum, quod recitat Aristoteles in Politicis, μὴ παρορᾶν τὸ παρὰ μικρόν, Non negligenda parva initia, quibus paulatim fiunt accessiones; tamen illa aeterna et immutabilis Lex anteferenda est [Deuter. 6, 5.]: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Item [Levit. 19, 4.]: Fugite idola. Quare necesse est et [93]) in docendo taxare impias leges et contra earum edicta [94]) obtemperare mandato [95]) Dei.

Non iam de servitute corporum aut rerum dico, feramus calamitates, quas negligentia aut asperitas parit in gubernatione civili, expilationes, fori confusiones, iniurias, bellorum mala. Servitutem conscientiarum deploro, quae impedit veram invocationem et infinita agmina hominum aut in Epicureum Dei contemptum aut in aeternam desperationem impellit. Vae iis, inquit Iesaias [10, 1.], qui scribunt leges iniquas. Vae iis etiam, [96]) qui nunc aut suppliciis aut praestigiis sophismatum eas defendunt. Audet Pygius hanc turpissimam vocem edere, quae extat in eius scriptis, Minus peccare Sacerdotem scortatione se polluentem, quam ducentem uxorem. His vocibus applaudunt sapientes quidam. At nequaquam invocationi verae [97]) Dei, nequaquam saluti animarum anteferendae erant superstitiosae hominum Leges, quarum manifesta est impietas. Etsi enim vafri quidam inurere fucos erroribus conantur, tamen quaedam est adeo perspicua veritas, ut nulla Sophistica, nulla sycophantica obrui possit. Sunt ob oculos miseriae ortae ex lege de Coelibatu. Nemo sanus sine gemitu et lacrimis cogitare potest de obscuratione doctrinae de Poenitentia, de Fide, de vera Invocatione, de Profanatione Coenae Domini, de invocatione mortuorum.

Hanc de prima regula, non disputationem, (res est enim manifesta,) sed querelam abrumpere cogor, quae multo brevior et languidior est, quam qualem postulat magnitudo malorum, quae ab impiis et tyrannicis legibus in Ecclesia tot iam seculis et orta sunt et adhuc oriuntur et deinceps orientur, donec liberabit Ecclesiam suam Filius Dei Dominus noster, Iesus Christus ostendens se universo generi hu-

---

92) contra Dei mandatum] Editt. 22. 24. 28—34., Corp. 2—8., Opp. 1. 2. contra mandatum Dei

93) est et] Ed. 22. male: et est

94) edicta] Editt. 13—19. 21—24. 26—34., Opp. 1. 2. dicta

95) mandato] Editt. 1—16. 19. mandatis

96) iis etiam] Corp. 1—8. etiam iis

97) verae] Editt. 18. 20. 22. 24. 25. 28—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2. veri

mano, resuscitatis mortuis. Sed hunc Dominum [98]) oro, ut mitiget aerumnas Ecclesiae et aliquas sibi reliquias excerpat et mundet filios Levi [99]), id est, excitet passim doctores recte docentes, et non sinat extingui lucem Evangelii sui.

Secunda regula. Quaedam opera sua natura sunt *ἀδιάφορα*, quae nec praecepta sunt lege Dei, nec prohibita, ut non vesci carnibus, uti veste communi aut veste Monachorum. Etsi autem facere *ἀδιάφορα* sine superstitione concessum est, tamen legibus de adiaphoris adversandum est docendo, quia adsuuntur multi perniciosi errores, et doctrinae exempla in usu libertatis modeste ostendere pium est. Recensebo autem breviter septem errores, qui adsuuntur talibus traditionibus.

Primus error. Multi docuerunt et docent ieiunia et similes *ἀσκήσεις* mereri remissionem peccatorum tum culpae tum poenae. Hic error Pharisaicus facile capit animos populi et obscurat lucem doctrinae de beneficiis Christi propriis et de fide. Cum enim putant homines mereri se remissionem peccatorum his suis ritibus, transferunt honorem debitum Christo in hos ritus et aut inanem fiduciam aliquantisper concipiunt, aut alunt dubitationes, quae tandem eis sunt exitio. Ac praecipue propter hanc caussam tam acriter dimicat Paulus de abrogatione circumcisionis et aliarum ceremoniarum legis Mosaicae, ne haec lux doctrinae in Ecclesia extingueretur, quod propter Christum Mediatorem credentes habeant remissionem peccatorum et reputentur iusti et sint haeredes vitae aeternae, non propter Circumcisionem et alias ceremonias Moysi aut similes. Et saepe monet, ut caveamus, ne novis ceremoniis humanis lux illa Evangelii obscuretur. Nec dubium est hunc Pharisaicum errorem acriter taxandum esse.

Secundus error minus est conspicuus, sed tamen perniciosus. Quidam astuti nunc vident non posse defendi priorem illum Pharisaicum errorem, ideo delabuntur huc: Etsi, inquiunt, non merentur hae ceremoniae remissionem peccatorum, tamen, quia sunt bona opera et cultus Dei, defendantur hae traditiones, ut in Lege Moysi Nazaraeorum abstinentia, etsi non merebatur remissionem peccatorum, tamen Deo placebat et erat cultus Deo gratus et praemia habebat.

Hoc fuco recens iam quidam pingere traditiones didicerunt, qui tamen non de his adiaphoris dimicant, sed alios tetros abusus stabilire conantur. Necesse est autem pios hic cavere doctrinae insidias. Magnus error in hoc ipso fuco inest. Non recte citatur Moysi exemplum. Ingens enim discrimen est inter opera a Deo instituta et ordinata, et inter illa, quae homines excogitant, nec mandata nec ordinata a Deo. Erant cultus Dei opera in lege ordinata, etsi remissionem peccatorum non merebantur. At *ἐϑελοϑρησκεῖαι* excogitatae ab hominibus sine mandato Dei nec fuerunt nec sunt cultus Dei, sicut nec Ethnicae ceremoniae et *πανηγύρεις* fuerunt cultus Dei, etsi multae fuerunt elegantissimae. Clamat Christus [Matth. 15, 9.]: Frustra colunt me mandatis hominum. Et cum alias saepe Prophetae et Apostoli reiiciunt ritus sine verbo Dei institutos, tum vero 1. Tim. 4. [vs. 1.] vocantur doctrinae daemoniorum, cuius dicti atrocitas profecto pias mentes movere debet, ut considerent, qua prudentia adiaphora recipi possint. Etiamsi ordinis caussa ritus aliqui honesti servandi sunt, ut in scholis lectionum ordo, tamen longe aliud est, iis ritibus hoc decus tribuere, quod sint cultus Dei, id est, opera, quae Deus approbet, ita ut se per ea iudicet honore affici. Et tamen recepto hoc errore, amplius tribuitur, videlicet quod mereantur remissionem peccatorum. Reiicit Deus ac detestatur hanc audaciam hominum, quae fingit cultus suo consilio. Ut Israëlitae proponebant vituli figuram et instituebant ritus suo consilio, Sic et Ethnici fecerunt, quorum exemplum cur reprehenditur, si licet cuilibet suo arbitrio cultus Dei fingere? Sed hoc arcanum peccatum non intelligunt homines, nisi bene cognita Evangelii doctrina. Amant enim sua inventa et ornant multis praetextibus, nec solum tanquam disciplinam, sed etiam tanquam Sacramenta proponunt, per quae dicunt Deum efficacem esse, iactitant Enthusiasmos, sicut Corybantes, Manichaei, et nunc Anabaptistae.

Tales furores comitantur admirationem traditionum humanarum, qui aliquo modo indicant, [100]) quare Spiritus sanctus vocet eas doctrinas Daemoniorum, quia fascinati homines his ritibus relinquunt veram Christi agnitionem, Fidem et Tolerantiam, et fingunt sibi nova dogmata et furores sine fine, ut fiebat a Marcionitis et Manichaeis, et manifeste vidit fieri nostra aetas ab Anabaptistis et fanaticis erroribus, qui cum Pelargo passim vagabantur.

Tenenda est igitur definitio cultuum Dei. Cultus Dei est opus mandatum a Deo seu certo Dei testimonio institutum, quo Deus pronuntiat se honore affici, faciendum hoc fine aut immediato aut principali, ut Deo obtemperetur et ut Deus celebretur, et quidem faciendum praelucente fide in Christum. Operum primi praecepti finis immediatus est, ut Deus honore afficiatur, innotescat et celebretur. Operum secundae tabulae finis immediatus

98) Dominum] Editt. 1. 3. Dominum nostrum

99) Conf. Malach. 3. 3.

100) indicant,] Editt. 22. 24. 28. iudicant,

est nostri corporis et proximi defensio, ut pii militis finis immediatus est, ut proelietur pro salute communi, sed tamen principalis finis sit, ut Deum honore afficiat. At hypocritae fingunt immediatum finem esse, cur die sexto non edant carnes, quia Deus iudicet se honore affici per hunc ritum. Haec opinio commenticia est. Constituta igitur definitione facile refutari possunt praestigiae, quas de cultu nunc illi Agyrtae et Eurybati, qui pingunt traditiones humanas, comminiscuntur.

Tertius error. Insuper fingunt hypocritae perfectiones esse opera traditionum humanarum, hoc est, opera meliora et magis placentia Deo, quam ea, quae Decalogus praecipit. Et hac persuasione praetulerunt Monachatum gubernationi Ecclesiasticae, Politicae, Coniugio. Haec amentia prorsus execranda est, et taxata est a Gersone.

Quartus error. Addunt opinionem necessitatis, hoc est, fingunt necessariam esse observationem traditionum humanarum etiam extra casum scandali, deinde hac persuasione eos, qui non observant illos ritus, damnant tanquam desertores Ecclesiae, seditiosos, schismaticos, avulsos a populo Dei et exclusos ex Ecclesia, ut olim [1]) damnati sunt aliqui propterea, quod diem Paschatos non servarunt cum ceteris. Hanc opinionem de necessitate inprimis oportet taxari, ne [2]) existimetur iustitia Evangelii esse talis externa politia, item ne oriantur discordiae propter aliquam talium rituum dissimilitudinem; donata est haec in Evangelio libertas, nec potest aboleri humana auctoritate. Sic Christus vult nos sentire, non necessarios esse ritus seu Mosaicos seu humanarum traditionum, ut Col. 2. [vs. 16.] dicitur: Nemo vos iudicet in cibo aut potu [3]) etc. id est, nemo obliget ac damnet conscientiam propter hos ritus. Et rursus [vs. 20.]: Cum mortui sitis cum Christo ab elementis mundi, id est, a praeceptis seu ordinationibus, quibus haec mundana vita regitur, cur adhuc tanquam viventes in mundo decreta facitis: Non contrectes, non gustes etc.? Et ad Gal. 5. [vs. 1.] In libertate, qua Christus vos liberavit, state, ne [4]) rursus iugo servitutis implicemini. Iubet sententiam de libertate retinere, ne conscientiae stulta carnificina excrucientur, aut excitent discordias, si quis nostros ritus humanos non observet.

Quintus error. Opinio necessitatis peperit maiores tenebras, scilicet *κακοζηλίαν* legis Mosaicae. Postquam hae persuasiones occuparunt animos, ut in lege Moysi necessariae fuerunt ceremoniae, ita nunc necessarias esse; regnum Christi transformarunt in Politiam similem Iudaicae. Unum aliquem hominem praefecerunt universae Ecclesiae tanquam summum sacerdotem, deinde gradus sacerdotum et externum sacrificium finxerunt, addiderunt summo sacerdoti potestatem instituendi ceremonias, legem de coelibatu. Haec tota *κακοζηλία* magnam caliginem animis offundit, et Legis et Evangelii intellectum obscurat, ac acerrime taxata est ad Galatas et ad Hebraeos. Sacerdotes Levitici significant [5]) nobis Evangelii ministros, et sacrificia Mosaica significant [6]) ministerium Evangelii et in mentibus poenitentiam, novam iustitiam Spiritus, Invocationem, confessionem, tolerantiam crucis etc. ut Ioan. 4. [vs. 23.] dicitur: Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu et veritate. Et 1. Petr. 2. [vs. 5.] Offerte hostias spirituales placentes propter Iesum Christum.

Sextus error. Accedit et hoc, quod Episcopi arrogant sibi potestatem condendi traditiones, quam tamen non concedit eis Evangelium. Sed cum haeret persuasio, opera ab hominibus excogitata sine verbo Dei cultus Dei esse, Episcopi, (quia praesunt, ut videantur augere studia pietatis,) cumulant traditiones, ut fecerunt Gregorius primus, Innocentius et multi Pontifices, qui quidem leges etiam exasperarunt et confirmaverunt opinionem necessitatis, ut suam auctoritatem amplificarent, [7]) dixerunt reos esse aeternae irae Dei, si quis non servet traditiones ab Episcopis conditas. Hunc errorem refutant sententiae, quas supra recitavi. [8]) Col. 2. [vs. 16.] Nemo vos iudicet in cibo aut potu. Et in Actis Apostolicis [15, 10.] Petrus gravissime obiurgat eos, qui ceremoniis Mosaicis onerare Gentes volebant; Quid, inquit, tentatis Deum imponentes iugum cervicibus discipulorum, quod neque Patres vestri, neque nos portare potuimus?

Non est leve crimen tentare Deum, est enim non infirmitate labi, sed contemptu Dei, proposito ipsius verbo, quasi cum eo certare aliud instituendo *καὶ φιλονεικεῖν* et illius [9]) sapientiae nostram anteferre; Ut mandavit Deus populo Israel, ne alibi sacrificarent, nisi in eo uno loco, ubi collegium docentium et arcam esse voluit. Econtra humana sapientia ratiocinatur seposito verbo Dei: Atqui decet Deum ubique coli et variis officiis, Condamus ergo ubique sacella et aras, mactemus non

---

1) olim] *abest ab* Editt. 1. 3.

2) ne] Editt. 20. 25—27., Corp. 1—8. nec

3) potu] Editt. 1—7. 9. 12. in potu

4) ne] Editt. 1. 3. nec

5) significant] Editt. 18. 20. 25 — 27., Corp. 1 — 8. significabant

6) significant] Editt. 20. 25—27., Corp. 1—8. significabant

7) amplificarent,] Ed. 1. typ. errore: amplificaret,

8) recitavi] sic Editt. 18. 20. 22. 24—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2.; ceterae Editt.: citavi

9) illius] Editt. 1—15. 19. ipsius

modo pecudes, sed etiam homines, ut in re magna et difficili studium nostrum conspiciatur. Tales fuerunt et sunt fontes cultus idolorum. Ita recentior aetas cumulavit Missas et mandavit coelibatum. Sed hic meminerint pii vocem Petri, quae talium legum et opinionum defensionem docet esse grave crimen. Non enim parvum erratum est tentare Deum, id est, nostram sapientiam ipsius sapientiae anteferre, et lacessere eius iram studio quaerendi [10]) contraria ipsius verbo et certandi cum eo. Haec sunt arcana mala, quae politica sapientia non potest iudicare. Sed nos in Ecclesia ea considerare debemus, ut moniti subiiciamus nos verbo Dei, nec nostris opinionibus regi velimus.

Septimus error. Cum haeret opinio iustitiae, aut necessitatis de traditionibus humanis, sequuntur atroces discordiae, ut olim dissidia exorta sunt, de die Paschatos et fermentato. [11]) Et nunc Pontifices non solum fulmen excommunicationis in sacerdotes maritos torquent, et iniusta asperitate distrahunt Ecclesiam, sed etiam Neroniana crudelitate interficiunt pios sacerdotes propter violatas iniustas traditiones.

Propter hos septem errores seu omnes seu plerosque defenduntur traditiones humanae, ut testantur libri eorum, qui se profitentur hostes esse nostrarum Ecclesiarum. Quanquam igitur traditiones de rebus Adiaphoris loquuntur, tamen hos errores retegi et taxari mandat Deus, et passim Prophetae, Christus et Apostoli taxant. Nec sint muti doctores, cum aut Ecclesia impiis cultibus polluitur aut conscientiae laqueis traditionum humanarum implicantur.

Prodest etiam exemplo refutare hos errores, postquam doctrina de veris cultibus mediocriter tradita est. Nam opinio superstitiosa tenacius haeret, si nulla exempla libertatis ostendantur. Ideo Paulus noluit [12]) Titum circumcidi, ut libertatis exemplum ostenderet, et Petrum arguit exemplo confirmantem pertinaciam eorum, qui Mosaicos ritus servari volebant. Et recitatur historia de Spiridone [13]) Cyprio Episcopo digna memoria. Cum ad eum venisset hospes die ieiunii, nec subito emi aut parari cibi usitati tali die possent, iubet carnes, quas habebat conditas, apponi. Non vescor his hodie, inquit hospes, sum enim Christianus. Tum Spiridon: [13]) Et hanc ipsam ob caussam te vesci decet, quia Christianus es. Nam omnis creatura Dei bona est, et nihil reiectum, quod cum gratiarum actione sumitur. Obtemperat hospes et admonitus hoc exemplo discit longe alios maiores cultus Deo praestandos esse, quam haec ciborum discrimina. Imo in hac ipsa coena praestat maiores cultus, agit Deo gratias, cogitat de libertate donata a Domino nostro Iesu Christo, qua non solum ab his ciborum legibus, sed multo magis ab aliis tristioribus vinculis nos liberavit ac legem cruci suae affixit, ne nos damnet.

Haec commemoravi, ut pii sciant, cur et taxentur et exemplo violentur humanae traditiones, et hanc commemorationem errorum opponant novis Oratoribus, qui nunc mira Sophistica pingere traditiones humanas didicerunt, quae si valeret, similibus fucis etiam Ethnicae religiones excusari possent. Sed explodatur ex Ecclesia amor sophistices, et Scapham Scapham dicamus, non ludamus verborum praestigiis. Postquam autem errores, qui haerent in traditionibus, monstravimus et reprehendimus, nunc dicam, quid de ritibus Adiaphoris sentiendum sit, qui remotis illis erroribus servantur in Ecclesiis emendatis.

Tertia regula. In Ecclesiis emendatis reliqui sunt ritus aliqui Adiaphori, quia huius vitae actiones ordine aliquo distribuendae sunt. Hominum natura intelligit et amat ordinem, qui quidem maxime decet Ecclesiam et congressus publicos. Ideo Paulus gravissime dixit 1. Cor. 14. [vs. 24.] *πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω.* Non ordinem tantum, sed etiam singularem curam ornandi ordinis requirit, quare addidit [14]) *εὐσχημόνως*, ut videamus, quid personas, loca, tempora deceat. Maiore modestia in templis conveniatur, quam in theatro; Actio et oratio docentium sit placidior et gravior in illo coetu divinitus convocato, cui Christus et Angeli intersunt, quam in scena.

Itaque dico ritus adiaphoros in Ecclesiis emendatis servandos esse, hoc fine, scilicet propter bonum ordinem, sed ita, ne addantur opinio iustitiae, cultus aut necessitatis aut ceteri errores, quos supra recensui. Et sciendum est extra casum scandali violari has traditiones sine peccato. Quae autem scandala vitanda sint, paulo post dicam

Gerson magna varietate quaesivit *ἐπιεικείας* traditionum. Cum videret ingentem acervum rituum carnificinam esse conscientiarum in hominibus modestis, Econtra vero homines minus patientes legum induere contemptum Epicureum universae religionis, qui tam multas traditiones servare non poterant; fecit gradus: Aliae, inquit, ornatus caussa, aliae necessitatis caussa institutae sunt. Sed illae Gersonis mitigationes non levant conscientias. Auctoritas divina voce Apostolorum proposita levat, quae expresse reiicit opinionem iustitiae et necessi-

10) quaerendi] Corp. 2. 4. typ. errore: quaerenda

11) fermentato] Editt. 1. 3. de fermentato

12) noluit] Corp. 2. 4. typothetae errore: voluit

13) Spiridone . . . Spiridon] Editt. 1. 3. Spiridione . . . Spiridion

14) addidit] Corp. 1—6. addit

tatis. Rursus autem munitur publica tranquillitas hac doctrina, quod dicimus propter εὐταξίαν eos ritus, qui boni ordinis caussa instituti sunt, servandos esse, et peccare homines petulantes, qui in Ecclesiis emendatis violant tales ritus cum scandalo. Haec est vera traditionum ἐπιείκεια, quae et levat conscientias et utilis est paci.

Aliqui homines natura feri omnes leges tanquam carcerem oderunt. Hos certe prodest commonefacere de caussa legum, scilicet de bono ordine, et adhortari, ut vitent scandala, nec se sibi tantum, sed etiam aliis, imo Ecclesiae Dei vivere debere sciant.

Alii vero placidi natura et κοινονικοὶ ac intelligentes se ad societatem natos esse, imo praecipuum opus esse conferre studium ad iuvandam et fovendam Ecclesiam, sua sponte honestos et utiles ritus servant et vitant scandala, et cum sciant singulari consilio et beneficio Dei publicos congressus Ecclesiae institutos [15]) esse et velle Deum hanc frequentiam ornari, ut sonet publice in terris vox Evangelii, student ordinem, tranquillitatem, gravitatem horum congressuum in templis et in scholis tueri, praesertim cum ordo saepe ad docendam [16]) rudiorem multitudinem conducat, ut series dierum festorum non temere instituta est. Non enim omnes historiae uno die recitari possunt, sed aliam partem alio tempore proponi commodius est. Et cum distributio temporum congruit cum eventibus, non solum gratior est, sed etiam memoriam adiuvat.

Nec tantum homines seriem certam dierum servarunt, sed etiam Deus ipse quorundam festorum ordinem suis mirandis factis in veteri et novo Testamento pariter servavit. Ut agnum voluit initio veris mactari, ita eodem anni tempore Dominus noster Iesus Christus crucifixus est et resurrexit. Ut quinquagesimo die post exitum ex Aegypto promulgata est Lex manifesto testimonio de monte Sinai, ita quinquagesimo die a Paschate datus est manifesto testimonio Spiritus sanctus.

Nunc agitur annus a natali Christi [17]) 1544. [18]) Quare et Deus ipse et Dominus noster Iesus Christus et Prophetae et universa Dei Ecclesia inde usque ab exitu ex Aegypto usque ad hunc annum diem Paschatos et Pentecosten tribuerunt certis sacris actionibus annos 3049. Hunc consensum Dei et Ecclesiae et haec exempla intuens homo non Cyclopicus iudicabit honestum esse aggregare se ad illum Dei et Ecclesiae perpetuae coetum, et se velut adesse spectatorem illorum eventuum cogitabit, quibus Deus illa tempora insignivit. Imo cogitemus hos pulcherrimos congressus imaginem esse consuetudinis aeternae cum Deo, Christo, Patribus, Prophetis, Apostolis et aliis piis. Tales ritus utiles cum hoc modo sine superstitione servantur, prosunt ad docendum. Ubi enim nullus est ordo, nulla disciplina, doceri homines non possunt. Necesse est autem doceri et audiri Evangelium. Nam Deus non colligit aliter Ecclesiam suam, nisi voce Evangelii; Nec aliter Spiritus sanctus efficax est, nisi per Evangelium; nec ulla est Ecclesia electorum cogitanda, nisi in hoc coetu visibili, in quo Evangelium recte et pure docetur. Ergo hic visibilis coetus amandus et fovendus est, et retinendum est Evangelii ministerium, et fiant honesti congressus. Ad haec ordine et ritibus aliquibus opus esse constat.

Imo et quilibet paterfamilias domi suae liberos mane et vesperi legere aliquid et dicere preces cogat. Non abeat dies sine Invocatione et sine gratiarum actione. Ideo enim conditi et redempti sumus, ut Deum celebremus, et haec exercitia prosunt ad discendum et excitant Timorem et Fidem. Et in his exercitiis meminerimus dictum Christi: Quanto magis Pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus! Quare doceri, regi et sanctificari nos Spiritu sancto petamus. Idque cum petimus fieri certo statuamus, et meminerimus Spiritum sanctum efficacem esse cogitatione Evangelii.

[XXII.]

DE MORTIFICATIONE CARNIS.

Defendunt aliqui leges de Ieiuniis, Satisfactionibus, ut vocarunt, et Monachorum superstitionibus praetextu sententiarum, quae de mortificatione concionantur. Cum mortificatio, inquiunt, sit bonum et pium opus, cur non laudentur etiam hae leges humanae de Ieiuniis et similibus ritibus? Hic rursus hypocrisis struit insidias verae doctrinae et veris cultibus. Discernantur mandata divina [19]) ab hominum mandatis, ac consideretur, quid vere Paulus vocet mortificationem, nec transferamus [20]) vocabulum rerum magnarum, quas Deus praecipit, [21]) ad futiles et otiosos ritus, ut omnibus aetatibus

---

15) institutos] Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. constitutos

16) docendam] Editt. 26. 27., Corp. 1—8. docendum

17) Christi] Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. Christo

18) Hic est locus, ex quo supra p. 563 sq. argumentati sumus, editionem principem huius tertiae aetatis demum a. 1544. prodiisse.

19) divina] Editt. 1. 3. divinitus

20) transferamus] Ed. 20. transferat: Editt. 25—27., Corp. 1—8. transferatur

21) praecipit.] Editt. 1. 3. praecepit.

hypocritarum arrogantia insignibus titulis suas ceremonias ostentavit et venditavit.

Mortificatio significat aut patientiam mandatam a Deo in veris doloribus, sensu irae Dei, pavoribus et afflictionibus, aut temperantiam mandatam a Deo, frenantem cupiditates: Non significat ἐθελοθρησκείας seu ceremonias accersitas sine mandato Dei.

De priore genere, id est, de tolerantia in veris doloribus et in cruce, loquitur Paulus 2. Cor. 4. [vs. 10.] Semper mortificationem Domini Iesu in corpore circumferentes, ut et vita Iesu in corpore nostro manifestetur. Declarant autem sequentia verba, quid vocet mortificationem Christi. Semper, inquit, nos viventes in mortem tradimur propter Iesum, ut et vita Iesu manifestetur in mortali carne nostra, id est, saepe morti obiicimur, rapimur ad supplicia propter confessionem Christi, exercemur terroribus Diaboli. Hanc vocat mortificationem Christi, videlicet similem afflictionibus Christi et propriam Ecclesiae. De hoc genere et Rom. 12. [vs. 1.] inquit: Exhibete corpora vestra hostiam vivam, sanctam, placentem Deo, rationalem cultum. Non de ceremoniis aut simulata ἀσκήσει loquitur Paulus, sed de cruce, id est, de tolerantia in [22] veris et magnis doloribus: Haec est sacrificium in his, qui fide Filii Dei sustinent, ut Psalmus [50, 19.] inquit: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. Ac supra de hoc genere in titulo de Cruce dictum est.

De secundo genere, id est, de Temperantia mandata a Deo, concionantur passim multae sententiae. Luc. 21. [vs. 34.] Attendite, ne corda vestra graventur crapula et ebrietate etc. Matth. 17. [vs. 21.] Hoc genus daemoniorum non eiicitur, nisi ieiunio et oratione. Eph. 6. [vs. 4.] Educate filios in disciplina et doctrina Domini, id est, doctrinam de Deo iuventuti tradite et assuefacite eam pia disciplina, regite mores, ut sint modesti, casti, pii, et exercete eos certo et honesto labore, ne, ut fieri solet, otium et luxus pariant scelera excutientia Spiritum sanctum.

Sive igitur mortificatio tolerantiam in cruce sive temperantiam significat, loquitur de mandatis operibus, sed illud verum est, liberum esse [23] cuilibet privatim eligere exercitia honesta et convenientia suae aetati et viribus suis, ut et scholae gubernatori liberum est instituere lectionum et disputationum ordinem. Ideo et Paulus inquit 1. Cor. 9. [vs. 27.] Castigo corpus meum et in servitutem redigo etc. Hoc fine, ne intemperantia impediat Spiritum sanctum, intentionem animi in invocatione, in studiis, in negotiis. Nec immediatum finem ieiunii hunc constituit, videlicet ut putet Deum tali opere honore affici.

Ac [24] Temperantia in genere praecepta est, sed exercitia alia aliis congruunt. Ideo horum electio libera sit. Aliter senes occupati curis, doloribus, negotiis et imbecilles regant corpora; Aliter iuvenes vegeti, non confecti angoribus, ut Davidi ante exilium magis opus erat exercitiis, quam postea, cum magnitudine dolorum fractus vix languida membra semivivus traheret. Bona valetudo corporis et sensuum vigor eximia Dei dona sunt, necessaria studiis et negotiis. Ideo tuenda sunt, nec laedendum est corpus aut ingluvie aut nimia inedia. Et Paulus habere honorem [25] corpori iubet.

Cum igitur magna sit dissimilitudo, Ecclesia non fert leges, quibus unum modum ieiuniorum aut exercitiorum praescribat, sed in genere praecipit Temperantiam et simul monet, ne superstitiose [26] exercitia transformentur in cultus, et iubet discrimen teneri inter opera a Deo mandata et exercitia electa a nobis. Ideo Paulus inquit 1. Tim. 4. [vss. 7 sq.] Exerce te ad pietatem; Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas vero ad omnia utilis est. Gravissima admonitio est discernens necessaria opera et a Deo mandata ab exercitiis electis nostro arbitrio. Iubet autem longe anteferri opera a Deo mandata, Poenitentiam, Timorem Dei, Fidem, Invocationem, Confessionem, Patientiam, Castitatem, Temperantiam, diligentiam in vocatione. Has virtutes inquit ad omnia utiles esse, id est, Deus in hac vita compensat et ornat has virtutes magnis bonis, maiore luce et sapientia spirituali, robore fidei, consilio, consolatione successu in gubernatione publica et domestica, castitate, pace, victu; et post hanc vitam praemia aeterna dabuntur. At corporum exercitatio ad modicum utilis est. Intelligit autem haec exercitia a nobis electa, ut si quis in die semel tantum et pauxillum velit edere. Haec cum sine superstitione fiunt, non prorsus abiicit, sed infra opera mandata a Deo collocat. Prosunt enim aliqua ex parte, videlicet quia in sobriis maior est intentio animi, in invocatione, studiis, negotiis. Convivia, sodalitia, sermones profani laxant animos, ut facilius admittant incendia cupiditatum, ut accidit Davidi in otio. Et noti sunt versiculi:

Otia securis insidiosa nocent.
Cura fugit multo, diluiturque mero.[27]

---

22) in] Editt. 1. 3. et

23) esse] Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. est

24) Ac] Corp. 2. 4. At

25) habere honorem] Editt. 1. 3. honorem habere

26) superstitiose] Ed. 22. superstitiosa

27) Ovid. Art. amat. I, 238.

Et Seneca de sodalitiis inquit: Nunquam mores, quos extuli, refero. Ebriosi nec mente nec corporibus sustinere curas rerum magnarum possunt, amittunt tempora idonea rebus gerendis, facile incauti ruunt in magna scelera. Sed hoc omnium tristissimum est, quod invocatio Dei in temulentis extinguitur.

Est autem dictum usitatum non aspernandum: Vitare peccata est vitare occasiones peccatorum. Ideo bonae mentes intelligant lapsuum occasiones et caussas *προκαταρκτικὰς* et sua quadam diligentia vitent pericula, ne nimium implicent se sodalitiis, ament temperantiam, et certos ac utiles labores suscipiant, quibus subinde misceant invocationem Dei.

Multum etiam valetudini et moribus prodest, non confundere ordinem temporum a natura praescriptum. Ut multi totum diem partim somno partim conviviis tribuunt, deinde noctu vacant studiis aut negotiis. Vere inquit Seneca: Hoc est luxuriae propositum, gaudere perversis, nec tantum discedere a recto, sed quam longissime abire.

Nec cessat Diabolus, cum videt animos cura vacuos esse, sed offert et ipse aliquas lapsuum occasiones. Haec mala cavenda sunt et nostra diligentia et petitione gubernationis divinae, sicut scriptum est: Quanto magis dabit Spiritum sanctum petentibus!

Monachi conati sunt regulis comprehendere exercitia huius diligentiae; Sed accesserunt superstitiosae et stultae opiniones, et varietas haec non potest legibus comprehendi, ideo non defendantur traditiones de discrimine ciborum hoc praetextu, sed boni et sapientes concionatores saepe moneant de hac diligentia iuventutem. Et praeceptores coërcere eam disciplina, quantum fieri potest, studeant, ac Principes adiuvare nos in disciplina tuenda debebant. Haec de mortificatione et de disciplina breviter monui, ut hypocrisi reiecta veras virtutes et utilia exercitia intelligere et amare discamus.

[XXIII.]

DE SCANDALO.

Vocabulum Graecum est *σκάνδαλον*, factum a *σκάζω*, id est, claudico; significat enim offendiculum, id est, quiddam, ad quod impingens labitur seu trepidat.

Est autem Scandalum dictum aut exemplum, quo alius fit deterior, seu quia error in eo confirmatur, seu quia imitatur malum exemplum, seu quia flammas maiores odii adversus Evangelium concipit. Haec vocabuli expositio primum consideretur. Nam Ecclesia sic utitur appellatione scandali, aliis scriptoribus hic usus ignotus est, qui dicerent exempla seu *παραδείγματα* nocentia. Et correlativum scandali est offensio, ac interdum promiscue scandalum, quod significat obiectum, pro ipsa offensione sumitur.

Duplex est autem Scandalum seu duplex offensio. Prior offensio est Pharisaica, seu, ut vocant, scandalum acceptum, videlicet cum impii irascuntur verae doctrinae Evangelii aut honestis ac necessariis factis, ut cum nolunt proponi veram doctrinam et taxari errores aut nolunt aboleri cultus idolorum, nolunt sacerdotem pium honeste in coniugio vivere.

Sunt autem variae caussae, cur impii verae doctrinae aut illis necessariis mutationibus irascantur. Alii pugnant de ventris commodis, ut qui quaestus magnos, qui erant ex Missis aut ex invocatione mortuorum, diminui nolunt. Alii de auctoritate dimicant, alii fascinati persuasionibus suis nolunt ea, quae ipsi mirantur et probant, taxari. Ut fascinati admiratione suae iustitiae nolunt audire hanc vocem, homines non esse iustos propter propriam dignitatem et munditiem. Viri politici, quia vident ex dissensionibus opinionum oriri distractiones Principum, bella et perturbationem disciplinae, nolunt moveri ullas de doctrina disputationes.

Exempla autem talium offensionum omnibus Ecclesiae temporibus multa fuerunt, sunt et erunt. Sacerdotes adversabantur Ieremiae praedicenti excidium Ierosolymae et praetextus speciosos habebant. Christo et Apostolis adversabantur plerique omnes, qui eruditione et auctoritate in populo Iudaico antecellebant; et speciosis caussis movebantur. Videbant aboleri Legem Mosaicam. Existimabant autem summum scelus esse, Legem unam et solam in toto genere humano traditam a Deo deleri, et videbant ex ea re secuturum esse interitum illius pulcherrimae politiae, non a Solone, non ab Augusto, sed clara voce Dei et certis testimoniis Dei constitutae. His caussis vehementissime motos esse omnes sapientes in illo populo non dubium est, praesertim fascinatos persuasione de regno Messiae mundano.

Etsi autem et ipsis Apostolis dolorem afferebat interitus populi, tamen hanc offensionem hypocritarum negligunt et fortiter se opponunt iudiciis illorum et clare profitentur magis obediendum esse Deo, quam hominibus, obtemperant mandato Christi, qui eos colligere Ecclesiam voce Evangelii iusserat. Errores de Deo et idola taxari necesse est, vel si fractus illabatur orbis; Oportet enim anteferri primum et secundum mandatum omnibus humanis rebus, vitae nostrae, fortunis nostris, famae nostrae, paci Reipublicae.

Hinc regula haec tenenda est. Necesse est confiteri veram doctrinam et fugere idola et facere

opera mandata a Deo, etiamsi fremunt et repugnant impii et concipiunt maiores flammas odii adversus Evangelium, et quanquam dissidia tristia oriuntur ex impiorum pertinacia. Peccant autem impii adversantes Evangelio et caussae sunt dissidiorum ipsi, quia cedere veritati debebant; Non peccant hi, qui iuxta vocationem recte docent aut confitentur Evangelium; ut peccabat Pharao magno furore repugnans voci Dei per Moysen sonanti et testimoniis Dei, non peccabat Moyses, etiamsi totam Aegyptum discordia illa perdidit.

Hac regula pii se in Ecclesiae certaminibus semper consolati sunt. Estque nobis hac consolatione opus hoc tempore. Nam moderatis ingeniis dolorem affert ipse conspectus dissipationum, et convicia illa, quae in nos conferunt hypocritae, non facile est contemnere, cum nos hostes Dei, Ecclesiae, parricidas, seditiosos, denique pestes humani generis vocant.

Adversus haec tristissima iudicia necesse est claris testimoniis divinis muniri animos. Matth. 4. [vs. 10.] Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies. Non sequaris Deos alienos. Diserte discernitur verus Deus, qui se patefecit in populo Israël, a commenticiis numinibus, cum ait: Hunc Iehova, qui tibi verbum suum tradidit [28]) et testatur se vere Deum esse mirandis factis, quibus eduxit te ex Aegypto, invoces: Non alios commenticios, qui sine hoc verbo tradito per Prophetas coluntur. Et 1. Cor. 10. [vs. 14.] Fugite cultum idolorum. Haec praecepta constat prorsus immutabilia esse. Et saepe repetitur haec concio a Prophetis. Oseae 13. [vs. 4.] Ego autem Dominus Deus tuus ex terra Aegypti; Et Deum praeter me nescies, et Salvator non est praeter me.

Necesse est igitur invocare verum Deum et fugere idola nec stabilire ea nostra comprobatione. Et haec mandata summa anteferenda sunt omnibus rebus, nostrae vitae, famae, paci publicae, vitae liberorum, benevolentiae Principum.

Matth. 10. [vs. 33.] Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum et ego coram Patre meo coelesti. Et additur consolatio, ne frangamur metu dissidiorum, [vs. 35.]: Veni separare hominem a patre suo et filiam a matre sua. De magnis rebus et magnis periculis concionantur hae sententiae. Praestandum est igitur, ut veras et firmas sententias defendamus, nec moveamus tumultus, nec turbemus Ecclesiam falsis opinionibus aut inanibus sophismatum praestigiis, quas interdum excogitant ingenia petulantia, incensa vel ambitione vel cupiditate vindictae.

Ad Gal. 1. [vs. 9.] Si quis aliud Evangelium docebit, anathema sit. Extremum omnium conviciorum est anathema, sicut apud Graecos *κάθαρμα* seu *ἀλάστωρ*, significat autem quiddam ita[29]) pollutum et a Deo damnatum, ut, nisi tollatur, totae gentes magnis calamitatibus, bellis, fame, pestilentia, discordiis civilibus et infinitis confusionibus puniantur, ut de Sodomis aut Lampsaci idolo cogitamus, ubi Priapus colebatur.

Tales Alastoras esse defensores impiorum dogmatum Paulus affirmat, quod facilius intelligi potest, cum exempla intuemur illorum, qui manifestos et tetros furores defenderunt aut defendunt, ut Manichaeos, Samosatenum, Arium, Mahometum, Regem tragicum Anabaptistarum, qui uxorem gravidam interfecit et per seditionem se Regio titulo et corona ornavit et regnare se in Ecclesia Dei iactitavit.

Ut autem Pharisaei Christum et Apostolos iudicabant tales pestes esse humani generis, sic hypocritae ardentes odio Evangelii nunc quoque de nobis, qui puram Evangelii doctrinam proponimus, sentiunt, ut fulmina excommunicationum et scripta Eccii, Cochlei, Alfonsi et similium ostendunt. Cum autem similia iudicia magnorum et sapientum hominum valde excrucient moderatos homines recte sentientes, hanc Pauli consolationem teneamus, qui affirmat non Evangelii studiosos, sed hostes vere esse Anathemata, maledictos [30]) Alastoras. Quare vitanda est eorum societas, ne contagium noceat piis. Et Iesaias inquit cap. 51. [vs. 7.] Ne timete probra hominum. Et ad Abraham dicitur: Benedicam benedicentibus tibi. Et Psalmus [108.] tristissimam maledictionem hostibus Evangelii minatur, cum ait [vs. 18.]: Induit maledictionem vestimentum. Et consolatur pios, ne fulminibus execrationum hostilium moveantur [vs. 28.]: Maledicent illi, et tu benedices. Hanc admonitionem hoc tempore necessariam esse duxi.

Dixi iam de Pharisaica offensione; Nunc de altero genere scandali dicendum est, quod vocatur Datum, de quo Matth. 18. [vs. 7.] dicitur: Vae homini, per quem venit scandalum. Est autem aut falsa doctrina aut malum exemplum, quod aliis nocet, vel quia licentiam in aliis confirmat, vel quia alios ad imitationem invitat, vel quia deterret aliquos ab Evangelio, vel quia praebet occasionem maledicendi Christo aut Ecclesiae Dei, vel quia serit alia plura peccata. Talia scandala fuerunt inde usque a lapsu primo Hevae, sunt et erunt fal-

28) tradidit] Editt. 22. 24. 28. 30. 34., Opp. 1. 2. tradit

29) ita *abest ab* Editt. 22. 24. 28. 29. 31—33., Opp. 1. 2.

30) maledictos,] sic *cum commate* Editt. 28. 29. 31—33.; *minus apte* Editt. 14. 17—27. 30. 34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2. maledictos *omisso commate*; Ed. 1. maledicta — Editt. 3. 6. 7. 12. maledicta, *cum commate*; Editt. 2. 4. 5. 8—11. 13. 15. 16. *male:* maledictas

sae doctrinae, idolorum cultus, haereses, humanae traditiones, quae sine peccato servari non possunt, item mala facta, quae serunt alia scelera quoquo modo.

Et de hoc secundo genere teneatur certissima regula: Haec scandala, id est, falsas doctrinas et prava exempla, vere peccata esse, damnata hac voce Christi [Matth. 18, 7.]: Vae homini, per quem venit scandalum. Quare haec scandala magna cura et vigilantia vitanda sunt. Hic autem cogitent pii, quanta multitudo Diabolorum et hominum rea sit et fuerit propter huius generis scelera. Ac [31]) consideremus exempla quaedam, ut discamus formidare magnitudinem peccatorum, cum videbimus [32]) ab uno delicto oriri infinita peccata et poenas, et in ipsis poenis cumulari peccata. O miseriam humani generis inenarrabilem!

Primus auctor scandali huius generis fuit Diabolus, cum decepit Hevam. Deinde a lapsu Hevae et Adae quantum mali ortum est! Diabolus triumphavit adversus Deum, quod hoc Dei opus horribiliter destruxisset et auxisset contumelias adversus Deum grassaturas in genere humano. Praeterea propter lapsum primorum parentum secuta sunt omnia totius generis humani scelera et multorum hominum aeternum exitium. Cum viderunt Heva et Adam necem filii Abel, agnoverunt a suo peccato id triste spectaculum ortum esse. Ita unum peccatum trahit secum ingens agmen scelerum et poenarum. A Davidis adulterio quanta scelerum et calamitatum moles orta est! Primum inter se filii dimicarunt, postea filius movit seditionem adversus patrem, polluit coniuges patris, matronas, quae fuerant plenae Spiritu sancto, perdidit multa millia civium. Hic quales triumphi fuerunt Diabolorum, quae moestitia fuit piorum, quantum contristatus est Spiritus sanctus in bonis [33]) mentibus! Et credibile est hunc dolorem multis piis attulisse mortem. Pater certe sensit huius vulneris magnitudinem, qui intellexit se tot scelerum reum esse, se esse fontem horum malorum, se esse maledictum. Anathema, Alastorem populi Dei. Nec fuit ei facile eluctari ex hoc dolore, cum iram Dei sentiret; Sed vicit tandem adiutus a Messia, sicut clamat [Psalm. 2, 13.]: Beati omnes, qui confidunt in eo. Haec exempla recito, ut tantorum malorum cogitatio metum irae Dei in nobis excitet, et ut sua quisque scandala mente intueatur et meminerit in uno delicto multa involuta esse et in ipsis poenis cumulari peccata. Nihil parvum, inquit Hippocrates, nihil contemne. Et Thucydides inquit de bellorum erratis, ἐξ ὀλίγου πολλά.

31) Ac] Corp. 2. 4. At

32) videbimus] Corp. 2—8. videmus

33) bonis] Corp. 2. 4. typ. errore: nobis

Haec multo veriora sunt de hominum peccatis, sed securitas humana magnitudinem suarum miseriarum et irae Dei non agnoscit; Verum ideo non solum voce nobis concionatur, sed etiam tristissimis poenis, ut eius iudicium aliquo modo agnoscere et timere incipiamus et admoniti voce Dei et nostris calamitatibus nonnihil ex tenebris eluctemur.

Plerumque autem plus nocent doctrinae scandala, quam morum delicta, ut initio Diabolus Hevae letale vulnus fecit offundens falsam persuasionem. Et omnibus temporibus postea Ecclesiam horribiliter dissiparunt auctores impiarum opinionum, qui docuerunt idola coli aut sparserunt blasphemias et haereses. Quanta agmina animarum traxerunt in aeternum exitium Arius, Manichaei et alii multi Haeretici?

Nulla mens humana magnitudinem malorum cogitare potest, quae his ultimis mundi temporibus orta sunt a Mahometo et a Pontificibus, qui depravarunt coenam Domini, qui stabilierunt invocationem mortuorum, qui Evangelium de Fide et vera invocatione Christi falsis opinionibus obrui permiserunt, qui legem de Coelibatu sacerdotum et vota defenderunt.

Una lex Coelibatus quam multorum conscientias sauciavit, ne possent invocare Deum! et in his plurimi aeterno exitio oppressi sunt; Et recens Anabaptistarum virus multos perdidit et adhuc perdit. Horum horribilium exemplorum mentio ideo hic facienda est, ut bonae mentes cogitent non tantum mala exempla morum, sed etiam falsas opiniones scandala esse damnata a Deo et diligenter vitanda, ac de utrisque concionatur Christus [Matth. 18, 7.]: Vae homini, per quem venit scandalum. Nec tantum humanae diligentiae est vitare hallucinationes et errores doctrinae; Sed ardentibus votis assidue petendum est a Deo, ut luce Spiritus sancti regat mentes nostras, ne implicentur erroribus, sicut toto Psalmo 118. [vs. 34.] petit Propheta: Da mihi intellectum, et scrutabor Legem tuam et custodiam illam in toto corde meo. Et Christus inquit Matth. 26. [vs. 41.] Vigilate et orate, ne intretis in tentationem.

Hactenus dixi de necessario faciendis et necessario vitandis, nondum dixi de Adiaphoris. Manifestum est doctrinam veram necessario proponendam esse, nec propter impiorum offensiones tacendum [34]) esse. Sic pius sacerdos ducat honestam coniugem, nec deterreatur offensionibus Pharisaicis.

Sed hic tertia regula addenda est de Adiaphoris, ut de esu carnium die sexto ac [35]) similibus ritibus inutilibus, de his sic sentiendum est.

34) tacendum] Editt. 1—7. 9. 12. tacendam

35) ac] Editt. 1—4. 6. 7. 9. 12. aut

Primum doctrina, quae monstrat veros cultus et taxat commenticios et caussam ostendit libertatis in Adiaphoris, proponenda est. Nam qui non didicerunt caussam libertatis et adhuc putant ritus illos esse cultus, cum dubitatione conscientiae violant traditiones. Omnis autem dubitatio conscientiae impedit invocationem. Quare apud eos, qui doctrinam non audierunt et sunt homines modesti et dociles, non subito mutanda est consuetudo, sed prius doceri eos utilius est, sicut Paulus inquit [Rom. 14, 1.]: Infirmum in fide assumite non ad dubitationes, id est, homines dociles, qui amplexi sunt Evangelium, sed tamen adhuc aliquid dubitationis habent de his cultibus, erudite et confirmate, ut sciant se non peccare abiectis his ritibus. Ideo autem confirmentur, ne, si cum dubitatione abiiciant, conscientiae fugiant Deum et excutiantur Fides et Invocatio. Verum quando sit utile mutationes facere, iudicium est piae mentis, tantum absit petulantia.

Postquam autem doctrina de veris et falsis cultibus et de libertate iam proposita est, concedendum est exempli caussa, ut inutiles ritus abiiciantur, nec pertinacia eorum laudanda est, qui cum agnoscant doctrinam veram esse, tamen acerbe flagitant omnes ritus.

Haec pertinacia multiplex scandalum est, quia confirmat hostes verae doctrinae et adducit imbecilliores in dubitationem, qui metuunt non probari usum libertatis illis, qui doctrina vel auctoritate antecellunt, et contristatur interdum Spiritus sanctus in imbecillioribus, cum dolent se accusari levitatis. Hac de re prodest recitare historiam, quae extat in quinto libro Eusebii.

Nobilissimi coniuges, Attalus et Blandina, Lugduni in carcere erant propter Evangelii professionem comprehensi, ac saepe producebantur in loca suppliciorum, ut flecterentur ad abiiciendam Christi invocationem. Erat autem una alius quispiam Christianus in carcere, qui singularibus exercitiis se macerabat, non vino, non carne utebatur. Hic Attalo divina revelatione mandatum est, ut diceret illi duriori, ut communibus cibis uteretur, nec singulare exemplum ceteris proponeret; et ratio addita est, quod rudiores existimarent haec discrimina ciborum esse praestantiorem cultum Dei, quem errorem taxari prosit, non confirmari. Attalus revelationem illi duriori et ceteris in carcere exponit, quare et ille obtemperat, et ceteri hac voce admoniti erudiuntur et confirmantur. Haec historia gravem caussam recitat, cur horum pertinacia, qui intelligunt discrimina cultuum, non sit probanda, ne scilicet error in ignaris et dubitationes in imbecillioribus confirmentur.

Etsi autem illa durities interdum est quaedam gravitatis simulatio, tamen saepe alias habet veras caussas, non servit Deo, sed aucupatur benevolentiam potentum, qui adversantur Evangelio.

Multo etiam magis peccant, qui cum hostibus Evangelii colludunt, premunt recte docentes, impediunt arte Evangelii cursum et significant se alium Ecclesiae statum desiderare et expectare. Et hi [36]) in his controversiis videri volunt iusti censores, neutri parti addicti, integri, incorrupti. Sed meminisse debebant vocem Christi [Luc. 11, 23.]: Qui non colligit mecum, dispergit.

In civilibus controversiis hoc fieri potest, ut non sumas tibi iudicium de alterutra parte, nihil enim opus est singulis scire aliena negotia. Non opus erat Pomponio Attico quaerere, utrius, Pompeii an Iulii, caussa iustior esset. Sed de controversiis doctrinae necesse est singulos pios iudicare, amplecti et profiteri vera, iuxta illud [Gal. 1, 9.]: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Et confessio mandata est [Matth. 10, 22.]: Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre coelesti.

Haec cogitent bonae mentes et studeant sua confessione et suis officiis fovere et tueri Ecclesias recte docentes, ornent hunc praesentem statum, ut dicitur: Spartam, quam nactus es, orna. [37]) Non colludant cum hostibus veritatis, nec quaerant animo aliam Ecclesiam aut aliud ministerium, cum sciant, quae Ecclesia recte doceat. Deus vult nos amare Ecclesiam recte docentem et studium ei nostrum declarare, vult ministerium Evangelii honore affici et iuvari, sicut et Psalmus [121, 6.] praecipit: Rogate, quae ad pacem sunt Ierusalem. Et additur promissio mercedis: Erit abundantia diligentibus te.

Cum igitur manifestum sit defendi idola et errores ab hostibus Ecclesiarum nostrarum et necesse sit fugere idola et constet in Ecclesiis nostris recte doceri et remotos esse idolorum cultus, pietas est has Ecclesias fovere et his se adiungere. Vitemus scandala omnis generis, non praetextu Evangelii serviatur privatis affectibus, non premantur recte docentes, non impediantur studia piae doctrinae, sed ut in alveolis apes singulae conferunt labores suos ad communem utilitatem, ita nos conferamus singuli omnia studia et officia nostra ad salutem et tranquillitatem Ecclesiarum recte docentium, et iuvemus pia studia, ut ad posteros doctrina pura de Deo et de Domino nostro Iesu Christo propagetur.

In secundo praecepto dicitur: Non habebit Deus insontem, quicunque nomen Dei vane usurpaverit. Non dubium est igitur poenas Deo daturos esse omnes, qui Evangelii doctrinam scandalis dedecorant. Ac his ultimis temporibus in tanta confusione opinionum et gubernationum profecto

---

36) hi *abest a* Corp. 2. 4.

37) De hoc proverbio vide Erasmi Adag. chil. II. cent. V. prov. 1.

necesse est nos circumspectiores et vigilantiores esse. Nunc illam vocem Christi nobis inculcemus [Matth. 26, 41.]: Vigilate et orate, ne intretis in tentationem. Et hac nos consolatione sustentemus, quod eodem tempore inquit Christus [Luc. 22, 31.]: Expetivit vos Satanas, ut cribraret vos ac dissiparet; Sed ego pro te oravi, ne deficiat fides tua. Te oro, Fili Dei,[38]) Iesu Christe, crucifixe pro nobis et resuscitate, miserere nostri, et Spiritu sancto tuo veram lucem in cordibus nostris accende et auge et rege mores et studia nostra.

[XXIIII.]

DE LIBERTATE CHRISTIANA.

Si quis Principum in Babylone audisset Iudaeos in exilio gloriari, sibi divinitus libertatem donatam esse, dixisset amentiam esse haec praedicare. Ita nunc derideri nos a viris politicis arbitror, cum in his tristissimis ruinis regnorum (cum crescit servitus ubique, cumque multa millia piorum hominum a Turcis quotannis paene ob oculos nostros abduci videmus, cumque passim saevitia in pios iniusta exercetur) adhuc libertatis mentionem facimus et libertatem nostram gloriose praedicamus. Primum igitur hoc praefandum est, nos quoque dolere vicem Ecclesiae Dei, quae his saevis et tyrannicis temporibus et in hac confusione Regnorum passim dura servitute premitur.

Et ut maxime foveretur imperiis mitioribus, tamen Ecclesia semper a Diabolo excruciatur et adhuc morte et multis calamitatibus in hac vita onerata est. In quantis doloribus vixerunt Adam et Heva, cum viderunt neces et scelera posterorum, etiamsi nondum erant Regia imperia aut tyrannides. Semper ingentibus miseriis oppressa fuit, est et erit ante resurrectionem Ecclesia Dei.

Quid igitur vocamus Libertatem? Num inane vocabulum est, ut sunt Stoicorum Paradoxa seu ineptiae, qui dicunt solos sapientes liberos esse? Longe alia est doctrina Evangelii de Libertate, de qua Christus loquitur, cum ait [Ioh. 8, 36.]: Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis. Vere, inquit, liberi, non inani titulo aut umbra libertatis, sed re ipsa, deleto peccato, placata ira Dei, abolita morte, sublatis omnibus calamitatibus humanis, donati aeterna iustitia, luce, vita, gloria.

Complectitur Christus integram libertatem, quam ipse attulit et peperit sua morte Ecclesiae suae. Nunc quidem in hac vita inchoatur illa vera libertas, sed in resurrectione erit integra, cum deletis omnibus malis Ecclesia fruetur aeterna et dulci consuetudine Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi. In illam aeternam et integram libertatem mente intueamur, quoties nomen libertatis audimus, et simul cogitemus eam in hac vita inchoari. Sed removeamus somnia de Politica libertate corporum, de Imperiis, ut Iudaei adhuc libertatem et instaurationem regni in Palaestina sperant. Nihil haec somnia ad hanc doctrinam pertinent, quam de libertate proponit Evangelium.

Etsi igitur Ecclesia non solum ab imperiis oppressa est servitute in hac vita, sed etiam ingentibus calamitatibus aliis exercetur, tamen doctrina de libertate consolationem in his ipsis malis firmissimam proponit. Affliguntur Hercules, Priamus, Agamemnon, Palamedes, Cato, Cicero, Brutus et alii innumerabiles ignorantes Deum; Sed succumbunt suis aerumnis, nec habent Deum mitigantem eventus aut confirmantem animos, sed opprimuntur aeterna desperatione et aeternis tenebris de providentia et de iustitia Dei. At Ioseph, David, Ionathas, Ezechias, Ieremias, Baptista, Paulus, etiam cum affliguntur, tamen cernunt Dei praesentiam, qui confirmat animos et saepe mitigat ipsis eventus, et cum opprimuntur, tamen paulo post Ecclesiae prosunt horum agones, et hi sciunt se post hanc vitam in resurrectione habituros aeternam gloriam. Ita habent in hac vita inchoatam libertatem, quia a Deo recepti sunt, reguntur ab eo, defenduntur et adiuvantur, et sciunt post hanc vitam se habituros esse integram libertatem. Iam cogita, quantum bonum sit, quanta libertas etiam in mediis aerumnis et media morte Deum habere propitium, opitulatorem, gubernatorem et protectorem.

Haec concio de libertate res veras, certas, quae habent evidentia testimonia in Ecclesia, et quas Ecclesia, ego et tu, et omnes pii experiuntur, proponit, non affert inania somnia Iudaeorum aut Stoicorum aut Anabaptistarum aut Struthii, qui plebem liberare tributis volebat.

Distribuo autem usitate docendi caussa libertatem Evangelicam in quatuor gradus.

Primus est: Ut summa mala sunt peccatum et ira Dei, ita necesse est primum dici de hoc gradu[39]) quomodo ab his malis liberemur. Est ergo primus gradus libertatis, quod gratis propter Filium Dei donantur nobis remissio peccatorum, reconciliatio, iustificatio seu imputatio iustitiae et acceptatio ad vitam aeternam et haereditas vitae aeternae.

Haec est libertas, quod propter Christum gratis haec tanta bona certo donantur. Vult nos Deus certo statuere et credere nos agentes poenitentiam recipi in gratiam, exaudiri et salvari propter Filium

38) Dei *abest a* Corp. 2. 4.

39) dici de hoc gradu,] Editt. 1. 3. de hoc gradu dici,

gratis, etiamsi Lex et nostra ratio nos accusant ac deterrent, ne haec bona accipiamus. Sumus igitur liberati a peccato, ab ira Dei, ab aeterna damnatione, a Lege accusante nos et a conditione meriti. Et alia res proposita et donata est, propter quam accipimus remissionem peccatorum et iusti, id est, accepti a Deo pronuntiamur, scilicet Filius Dei Mediator, non Lex aut merita nostra, ac reconciliati reputantur iusti, id est, accepti a Deo ad vitam aeternam, etiamsi procul absunt a perfectione Legis, sed propter Christum fide. O ingens beneficium, quod quanquam adhuc haerent in reconciliatis reliquiae peccati, quanquam magna mole sordium premimur, tamen placemus certo propter Christum, ac si prorsus Legi satisfaceremus.

De hoc gradu libertatis concionatur Paulus, cum ait [Gal. 3, 13.]: Christus nos redemit a maledictione Legis, factus pro nobis maledictum. Breve dictum est, sed longe omnium Angelorum et hominum sapientiam superans, quia vera, ingens et ineffabilis ira adversus peccatum significatur, cum Filius, in quem derivata est ira, vocatur maledictum. Hic factus est pro nobis λύτρο et victima. De hoc beneficio et hac [40]) liberatione semper et in omni invocatione cogitandum est, et fide statuendum, quod propter Dominum nostrum Iesum Christum vere nostra peccata remittantur, [41]) tecta et sepulta sint, et quod vere velit nos propter Mediatorem recipere, exaudire, salvare. In his exercitiis invocationis quotidie crescet intellectus huius [42]) libertatis, de qua in hoc primo gradu dicitur, qui doctrinam de Iustificatione, quae supra copiosius recitata est, continet.

Secundus gradus est donatio Spiritus sancti, qui novam lucem in mente et novos motus in voluntate et corde accendit, gubernat nos et inchoat in nobis vitam aeternam. Etsi autem hic secundus gradus cum primo coniunctus est, tamen docendi caussa discerno, ut, quoties de liberatione a lege dicitur, intelligatur non tantum auxilium, ut Augustinus plerumque enarrat, sed etiam gratuita imputatio iustitiae.

Augustinus plerumque sic loquitur: Liberati sumus a Lege, id est, donato Spiritu sancto iuvamur, ut Legi obediamus, nec iam frustra nitimur coacti a Lege. Recte de auxilio dicit, sed necesse est conspici et alterum beneficium, scilicet gratuitam remissionem peccatorum et imputationem iustitiae, quae donatur propter Christum. Hoc ingens munus conspici necesse est, ut Christo suus honos tribuatur et conscientiae teneant veram et firmam consolationem et possint invocare Deum.

Loquitur autem Christus de utroque gradu, cum ait: Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis. Et quidem de integro beneficio concionatur, Filius placat iram Dei, tollit peccatum et mortem, dat iustitiam et vitam aeternam, resuscitat nos ad aeternam gloriam et laetitiam, qua fruemur in consuetudine Dei, Angelorum et universae Ecclesiae. Haec integra libertas est beneficium, de quo Christus concionatur, quam tamen hic inchoari oportet.

Adhuc subiecti sumus cruci et morti corporis, exercemur ingentibus calamitatibus, haerent adhuc in nobis sordes et multum caliginis, et oppugnamur a Diabolo, qui interdum implicat nos malis inextricabilibus. Et nemo tam cautus, tam diligens est, ut non aliquando in deliberationibus erret. Denique regere ipsi difficillimum et periculosissimum vitae cursum et vocationum negotia sola humana diligentia non possumus, ut inquit Ieremias [10, 23.]: Scio, Domine, quod non est hominis via eius.

Quanquam igitur in tristi carcere adhuc inclusi videmur, tamen sumus liberi, Primum quia certum est nos propter Christum habere Deum propitium et defensorem, ut docet primus gradus libertatis, Deinde quia adiuvamur et gubernamur a Spiritu sancto. David inextricabili malo conflictatur, cum pulsus regno exulat, sed tamen hac se certa consolatione sustentat, quod a Deo non sit abiectus, meminit vocem Nathan [2. Sam. 12, 13.]: Abstulit Dominus peccatum tuum. Deinde petit auxilium et gubernationem Spiritus sancti et experitur se a Deo iuvari. At Themistocles Graecia expulsus nullam harum consolationum novit, sed tantisper dum habet receptum et humana praesidia, fert exilium tranquilliore animo.

Didicerunt secundum gradum libertatis omnes sancti in periculis, cum experti sunt se iuvari et confirmari a Deo, sicut Stephanus in confessione et agone mortis, Laurentius et alii multi in confessione.

Quare et nos nostram infirmitatem et pericula considerantes de hoc gradu cogitemus, petamus auxilium et gubernationem Spiritus sancti, sicut praecipit Christus inquiens [Ioh. 16, 24.]: Petite, et accipietis. Item [Matth. 11, 28.]: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Cum invocabimus, sine ulla dubitatione, sentiemus nos iuvari, regi consilio, gubernari exitus, depelli pericula et mitigari aerumnas.

Haec invocationis exercitia erudient nos de hoc secundo gradu libertatis. Iam quanta beneficia Dei sint hi duo gradus, secum quisque cogitet. Sunt enim liberationes ex summis malis, a peccato, ab ira Dei, a morte aeterna, donatio iustitiae et vitae aeternae, defensio adversus Diabolum, guber-

40) De hoc beneficio et hac] Ed. 22. De hac victima et hac — Editt. [illegible]. 28—34., Opp. 1. 2. De victima et de hac

41) remittantur,] Editt. 1—16. 18. 19. 25. remittuntur,

42) huius] Ed. 1. huius vere (i. e. huius verae *ut habet* Ed. 3.)

natio in omnibus negotiis et periculis, regente corda Spiritu sancto et accendente in nobis cogitationem verbi Dei, denique praesentia aeterni [43]) Dei nos iam complectentis propter Filium suum, Dominum nostrum, Iesum Christum. His bonis nihil est melius aut maius.

Itaque libertas parta sanguine Christi, quam offert Evangelium, ingens et immensum bonum est, nec est inane nomen aut Stoica imaginatio, ut homines impii iudicant.

Nec difficile est sanis mentibus et piis videre discrimen inter hanc liberationem a peccato et ira Dei et Politicam libertatem seu liberationem a tributis: de hac externa Politica tranquillitate vel servitute in his duobus gradibus nihil dicitur. Habet hos gradus libertatis animae Ioseph, quamvis servus et coniectus in carcerem; Habet eos Daniel sedens inter Leones, Laurentius iacens in craticula. Nam Politica libertas aut servitus nihilo magis ad hos duos gradus pertinet, quam robur corporis aut imbecillitas, ut Gal. 3. [vs. 26.] dicitur: Omnes Filii Dei estis per fidem in Christum Iesum; Non est Iudaeus, nec Graecus, nec servus, nec liber. Sed facile est piis haec intelligere: alia animae bona sunt, aliae res sunt corporum discrimina.

Tertius gradus tandem de externa et politica vita traditur, videlicet, Christianos non esse alligatos ad politiam Moysi aut ullam certam unius gentis politiam, sed singulis locis parere Magistratibus et legibus praesentibus debemus, si modo leges sint consentaneae iuri naturae, nec praecipiant aliquid fieri contra mandata Dei. Ut aliis dierum et noctium spatiis utimur in aliis regionibus, ita licet uti aliis Magistratuum, Imperiorum et Legum formis, modo ut Leges, sicut dixi, nihil praecipiant fieri contra mandata Dei.

Ideo autem de hoc tertio gradu libertatis rudiores docendi sunt, quia saepe perniciosae seditiones motae sunt ab indoctis, qui contenderunt oportere Christianos regi legibus Mosaicis. Hic error taxandus est, ut clare docent Prophetae, Christus et Apostoli, finem fore Politiae Iudaicae post passionem et resurrectionem Christi. Et ipsae ruinae Ierosolymorum testantur ante annos 1470 Politiam Iudaicam deletam esse. Hinc regula traditur, Abrogatas esse ceremonias Mosaicas, nec leges iudiciales Moysi ad Ecclesiam Christi pertinere. Politia illa ad certam Gentem pertinebat et duratura erat certo tempore, non pertinet ad alias Gentes aut alia tempora. Haec confirmantur multis perspicuis testimoniis, ut Act. 10. [44]) [vs. 35.] et ad Gal. 3. cap. [vs. 28.] et 5. [vs. 6.] In Christo Iesu nec circumcisio aliquid valet, nec praeputium, sed Fides, quae per dilectionem est efficax.

Sed hic quaestio agitatur, cum dicitur de abrogatione Legis: totane Lex intelligitur abrogata, an tantum duae partes, scilicet ceremoniae et forenses? Atqui maius onus est et durior carcer Lex moralis, quam ritus illi externi ceremoniarum.

Respondeo. De ceremoniis et forensibus legibus responsio non difficilis est. Sicut Athenis tabulae Solonis aut Romae decemvirales mutata Republica interierunt, sic ceremoniae et forenses leges Moysi promulgatae, ut certo tempore durarent et deleta politia Mosaica neminem obligarent, nunc extinctae sunt. Supra autem in discrimine veteris et novi Testamenti dictum est, cur constituta sit illa politia.

Sed de lege Morali difficilior est responsio, quam explicant [45]) Christus et Apostoli, et non intelligunt homines profani et sine poenitentia viventes. Nam Lex moralis non est lex mutabilis, ut ceremoniae aut tabulae decemvirales, sed Lex Moralis est aeterna et immutabilis regula in mente divina, praecipiens facienda, et prohibens ac puniens non facienda.

Ut haec propositio aeterna et immutabilis est: Deus est sapiens, bonus, iustus; sic hae propositiones aeternae et immutabiles sunt: Deus iudicat iustum esse, se conditorem a creatura rationali diligi et anteferri omnibus rebus; Deus iudicat vagas hominum libidines malas esse; Deus approbat obedientiam, quam postulat; Deus irascitur contumaciae.

Et huius legis sententia transfusa est in creaturas rationales, nec potest illis manentibus aboleri, sicut notitia numerorum aboleri non potest.

Manet igitur semper haec regula, scilicet lex moralis, et manet semper ordo divinae mentis, ut creatura obediat. Obligat autem omnis lex ad obedientiam vel ad poenam.

Cum igitur homines non praestiterint obedientiam, necesse fuit aut ipsos in poena interire aut alium persolvere poenam seu *λύτρα*. Itaque mirando et inenarrabili consilio solvit *λύτρα* Filius Dei pro nobis intercedens et derivavit in sese iram, quam nos sustinere oportuit. Quare non sine compensatione Deus legem suam mitigavit, sed iustitiam servavit in flagitanda poena. Ideo Christus inquit [Matth. 5, 17.]: Non veni solvere Legem, sed implere eam, scilicet subeundo poenam pro genere humano et docendo et instaurando eam in credentibus. Difficilis est explicatio huius rei, sed pios oro, ut haec, quae dixi, expendant. Et cum Christus *λύτρα* persolverit, liberati sumus a Lege

43) aeterni] Editt. 1 3. aeterna

44) 10.] Ed. 1. XV.; Ed. 3.: 25.

45) explicant] Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. explicat

propter ipsum, scilicet ne maneamus in maledictione, modo ut fide beneficium eius nobis applicemus. Ideo Paulus diserte inquit, nos liberatos esse a maledictione Legis, scilicet quia Christus persolvit λύτρα. Non remissa sunt peccata in voluntate Dei aliqua mobilitate sine caussa, sed intercessit magna compensatio propter iustitiam Dei. Sic primi Patres etiam ante Moysen, Abraham, Isaac, Iacob, et deinde Moyses, Samuel, David, Baptista sentiebant sibi remitti peccata et se recipi propter Filium Dei, non propter Legem, et se reconciliatos, quanquam non erant sine sordibus, tamen Deo placere, quia a Lege liberati essent propter Filium, quem sciebant λύτρα persoluturum esse, sicut Baptista inquit [Ioh. 1, 29.]: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, id est, Victima a Deo destinata. Haec est abrogatio Legis Moralis, de qua Paulus concionatur diserte dicens, per Christum nos a maledictione Legis redemptos esse. Ita liberati sumus, si beneficium Christi nobis fide applicamus.

Haec doctrina nos de utraque re admonet, de ingenti [46]) ira Dei adversus peccatum, quod non remissum est sine compensatione, et de admirando beneficio Christi. Semper odit Deus peccatum, sed quia iram suam in Filium derivavit, nos recipit. Lex enim obligat, ut dixi, ad obedientiam vel ad poenam, et poena a Filio persoluta est.

Nunc igitur ad principalem quaestionem respondeo. Liberati sumus a maledictione legis Moralis, quia Filius persolvit λύτρα, et propter Filium recepti sumus, sed manet ordo Dei aeternus et immutabilis, ut creatura Deo conditori obtemperet. Non accusat, non damnat Lex reconciliatos, sed manet ordo in mente divina et in nostra mente, ut Deo obediamus. In hanc sententiam dicitur: Abrogata est Lex, quod ad maledictionem attinet, non quod ad obedientiam attinet. Ideo et Spiritus sanctus datur, ut deinde vere accendantur in cordibus nostris motus congruentes Legi Dei, ut 2. Cor. 3. [vs. 18.] Nos retecta facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur a gloria in gloriam tanquam a Domini spiritu.

Ex his intelligi potest dictum Pauli [Rom. 6, 14.]: Non estis sub Lege, sed sub gratia, scilicet, quia in Christum translata est poena, credentes liberati sunt ab ira et iam propter Christum iusti seu accepti sunt, etiamsi haerent in eis reliquiae peccati, quibus repugnant spiritu. Quod dicitur [1. Tim. 1, 9.], Iusto non est Lex posita, manifeste eo loco apud Paulum de disciplina dicitur, ait Legem positam iniustis, adulteris, homicidis etc. ut coërceantur, accusentur, puniantur. Hac disciplina et hoc carcere iustus, id est, renatus Spiritu sancto, non domandus [47]) est, sed regitur Spiritu [48]) sancto, praelucente verbo Dei, cui scit creaturam rationalem subiectam esse. Et eo loco apud Paulum emphasis est in verbo κεῖται. Iustum Lex non premit, non obruit.

Quartus gradus est libertatis, quod Evangelium docet ritus humana auctoritate factos in Ecclesia de Adiaphoris non mereri remissionem peccatorum, non esse iustitiam Evangelii, non servandos esse cum opinione necessitatis, sed posse omitti extra casum scandali. Haec clare traduntur in his dictis [Matth. 15, 9.]: Frustra colunt me mandatis hominum. Item [Col. 2, 16.]: Nemo vos arguet [49]) in cibo, potu etc. Recensui autem supra, quos errores addant hypocritae illis humanis ritibus; quos errores cum refutari [50]) necesse sit, de hoc gradu libertatis in Ecclesia dicendum est. Deus vult se et voluntatem suam agnosci ex verbo suo, non concedit nobis licentiam fingendi opiniones nostro arbitrio, ut finxerunt Ethnici et idolorum cultores omnibus temporibus. Nam hic fons est multorum errorum, quod homines putant sibi licere de Deo fingere opiniones et bono studio, ut dicunt, cultus instituere. Pium ducunt Thebani petere a Deo ubertatem vinearum; ideo Bacchanalia instituunt. Pium ducunt Siculi petere, ut frumentum feliciter proveniat; ideo Cererem et filiam colunt. Pium ducunt Romani petere victoriam in bellis; ideo Martem colunt. Et hi cultus cumulantur.

Omnes autem hi errores ex hoc uno fonte oriuntur, quod putant homines, sibi licere fingere suo arbitrio opiniones de Deo et cultus. Sicut et Aaron [51]) putabat fingens cultum ad vituli simulacrum, et Ieroboam audacissime abducens populum Israël a templo Dei ad sua sacrificia.

Hic clamant sapientes: Quid haec res mali habet? Cur non concederetur augere honesta exercitia? Quid Ethnici, quid Aaron [51]), quid Ieroboam aliud volebant, nisi ut notitia Dei conservaretur, ut populus ad invocationem invitaretur, ut bonis exercitiis ad pia opera assuefieret? Hae [52]) species et hae πιθανολογίαι semper fefellerunt, fallunt et fallent genus humanum.

Ita nunc sapientes ratiocinantur: Quid mali est, a multis et singulis offerri Christum? Fiunt

46) ingenti] Editt. 18. 20. 25., Corp. 1—8. ingente

47) domandus] Editt. 20. 22. 24. 26—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2. damnandus

48) Spiritu] Editt. 1—7. 9. 12. a Spiritu

49) arguet] Editt. 1—4. 6. 7. 9. 12. 28. 29. 31—33., Opp. 1. 2. arguat

50) refutari] Editt. 18. 20. 22. 24. 25. 28 — 34., Corp. 1 — 8., Opp. 1. 2. refutare

51) Aaron] Editt. 1—3. 6. 7. 9. 12. Aharon

52) Hae] Editt. 1—4. 6. 7. 9. Haec

ibi precationes pro vivis et mortuis. Quid mali est, circumgestare partem Sacramenti? Augetur populi invocatio et Sacramentum honore afficitur. Quid mali est, petere a mortuis, qui vivunt apud Deum, ut pro nobis intercedant? Haud dubie tota Ecclesia in coelo et in terris semper coniungit preces. Speciosa haec sunt et ab eloquentibus ornari possunt.

Sed hae speciosae rationes et πιθανολογίαι abducunt homines a verbo Dei. Ideo hi ludi a Deo prohibiti sunt. Nam simili audacia fingunt haeretici suos errores, alii alios, imo luctante conscientia de remissione peccatorum et de voluntate Dei in magnis calamitatibus animi sic assuefacti, ut rationis opiniones sequantur, amittunt veras consolationes a Deo traditas.

De parvis rebus inquiunt viri politici moveri certamina, quae sint exitiosa imperiis. Haerent enim discordiae et crescunt factionum studiis et odiis. Nam homines non moderate [53]) dissentiunt. Cur igitur, inquiunt, de lacte, de ovis, de esu carnium tantas agitis tragoedias? Cur non antefertis his minutis rebus publicam concordiam et tranquillitatem?

Vera et firma responsio est, non de parvis rebus dimicari, sed de multis magnis rebus, quae sunt anteferendae nostrae vitae, omnibus corporum commodis, imperiis et concordiae publicae, videlicet de vera agnitione et invocatione Dei, ne de Deo et eius voluntate quaerantur opiniones extra verbum ab ipso traditum, sicut fecerunt Ethnici et omnes fanatici spiritus, Samosatenus, Arius, Manichaei, Pelagius, Mahomet.

Talis furor reprehenditur, qui etiamsi dissimiles materias proponit, tamen uniusmodi est. Ex iisdem tenebris oriuntur Bacchanalia et Samosateni error et leges Manichaeorum de cibis et lex Pontificum de coelibatu Sacerdotum et Sacrificulorum temeritas de venditione Missarum et invocatione mortuorum.

Vult Deus mentes nostras alligatas esse ad suum verbum, a quo cum discessum est, sequuntur infinita deliria et idola. Itaque de hac regula dimicamus, ne a verbo Dei discedatur. Quare de re omnium maxima Ecclesiam commonefaciamus [54]) et quidem mandato divino. Nota est enim sententia [Gal. 1,9.]: Si quis aliud Evangelium docebit, Anathema sit.

Praeterea sapientes illi politici excerpunt minuta in speciem, esum carnium aut [55]) ovorum, his, aiunt, anteferenda erat concordia publica. At non tantum de esu carnium aut talibus minutis rebus contendimus. Dixi de fonte errorum [56]) commonefaciendam esse Ecclesiam, id est, de audacia humana discedente a verbo Dei, quae finxit non tantum leges ciborum, etsi hae solae etiam multum errorum gignunt, sed etiam alia manifestiora idola, ut venditiones Missarum pro vivis et mortuis, invocationes mortuorum, legem coelibatus et alia. Nec finis est horum furorum. Nunc Anabaptistae simili furore novas opiniones et novos ritus excogitant. Necessaria est igitur Ecclesiae doctrina de hoc quarto gradu libertatis, et diligenter consideranda est caussa, quod necesse sit admoneri Ecclesiam, ne a verbo Dei discedatur. Lucerna pedibus meis verbum tuum, inquit Propheta [Psalm. 118, 105.].

Faciles sunt autem lapsus et initio obscuri, cum hac luce excussa amplectuntur animi humanas opiniones, quae stabiliunt idola, et quaeruntur πιθανολογίαι, quas Paulus ipse inquit speciem habere sapientiae, cum tamen sint imposturae. Quid vetat, inquiunt, cum nobiscum universa Ecclesia in coelis et in terra semper oret Deum, ne sinat extingui veram doctrinam, sed ut colligat sibi et regat Ecclesiam, compellare etiam sanctos, qui fruuntur Dei consuetudine, et hortari, ut suas preces ad nostras adiungant; Certe norunt hanc esse voluntatem piorum. Haec plausibiliter dicuntur, sed hic praetextus quanta scelera confirmat!

Exaudire singulorum vota et spectare motus cordium solius est Dei seu omnipotentis naturae, ut clare dicitur 2. Paral. 6. [vs. 30.] Tu solus nosti corda filiorum hominum. Hunc honorem mortuis tribuunt illi, qui compellant singulos. Deinde accedunt maiora deliria, fingunt mortuos ipsos esse opitulatores, et aliis alia munera attribuunt; Prorsus ut Ethnici a Iunone divitias, a Pallade sapientiam, a Venere felices amores, a Marte victorias et ab aliis alia petebant. Ita cumulantur delicta, cum initio propter plausibilem rationem non procul discessisse a verbo Dei videmur. At constat nullum esse exemplum invocationis mortuorum in Propheticis et Apostolicis scriptis. Constat non esse invocationes instituendas humana audacia. Hae regulae opponendae sunt illis fucosis excusationibus, quibus nunc astuti quidam pingunt idola, ut olim in festis pingebantur statuae,

Sanguineis ebuli baccis minioque rubenti [57]).

Haec ad commonefaciendos studiosos dixi, ne praestigiis illis excusantium errores et idola abduci se a veritate sinant. Nam si ludi illi audacissimi

---

53) moderate] Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. moderati

54) commonefaciamus] Editt. 1—10. commonefacimus

55) aut *excidit in* Corp. 2. 4.

56) errorum] Editt. 22. 24. 28—34., Opp. 1. 2. eorum

57) Virg. Eclog. X. 27.

excusantium idola concedentur, quae religionum confusiones erunt! Horresco cogitans has Diaboli insidias. Et quia nulla humana diligentia satis cavere has γοητείας potest, Oro Dominum nostrum Iesum Christum, pro nobis crucifixum et resuscitatum, ut ipse puritatem sui Evangelii defendat et omnia idola destruat et mentes nostras regat, ut vera et salutaria doceamus et agamus.

Nunc ad usitatum argumentum respondebo, quod obiicitur.

Potestati necessario obediendum est,
Potestas Ecclesiastica instituit ritus tum de rebus adiaphoris tum de aliis.
Necesse est igitur servari ritus, praesertim in rebus adiaphoris.

Respondendum est ad maiorem, quae non est vera, cum potestas praecipit, ut impia doceamus aut faciamus. Tunc enim necesse est adversari iuxta illas regulas [Act. 5, 29.]: Oportet Deo magis obedire, quam hominibus. Primum igitur, cum traditiones aperte praecipiunt ea, quae sine peccato non possunt fieri, constat eas esse doctrinas Daemoniorum, nec obediendum eis esse, sed redeundum ad mandata Dei. Tales sunt multae traditiones Pontificiae, ut abusus Coenae Domini, Invocatio mortuorum, Lex de Coelibatu. Hae traditiones reiiciendae sunt, et obtemperandum mandatis Dei. Primum mandatum inquit [Exod. 20, 3.]: Non habebis Deos alienos. Non igitur invoca mortuos, sed invoca omnipotentem Deum, conditorem omnium rerum, qui se patefecit dato Evangelio et misso Filio suo, Domino nostro, Iesu Christo, pro nobis crucifixo et resuscitato, et sic invoca, quemadmodum ipse docuit [58]) nos invocare, fiducia Filii Mediatoris etc. Deinde etiam cum traditiones loquuntur de rebus sua natura adiaphoris, tamen fiunt impiae et doctrinae Daemoniorum propter errores, qui simul proponuntur ac defenduntur, videlicet quod mereantur remissionem peccatorum aut sint cultus Dei, id est, opera, quibus Deus iudicet se honore affici, aut quod Episcopi habeant potestatem instituendi tales cultus. Hos errores taxari necesse est. Et exempli caussa adversandum est, ut Ecclesia intelligat, non discedendum esse a verbo Dei, nec laxandos esse frenos humanae audaciae, ut fingant [59]) homines suo arbitrio opiniones et cultus. Propter has caussas et Christus excusat Apostolos violantes traditionem Pharisaicam Matth. 15.

Haec prima solutio maxime perspicua et plana est. Sed tenenda est et altera, quae etiam vera et firma est. Maior vera est de Obedientia, qualem docet Evangelium. In his, quae sunt iuris divini, conscientia necessario debet obedire Pastoribus iuxta illud [Luc. 10, 16.]: Qui vos spernit, me spernit. De ritibus adiaphoris, qui boni ordinis caussa instituti sunt, Evangelium praecipit, ne sentiamus, cultus aut res necessarias [60]) esse. Sed servari concedit sine opinione iustitiae aut necessitatis. Hanc sententiam divinitus traditam non potest humana auctoritas abolere. Quare etiam cum praecipiunt Episcopi, obedientia sit talis, ne deleat sententiam a Deo traditam.

Hae responsiones verae sunt et firmae, nec pugnant cum hac voce Christi [Matth. 23, 2.]: Super cathedram Moysi sedent Scribae et Pharisaei; Omnia, quae dicunt, facite. Nam haec sententia non praecipit, ut facias aut sentias aliquid contra mandata Dei. Imo alio loco praecipitur [Luc. 12, 15.]: Cavete a fermento Pharisaeorum. Et Matth. 15. expresse reiiciuntur humanae traditiones, quae sunt corruptelae Legum divinarum. Et Paulus inquit [Galat. 1, 9.]: Si quis aliud Evangelium docebit, Anathema sit. Nequaquam amplectendae fuerunt interpretationes Pharisaeorum, quae finxerunt sacrificia Levitica mereri remissionem peccatorum, Messiam non fore victimam pro peccatis, sed occupaturum esse mundi imperium et distributurum regna Iudaeis. Tales furores certe non erant amplectendi. Ideo dictum illud Christi non accipiatur [61]) de traditionibus aut opinionibus pugnantibus cum verbo Dei.

Nec [62]) vero dicuntur haec, ut quiddam [63]) de vera auctoritate ministerii Evangelici [64]) ac pastorum detrahatur. Imo horum auctoritas munitur. Affirmamus deberi necessario obedientiam recte docentibus in iis rebus omnibus, quae sunt iuris divini; iuxta illud [Luc. 10, 16.]: Qui vos audit, me audit. Sed haec sententia non potest transferri ad opiniones aut leges pugnantes cum Evangelio, nec regnum extra Evangelium constituit. Deinde et hoc addimus, cum boni ordinis caussa tempora et lectiones distribuunt, ita servandos esse eos ritus, ut scandala caveantur. Ac praesertim nos in Ec-

58) docuit] Corp. 1. 2. 4. docet

59) fingant] Editt. 1. 3. fingunt

60) aut res necessarias] sic Editt. 1. 3. 6. 7. 12.; Editt. 2. 9. aut necessarias, *excidit enim* res: *male igitur* Ed. 4. *mutarit:* aut necessarios, *quod tamen omnes reliquae* Editt *servarunt. (Subaudi:* ritus.)

61) accipiatur] Editt. 16—18. 20—28. 30. 34.. Corp. 1—6., Opp. 1. 2. accipitur; Corp. 7. 8. incipitur

62) Nec] Editt. 14. 19. Non

63) quiddam] Editt. 1—9. 12. quidquam

64) Evangelici] Editt. 20. 25.. Corp. 1—8. Evangelii

clesiis emendatis meminerimus, qui honos debeatur ministerio Evangelii.

Praecipuum beneficium Dei est hoc ministerium et ingentibus miraculis a Deo subinde instauratum est et defensum in genere humano. Et vult Deus sonare suum Evangelium in publico coetu et honestis congressibus, sicut scriptum est [Psalm. 149, 1.]: Laus eius in Ecclesia sanctorum. Ibi nomen suum invocari et celebrari vult in quadam frequentia, et addit [65]) promissionem congregationi [Matth. 18, 20.]: Ubi duo aut tres congregati sunt in nomine meo, in medio eorum sum. Iterum dico vobis [vs. 19.]: De quacunque re duo in terra consenserint, quam petent, fiet eis a Patre meo coelesti. Vult etiam illos ipsos congressus publicos testes esse tuae confessionis, vult et conspici seiunctionem verae Ecclesiae retinentis Evangelium ab aliarum sectarum conventiculis.

Itaque publici [66]) Ecclesiae congressus necessarii sunt ad retinendum ministerium Evangelii. Quare in Ecclesiis, quae recte docentur, omnes et ament et adiuvent congressus publicos, obtemperent pastoribus recte docentibus, qui tempora et lectiones distribuunt. Quoties in templum venis, cogita de immenso beneficio Dei colligentis sibi Ecclesiam aeternam ministerio et voce Evangelii et simul de tota doctrina creationis et redemptionis humani generis ipse te commonefacito, memento promissionem datam de praesentia Dei. In hoc coetu vult Deus invocari et exaudire. Hic ostendas in invocatione et usu Sacramentorum te membrum esse populi Dei et auditorem Christi; Ac simul illam vocem tecum repete, quam vellem omnium templorum parietibus inscriptam esse [Rom. 8, 30.]: Quos elegit, hos et vocavit. Nulli sunt electi extra hunc coetum vocatorum, non alibi populum Dei nisi inter vocatos quaerito. Sunt autem vocati, qui sunt socii huius coetus audientis Evangelium et Sacramentis inserti huic coetui. Quanta haec consolatio est piae menti, nosse tantum in his coetibus esse haeredes vitae aeternae, non alibi! Agas igitur gratias Deo aeterno, Patri Domini nostri Iesu Christi, quod te vocaverit [67]) ad Evangelii agnitionem et ad hos coetus et congressus. Et omni officio horum congressuum frequentiam adiuves ac tuearis. Ipsos etiam pastores recte docentes ama et eis reverenter obedias in functione ministerii et benigne confer ad eos alendos, ubi opus est. Haec et cogitanda piis et vero studio facienda sunt.

Sic et de scholis, in quibus sonat vox Evangelii, sentiamus, sciamus Deum velle tales esse docentium et discentium congressus, et has partem esse Ecclesiae, in qua multi sint electi, haeredes vitae aeternae, et quidem ex hoc ipso coetu sumi [68]) doctores, per quos Deus ministerium Evangelii publicum servat. Regnat Christus ad dextram Patris aeterni, ut dona det hominibus, Pastores et Doctores; Adest ergo et [69]) in hoc ipso piarum scholarum consessu [70]), et ex hoc numero eligit ac praeparat Spiritu sancto pios scholasticos, ut Ecclesiae suae deinde serviant et Evangelii propagationem adiuvent. Amandi sunt igitur et fovendi hi coetus, et adiuvandi congressus, qui quidem nos etiam de aeterna vita admoneant.

Nam illa infinita aeternitas talis erit consuetudo convenientis Ecclesiae ad audiendam [71]) Dei et Domini nostri Iesu Christi sapientiam et ad mutua colloquia cum primis Patribus, Prophetis, Apostolis et aliis, quorum sermone laetabimur. Imo quoties adsumus in Ecclesiae aut scholarum congressibus, optemus, ut quam primum laetissimus ille dies illucescat, in quo [72]) Filius Dei, Dominus noster, Iesus Christus, resuscitatis mortuis, hunc universae suae Ecclesiae congressum et hanc scholam nobis ostendet [73]).

---

65) addit] Editt. 1. 3. addidit

66) publici] Ed. 9. publicae

67) vocaverit] sic Editt. 18. 20. 22. 24. 25. 28—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2.; ceterae Editt.: vocarit

68) sumi] sic Editt. 1 — 3. 6. 7. 9. 12.; Ed. 4. sumit *indeque sic omnes reliquae* Editt., *tametsi haec mutatio ex operarum festinantium omissione* Deus *vocabuli statim notata provenisse videatur.*

69) Deus . . . et] *utraque vox, quam his locis* Editiones 1. 3. 6. 7. 12. *exhibent, excidit in* Ed. 2., *indeque abest ab omnibus reliquis* Editt.

70) consessu] Editt. 18. 22. 24. 28—34., Corp. 2—8., Opp. 1. 2. consensu

71) audiendam] Editt. 22. 24. 28. 29. 31—33., Opp. 1. 2. audiendum

72) quo] Editt. 18. 20. 22—34., Corp. 1—4., Opp. 1. 2. qua

73) Editt. 1. 2. 4. 5. 9. *addunt utpote in fine:* τελος ϑεῷ δόξα.; Editt. 3. 6. 7. 12.: Finis.; Editt. 8. 10. 11.: *ΤΕΛΟΣ Τῷ μόνῳ δόξα Θεῷ.* (Editt. 10. 11. *pone sequentem appendiculam loco de Cruce inserendam repetunt:* Τέλος, Θεῷ δόξα.): Corp. 1—8.: AMEN.

[Appendix I.]

DE CONIUGIO.[1])

Consilia Dei omnia in creatione enarrari non possunt, sed tamen aliquorum operum caussam conspici Deus voluit, videlicet praecipuorum. Certissimum est Angelos et homines conditos esse, ut essent aliquae naturae, quibus suam sapientiam, iustitiam et ceteras virtutes et laetitiam aeternam communicaret, quia bonum est communicativum sui, ac ut vicissim agnosceretur ipse. Transfudit igitur in mentem humanam sapientiam congruentem cum sua mente, ut in nobis testimonium extet, quod sit Deus, qualis sit, et quod sit Iudex. In hoc opere non est obscurum consilium Dei.

Nec vero quaerendae sunt omnium caussae, et reverenter Deo obtemperandum est. Angelorum agmina simul condidit, nec est in ea natura propagatio. Homines aliter condidit, voluit esse propagationem a paucis. Et tamen duos condidit initio, quia semper vult Ecclesiam societatem esse. Et voluit in his lucere intellectum virtutum, iustitiae, veritatis, castitatis, beneficentiae et aliarum, quia his notitiis vult discerni naturam divinam a naturis iniustis et immundis. Non enim amplectimur Deum brachiis corporis, sed mente et fide intuendus est invocatione et harum virtutum attributione discernendus ab aliis rebus, et intuenda sunt testimonia patefactionis etc.

Facit autem illustre discrimen Castitas, quia Diaboli et homines sunt immundi. Ac ut discernas Deum a Diabolis, semper in invocatione cogites te alloqui castum Deum.

Sanxit igitur ordinem et vagas libidines prohibuit et severissime punit, et vult homines nosse et reverenter tueri certas Leges coniugii ab ipso traditas, quarum primae statim in Paradiso editae sunt. Prior, ut sit coniugium copulatio unius maris et unius feminae indissolubilis: Erunt duo in carnem unam, id est, unus mas et una femina inseparabiliter iuncti. In hac voce manifestum est omnes vagas libidines prohibitas esse. Altera de incestis: Relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae. Postea de incestis et aliae leges voce divina additae sunt.

Est ergo coniugium legitima et indissolubilis copulatio unius maris et unius feminae instituta divinitus, ut agnoscamus Deum esse mentem castam, et ei in castitate serviamus, et hoc modo propagato genere humano colligatur aeterna Ecclesia Deo. Et quidem Ecclesiae initium fuit illa prima societas duorum coniugum.

Partes definitionis.

Primum in definitione posita est particula Legitima copulatio, quae restrictiones quatuor complectitur, de quibus loquuntur leges divinae ac deinde humanae, quarum vera est et digna reverentia auctoritas, scilicet de personis, de consensu, conditionibus,[2]) et de errore.

Prima restrictio de personis.

Sit notissimum caput 18. Levitici, in quo recitantur personae, quas non licet coniungi. Voluit enim Deus sua sapientia Castitatem intelligi, et ut intelligeretur, nequaquam voluit vagari libidines, sed personarum numerum et gradus sanxit, et in hac vita manifestis poenis universaliter punit incestas libidines. Ac sciendum est leges in Levitico, quae prohibent commixtionem personarum, quae ibi recitantur, esse leges naturae et obligare omnes gentes, sicut expresse dicit textus Aegyptios et Cananaeos puniri propter incestas libidines. Ergo etiam aliis gentibus extra politiam Moysi prohibitae sunt incestae libidines.

Ac discant iuniores numerare gradus consanguinitatis et affinitatis.

---

1) Hic tractatus, qui primum a 1551. separatim prodiit, sequenti anno 1552. his Locis in Ed. 13. additus et in omnibus seqq. Editt. eorum servatus est (vide pag. 571 sq. ad Ed. 13.). Praeterea in *Examinis Ordinandorum*, quod in subsequenti Vol. edemus, parte extrema exhibetur, eodemque loco etiam in *latini Corporis doctrinae* Editt. et in *Operum Witebergensium* Parte I. exstat (vide pag. 587 sq. 591 sq.). Quapropter in hac Ed. non solum *Locorum* Editt. 13—34., et *Corporis* Editt. 1 — 8. atque Partis I. *Operum Witeb.* Editt. 1. 2. contulimus, sed etiam *Examinis Ordinandorum* Editionem principem (Witebergae 1554. 8.), alteram (Witebergae 1555. 8.) et tertiam (Witebergae 1556. 8.), quas *Ex.* 1., *Ex.* 2. et *Ex.* 3. signabimus. (Harum ceterarumque Editt. huius libri descriptionem vide in seq. Vol. XXII.).

2) conditionibus,] Corp. 1—8. de conditionibus,

[3]) Consanguinei sive cognati sunt, ut Iurisconsultus inquit, ab eodem orti et propagati. Estque consanguinitas vinculum personarum, quae propterea, quod ab eodem stipite ortae sunt, sanguinis et naturae societate propius iunctae sunt. Discernuntur autem lineis et gradibus.

Linea triplex est, Ascendentium, Descendentium, et Collateralium.

Gradus est intervallum, quo cognoscitur, quae persona stipiti proprior sit. Usitata autem consuetudo numerandi gradus hoc tempore et expeditior haec est: Inchoanda est series ab uno stipite, ut Abraham. Supra ponantur maiores eius, infra ponantur filii et nepotes.

Thare

Aram	Abraham	Nachor [4])
	Isaac	
	Iacob	
	Ioseph.	

Addantur in lateribus fratres et sorores. Traduntur autem regulae tres ad gradus discernendos.

Prima regula traditur de recta linea, videlicet ascendentium et descendentium.

Quot sunt personae, tot sunt gradus, una dempta, videlicet dempto stipite, a quo inchoanda est supputatio; ut Ioseph distat tertio gradu ab Abraham, Iacob secundo, Isaac primo. Itaque filius primum gradum constituit, nepos secundum, pronepos tertium, abnepos quartum. Ac de recta linea traditur vetus sententia: Nullos ascendentes et descendentes inter se posse connubium contrahere. Quare si Adam hodie superstes esset, non posset ducere uxorem.

Secunda regula de collateralibus.

In linea aequali quoto gradu distat altera persona a communi stipite, toto gradu inter se distant. Ergo duo fratres seu frater et soror unum gradum tantum constituunt, videlicet primum; ut Iacob primo gradu iunctus est Esau.

Aeacus

Peleus	Telamon	Phocus
Achilles	Aiax	Epeus
Pyrrhus	Eurysaces.	

Iam si vis scire, quoto gradu inter se iuncti sint Achilles et Aiax, vide unam seriem, et observa, quoto gradu distet Achilles a stipite. Distat autem secundo gradu. Quare et inter se distant Aiax et Achilles secundo gradu. Ad hunc modum facilis est sequentium personarum supputatio.

Aliud exemplum.

Pelops

Pytheus	Lysidice
Aethra	Alcmena
Theseus	Hercules.

Fuerunt igitur cognati materna origine Theseus et Hercules, consobrini iuncti tertio gradu.

Aliud.

Ernestus Austriacus.

Fridericus III. Imp.	Soror
Maximilianus	Ernestus Saxo. Elector
Philippus	Ioannes Elector
Carolus V. Imperator	Ioannes Fridericus primus.

Nunc inter collaterales prohibita sunt connubia intra quartum gradum. Olim fratrum filiis et filiabus licuit inter se contrahere connubia, etiam Romanis legibus; ut Orestes duxit consobrinam Hermionem.

Atreus

Agamemnon	Menelaus [5])
Orestes	Hermione.

Simile exemplum est in Genesi:

Bathuel

Rebecca	Laban
Iacob	Rachel et Lia.

Iacob iunctus est consobrinae suae Rachel secundo gradu.

---

3) *Seqq.* Consanguinei — — sed non fuit affinis fratri Agrippae. ***maxima ex parte congruunt cum iis, quae in dissertatione*** „De arbore consanguinitatis et affinitatis, sive de gradibus," ***quam in huius*** Corp. Vol. XVI. p. 509 — 524. ***edidi, in parte priore*** p. 511—517. init. ***leguntur***

4) Nachor] Corp. 1—8., Opp. 1. 2. Nahor

5) Menelaus] Ed. 13. male: Menalus

Aliud.

Iephunne

Caleb — Cenas
Axa — Othoniel.

Tertia regula.

In linea inaequali, quoto gradu remotior distat a stipite, toto inter se distant.

Thare

Abraham — Aram
Sara.

Sara distat secundo gradu a stipite, ergo et Abrahae iuncta est secundo gradu. Hoc gradu in linea inaequali prohibita sunt coniugia iure divino, quia universaliter maiorem reverentiam Deus tribui vult superiori gradui, quam aequali.

Parthaon

Oeneus — Agrius
Tydeus — Thersites
Diomedes.

Diomedes iunctus fuit Thersitae tertio gradu, in linea inaequali.

Thare

Abraham — Nachor
Isaac — Bathuel
Rebecca.

Rebecca distat tertio gradu a stipite, ideo et ab Isaac distat tertio gradu.

DE AFFINITATE.

Affinitas est propinquitas personarum, quae non sunt iunctae[6]) copula carnali; ut David alienus est a Ionatha, sed quia duxit uxorem sororem Ionathae, iam fit affinis Ionathae.

Regula.

Quoto gradu quispiam est mihi consanguineus, toto gradu uxor eius est mihi affinis, ut frater et frater sunt iuncti primo gradu consanguinitatis; ergo fratris mei uxor est mihi iuncta primo gradu affinitatis.

Priamus

Helenus — Hector, uxor Andromacha.[7])

Ergo Andromacha[8]) fuit iuncta Heleno primo gradu affinitatis.

Herodes

Herodes — Philippus, Herodias uxor.

Ergo Herodias fuit iuncta Herodi primo gradu affinitatis.

Iacob — Noverca Bala
Ruben.

Ergo Ruben attigit novercam primo gradu affinitatis. Sed eo fuit abominabilius scelus Ruben, quam Heleni, quia Ruben violavit patris torum, cui maior reverentia debebatur, quam fratris toro, iuxta dictum: Relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae. Et cum Ruben maledictus sit, manifestum est prohibitionem primorum graduum esse iuris naturae.

Pelops

Atreus — Thyestes
Clytaemnestra Agamemnon — Aegisthus

Ergo Aegysthus secundo gradu affinitatis attigit Clytaemnestram.

Casimirus Rex Poloniae.

Sigismundus Rex Poloniae — Barbara coniux ducis Georgii
Hedbigis posterior coniux Marchionis. — Filia, prior coniux Marchionis.

Ergo Sigismundi filia fuit consanguinea filiae Ducis Georgii gradu secundo. Fuit igitur Marchioni affinis secundo gradu.

Non late vagatur affinitas, nam consanguinei mei non sunt affines consanguineis uxoris meae. Ego a consanguinea uxoris meae abstinere debeo, et mei consanguinei debent abstinere a mea uxore, non a consanguineis meae uxoris. Quare duo fratres cum duabus sororibus contrahere possunt. Non enim impediuntur affinitate. Pater et filius cum matre et filia contrahere possunt. Habent autem aliquae personae nomina.

Socer — Socrus
ἑκυρός, mariti pater,[9]) — ἑκυρά, mariti mater,

---

6) quae non sunt iunctae] sic Editt. 17. 18. 20—25. 28—34., Corp. 1—8.; at Editt. 13—16. 19. 26. 27., Opp. 1. 2., Ex. 1—3. et Dissert. de consanguin. exhibent: quae sunt iunctae

7) Andromacha.] Ed. 21. Andromache.

8) Andromacha] Editt. 13—17. 19. 21. Andromache

9) mariti Pater] Editt. 20. 25. pater uxoris

πενθερός, pater uxoris,	*πενθερά*, mater uxoris
Gener,	Nurus
Vitricus,	Noverca
Privignus,	
Mariti frater, Levir,	Mariti soror, Glos,
δαήρ,	*γάλως*,[9a]) et fratris uxor,
Duorum fratrum uxores, *εἰνατέρες*.	

Hae appellationes extant Iliados 6. [vs. 344.] ubi Helena Hectorem appellat *δαέρα*. Postea vero [10]) Hector interrogat, an abierit aliquo Andromache ad sorores viri aut ad fratrum coniuges: *ἠέ πη ἐς γαλόων ἢ εἰνατέρων εὐπέπλων*.

Octavius

Augustus	Octavia soror
Agrippa Iulia	Marcella.

Ergo Augustus fuit affinis Agrippae in primo gradu, sed non fuit affinis fratri Agrippae.[3])

Duplex prohibitio.

Saepe repetita est haec sententia et saepe cogitanda, notitias virtutum a Deo traditas esse creaturis rationalibus, ut testentur, quod sit Deus, et doceant, qualis sit et quod sit iudex et vindex. Ac praecipue castitas facit illustre discrimen inter Deum et Diabolum. Sanxit igitur Deus ordinem coniugii, ut castitas intelligatur, et severissime punit incestas commixtiones, ut Sodomorum, Cananaeorum, Oedipi, Agamemnonis, Aegisthi, Paridis, regum Aegyptiorum, Davidis et filiorum Davidis poenae ostendunt. Et universaliter multae calamitates publicae sunt libidinum poenae, sicut scriptum est [Hebr. 13, 4.]: Scortatores et adulteros iudicabit Deus. Tueamur igitur castitatem maiore cura, ac de gradibus personarum prohibitis sciamus duplicem esse prohibitionem: Altera est iuris divini, altera iuris humani.

Prohibitio divina extat Levit. 18., quae in recta linea intelligatur prohibere commixtionem inter omnes sursum et deorsum. In collateralibus prohibet primum et secundum gradum in linea inaequali, hoc est, ne frater ducat sororem, nec nepos ducat amitam [11]) aut materteram, nec neptis nubat patruo aut avunculo. Ac intelligatur textus de gradibus, non tantum de personis, ut Iudaei nugantur.

Ceterum lex divina non prohibet connubia in secundo gradu in linea aequali, hoc est, duorum fratrum liberis concedit coniugium, ut Orestes potuit ducere Hermionem.[12])

Agamemnon	Menelaus
Orestes	Hermione.

Matthan

Iacob	Eli
Maria	Ioseph.

Etsi autem politia Moysi non pertinet ad nos, tamen regula universaliter tenenda est, Mandata naturalia ad omnes homines et ad omnia tempora pertinere, quia sunt normae Iustitiae in mente et voluntate divina immutabiles. Quare et statim in Paradiso in primo gradu ascendentium et descendentium prohibitio edita est: Relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae. Et postea Patrum voce declarata est haec voluntas Dei, ut Iacob maledicit filio, qui attigerat novercam. Et textus in Levitico affirmat, puniri Cananaeos propter incestas libidines.

Cum autem Deus puniat gentes, quae sunt extra politiam Moysi, et quae fuerunt ante Moysen, perspicuum est has prohibitiones esse aeterna et immutabilia mandata, et pertinere ad omnes homines. I eo et Paulus punit Corinthium, qui attigerat novercam.

Huc addantur exempla poenarum, quae plurimae leguntur in omnium temporum historiis. Sciendum est igitur, non valere dispensationes, quae concedunt commixtionem in gradibus prohibitis in eo textu Levitici 18.

Additae sunt autem divinis prohibitionibus et humanae quaedam in proximis gradibus, ut in secundo gradu in linea aequali, et tertio gradu, ut maiore reverentia divinae prohibitiones observentur. Hoc consilium honestum et probandum est. Sed sciant omnes gubernatores discrimen prohibitionum divinarum et humanarum. Divinae nequaquam solvi humana auctoritate possunt. Sed interdum probabilis ratio incidere [13]) potest, quare humanae prohibitiones laxentur, quod tamen circumspecte fiat per Pastores et Magistratus, non privata temeritate.

Ceterum prohibitiones de cognatione spirituali prorsus reiiciendae sunt, qualis est, ne quis ducat eam, cuius Baptismo affuit. Pertinet etiam ad officium Magistratuum, quolibet loco re sapienter deliberata constituere, quas prohibitiones humanas retinere velint. [14])

9a) *γάλως*] Ed. 16. male: *γαρῶς*

10) Scil. Hom. Il. VI, 378.

11) amitam] Editt. 13—16. amicam

12) Hermionem] sic Editt. 15—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2., Ex. 1—3.: Editt. 13. 14. Hermionen.

13) incidere] Editt. 22. 24. incedere

14) velint] Editt. 13—20. 23. 25., Ex. 1. 2. velit

DE EXEMPLIS PATRUM.

Vidimus etiam multos, qui usitatas leges connubiorum ideo negligebant, quia leguntur dissimilia veterum exempla de polygamia et de coniugiis Iacob, qui duas sorores duxit. Non est autem exemplis, sed legibus iudicandum. Et in hac tanta re considerentur praecepta divina. Certissimum est legem coniugii primam in Paradiso ita sancitam esse, ut tantum unius maris et unius feminae coniunctio esset [Genes. 2. 24.]: Erunt duo in carnem unam,[15]) id est, inseparabiliter iuncti.

Etsi autem postea Lamech discessit ab hoc ordine, et post diluvium Deus etiam in suo populo toleravit exempla dissimilia primae institutioni; Tamen Filius Dei nos ad primam institutionem retrahit inquiens Matth. 19. [vs. 8.]: Ab initio non erat sic. Et [vs. 5.] repetit dictum: Erunt duo in carnem unam.[15]) Et Paulus inquit [1. Cor. 7. 4.]: Vir non habet potestatem corporis sui, sed uxor etc.[16])

Praeterea de gradibus cum extent iam in Levitico prohibitiones, obtemperare his necesse est. Nec quaerendum est, quomodo excusandi sint Patres, quia sancti non sunt sine vitiis, et omnes omnibus temporibus contagia quaedam habemus ab erroribus et vitiis nostri temporis. Quia vero Patres vera invocatione Deum colebant in agnitione Redemptoris et erant fideles custodes doctrinae et excellebant omnibus virtutibus et bonam conscientiam alioqui retinebant, tales naevi tegebantur, qui iam erant eius temporis mores politici.

DE CONSENSU.

Dictum est in definitione, Coniugium esse legitimam copulationem. Haec restrictio docet personarum discrimina esse; Item ordinat consensum.

Primum igitur sit consensus expressus sponsi et sponsae, ut regula saepe repetita in iure docet, coniugia mutuo consensu iungi. Et ab hoc consensu absint error et violentia. Ac postea de errore dicam. De violentia vero sciendum est, non esse consensum, nec coniugia, cum persona vi cogitur, ut promittat coniugium. Et hac in re accidunt multa tristia errata.

DE CONSENSU PARENTUM.

Vetusta iura ita postulant consensum Parentum in sponsalibus, ut, cum non accedit consensus parentum, concedant etiam ante commixtionem rescindi desponsationes. Et Ambrosius in historia Rebeccae postulat consensum parentum, idque dicit adeo honestum et naturae consentaneum esse, ut Poetae quoque idem docuerint, et recitat versus Euripidis, apud quem in Andromacha [vss. 988 sq. ed. Barnes.], cum Orestes peteret connubium Hermionis, haec respondet, eam rem pertinere ad arbitrium patris. Versus hi sunt:

Νυμφευμάτων μὲν τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς
Μέριμναν ἕξει, κοὐκ ἐμὸν κρίνειν τάδε.

Nec longiorem disputationem addo, cum constet in Ecclesiis harum regionum hoc servari, ut consensus parentum requiratur et desponsationes iudicentur irritae refragantibus parentibus. Sed ad officium iudicum pertinet considerare, ubi parentes probabilem caussam habeant refragandi, ubi non sit probabilis caussa.

Sciendum et hoc est, post concubitum non posse rescindi coniugia auctoritate parentum, quia non est iam quaestio de futuro coniugio, et violata est auctoritas parentum, ac[17]) fieret iniuria desertae mulieri.

DE CONDITIONIBUS.

Conditionum aliae sunt honestae et pertinentes ad coniugium, aliae peregrinae nihil pertinentes ad coniugium, aliae turpes, aliae impossibiles.

Prima regula est perpetua.

Conditio honesta et pertinens ad coniugium, adiecta in principio contractus, si non fuerit impleta, dissolvit contractum. Quales sunt hae conditiones: Si parentes consenserint; Si dos mihi dabitur pro nostris facultatibus conveniens. Sed cum sequitur concubitus non expectata conditionis impletione, ea coniunctio iudicatur esse coniugium, quia personae convenientes discedunt a conditione.

Alia regula.

Si vero est conditio peregrina, non pertinens ad coniugium, ut, Ducam te, si dederis mihi centum aureos, ubi non intelligitur dotis mentio; talis conditio intelligitur esse otiosa et pronuntiatur pro coniugio. Talis est conditio: Ducam te, si Caesar inferet bellum Turcis. Pronuntiatur etiam pro coniugio, cum adduntur conditiones turpes aut impossibiles, ut: Si invenero te virginem. Item: Si dabis mihi Byzantium. Hae conditiones tanquam non

15) in carnem unam] Corp. 1—8. *utroque loco* (= Vulgat.): in carne una.

16) etc. *abest a* Corp. 1—8., Opp. 1. 2.

17) ac] Corp. 1—8., Opp. 1. 2. et

additae reiiciuntur, fortassis quia gubernatores sophisticam et petulantiam in decipiendo misero et imbecilli sexu prohibere voluerunt.

DE ERRORE.

Regula traditur:

Dissolvi posse sponsalia et coniugium propter errorem personae, non propter errorem fortunae, id est, cum dolus intervenit seu error de homine, sicut Iacob tradita est Lia pro Rachel. Sed Iacob non est usus summo iure. At propter errorem fortunae non dissolvuntur sponsalia aut coniugium, ut si qua putet sponsum esse divitem aut nobilem, aut non habere liberos. Talis error nihil ad substantialia Coniugii pertinet.

Vetustas de uno quodam errore fortunae etiam pronuntiavit posse dissolvi contractum, videlicet si quis liber ignorans ducat servam, putans esse liberam. Haec constitutio prorsus politica est et nunc, quia vetus consuetudo de servis in Europa magna ex parte abolita est, non indiget longa disputatione. Olim vero caussa fuit eius constitutionis, quia [18]) nati ex ancillis excludebantur a successione, quae propria erat ingenuorum. Sed cum liber sciens ducit ancillam, Ecclesia non dissolvit, sicut inter Abraham et Agar vere coniugium fuit.

Alius error est, de quo difficilior quaestio est: Si quis ignorans ducit ab alio compressam aut gravidam ex alio, an liceat dissolvi sponsalia et coniugium, ut saepe petitur. Saepe affertur haec quaestio in iudicia, sed usitato iure pronuntiatur, ut sponsus seu maritus retineat antea compressam a se vel ab alio, sive sciens sive inscius talem duxerit. Et fortassis in recentibus constitutionibus hoc sancitum est, ne facile dissolvantur coniugia, et ne armetur levitas eorum, qui libenter uxores qualicunque praetextu abiiciunt, quoquo modo voluntate mutata.

Nota sit igitur praesens consuetudo, de qua extant dicta expressa in iure Canonico. Sed in Deuteronomio Cap. 22. [vs. 21.] alia sententia est, quae iubet lapidibus obrui compressam ab alio, quae postea tanquam virgo nupsit alteri, si fuerit accusata et vir petit divortium.

Haec fuit vetus severitas in lege divina, quam aliquantisper et aliae gentes sapientiores imitatae sunt. Creusa apud Euripidem [in tragoedia Ion inscripta] gravida nubit Xutho duci, et natus est ex ea Ion, quem mater infantem exposuit. Postea re prolata mater supplicium metuit, sed servatur a Pallade. Et apud Terentium in Hecyra Pamphilus non vult recipere coniugem, quam putat ex alio gravidam fuisse. Erant igitur in eo casu usitata divortia. Sed addam ordine de [19]) quibusdam casibus accommodatas commonefactiones.

Prima.

Lex Moysi iubebat eum, qui compressisset puellam, ducere eam uxorem et ei dotem attribuere, sive promisisset coniugium, sive non promisisset. Sed nostra iura non cogunt te ducere a te compressam, si non promisisti coniugium; Dotis tamen mentionem faciunt: Ducat aut dotet. Quod idem fuit usitatum Attico iure.

Secunda admonitio.

Fortassis ideo ab antiqua consuetudine discessit recentior aetas, quae cogit retinere compressam ab alio, quia si liceret accusare novam nuptam, saepe propter suspiciones aut offensiones qualescunque in periculum venirent innocentes. Saepe etiam patefierent arcana delicta, quae tegi multo honestius et utilius est, iuxta illud: Omnia delicta tegit dilectio. Itaque gubernatores prohibere accusationes voluerunt. Nec vituperandum est hoc consilium.

Etsi autem non fero novas leges, tamen modeste dicere licet, quid videatur [20]) prodesse. Primum tentanda est reconciliatio, ut is, qui errore duxit compressam ab alio, retineat eam, praesertim si est modesta; quia ex divortio [21]) saepe magnae calamitates sequuntur, quarum habenda ratio est a iudice et ab actore. Sin autem reconciliatio perfici non potest, sapiens iudex, cuius ea est auctoritas, ne postea mutetur sententia, imitari potest exemplum legis Mosaicae eousque, ut de divortio pronuntiet. Notum est enim leges forenses Moysi non pertinere ad nostras politias, sed tamen ibi conspicitur, quid Deus approbet.

Possunt igitur legum conditores suo loco hanc legem ferre, ut in tali casu, si reconciliatio non procedat, fiat divortium. Et multo intolerabilior est error in hoc casu, quam si quis ignorans duxisset ancillam. Et possunt addi aliae rationes honestae. Sed exemplum Legis Mosaicae plus munit conscientias, quam alia argumenta; quia ex testimonio legis divinae certi sunt legislatores et iudices, se non facere contra voluntatem Dei.

18) quia] Editt. 13.—16. 19. qui

19) de *excidit in* Corp. 2. 4.

20) quid videatur] Editt. 13. 15—18. 20—22. 24. 25. Ex., 1. 2. quid videtur; Editt. 14. 19. 23. 26. 27. si quid videtur

21) ex divortio] Corp. 1—8., Opp. 1. 2. divortia

Alius casus.

Saepe et de hoc casu quaeritur: An habens uxorem, ut David, et aliam attingens possit deinde mortuis prioribus coniugibus ducere compressam antea, cum maritus esset alterius, aut ipsa alterius coniux. Canones prohibent coniugium in hoc casu; Prohibent item, si facta sit machinatio ad interficiendum coniugem alterius. Haec decreta bono consilio facta sunt, ut adulteria maiore cura vitarentur. Sed exemplum Davidis ostendit, in hoc casu coniugium posse concedi, et hac ἐπιεικεία iudex nunc quoque uti potest, praesertim cum politici Magistratus adulteria non puniunt, et Deo valde displicent vagabundae commixtiones.

Alia quaestio.

An liceat Christiano ducere Ethnicam aut alioqui dissentientem de Religione?

Prohibent Canones ducere Ethnicam et Haereticam; quod etiam bono consilio constitutum est: Quia et Lex divina prohibuit coniugia cum Philistaeis. Sed hic quoque nosse regulam necesse est: Evangelium non abolet politias, sed concionatur de iustitia cordis; Interea in vita externa sinit nos uti legibus politicis non pugnantibus cum legibus naturalibus, sicut utimur diversis dierum spatiis. Ideo Paulus expresse iubet [1. Cor. 7, 12 sq.], ut retineant Christiani coniuges, quae volunt in eodem coniugio manere, etiamsi non amplectuntur eandem religionem. Et addit consolationem [vs. 14.]: Sanctificatur vir infidelis per uxorem fidelem, id est, credenti usus coniugii fit mundus, id est, non displicens Deo, etiamsi coniux de religione dissentit, sicut dicitur [1. Tim. 4, 5.]: Sanctificatur cibus per verbum et orationem, id est, est concessus, non displicet Deo [22]) usus cibi. Ita mater Augustini Christiana mansit in coniugio mariti ethnici, et quidem asperi, qui postea obsequiis et virtute uxoris motus est, ut ad agnitionem Christi flecteretur. Ac talia exempla in historiis obvia sunt plurima, quorum consideratio et nostro tempore utilis est, ne propter religionem coniuges divellantur, qui manere in eodem coniugio cupiunt, ut saepe propter sobolem aegre divelluntur. Et Christianus suis obsequiis retinere benevolentiam coniugis studeat, ne captare occasionem divortii videatur.

22) non displicet Deo] sic Editt. 13. 15—17. 21. 26. 27., Corp. 1—8., Opp. 1. 2., Ex. 1—3.; Editt. 14. 18—20. 22—25. 28—34. non Deo displicet

DE DIVORTIO.

Dictum est in definitione, coniugium esse legitimam et indissolubilem coniunctionem unius maris et unius feminae. Nec dubium est has restrictiones congruere ad primam institutionem, quia Deus voluit genus humanum non ut pecudes vagari commixtionibus, sed marem et feminam certo ordine copulatos esse et huius ordinis observatione obedientiam ipsi debitam praestare. Et hunc ordinem severissimis legibus sanxit et perpetuo tristissimis poenis in toto genere humano omni tempore confusiones huius ordinis punit, ut ostendunt diluvium, deletio Sodomae, Sybaris, Thebarum, Troiae et plurimarum gentium. Et huius tantae severitatis caussa est, quod vult Deus in genere humano lucere Castitatis intellectum, ut sciamus et ipsum esse mentem castam et Castitatis amantem, et huius virtutis mentione discernamus eum a naturis immundis. Sanxit igitur statim initio, ne dissolverentur coniugia, inquiens [Genes. 2, 24.]: Erunt duo in carnem unam, id est, inseparabiliter iuncti. Nam in hanc sententiam Dominus ipse hoc dictum citat Matth. 19. [vs. 5.]. Et huic praecepto primi patres, Adam, Seth et alii sine ulla dubitatione obtemperaverunt, et hanc doctrinam aliis tradiderunt.

Sed postea laxata veteri disciplina divortia etiam recepta sunt, et cum iam ante Moysen usitata essent, permissa sunt et voce legis Mosaicae. Sed tamen initio metae circumdatae fuerunt, ne privata levitate fierent, sed in iudiciis prius cognoscebantur caussae.

Sanxit etiam [23]) lex singulari consilio, ne rursus duceretur dimissa, quae postea alteri nupta fuit. Detestatur enim Deus confusiones libidinum.

Apud veteres Atticos etiam consuetudo fuit, ut in iudiciis caussae divortii cognoscerentur. Sed postea apud Iudaeos et Gentes secuta est maior levitas et licentia, et privato arbitrio facta sunt divortia, sive caussae graves essent sive leves sive nullae. Sunt et reductae, quae antea dimissae fuerant, ut Cato petenti Hortensio cesserat Martiam et post mortem Hortensii rursus eam sibi adiunxit. Talis levitas occasionem quaestioni praebuit Matth. 19. [vss. 3 sqq.] Prohibet igitur Dominus divortia in eo loco, excepto uno casu, videlicet adulterio, in quo casu persona suo scelere dissolvit coniugium et e medio tollenda erat. Nec dissolutionis caussa est persona innocens. Ideo vox Filii Dei liberat innocentem personam. Extat et alter casus 1. Cor. 7. de desertore vel desertrice

23) etiam] Corp. 1—8., Opp. 1. 2. igitur

DE MODO PROCEDENDI.

Non sunt autem facienda divortia sine cognitione legitimorum iudicum, sed persona innocens, si vult fieri divortium, petat a iudice vocari personam, quae deliquit. Hic cum utraque pars venit in iudicium, primum adhortandi sunt utrimque, ut redeant in mutuam gratiam. Si non procedit reconciliatio, pars innocens non potest cogi, ut recipiat ream.

Auditis igitur partibus et confirmata accusatione, si accusator honeste vixit et petit ferri sententiam, pronuntietur hoc modo: Cum persona, quae deliquit, suo scelere dissolverit coniugium, iudex auctoritate Evangelii personam innocentem pronuntiat esse liberam et expresse inquit concedi ei, ut pro sua conscientia pie contrahat aliud coniugium.

Pontificii Canones faciunt divortium nomine, non re, id est, non permittunt, ut persona innocens contrahat aliud coniugium. Sed cum Evangelium in illis casibus concedat divortium, intelligatur id non de inani vocabulo, sed de tali liberatione, quae sit re ipsa divortium, videlicet in quo non retineatur ligata persona innocens. Et fuisse hanc consuetudinem in Ecclesia veteri annotatum est ab Origene in Matthaeum; Item ab Eusebio in Ecclesiastica historia, qui pag. 88.[24]) recitat historiam ex Iustino Martyre, qui scribit mulierem piam fecisse divortium cum marito polluto flagitiosis libidinibus et publice accepisse libellum repudii, ut vocabant, id est, tabulas testificantes de divortio. Et Hieronymus recitat Fabiolae nobilis matronae Romanae historiam, quae propter mariti scelera fecit divortium et nupsit alteri. Haec exempla meminisse utile est ad confirmandum morem iudiciorum in nostris Ecclesiis.

Sin autem persona,[25]) quae deliquit, non venit in iudicium, sed aut contumaciter abest aut inveniri non potest, cum accusator confirmata accusatione testes adducit, qui affirmant eius famam integram esse, et petit se liberari, pronuntiet iudex eum liberum esse, ut ante dictum est.

Sed quid fiet de persona condemnata? An concedendum est ei, si adest, ut in iisdem locis vivat?

Respondeo: Magistratus politicus adulteria punire debet. Ideo persona condemnata, si non punitur durius, pellenda est ex iis locis, ubi vivit persona innocens, cui altera, videlicet condemnata, velut mortua existimanda est. Et haec severitas ad politicum magistratum pertinet.

Quid sit desertor.

In quaestione de divortio liberat vox divina personam innocentem, cum alter coniugum foedus coniugii adulterio dissolvit, et innocenti personae re iudicata, ut dixi, conceditur contrahere aliud coniugium, idque hoc modo servatur in nostris Consistoriis. Servatur idem de persona iniuste deserta, quia Paulus inquit 1. Cor. 7. [vs. 15.] Si autem infidelis discedit, discedat, non subiectus est servituti frater aut soror in talibus. Expresse pronuntiat Paulus personam iniuste desertam liberam esse, id est, non cogendam esse, ut vagabundum desertorem sequatur.

Etsi autem aliqui restringunt hoc dictum ad casum de religione, tamen vere accommodatur in genere ad quamcunque iniustam desertionem, cum non sit ratio dissimilitudinis. Et consentaneum est desertores impatientes freni coniugalis deinde non abstinere ab aliis mulieribus. Sed cum variae sint caussae migrationum, definiendus est desertor. Nec concedendum est desertae personae coniugium sine iudicum cognitione.

Est igitur Desertor, qui discedit a coniuge aut diutius abest nulla honesta caussa coactus, sed vel levitate vel iniusta impatientia freni coniugalis vel aliis non necessariis caussis impulsus vagatur.

Et multi adeo sunt ἄστοργοι, qui agitantur a Diabolis, ut etiam sobolem negligant. Talis desertor propter perfidiam et ἀστοργίαν supplicio publico puniendus erat. Ideo iustum est opem ferre personae innocenti, quae deserta est. Accedat autem, ut dixi, cognitio iudicum, vocetur ergo in iudicium, et cum non veniet, audiantur testimonia de personae innocentis integritate, et pronuntietur libera etc.

Non est autem desertor, qui abest officii caussa, ut legatus aut miles delectus auctoritate legitima ad militandum, aut si voluntate coniugis maritus abest in mercatu aut alio honesto negotio.

Nec captivitas dissolvit coniugia, nec deportatio, ut lex Alexandri Severi in Codice [lib. V. tit. XVII. lege I.] de repudiis inquit: Matrimonium deportatione vel aquae et ignis interdictione non solvitur, si casus, in quem maritus incidit, non mutat uxoris affectum, id est, si non est tale scelus, quo alioqui coniugium dissolveretur.

De milite autem narrat constitutio Iustiniani in Authenticis, Olim, si toto quadriennio nihil significasset uxori inquirenti miles de sua voluntate, concessum fuisse mulieri aliud coniugium. Hanc brevitatem temporis reprehendit Iustinianus inquiens,

---

24) pag. 88.] scil. editionis supra p. 620 sq. nota 51. descriptae interpretationis Ruffini.

25) persona] Ed. 22. typ. errore: personas

militi tristius esse uxorem domi amittere militiae caussa, quam capi ab hostibus: Ideo sancit longius tempus et requirit diligentem inquisitionem de voluntate viri. Loquitur autem lex de militia legitima, non de levibus hominibus, qui non virtutis et militiae caussa domo absunt, sed ut liberius vagari possint, militum titulum assumunt. Hoc discrimen etiam iudex considerabit.

De tempore, post quod alia coniugia concedi possunt.

Si divortium factum est propter adulterium, innocenti personae non praescribitur tempus, postquam res iudicata est.

Sed in quaestione desertionis annos considerari necesse est, ut intelligatur personam vere desertam esse, non levitati aut perfidiae praetexere umbram desertionis.

Lex in Codice [lib. V. tit. I. lex II.] concedit sponsae post biennium alteri nubere, si ea non assentiente sponsus, qui tamen non est extra provinciam, tam diu differt publicum ritum coniugii.

Alia lex de sponso peregrinante loquitur, de quo concedit sponsae post triennium alteri nubere, videlicet nisi ea assentiente diutius absit.

Pontificiae constitutiones desertae personae quantumlibet innocenti nullo unquam tempore concedunt coniugium, nisi desertricem personam constet mortuam esse. Sed supra recitavi dictum Pauli ex Corinthiis, [1. ep. 7, 15.] quod liberat personam innocentem, et plerumque desertrix persona simul adulterii rea est. Nequaquam igitur laquei iniiciendi sunt innocenti personae propter aliena delicta. Sed intelligatur et in hoc casu liberatio non de inani vocabulo, et personae liberatae concedatur coniugium.

Iustinianus expresse concedit coniugium desertae personae post decennium. Glossa in capitulo In praesentia,[26]) in Decretalibus, ita inquit: Ubi post septennium verisimiliter praesumitur de morte viri, excusatur mulier, si nubat. Ac mitior est glossa, quam textus. Sed cum iudex inquisivit negotium et comperit querelam de desertione non esse inanem praetextum et videt mores personae innocentis honestos esse, posset imitari legem Constantini de quadriennio vel dictum de quinquennio in Digestis, in titulo de Divortio [Digest. lib. XXIV. tit. II. lege VI.].

Haec moderatio non videtur absurda; Nec tamen praescribo certum tempus, sed sapiens iudex simul considerabit, quid deceat exempli caussa et ne laqueos conscientiae innocentis personae iniiciat.

De natura spadonum.

Verecunde sic nominantur illi, qui prorsus non sunt idonei ad commixtionem coniugalem; Et nominantur Spadones, sive natura tales sint, sive arte castrati sint.

De his sciendum[27]) est, tales personas nequaquam fieri coniuges, sed cum est explorata frigiditas, iudex pronuntiet illas personas liberas esse. Nec fit tunc divortium, quia non erat coniugium, iuxta dictum Matth. 19. [vs. 5.] Sed fit declaratio, ut alii sciant illam societatem non esse coniugium et personae, quae habet naturae vires integras, concedi aliam feliciorem copulationem legitimam. Sed ad explorandam frigiditatem iura tempus constituerunt, si res dubia est, ne ante triennium fiat seiunctio.

Eodem modo pronuntiant de iis, in quibus natura ita laesa est fascino aut veneficio, ut ope medica sanari non possit, si toto triennio frustra tentata est medicatio.

Tanta est autem virtus aliquarum mulierum, ut occultent imbecillitatem virorum, sicut[28]) viri doctissimi Simonis Grynaei socer narravit, se mortua prima coniuge duxisse viduam virginem, quae undecim annos nupta fuerat viro frigido, nec unquam ulli ante mortem viri hanc rem patefecit.

De divortiis propter saevitiam, veneficia et insidias structas vitae.

Cum textus Matth. 19. [vs. 9.] tantum faciat mentionem Adulterii, valde pugnant aliqui, non posse fieri divortia propter saevitiam et insidias vitae structas. Sed in Codice lex Theodosii, quam existimo gravi deliberatione piorum scriptam, ut tunc usitata divortia restringeret ad certos casus, concedit divortium etiam in his casibus.

Etsi autem aliqui reiiciunt hanc legem et contendunt eam ab Evangelio dissentire, tamen hi non recte intelligunt discrimen Legis et Evangelii. Et cum expresse dicat Dominus, in politia Moysi divortia permissa esse propter duritiem cordis, significat aliam esse gubernationem hominum sanabilium, qui sunt membra Ecclesiae et volunt obtemperare Evangelio, aliam politicam impiorum et contumacium, qui frenos legum pati nolunt. Si quis est igitur talis maritus, qui saevitiam in coniugem ex-

---

26) Hoc capitulum, quod orditur a verbis: „In praesentia nostra" est Decretalium lib. IV. tit. I. De sponsalibus et matrim. cap. XIX. (Corp. iuris canon. ed. Richter T. II. p. 643 sq.).

27) sciendum] Corp. 2. 4. dicendum

28) sicut] Editt. 22 24. 28—34. sicuti

ercet et admonitus a Pastoribus non desinit furere et domesticae Ecclesiae invocationem turbare et uxorem ita crudeliter tractare, ut vita in periculo sit, hic certe magistratus politici imperio coërcendus est, qui non solum vitam personae innocentis tueri debet, sed etiam debet eius conscientiae consulere, ne fracta dolore et indignatione tandem abiiciat invocationem aut aliquid iniuste faciat, ut dicitur: Furor fit laesa saepius patientia. [29]) In eo casu in persona crudeli, non pertinente ad Ecclesiam, Magistratus politicus Theodosii lege uti posse videtur.

Imperia politica vult Deus honori esse bonis et terrori malis. Vult Deus tegi eos, quorum mores sunt sine scelere, vult eis concedi pacem ad invocationem, ad educationem et ad institutionem sobolis, vult latrones reprimi, sive domi sive foris latrocinia exerceant. Nec desunt unquam in imperiis homines contumaces, iniusti et ἄστοργοι, exercentes in suos iniustam saevitiam, quales nominat Dominus in hac concione duros corde.

An propter morbos contagiosos et incurabiles, ut propter Lepram, divortium fieri possit.

Respondeo. Plane et perspicue affirmo, nequaquam facienda esse divortia propter morbos, nec deserendum esse aegrotum maritum, nec deserendam esse aegrotam uxorem, quia semper oportet hanc regulam esse firmam et immotam [Matth. 19, 6.]: Quos Deus coniunxit, homo non separet. Quare omnis persona vivens, quae volens inchoat distractionem, sine ulla dubitatione horribiliter peccat, ut adultera seu desertrix inchoat distractionem volens et facit contra hunc ordinem divina voce et lege sancitum. Ita si persona recte valens inchoaret distractionem, esset similis desertrici et adulterae et rea magni sceleris. Nam calamitas, quae inter viventes accidit sine culpa, nequaquam dissolvit coniugale foedus.

Omnia igitur dicta, quae prohibent distractionem, proponant sibi homines timentes Deum. Gen. 2. [vs. 24.] Erunt duo in carnem unam. 1. Cor. 7. [vs. 4.] Vir non habet potestatem corporis sui, sed uxor; Nec uxor potestatem habet corporis sui, sed maritus. Eph. 5. [vss. 25. 28.] Viri, diligite uxores vestras. Nemo carnem suam odio habuit, sed eam alit et fovet.

Cum igitur maneat foedus coniugale inter tales personas, quas non distraxit culpa, manifestum est, non deserendam esse aegrotam personam, ac deberi [30]) ei benevolentiam et auxilium tanquam proprio corpori. Summus amicitiae gradus est foedus coniugale. Iniustissimum est autem in calamitate amicum deserere egentem auxilio et confugientem ad amici benevolentiam et fidem. Quare desertio coniugis propter calamitatem, in qua nulla est culpa, iniusta et scelerata est.

Quidam vero crudeliter disputant, Leprosos similes esse mortuis, et hoc praetextu consulere personae recte valenti student. Sed hoc sophisma refutat manifesta crudelitas. Mortui non indigent aliorum hominum auxilio; Aegrota persona adhuc indiget hominum auxilio. Quare quod ad verae amicitiae officia attinet, nondum est mortuae similis. Adhuc est caro tua, adhuc lex divina tibi concionatur: Nemo carnem suam odio habuit. Et auctoritate Magistratuum cogenda est persona recte valens, ne deserat aegrotam et ne negligat eius vitam, sed ferat opem aegrotanti.

Etsi autem videtur aliquibus haec sententia durior, tamen iustam[31]) esse omnes bonae mentes intelligunt. Si quis autem maritus pius indiget consilio, interroget Pastores eruditos et graves et recte intelligentes doctrinam Ecclesiae. Potest enim responderi, ne perplexitate implicetur conscientia et ne fides et invocatio in viro interrogante impediantur.

DE DESPONSATIONE IMPUBERUM.

Multum refert recte intelligere sermonem vetusti iuris. Vetustas nominat sponsalia tantum eas promissiones, in quibus fiunt pacta de futuro coniugio, et quae nequaquam sunt initium praesentis coniugii, ut inter Octavium adolescentem et Serviliam adhuc parvulam fiunt sponsalia. Ibi tantum hoc agitur, ut aliquanto post per verba de praesenti coniugium constituatur.

De his sponsalibus inquiunt vetustae leges, voluntate partium dissolvi posse sponsalia, ut Octavius non duxit Serviliam. Hic observandum est, quomodo vetustas locuta sit. Recentior aetas finxit ambiguitatem: nominat alia sponsalia de futuro, alia de praesenti, cum contractus, in quo per verba de praesenti seu categorice promittitur coniugium, sit iam vere initium coniugii praesentis.

Prudenter autem considerandum est, ubi sint sponsalia de futuro, nec id ex cavillatione verborum iudicetur, sed ex multis circumstantiis, an tunc

29) Haec est sententia Mimi Publiani, quae vice proverbii in eos convenit, qui, dum extrema experiuntur, alienant a se eos, cum quibus agunt, et universae rei iacturam faciunt, dum plus satis attenti sunt ad lucrum. Etiam ab Erasmo Adag. chil. I. cent. V. prov. 67. affertur.

30) deberi] Editt. 22. 24. debere

31) iustam] Editt. 18—20. 22—34. iustum

voluerint partes aliquid constituere, quod postea non posset mutari propter gravem caussam, cuius tunc fortassis ratio habita est.

Sunt autem sponsalia de futuro promissiones omnes, quibus addita est conditio honesta, cuius ratio in iudicando habenda est, ut: Ducam te, si parentes assenserint. Tales promissiones irritas esse, si conditioni non fuerit satisfactum, supra dictum est.

Sunt et sponsalia de futuro, quando nomine impuberum fit promissio a parentibus vel tutoribus de coniugio contrahendo inter hos impuberes, cum aetas erit idonea, aut cum ipsi impuberes, vel altera persona, cuius aetas nondum est idonea, coniugium futurum promittit. Haec sponsalia dissolvi posse, cum deinde voluntas puberum non accedit, certum est. Nec cogenda est persona repugnans, quae se non obligavit ipsa postea, cum aetas iam matura esset coniugio et suo iudicio statuere posset.

Ut autem homines aliis multis rebus bonis abutuntur, ita et coniugii umbra saepe stultis aut malis cupiditatibus praetexitur. Saepe propter pecuniam aut praesidia fiunt pacta de impuberum coniugiis, cum in hoc tanto foedere perpetuae coniunctionis honestum iudicium et mutua benevolentia horum ipsorum, qui iunguntur, requiri et valere debeant, nec deceat corpora[32]) natorum venalia esse propter pecuniam aut alia *πλεονεκτήματα*. Et punit Deus hanc ordinis depravationem poenis manifestis. Quare parentes honesti, considerantes ordinem divinum, saluti filiorum et filiarum recte consulant, nec cogant filios aut filias contra naturae inclinationem ad coniugia, a quibus abhorrent, eaque in re moveantur his maximis caussis: Ubi non est mutuus amor coniugum, ibi discordia sauciat mentes, impedit invocationem Dei, turbat totam domesticam consuetudinem et parit multa peccata. Interdum et cum voluntates distractae sunt, sequuntur adulteria et poenae, in quibus multi ruunt in nova scelera et in tragicas calamitates.

Haec infinita mala praecipue parentes, qui ea aliquo modo intelligere possunt, considerent et metuant, et ne accidant filiis et filiabus, Deum ardentibus votis precentur. Deinde ipsi caveant, ne stultis aut impiis consiliis ea accersant.

In multis deliberationibus nimis magna negligentia et futilitas est parentum de coniugiis suorum. Unde postea et tristissimae calamitates sequuntur, et familiae fiunt non Ecclesiae Dei, quod esse debebant, sed Diabolorum lustra, et multi miseri homines in illis calamitatibus ruunt in indignationem adversus Deum, in desperationem et in aeternum exitium.

Oro autem Deum aeternum, patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani et custodem honestae societatis, ut ipse nos gubernet et faciat, ut nostra coniugia et familiae nostrae sint verae domesticae Ecclesiae, ipsum recte invocantes et ei obtemperantes in tuendo ordine, quem instituit, nec sinat domesticis discordiis impediri invocationem et alia officia necessaria: Amen.

DE OFFICIO MAGISTRATUS IN TUENDIS LEGIBUS CONIUGII.

Certissimum est salutarem gubernationem Dei opus esse. Ac manifestum est divinitus institutum esse hunc ordinem in genere humano, ut praesint Magistratus multitudini. Et his Deus praecipua officia quatuor attribuit. Primum est, ut Magistratus sonet vocem legis divinae in tuenda disciplina, quia prima et immota norma vitae esse debet Lex divina. Secundum, ut sit vigilans custos divinae legis ac severitate poenarum coërceat et puniat contumaces et defendat obedientes. Hunc ordinem ita sanxit Deus. Et manifestum est leges contemni, ubi nulla sunt poenarum exempla. Sicut vere laudat dictum Aeschinis Demosthenes: *οὐδὲν ὄφελος τῆς πολιτείας μὴ ἐχούσης νεῦρα κατὰ ἀδικούντων.* Tertium officium est: Magistratus addere potest aliquas leges divinis, nequaquam tamen dissentientes a divinis, sed quae sint adminicula, ut divinae[32a]) maiore cura serventur. Quartum, ut et[32a]) has leges severitate poenarum tueatur.

Haec officia Magistratus et in coniugii defensione considerent. Sciant severissimis mandatis Dei praecipi, ut leges coniugiorum conservent et puniant adulteria, vagas et incestas libidines, et tollant e medio illa dira portenta, quae et iram Dei irritant et polluunt genus humanum tetris libidinum confusionibus, quia certissimum est Deum horribiliter irasci et ipsis libidinum confusionibus et negligentiae gubernatorum, qui eas non puniunt, nec sontes e medio tollunt. Et propter haec scelera vagantur in genere humano multae poenae publicae, bella, vastationes, dissipationes hominum et aliae magnae calamitates, ut ostendunt exempla Sodomorum, Cananaeorum, tribus Beniamin, exilii Davidis, eversionis Troiae, et alia innumerabilia. Sic igitur inquit vox divina Levit. 18. [vs. 28.] de incestis: Cavete, ne vos similiter evomat terra, cum similia[33]) facietis, sicut evomuit Cananaeos. Et expresse gubernatoribus praecipit, ut tollant sontes, inquiens.

32) corpora] Editt. 22. 24. typ. errore: corporum

32a) divinae *atque* et *exciderunt in* Corp. 1.

33) similia] Editt. 17. 21. 22. 24. 28—34. similiter (Vulgata h. l. habet paria)

[ibid. vs. 29.]: Omnis anima, quae fecerit quiddam harum abominationum, deleatur ex hoc populo. Haec mandata saepe repetita sunt, ut de adulteriis dicitur in Deut. cap. 22. [vs. 22.] Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque interficiatur, adulter et adultera; Et auferes malum ex Israël.

Dolendum est autem, in multis locis magistratus in hac tanta re segniores esse, quorum negligentia magis irritat iram Dei. Atque ita poenae in genere humano cumulantur, ut apparet in historia tribus Beniamin, quae paene funditus deleta est, quia stuprum uxoris Levitae punire noluit. [34])

Certissimum est enim Deum punire vagas libidines omnes, etiam cum cessant Magistratus, quia castitas et iustitia Dei immota est et hanc regulam semper tuetur [Hebr. 13, 4.]: Scortatores et adulteros punit Deus. Quanquam autem conversis Deus propter Filium poenas mitigat, ut Davidem non sinit prorsus extingui, nec accendit totam iram, ut Psalmi [77, 38.] verbis utar; tamen quanta sit moles poenarum, considera. Familia polluitur incesta commixtione, Filii inter se dimicant, Pater in exilium pellitur, Mota seditione filius et magna multitudo civium interficiuntur, Matronae regiae Deo dilectae polluuntur scelere filii. Multo tristiora erant haec tetra mala Davidi, quam mors sui corporis futura erat. Sed utrumque ostendit Deus, vere se irasci sceleribus et ea punire, et tamen ab aeternis poenis eripere eos, qui ad Filium Mediatorem confugiunt, in quem maior poena derivata fuit, quae est pretium pro nobis.

Haec doctrina et de poenis et de conversione omnibus cogitanda est. Ac hortandi et obtestandi sunt Magistratus, ut sint memores mandati a Deo officii, cogitent Deum castum et iustum esse, et sese in munere divino collocatos esse, ut sint imago Dei, sint casti et iusti, et tueantur in populo castitatem et iustitiam. Haec officia sunt grata Deo et salutaria gubernatoribus et populo.

In multis regionibus politici gubernatores ideo[34a]) negligentiores sunt in defensione castitatis, quia magna ex parte hanc curam reiiciunt ad forum Episcoporum. Sed cum alia quaedam ibi contra normam a Deo traditam fiunt, tum vero ipsorum leges impediunt iustas poenas, quia non sunt armati gladio. Praeterea cum ipsi iudices ibi plerumque contaminati sint vagis libidinibus, minus irascuntur similibus, ut dicit Aristoteles [35]) citans Euripidem: *οἱ φαῦλοι φαύλοις ἡδεῖς, καὶ κακὸς κακῷ συντέτηκεν.* Interdum a miseris mulierculis aliquid abradunt pecuniae. In talibus iudiciis tantum irridetur Deus.

Sint igitur recte constituta iudicia de Coniugiis; Potestas politica adiungat sibi doctos et honestos viros electos ex toto corpore Ecclesiae, et rebus inquisitis et recte cognitis pronuntiet, et in puniendo sit ministra Dei, tollat ex vita omnes pollutos commixtionibus, quae cum natura pugnant, incestos, adulteros, raptores, desertores, adulteras et desertrices, ne Deus totas urbes et gentes et propter haec ipsa scelera et propter Magistratuum negligentiam deleat.

Ostendant etiam honesti gubernatores amorem Castitatis in defensione coniugii, aboleant impias et diabolicas leges Episcoporum de coelibatu Sacerdotum et concedant pium coniugium omnibus, qui ad id vitae genus idonei sunt, iuxta legem divinam [1. Cor. 7, 2.] [36]): Unusquisque habeat uxorem suam vitandae scortationis caussa.

Magistratus cum sit imago et minister Dei, amet castitatem, cum sciat Deum esse mentem castam et severissime poscere ordinem Castitatis tuendae caussa institutum. Non sit imago et minister Diaboli, qui odio Dei miseros homines impellit, ut libidinum confusione polluantur, ut ira Dei augeatur, et ut haec misera creatura in maiore turpitudine sit et postea ruat in aeternum exitium. Hos horrendos furores Diaboli adiuvant omnes, qui vagas libidines quoquo modo augent, vel defensione legis Pontificiae de coelibatu vel neglectione poenarum. Nondum in hac vita turpitudo et magnitudo horum scelerum satis conspicitur, sed retegentur haec ingentia mala in postremo iudicio, cum ostendet Deus omnibus Angelis et hominibus turpitudinem peccati et malitiam Diabolorum. Sed tamen in hac vita gubernatores honesti et pii de hac re etiam voluntatem Dei considerare debent et dirigere gubernationem ad legem Dei et, quantum fieri potest, curare, ne cumulentur peccata et poenae, ut apud Iesaiam dicitur [10, 1.]: Vae illis, qui scribunt leges iniustas.

Oro autem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, verissime amantem Castitatis et casti Coniugii, ut ipse flectat mentes omnium, qui eum invocant, ad castitatem et defendat Coniugii leges et reprimat Diabolos, qui odio Dei impellere miseros homines conantur [37]), ut variis modis polluantur et pereant. Crescit infirmitas naturae humanae in hac mundi

34) noluit (scil. tribus Beniamin).] Editt. 22. 24. 28. 29. 31—33. voluit (scil. Deus).

34a) ideo] Corp. 2. 4. adeo

35) Aristoteles Magn. Moral. II, 11. Eth. Eudem. VIII, 2., ex quibus libris verba: *Κακός· κακῷ γὰρ συντέτηκεν ἡδονῇ.* a Musgravio inter Euripidis fragmenta s. n. CVII. referuntur.

36) 1. Cor. 7.] *ab* Editt. 13—34. *omissum in contextis addunt* Corp. 1—8., Opp. 1. 2., Ex. 1—3.

37) Diabolos, qui . . . conantur] sic Editt. 22. 24. 25. 28—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2., Ex. 1. 3.; Editt. 13. 15—18. 20. 21. male: Diabolos, qui . . . conatur; Editt. 14. 19. 23. 26. 27. Diabolum. qui . . . conatur

senecta, et simul rabies in Diabolis crescit, quia sciunt brevi instare iudicium, in quo ipsorum turpitudo omnibus Angelis et hominibus clare ostendetur. Ideo te, Fili Dei, Domine Iesu Christe, crucifixe pro nobis et resuscitate, oro, ut nos, ut adolescentiam et familias nostras regas, et ad castitatem et veram invocationem aeterni Patris pectora nostra Spiritu sancto tuo flectas, Amen [38]).

[Appendix II.]

DEFINITIONES MULTARUM APPELLATIONUM, QUARUM IN ECCLESIA USUS EST,

traditae a Philippo Melanthone Torgae et Witebergae, anno 1552 et 1553 [39]).

DEUS est essentia spiritualis, intelligens, aeterna, verax, bona, iusta, misericors, casta, liberrima, immensae potentiae et sapientiae, alia a mundi corporibus et creaturis omnibus [40]); Pater aeternus, qui Filium imaginem suam ab aeterno genuit, et Filius imago Patris coaeterna, et Spiritus sanctus procedens a Patre et Filio, sicut patefacta est divinitas certo verbo et testimoniis divinis, quod Pater aeternus cum Filio et Spiritu sancto condiderit et conservet coelum et terram et omnes creaturas, et adsit omnibus creaturis, quod ad conservationem attinet [41]), et in genere humano condito ad imaginem suam et certam obedientiam colligat sibi Ecclesiam, ut ab ea haec una et vera divinitas, patefacta certis testimoniis et per verbum traditum Prophetis et Apostolis, agnoscatur et colatur iuxta verbum illud divinitus traditum, et damnentur omnes cultus, qui fingunt alios Deos, et haec vera divinitas in vita aeterna celebretur et sit iudex bonorum et malorum.

Haec definitio Dei tantum in Ecclesia nota est, ubi certis testimoniis personae patefactae et distinctae sunt, quae intuenda est quotidie in Invocatione, et cogitanda sunt testimonia tradita in Baptismo Christi et nostro Baptismo et in primo capite Geneseos et in primo capite Ioannis et alibi. Vult enim Deus aliquo modo nota esse discrimina personarum, quia vult sciri Filium esse Mediatorem et victimam, et non alias personas.

Ethnici tenent definitionem Dei sine agnitione personarum. Est enim naturae hominum insita notitia Legis, quae est evidens et immotum testimonium, ostendens, quod sit Deus, et qualis sit, et quod iudicet. Voluit Deus se ex multis vestigiis agnosci, sicut ex ordine corporum mundi, motuum coelestium, perpetua conservatione specierum et ipsa distinctione honestorum et turpium in mente hominis, ideo apud Platonem extat haec definitio [42]): Deus est mens aeterna, caussa boni in natura. Sed hic non fit mentio discriminis personarum. Nos igitur in invocatione intueamur et teneamus definitionem in Ecclesia patefactam et supra recitatam.

PERSONA est substantia, individua, intelligens, incommunicabilis, non substentata in alia natura. Sic loquitur Ecclesia, et vocabulo personae hoc modo utitur. Graeci *ὑπόστασιν* et *ὑφιστάμενον* dixerunt, id est, subsistens. Declarari autem descriptio utcunque potest. Hominis solum corpus non est persona, ut hoc loco loquimur, non solum quia non est res intelligens, sed etiam quia est quiddam sustentatum ab altero. Nam donec anima adest, vivit corpus, discedente anima corpus dissolvitur. Ita in Christo nato ex Virgine natura humana mirando foedere copulata est *τῷ λόγῳ*, ac prorsus natura assumta in nihilum redigeretur, si non sustentaretur a divina. In hac consideratione amplissima doctrina continetur. Totum genus humanum extinctum esset, nisi Filius Dei coaeternus aeterno Patri massam huius naturae assumsisset. Servat igitur propter assumtam massam nos quoque tanquam suae naturae membra, sicut dicitur [Genes. 2, 23.]: Os ex ossibus ipsius etc.

AETERNUS PATER est prima persona divinitatis, non nata, nec creata, nec procedens ab alia natura, quae ab aeterno Filium genuit imaginem suam, et una cum Filio et Spiritu sancto suo condidit omnes creaturas et conservat earum substantias [43]).

---

38) *Subscriptum habent* Editt. 13. 15., Opp. 1. 2., Ex. 1 — 3. *τέλος*. Editt. 14. 18. 19. 22—34. FINIS.

39) Hae Definitiones, quae primum prodierunt in Locorum theol. tertiae aetatis Editione 16. [Lips. 1553. in posteriore duarum huius anni Editionum] et in sequentibus Editt. eorum conservatae sunt, etiam in *Examinis Ordinandorum* Editione tertia a. 1556. et omnibus seqq. Editt. tractatui de Coniugio (conf. [supra p. 1051. nota 1. Appendicis I.) sunt annexae, eodemque loco in *Corpore doctr. christ.* exhibentur, et in *Operum Melanth. Witebergensium Parte I.* paule inferius, scilicet post Mel. Responsionem de controversiis Stancari, quae tractatum de Coniugio subsequitur, reperiuntur; praeterea quoque bis separatim editae sunt Witebergae a. 1554. et 1556. (vide quae supra p. 573—576. diximus). Quamobrem in hac Ed. non tantum *Locorum* Editt. 16 — 34. et *Corporis* Editt. 1—8. atque Partis I. *Operum Witeb.* Editt. 1. 2. contulimus, sed etiam *Examinis Ordin.* Editionem tertiam a. 1556. (*Ex. 3.* signatam) ac duas harum Definitionum Editiones singulares, quas *Def. 1.* et *Def. 2.* signabimus.

40) omnibus,] Editt. 16—19. 23. hominum.

41) attinet *abest ab* Editt. 16—19. 22. 23.

42) haec definitio] Editt. 16 — 19. 22. 23. 26. 27. definitio haec (Conf. supra p. 610.)

43) earum substantias.] Editt. 16—19. 23. eas.

FILIUS aeternus est secunda persona divinitatis, non creata ex nihilo, sed a Patre ab aeterno genita de ipsius substantia, et ὁμοούσιος Patri, et est substantialis et integra imago aeterni Patris, quam Pater sese intuens et considerans gignit, quae nobis sic manifestata est, quod sit λόγος ac Persona, per quam Pater dicit decretum et totum ordinem creationis et reparationis hominum, et mittitur, ut immediate patefaciat Evangelium et assumat humanam naturam, et sit Mediator, Redemtor et Salvator, colligens Ecclesiam in genere humano voce Evangelii [44]) et resuscitans eam ad vitam aeternam.

SPIRITUS SANCTUS est tertia persona [45]) divinitatis, procedens ab aeterno Patre et Filio, et ὁμοούσιος eis, et est amor et laetitia substantialis, et mittitur voce Evangelii in corda credentium, ut sanctificet ea, id est, ut lucem in eis accendat ad intelligendam doctrinam, et assensionem confirmet, et efficiat motus congruentes Deo, et excitet invocationem et laetitiam in Deo acquiescentem.

LEX DEI, quae nominatur Lex moralis, est sapientia aeterna et immota in Deo, et norma iustitiae in voluntate Dei, discernens bona et mala, quae est patefacta rationali creaturae in creatione, et postea saepe repetita et sancita voce divina in Ecclesia, ostendens quod sit Deus, et qualis sit, et quod sit iudex, obligans omnes rationales creaturas, ut sint conformes illi normae Dei, et damnans omnes ac denuntians horribilem destructionem omnibus, qui [46]) non congruunt ad illam normam Dei, nisi sit facta reconciliatio propter Mediatorem, iuxta dictum [Deuter. 27, 26.]: Maledictus qui non manet in omnibus, quae scripta sunt in Lege. Item in Psalmo [5, 5.]: Non Deus volens peccatum tu es. [ibid. vs. 7.] Odisti omnes qui operantur iniquitatem etc.

PECCATUM est, quicquid pugnat cum Lege Dei. Haec brevis definitio in Epistola Ioannis tradita est [47]), quae dextre intelligatur. Potest autem his verbis explicari: Peccatum est defectus vel inclinatio vel actio pugnans cum lege Dei et ream faciens creaturam aeternae irae, nisi fiat remissio propter Mediatorem.

LIBERUM ARBITRIUM seu libertas voluntatis in Deo est facultas, qua Deus in rectitudine sua potest sponte sine ulla necessitate vel coactione creare res et non creare, et varia opera condere, et res creatas conservare et abolere, et varie moderari pro sua sapientia, ita tamen ut ipse [48]) a sua rectitudine non discedat.

LIBERTAS voluntatis humanae ante lapsum est facultas, qua poterat Adam in rectitudine, qua conditus erat, manere et obedire Deo, et sine ulla coactione se a Deo avertere.

LIBERTAS voluntatis humanae post lapsum, etiam in non renatis, est facultas, qua homo potest regere locomotivam, id est, imperare externis membris actiones convenientes Legi Dei et non convenientes et varias utriusque generis. Sed non potest tollere ex mente dubitationes et ex corde vitiosas inclinationes sine luce Evangelii et sine Spiritu sancto. Cum autem trahitur a Spiritu sancto, potest obsequi et repugnare. Fit igitur maior libertas, cum corda renata reguntur Spiritu sancto, sicut Paulus inquit [Rom. 8, 14.]: Qui Spiritu Dei ducuntur, hi sunt filii Dei. Ac tunc libertas est facultas, qua homo renatus gubernanti Spiritui sancto potest obtemperare, et non solum regere locomotivam, sed etiam in corde motus Deo placentes, verbo Dei et Spiritu sancto accendente, retinere et resistere vitiosis motibus, et potest sua sponte sine coactione discedere a verbo Dei et velle contraria verbo Dei; ut Saul et David [49]) sponte sua voluntate et sine coactione ruunt.

[50]) EVANGELIUM est praedicatio poenitentiae et promissio, quam non novit ratio naturaliter, sed revelata divinitus, in qua Deus affirmat se gratis, non propter ulla nostra merita aut dignitatem nostram, sed propter obedientiam Filii credentibus in Filium certo remittere peccata et donare eis imputationem iustitiae et reconciliationem, in qua Filius Dei voce Evangelii consolatur et vivificat corda credentium et liberat eos a morte aeterna et facit eos templa Dei, dato Spiritu sancto, sanctificante eos et accendente tales motus, qualis est ipse Spiritus sanctus, et donat haereditatem vitae aeternae credentibus, quod propter ipsum gratis habeant remissionem peccatorum, imputationem iustitiae, reconciliationem et haereditatem vitae aeternae.

VIRTUS in natura integra, est vera conformitas motuum cordis et omnium virium cum Deo, sicut se in Lege patefecit, et refertur ad hunc finem principalem, ut Deo praestetur obedientia debita et [51]) ipse celebretur iuxta dictum [Matth. 5, 16.]:

---

44) voce Evangelii *absunt ab* Editt. 16—19. 23., Def. 1.

45) tertia persona] Editt. 16—20. 23. 25—27., Def. 1. 2. persona tertia

46) qui] Ed. 16., Ex. 3., Def. 1. 2. quae

47) Conf. 1. Ioh. 3, 4. 5, 17.

48) ita tamen ut ipse] Editt. 16 — 19. 23. ita ut tamen ipse; Editt. 20. 21. 25., Corp. 1., Opp. 1. 2., Ex. 3., Def. 1. 2. ita ut tamen; Corp. 2. 4. tamen ut ipse ita

49) Saul et David] Editt. 16 — 20. 23. 25., Def. 1. 2. Saul, David,

50) *Tota haec definitio* EVANGELIUM — — vitae aeternae *abest ab* Editt. 16—19. 23., Def. 1.

51) et *abest ab* Editt. 16—19. 23., Def. 1.

Luceat lux vestra coram hominibus, ut glorificetur Pater vester coelestis. Et quidem est conformitas, quam efficit ipse Deus, cum est omnia in omnibus, suam lucem in nos spargens, et haec vere dicitur Virtus. Nam disciplina in natura depravata, etiamsi adiuvatur Heroicis motibus, ut in Scipione; tamen tantum est [52]) qualiscunque umbra virtutis tegens externam deformitatem, sicut folium fici tegebat deformitatem in Adam et Heva. Est igitur virtus seu disciplina rationalis gubernatio locomotivae iuxta Legem Dei, quae in aliis magis, in aliis minus firma est. Ut firmior est haec virtus in Scipione, quam in Alexandro, etsi in utroque sunt Heroici impetus.

IUSTITIA UNIVERSALIS est obedientia secundum omnes leges, sicut Aristides nominatur iustus. Et saepe hoc modo scriptura loquitur de iustitia legis, cum vult intelligi universalem obedientiam.

IUSTITIA PARTICULARIS est virtus reddens suum unicuique [53]).

FIDES est assentiri omni verbo Dei [54]) nobis tradito et in hoc promissioni gratiae propter Filium Dei promissae, quo assensu apprehenditur promissio remissionis peccatorum et reconciliationis, et est fiducia acquiescens in Deo propter Mediatorem, qua in veris pavoribus erigimur, et sentimus vitam et laetitiam in Deo, et accedimus ad Deum, et invocamus eum agnita eius misericordia et praesentia clamantes Abba pater [55]), sicut dicitur [Rom. 5, 1.]: Iustificati fide pacem habemus. Item [Rom. 9, 33.]: Omnis, qui credit in eum, non confundetur. Haec est vera definitio Fidei, de qua Paulus loquitur, cum ait [Galat. 3, 24.]: Fide iustificamur. Et comprehendit Paulus simul in potentia cogitante notitiam et assensum, et in voluntate fiduciam. Sciendum est autem notitias esse apprehensivas, Fiduciam vero in corde et voluntate esse motum, quo acquiescimus in obiecto apprehenso. Ita veteres dixerunt, Fidem esse virtutem apprehensivam, quia format imagines intuens obiectum [56]). Sed alia est Fidei definitio, cum de sola notitia historiae dicitur, qualis est in impiis, quae est nosse historiam et ei assentiri. Haec non est integra fides, sed mutila, quia non assentitur promissioni divinae ad te pertinenti. Credunt Diaboli et Iudas promissionem reconciliationis aliis offerri, sed non sibi. Non igitur credunt omnes articulos fidei, sed abiiciunt articulum: Credo remissionem peccatorum, scilicet Mihi quoque promissam esse.

DILECTIO est obedientia secundum omnia praecepta Dei cum fide et fiducia misericordiae propter Mediatorem promissae et laetitia in Deo. Nam 1. Ioannis 5. [vs. 3.] dicitur: Haec est dilectio Dei, mandata eius servare. Nec mihi displicet huc accommodari dictum: Deus est dilectio, id est, Deus est summe diligens nos propter Filium tali ordine, qualem [57]) ipsius sapientia sanxit, et in nobis efficit [58]) talem dilectionem et ordinem, qualis in ipso est. Sed tamen oportet discerni Creatorem Deum et creaturas, ut Deum in Angelo efficientem sapientiam et dilectionem [59]), quae sunt lux a Deo creata et accensa.

SPES est certa expectatio vitae aeternae propter Mediatorem gratis dandae [60]), et est expectatio mitigationis calamitatum in hac vita iuxta consilium Dei. Ac observanda est differentia inter Fidem et Spem. Fides agnoscit, vult et accipit remissionem et reconciliationem in praesentia, cum corda vivificantur per Filium Dei in pavoribus, quem Fide intuentur. Spes est velle futuram liberationem, quae nondum adest, et acquiescere oblato futuro bono. Non enim acquiescit voluntas, nisi bono aliquo monstrato seu praesenti vel futuro. Usitatum est has tres nominare virtutes Theologicas, Fidem, Spem et Dilectionem. Sed sunt aliae multae in singulis necessariae, quae tamen ad has referri possunt.

PATIENTIA est velle obedire Deo in tolerandis adversis, quae iubet ferre, et nihil propter dolorem facere contra eius mandata, non deficere ab ipso, non ruere in desperationem et odium ipsius, non iniuste laedere homines propter dolorem, simul etiam in calamitate retinere fidem et spem auxilii divini, et in hac fide et spe sentire mitigationem doloris, sicut Paulus inquit [Philipp. 4, 7.]: Pax Dei gubernet corda vestra. Et Iesaias [30, 15.]: In silentio et spe fortitudo vestra.

GLORIA est approbatio conscientiae recte iudicantis et aliorum recte iudicantium. De hac gloria dicitur 2. Cor. 1. [vs. 12.] Haec est gloriatio nostra, testimonium conscientiae nostrae. Et Gal. 6. [vs. 4.] Opus suum probet unusquisque, et tunc gloriam habebit apud sese, et non apud alios, id est, Unusquisque recte faciat officia vocationis suae, quod cum facit, habebit apud se gloriam, id est,

---

52) tamen tantum est] Editt. 16—19. 22—24. 26—29. 31—33., Def. 1. tantum est, Editt. 30. 34. tamen est

53) unicuique] Editt. 16—20. 23. 25., Def. 1. 2. cuique

54) Dei *abest ab* Editt. 16—20. 23. Def., 1. 2.

55) et accedimus ad Deum ——— Abba pater, *absunt ab* Editt. 16—19. 22—24. 26—34., Def. 1.

56) quia format imagines intuens obiectum.] Editt. 16 — 19. 23. quia formant imagines obiecto.

57) qualem] Editt. 16—19. 23. quali

58) efficit] Editt. 16—19. 23. efficiens

59) Deum in Angelo efficientem sapientiam et dilectionem,] Editt. 16 — 19. 23. Deum in Angelo efficientem dilectionem, et in Angelo sapientiam et dilectionem,

60) gratis dandae *absunt ab* Editt. 16—19. 23.

approbationem non falsam conscientiae non sauciae, nec volet iniustis modis colligere existimationem errore aliorum, videlicet stulto applausu errantium aut obtrectatione, Ut Fabius recte faciens gloriam, id est, non falsam approbationem suae conscientiae habet, etiamsi displicet multitudini. Haec vera approbatio conscientiae est res bona et expetenda, quia est veritas, non mendacium. Et Deus vult nos in iudicando veraces esse, ut Ioseph debet affirmare se non attigisse coniugem domini. Scipio debet tenere discrimen honestorum et turpium, et cum turpiter fecit, debet improbare factum, et improbationem ordine divinitus etiam naturae insito sequitur dolor in corde. Rursus cum recte fecit, debet agnoscere recte factum esse et honeste factum discernere a contrario. Sequitur autem approbationem recte iudicantem laetitia in corde. Haec sapientissimis consiliis Dei sic ordinata sunt, ut homo intelligat discrimen honestorum et turpium, et inde [61]) discernat Deum ab aliis naturis et agnoscat peccata et regat mores. Ideo Salomon dixit [Prov. 22, 1.]: Melius est nomen bonum, quam divitiae magnae. Est igitur gloria iuxta hanc veram definitionem res bona et appetenda. Et dictum Augustini sit notum: Bona conscientia mihi opus est propter Deum, bona fama [62]) propter proximum. Diligenter autem considerandum est, quod in definitione mentio fit recti iudicii. Hic multa comprehenduntur. Alexander non recte iudicat cogitans, se tantas victorias habere suis virtutibus, et non recte Deum invocans, nec gratitudinem Deo ostendens, sed propter successus sumens sibi licentiam omnium scelerum, et iniuste alios opprimens etc. Errat iudicio et plus sibi tribuit, quam debebat. Thrasonis vanitas melius conspici potest, qui [63]) non recte iudicat, quia palam mentitur praedicans de se falsa. Sed Ioseph recte iudicat, servat enim ordinem, scit personam iustam esse per misericordiam propter promissum Dominum. Deinde scit in hoc periculo et in his illecebris cor suum a Deo confirmatum esse, et agnoscit Deum esse fontem [64]) huius boni et ei gratias agit, postea affirmat, quod res est, se non esse adulterum. Sic Iob recte iudicat, cum ait se iustum gubernatorem fuisse. Expresse autem utramque propositionem recitat, ait se non esse iustum coram Deo, et rursus inquit se iustum esse et iuste [65]) fecisse. Non est iusta persona propter proprias virtutes, sed propter Redemtorem, quem nominat. Deinde in reconciliato placet obedientia etc. [66]) Hinc sumatur et dicti explicatio [1. Cor. 1, 31.]: Qui gloriatur, in Domino glorietur, scilicet de Iustificatione, sicut ibi Paulus loquitur. Quanquam et generaliter vere ita dicitur, quoties de principalibus caussis bonarum rerum cogitatur, Ut Ioseph scit se a Deo adiutum esse in tuenda castitate. David scit se adiutum esse, cum interfecit Goliath, et tamen de effectu vere affirmat Ioseph se non esse adulterum. Haec integritas conscientiae est aliqua gloria et res bona. Quare et tranquillitas cordis eam sequitur ordine divino.

TIMOR est affectus [67]), qui sensu percipitur in corde, et est fuga venientis mali cum dolore cordis, quod ita conditum est, ut vel laetitia sit incolume vel dolore compressum destruatur, quia voluit Deus his [68]) diversis affectibus in creatura rationali ostendere suum iudicium, quod servet obedientes et destruat contumaces, et vult ipsos affectus executores esse huius sui iudicii, quia Lex sine executione esset inanis sonitus. Haec primum in genere de timore considerentur, ut vocabulo timoris sciant iuniores significari non otiosam cogitationem, sed acres motus, qui in corde percipiuntur.

TIMOR SERVILIS est expavescere sensu irae Dei et poenarum sine fide, et in hoc horrendo dolore fugere Deum, sicut fugiunt Saul, Iudas et similes.

TIMOR FILIALIS in hominibus in hac vita, est timor coniunctus cum Fide [69]), id est, est in vero dolore erigi agnitione misericordiae Dei propter Filium promissae [70]) et vera invocatione ad Deum accedere, quod cum fit, subiicit se cor Deo vera reverentia, et non vult eum offendere. De hoc timore dicitur [Prov. 1, 7.]: Timor Domini initium sapientiae. Item Ecclesiastici ultimo [Ecclesiastes 12, 13.]: Deum time et mandata eius observa. Haec sit regula omnibus hominibus. In talibus dictis plurimis Timor significat prorsus idem quod verus et non simulatus cultus Dei, et intelligatur hic cultus seu timor de universali obedientia. Haec simplex declaratio nominis necessaria est ad multorum dictorum explicationem. In Epistola Ioannis dicitur [1. ep. 4, 18.]: Perfecta dilectio foras pellit timorem. Hic de timore servili dicitur, quo cor horribili dolore fugit Deum, ut experientia ostendit in omnibus ho-

61) inde] Corp. 2. 4. deinde

62) fama] Ed. 16. conscientia *(errore typoth.)*

63) qui] Editt. 16—19. 22. 23. quia

64) esse fontem] Editt. 22. 24. 28—34. fontem esse

65) iuste] Editt. 16—20. 23. 25—27., Def. 1. 2. iusta

66) etc. *abest a* Corp. 1—8., Opp. 1. 2.

67) est affectus,] Editt. 16—20. 23. 25—27., Def. 1. 2. affectus est

68) his] Corp. 2. 4. in his

69) in hominibus. . . Fide,] Editt. 16—19. 22—24. 26—34., Def. 1. est timor cum fide,

70) promissae] Editt. 16—20. 22—27. 30. 34., Def. 1. 2. promissum, Editt. 28. 29. promissam

minibus esse trepidationes. Sed cum accedunt Fides et Dilectio, id est, laetitia in Deo, accedimus ad Deum, non fugimus. Ita pellitur servilis timor et oritur vera reverentia subiiciens cor Deo.

CONSCIENTIA est syllogismus practicus in intellectu, in quo maior propositio est Lex Dei, seu quodcunque [71]) verbum Dei nobis aliquid praecipiens [72]). Minor vero et conclusio sunt applicatio approbans recte factum [73]) vel condemnans delictum, quam approbationem in corde sequitur laetitia, et condemnationem dolor naturali ordine sancito a Deo, qui vult in creatura rationali hanc notitiam sui iudicii esse et executionem accedere, ut sit testimonium de ipso ostendens, esse Deum et praecipere iusta et prohibere iniusta et punire. Utitur autem Deus hoc ipso iudicio in nobis in puniendo et suo tempore hos pavores auget, sicut dicitur [Deuter. 4, 24.]: Deus ignis consumens est. Item [Rom. 7, 11.]: Lex occidit. Erant in Davide statim condemnatio sceleris et aliquis dolor, sed adhuc languidior. Sed in obiurgatione Nathan Deus ipse auxit hunc dolorem feriens cor eius sensu irae. Debebat cor humanum congruere cum Lege etiam ante delictum, sed tunc saepe est contumax. Reliquit autem Deus hoc iudicium post delictum, quia Deus in hoc dolore vult se conspici ac sciri se [74]) esse Deum iusta praecipientem et punientem iniusta. Hoc consilium Dei et testimonium de Deo saepe cogitandum est. Hoc iudicium nominat Paulus ad Colossenses [2, 14.]: Chirographum contra nos scriptum Lege, id est, Syllogismum, in quo Lex et quodcunque verbum Dei nobis aliquid praecipiens [75]) est maior, applicatio ad nos sunt minor et conclusio, qua horribiliter condemnamur [76]) nostro testimonio. Huc multa dicta Scriptorum pertinent:

Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra
Pectora, pro meritis spemque metumque suis.[76a])

LIBERTAS IN DEO est posse res creare et non creare, et cum sit immutabiliter bonus, posse dare bona et posse non dare, conservare naturam aut non conservare, agere per creaturas secundum naturae ordinem, quem instituit, aut naturae ordinem moderari aut mutare, ac immediate agere sine creaturis. Ita praeest naturae ut agens liberrimum, iuxta dictum Psalmi [113, 3.]: Omnia, quaecunque voluit, fecit.

VERA VIRTUS in Angelis et hominibus est motus divinus congruens cum lege Dei, qui motus accenditur a Deo, ut castitas in Ioseph, fortitudo in Davide, iuxta dicta [Philipp. 2, 13.]: Deus est, qui efficit in vobis, ut velitis et perficiatis [77]), ut fiant aliqua ipsi grata. Et 1. Cor. 12. [vs. 4.] Divisiones donorum sunt, idem autem Spiritus.

OPERA LEGIS sunt cogitationes humanae et imperia voluntatis cientis locomotivam, ut externae actiones congruant cum Lege Dei. Hunc qualemcunque conatum in homine vocant Philosophi Virtutem.

IUSTITIA UNIVERSALIS significat idem quod virtus, et est congruentia cum tota Lege, seu est congruentia cum Deo. Idem est enim dicere, congruere cum Deo, et congruere cum lege Dei, quia Deus talis est, sicut se in Lege describit.

IUSTITIA PARTICULARIS est virtus suum cuique tribuens. Hanc definitionem Plato accepit [78]) a Simonide. Apud Clementem extat definitio composita ex universali et particulari: *δικαιοσύνη ἐστὶ κοινωνία θεοῦ μετὰ ἰσότητος.* Apparet autem auctores voluisse in priore membro complecti motus accensos a Spiritu sancto erga Deum, deinde officia erga proximos. Intelligatur autem aequalitas ordinata.

NOTITIAE sunt actiones mentis et cerebri, quibus formantur imagines, quae sunt lumen, quo res [79]) monstrantur, ut Iulius cogitans Pompeium absentem ea ipsa cogitatione format imaginem eius. Hoc ita fieri manifestum est; quomodo fiat, nondum scimus, sed in illa aeterna Academia discemus. Interea consideremus hoc mirandum opus Dei in hominibus, et discamus hanc formationem imaginum nobis inditam esse, ut aliquo modo cogitemus filium Dei esse imaginem aeterni Patris cogitatione genitam, ut inquit Epistola ad Hebraeos [1, 3.]: Filius est *χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ.* Fiunt autem illustriores Notitiae, quando Deus ipse hoc lumen accendit, videlicet quando Filius Dei ipse dicit consolationem in mentibus nostris et ostendit Patrem voce Evangelii, ut fit in vera consolatione. Ita scriptum est ad Hebr. cap. 4. Sermo Dei vivus et efficax et penetrantior omni gladio, penetrans artus et medullas, iudicans cogitationes cordium etc. Et

71) quodcunque ***abest ab*** Editt. 16—19. 22—24. 26—34., Def. 1.

72) nobis aliquid praecipiens ***absunt ab*** iisdem Editt.

73) factum] Corp. 1—8. facta

74) se ***abest ab*** Editt. 16—23. 25., Opp. 1. 2., Ex. 3., Def. 1. 2.

75) et quodcunque . . . praecipiens ***absunt ab*** Editt. 16—19. 23., Def. 1.

76) condemnamur] Ed. 22. typ. errore: condonamur

76a) Ovid. Fast. I, 485 sq.

77) perficiatis,] Editt. 16—19. 22. 23. perficit,

78) accepit] Editt. 16—19. 22. 23., Def. 1. accipit

79) *Pro seqq.* monstrantur, ut . . . res quas Deus vult aspici *cet. (sub fin. huius def.) in* Editt. 16 — 19. 23., Def. 1. *haec sunt:* monstrantur, et hae fiunt illustriores, quando Deus ipse hoc lumen accendit, et facit illustrius, et quando Spiritus sanctus miscetur nostris spiritibus, per quos fiunt actiones in cerebro. Est igitur sapientia generaliter notitia illustris aut mediocris, complectens res, quas Deus vult aspici *cet.*

cum Filius dicit consolationem in mentibus, simul effundit Spiritum sanctum in corda, qui novos motus accendit, qualis ipse est, et miscetur spiritibus vitalibus, fitque illustrior notitia congruentibus motibus cordis. Est igitur sapientia generaliter notitia vera illustris aut mediocris, agnoscens res, quas Deus vult aspici [79]) et considerari, sicut Deuteron. 4. [vs. 6.] dicitur: Haec est sapientia vestra, audire praecepta Dei.

FIDES est assentiri omni verbo Dei nobis tradito, atque ita et promissioni gratiae: et est fiducia in voluntate et corde, acquiescens in Deo propter Mediatorem, accensa per verbum Dei et Spiritum sanctum, qua cor in sensu irae Dei agnita misericordia Dei[80]) reviviscit et laetatur in Deo et accedit ad eum et invocat eum clamans Abba Pater iuxta dictum [81]) Rom. 5. [vs. 1.] Iustificati [82]) fide pacem habemus erga Deum. [83]) Item Rom. 8. [vs. 15.] Clamamus Abba pater. [84])

SPES est certa expectatio vitae aeternae propter Mediatorem gratis dandae, et est expectatio mitigationis seu liberationis praesentium calamitatum iuxta consilium Dei, iuxta dictum 1. Petr. 1. [vs. 13.] Perfecte sperate vitam aeternam. Intelliges [85]) autem perfecte pro hac phrasi, sine simulatione. [86])

DILECTIO DEI est obedientia universalis iuxta omnia mandata propter Deum, et coniuncta cum vera laetitia in Deo iuxta dictum 1. Ioannis 5. [vs. 3.] Haec est dilectio Dei, servare mandata Dei.

PATIENTIA PHILOSOPHICA est obedire rationi in perferendis adversis, quae ratio iubet ferre, et non frangi dolore, ut contra aliquam virtutem faciamus, ut Cato facit contra Iustitiam sese interficiens.

PATIENTIA CHRISTIANA est obedire Deo in perferendis adversis, quae Deus iubet ferre, nec frangi dolore, ut contra aliquod mandatum Dei faciamus, et est lenire dolorem agnitione voluntatis Dei et Spiritu sancto, qui est laetitia in Deo [87]), et spem retinere liberationis aut mitigationis, et petere a Deo liberationem et mitigationem, iuxta dictum Psalmi 36. [vs. 7.] Subditus esto Deo et ora eum. Item [Psalm. 36, 34.] Expecta Dominum et custodi viam eius.

CULTUS DEI est opus a Deo mandatum, factum fide agnoscente Filium Dei et fiducia ipsius, cuius operis finis principalis mediatus vel immediatus est, ut Deo honos praestetur, id est, ut hac obedientia testimonium ostendatur, hunc vere esse Deum, quem sic colimus.

TIMOR DEI est vere expavescere agnitione irae Dei adversus peccatum. Fit autem Timor filialis, cum accedit fides, qua cor erigitur consolatione, et fit talis Timor, qui est sine odio Dei et vult ei reverenter obedire et eum non offendere. Hoc modo Timor Dei significat totum cultum, ut [Psalm. 127, 1.]: Beati omnes, qui timent Dominum.

TIMOR SERVILIS est timor et dolor sine fide, et est fremitus adversus Deum et horribilis fuga, qualis est in Saule et Iuda. De hoc timore dicitur: Perfecta, id est, non simulata dilectio foras pellit timorem.

IURAMENTUM est invocatio Dei, qua [88]) petimus, ut Deus sit testis de nostro animo, quod non velimus fallere homines ea de re, de qua asseveramus, et simul petimus, ut Deus sit vindex, si fefellerimus, quam invocationem Deus sanxit, ut sit vinculum veritatis inter homines, et se obligat ad tuendum hoc vinculum, videlicet ut servantibus benefaciat et non servantes sine ulla dubitatione puniat, quia vult intelligi veritatem, ut sciamus et esse ipsum et esse veracem.

VERITAS interdum notitiam seu doctrinam veram seu sermonem verum significat. Ibi est congruentia sermonis cum rebus. Ut cum cogito aut dico nivem candidam esse. Interdum significat virtutem, quae posset [89]) nominari Veracitas. Est autem virtus, quae amplectitur, amat et constanter retinet veras notitias, veram doctrinam et veros sermones, et abhorret a mendaciis et Sophistica, et efficit, ut congruant dicta seu promissa et facta, et ut sermo ac gestus congruant cum animo. Vult autem Deus intelligi veritatem, ut sciamus et esse ipsum et veracem esse, et vult nos acquiescere in veris notitiis propter ipsum et propter utilitatem vitae, ideo inquit [Exod. 20, 16.]: Non dicas falsum testimonium. Item [Matth. 5, 37.]: Sit sermo vester, est, est, non, non etc. Si enim concederetur infinita petulantia et vanitas disputationum, qualis fuit Pyrrhoniorum, vocaretur etiam in du-

---

80) misericordia Dei] Editt. 16—19. 22. 23., Def. 1. iustitia

81) dictum] Editt. 20. 25., Corp. 1—8., Opp. 1. 2., Ex. 3., Def. 2. dicta

82) in Deo et accedit — — — Iustificati] Editt. 16—19. 22. 23., Def. 1. in Deo, iuxta dictum: Iustificati

83) erga Deum *absunt ab* Editt. 20. 21. 25., Corp. 1., Opp. 1. 2., Ex. 3., Def. 2.

84) Item Rom. — pater *absunt ab* Editt. 16 — 19. 22. 23., Def. 1.

85) Intelliges] Ed. 21., Opp. 1. 2. Intelligentes

86) Intelliges — — — simulatione *absunt ab* Editt. 16—19. 22. 23., Def. 1.

87) in Deo *abest ab* Editt. 16. 19. 23., Def. 1.

88) qua] Ed. 16. quam

89) posset] Editt. 16—19. 23., Def. 1. possit

bium, an sit Deus. Demosthenes dixit, Duabus rebus homines fieri similes Deo, Veritate et Beneficentia. Et sit in conspectu dictum Zachariae [8, 19.]: Diligite veritatem et pacem.

SUPERSTITIO est observatio certi gestus aut tribuere effectum gratiae aut mutationis naturalis rei aut gestui sine mandato divino aut sine caussis physicis. Hic non dicitur de politicis gestibus, qui sunt significationes sine superstitione, ut cum Regi imponitur Corona, non fit naturalis mutatio, sed fit significatio ad commonefaciendos alios de distinctione ordinum et de officiis etc.

ECCLESIA VISIBILIS est coetus visibilis hominum amplectentium incorruptam Evangelii doctrinam et recte utentium Sacramentis, in quo coetu Filius Dei est efficax per ministerium Evangelii et multos regenerat ad vitam aeternam, quanquam sunt in eo coetu et alii multi non sancti, sed tamen de doctrina et externa professione consentientes. Haec est simplicissima definitio visibilis Ecclesiae.

REGNUM CHRISTI est, Filium Dei instituere et conservare ministerium Evangelii, colligere Ecclesiam et vere efficacem esse in credentibus, eos vivificare voce Evangelii [90]) et sanctificare Spiritu sancto ad vitam aeternam, defendere eos contra tyrannidem Diabolorum et organa Diabolorum, et postea resuscitare Sanctos ad vitam aeternam, et tradere regnum Patri, id est, adducere aeternam, Ecclesiam ad aeternum Patrem coram, ut postea regnet in eis divinitas palam, non per ministerium Evangelii. Donec enim adhuc per ministerium Evangelii colligitur Ecclesia, dicitur hoc regnum Christi in hac vita, quia Filius, qui est λόγος, profert Evangelium ex sinu aeterni Patris, et Pater agnoscitur, cum in ipsa consolatione agnoscimus, nos ab aeterno Patre recipi monstrato [91]) voce Evangelii, [92]) et tamen Filii regnum est aeternum, quia in tota aeternitate simul cum Patre et Spiritu sancto regnat et manet caput Ecclesiae.

MINISTER EVANGELII est persona ordinata a Deo mediate et vel immediate, ad docendum Evangelium et ad Sacramentorum administrationem, et ad puniendum verbo, non vi corporali.

MAGISTRATUS POLITICUS est persona a Deo ordinata mediate vel immediate, ut sit vox et executor Legis divinae in externa disciplina et aliarum honestarum Legum, et sit custos pacis, et reprimat ac puniat [93]) contumaces vi corporali, bellis et suppliciis, aut nece corporum. Ad hanc executionem opus est praesidiis et sumptibus, ideo imperia oportet instructa esse satellitiis, qualia non habet Minister Evangelii.

DEFENSIO LEGITIMA est certo modo reprimere violentiam notoriam, sicut Leges ordinarunt, Ut cum viator in praesenti periculo reprimit latronem. Sic licet reprimere Magistratum in praesenti periculo rapientem filiam aut coniugem alterius. Aliud autem est defensio in praesenti periculo, aliud poena post atrox scelus, ubi etiam aliquando magnitudo iusti doloris excusat parentes, qui atrocia scelera puniunt, ut Harpagus et civis Vicentinus, [94]) cui tyrannus eripuerat filiam et stupratam postea remisit dissectam in quatuor partes.

BELLUM est aut legitima defensio aut legitima poena suscepta ab ordinaria potestate propter iustam caussam.

SEDITIO est motus subditorum, qui invadunt armis Magistratum, a quo non sunt affecti notoriis iniuriis, et quando non servatur modus defensionis, sed rapitur dominatio.

ΣΤΟΡΓΗ est motus cordi humano insitus divinitus, congruens cum Lege Dei, ut amor erga parentes, natos, coniugem, fratres et bene meritos.

NEMESIS seu ZELUS, id est, indignatio contra atrocem iniustitiam aut turpitudinem. Sunt autem *στοργαὶ* divinitus insitae hominibus, ut sint commonefactiones de Deo, qualis sit etc.

GRATITUDO est virtus complectens veritatem et iustitiam: Veritatem, quia Deus vult nos agnoscere et fateri, unde beneficia accepta sint; Iustitiam vero, quia obligat nos ad mutuam benevolentiam et ad alia certa officia.

AFFECTUS sunt motus cordis, laxationes vel compressiones, sequentes notitiam et [95]) prosequentes aut fugientes obiecta, qui cum aut laedant naturam aut delectent, semper comitantur extremi affectus: dolor, laesa natura, seu suavitas, id est, laetitia acquiescens in obiecto. Hi duo sunt ultimi affectus, quia Deus vult discerni honesta et turpia, ideo cor sic condidit, ut sit tanquam vindex, et dolor destruat hominem propter turpia, et laetitia sit vita, quae debet habere honesta obiecta, ut congruant [96]) cum Deo.

Est autem DOLOR seu Tristitia in corde fuga obiecti contrarii, quo laeditur, et est sensus destructionis, cum cor velut fugiens constringitur seu comprimitur. Et in hac compressione torrefit, [97])

90) voce Evangelii *absunt ab* Editt. 16—19. 22. 23., Def. 1.

91) monstrato] Editt. 24. 26—34., Corp. 1—8. monstrata

92) et Pater agnoscitur . . . Evangelii *absunt ab* Editt. 16—19. 23., Def. 1.

93) et reprimat ac puniat] Editt. 16. 20. 21. 25., Corp. 1 — 8., Opp. 1. 2., Ex. 3., Def. 1. 2. ac reprimat et puniat, Ed. 17. ac reprimat ac puniat

94) Vicentinus,] Editt. 17—19. Vicentius

95) et *abest ab* Editt. 16. 17. 19—21. 23. 25., Corp. 1—8., Opp. 1. 2., Ex. 3., Def. 1. 2.

96) congruat] Editt. 24. 26—34., Corp. 1—8., Def. 1. congruant

97) torrefit] Editt. 16—20. 23. 25. terrefit

et sanguis ac [98]) spiritus velut incendio absumuntur; [99]) et languefiunt omnes actiones cordis, donec vita prorsus extinguitur. Alibi dolor in aliis membris est tantum sensus laesionis nervorum, qui sic conditi sunt, ut percipiant suaves et insuaves motiones. Nec alia caussa quaerenda est, nisi quia Deus voluit nobis discrimina conservationis et destructionis nota esse, et voluit, ut naturae iustae bene sit et iniusta destruatur. [100])

LAETITIA est suavis motus in corde et velut laxatio, in qua sanguis fovetur ac copiosae et [1]) lucidae flammae spirituum gignuntur, quibus totum corpus fovetur. Ex his initiis ceteri affectus utcunque describi possunt, quia plerique sunt compositi seu mixti. Ut:

IRA est dolor cordis fugientis obiectum contrarium et simul [2]) cupiditas depulsionis. Fit autem compressione dolor. Quare sanguis affluit, ut cordi opem ferat. Sed cupiditas depulsionis fit laxatione, in qua cor effundit sanguinem et spiritus in extrema membra, et tanquam armat ea, et utroque motu crescente fit incendium cordis et spirituum. Hinc sunt descriptiones: [Ovid. Art. amat. III, 503 sq.]

Ora tument ira, nigrescunt sanguine venae,
Diraque Gorgoneo [3]) lumina felle micant.

ODIUM est continuata ira tanquam perpetuum incendium seu flamma in corde.

AMOR est compositus ex laetitia et ex attractione rei placentis, Fitque dilatatio cordis velut amplexu attrahentis rem placentem, ut res placens fiat unum quiddam in corde, ut dicitur: *σώματα μὲν δύο, ψυχὴ δὲ μία.*

MANSUETUDO est virtus moderatrix irae, id est, non effundens iram, nec obtemperans irae, nisi ubi lex Dei iubet irasci et punire.

Vicina virtus est NEMESIS seu ZELUS, quae est irasci et punire iuxta mandata Dei. Ut Phinees [4]) iratus propter gloriam Dei interfecit accedentem ad peregrinam mulierem. Nec recte dicunt Stoici, Poenam exequendam esse sine ira, quia vult Deus etiam corda vere commoveri, ideo tales motus indidit hominibus, et Spiritus sanctus ipse ciet eos in sanctis, iuxta dictum [Psalm. 68, 10.]: Zelus domus tuae comedit me.

MISERICORDIA est virtus, qua dolemus in calamitate iustorum aut propter probabilem rationem in calamitate iusta eorum, qui tamen errore aut imbecillitate lapsi sunt, et lenire miseriam studemus.

AMICITIA est Iustitia, in qua pro benevolentia orta ex caussis honestis reddimus benevolentiam et obligati sumus ad mutua officia honesta et possibilia.

ἘΠΙΕΙ΄ΚΕΙΑ [5]) est virtus leniens severitatem stricti iuris propter probabilem rationem, quia videlicet in circumstantia est mitigationis caussa, ut cum Thrasybulus Atticus sancit, ne reducti cives ereptas possessiones repetant, quia repetitio novum bellum accensura erat. [6]) Sic Paulus inquit Philipp. 4. [vs. 5.] *Ἐπιείκεια* [5]) vestra nota sit omnibus hominibus. Vult enim in Christianis eminere bonitatem condonantem multas privatas offensiones tranquillitati publicae, sicut et Dominus inquit [Luc. 6, 37.]: Remittite, et remittetur vobis. Et noti sint dulcissimi versus Nazianzeni:

Εἰδ' [7]) *οἶδας ἴφλων, καὶ πρόχρησον τὸ πρᾶον,*
Οἴκτῳ γὰρ οἶκτος, τῷ θεῷ σταθμίζεται.

Est autem maxime illustris *Ἐπιείκεια,* [5]) quam Deus in Evangelio patefacit, [7a]) recipiens inchoatam obedientiam [8]) propter filium et quasi dispensans de Lege sua.

Vicinae virtutes sunt severa iustitia et *ἐπιείκεια,* sicut Liberalitas [9]) et Parsimonia, Item [10]) sicut Mansuetudo et Nemesis, Item sicut Veritas et Candor. Est enim Candor virtus in quacunque interpretatione, non solum non depravans recte [11]) dicta calumniis, sed etiam flectens ambigua ad meliorem sententiam. Et praeceptum est de Candore: [Matth. 7, 1.]: Nolite iudicare, ne iudicemini etc.

FORTITUDO est virtus ac firmitas cordis perferens dolores ac pericula tum in sustinendo tum in depellendo iuxta Legem Dei, quae ostendit, quae sint sustinenda, et ubi sit utendum depulsione. Haec firmitas cordis, ut in Davide sustinente iniurias aut

---

98) ac] Corp. 1—8., Opp. 1. 2. et

99) absumuntur,] Editt. 17—19. 22. 23. absumitur,

100) bene sit . . . destruatur.] Editt. 16—19. 23., Def. 1. bene esset . . . destrueretur.

1) et] Editt. 16. 17. 20. 21. 25., Corp. 1., Opp. 1. 2., Ex. 3., Def. 1. 2. ac

2) simul] Editt. 16—19. 23., Def. 1. simul est

3) Gorgoneo] Editt. 16—20. 23. 25., Def. 1. 2. Gorgonio

4) Phinees] Corp. 2. 4. errore typ.: Phienes

5) *ἘΠΙΕΙΚΕΙΑ . . . Ἐπιείκεια*] Editt. 16—19. 21—24. 26. 27. Corp. 1 — 8., Ex. 3., Def. 1. 2. *tribus his locis latine habent:* EPIIKIA . . . Epijkia

6) erat] Corp. 2. 4. esset

7) *Εἰδ'*] Editt. 16. 21. 22. 24. 28. 29. 31., Opp. 1. 2., Ex. 3., Def. 1. 2. *Εἰδὲ*

7a) patefacit] Editt. 22. 23. patefecit

8) obedientiam] Editt. 16—19. 23., Def. 1. inobedientiam

9) Liberalitas] Def. 1. Libertas, Corp. 1—8. et Liberalitas

10) sicut Liberalitas et Parsimonia, Item *absunt ab* Editt. 16—19. 23., Def. 1.

11) recte] Corp. 1—8. recta

pugnante cum Goliath, est motus divinus, et universaliter heroica fortitudo, ut in Achille, motus divinus est, nec assumitur humana cogitatione, quia est in corde, non tantum est qualiscunque gubernatio locomotivae in externo gestu, sicut vulgaris fortitudo.

GLORIA, usitate dicta de gloria hominis, est approbatio conscientiae nostrae recte iudicantis et aliorum recte iudicantium. De hac gloria Paulus inquit [Galat. 6, 4.]: Exploret unusquisque suum opus, et sic gloriam habebit in se ipso et non ab alio. Id est, Si recte feceris ea, quae sunt tui officii, habebis approbationem conscientiae, quae affert tranquillitatem, et non quaeres gloriam obtrectatione aliorum vel populari applausu.

SUPERBIA conflata est ex multis vitiis. Est enim errore iudicii, non agnoscentis propriam infirmitatem, esse securum [12]) et sine timore Dei et sibi tribuere maiora viribus et fiducia sui extra metas vocationis maiore appetere et alios despicere ac premere, et irasci Deo et hominibus, cum hic cursus [13]) impeditur. Ut Antonius velut ebrius sese [14]) aspiciens admiratur suam virtutem et potentiam, et se dignum esse iudicat, qui solus teneat imperium, ideo omissa vocatione appetit monarchiam. De hoc malo dicit Salomon capite 16. [vs. 5.] Proverbior. Abominatio coram Deo omne cor superbum. Item [Iac. 4, 6.]: Deus superbis resistit, videlicet, quia multa peccata in eis concurrunt, cor est sine timore Dei et effertur fiducia suarum virium, turbat vocationes et fremit adversus Deum, cum impeditur cupiditas. Dignum memoria est et Herodoti dictum: Solet [15]) Deus omnia sublimia humiliare vel mutilare.

HUMILITAS seu ταπεινοφροσύνη est virtus ex multis composita. Est enim in agnitione propriae infirmitatis vere timere Deum, ac [16]) fiducia auxilii divini servire vocationi, nec erumpere, nec maiora appetere, et agnoscere gubernationem Dei opus esse, qui etiam imbecilliores potest facere salutaria organa. Ideo et Iustitia est tribuens suum cuique locum, non despiciens alios nec impediens, et non fremens adversus Deum in poenis, sed tribuens Deo laudem iustitiae, sicut Daniel [9, 7.] inquit: Tibi, Domine, Iustitia etc. Talis fuit Ionathas intelligens, regni molem non sustineri posse humanis viribus, et praesertim in populo Dei non esse felicem Regem, nisi divinitus datum, Ideo non appetivit regnum, sed Davidi cessit, et postea in calamitate Deo patienter obedivit. De talibus dicitur: [Iac. 4, 6.]: Humilibus dat gratiam.

MODESTIA est virtus servans convenientiam secundum rectum iudicium in opinione de nobis, in sermone et in gestu.

PERSONARUM ACCEPTIO est aequalibus inaequalia aut [17]) inaequalibus aequalia dare, et sic Hebraica phrasi dicitur respectus non principalis negotii, sed circumstantiae in persona, ut cum Iudex pauperem moechum punit et moecho diviti parcit, iuxta dictum:

Dat veniam corvis, vexat censura columbas [18]).

Et cum debitum inaequaliter hoc modo distribuitur, pugnat acceptio personarum cum iustitia distributiva, qua vult Deus discerni honesta et inhonesta, sicut scriptum est Roman. 13. [vs. 3.] Magistratus sit terrori malo operi et honori bono. Hunc ordinem sanxit Deus, ut agnoscamus, qualis sit ipse, videlicet iustus et puniens iniusta.

CASTITAS est virtus, quae vitat omnes commixtiones et effusiones seminis prohibitas Lege Dei.

CONIUGIUM est legitima et indissolubilis coniunctio unius maris et unius foeminae ordinata a Deo ad procreationem et ad vitandas vagas libidines, iuxta dictum [Genes. 2, 24.]: Erunt duo in carnem unam, id est, inseparabiliter iuncti. Et cum dicitur legitima coniunctio, comprehenduntur leges de gradibus cognationum divinitus traditae et aliae honestae leges. Nam commixtio cum cognatis prohibita lege divina dicitur incesta, id est, ad quam non potest accedere coniugalis solennitas, in qua sponsa erat ornata cingulo, quod nominabatur κέστος, inde incesta consuetudo dicitur, quasi sine cesto, id est, sine legibus coniugii.

SEDULITAS est virtus, qua iuxta mandata Dei diligenter facimus labores proprios et necessarios vocationis nostrae et intra metas vocationis nos coërcemus. De hac virtute, videlicet de tuenda [19]) vocatione et diligentia in laboribus, expresse praecipit Paulus 1. Thessal. 4. [vss. 10 sq.] Adhortamur, ut excellatis magis et in hoc ambitiosi sitis, ut sitis quieti et propria faciatis. Et Roman. 12. [vs. 8.] dicitur de diligentia: Qui praeest, sit diligens. Et in 9. cap. [vs. 10.] Ecclesiastae [20]): Quicquid invenit manus tua ad faciendum, valide facito. Et capite 11. [vs. 6.] Mane et vespere se-

12) securum] Editt. 16—18. severum, Editt. 19. 23. securam

13) cursus] Corp. 2. 4. typ. errore: rursus

14) sese] Editt. 17—19. 22. 23. se

15) Solet] Editt. 16—19. 23., Def. 1. Amat et solet

16) ac] Corp. 1—8., Opp. 1. 2. et

17) aut] Corp. 2. 4. et

18) columbas] Editt. 16 — 19. 23. *pro hac voce habent:* etc. (De hoc proverbio conf. Erasmi Adag. chil. III. cent. V. prov. 73.).

19) tuenda] Editt. 16—19. 23. retinenda

20) Ecclesiastae] Editt. 16—18. 20. 25., Def. 1. 2. Ecclesiaste

minato semen tuum. Item [ibid. vs. 1.]: Mitte panem tuum in aquas transeuntes, quia post tempora multa invenies, id est, doceas, iuves communem statum tuis laboribus, etiamsi apud multos videtur inutilis labor, ut si panem spargeres in aquas, erunt tamen aliqui, quibus tui labores [21]) profuturi sunt. Sicut et Paulus nos consolatur inquiens [1. Cor. 15, 58.]: Non est irritus labor vester. Extrema vitiosa sunt, Ignavia et *πολυπραγμοσύνη*,[22]) quae aut in vocatione facit multa *πάρεργα* et omittit necessaria, aut erumpit extra vocationem ut ardeliones ac alii ambitione, alii stulta imitatione seu *κακοζηλίᾳ* peccant, ut quia Maccabaeus[23]) feliciter liberaverat populum, multi voluerunt esse imitatores, qui tamen erant infelices, quia nec vocati erant, nec divinitus excitati. Sic fuerunt infelices imitatores Themistoclis, Pericles et Demosthenes. Ac de talibus dictum Polybii dignum est memoria: *πολλοὶ τὰ μὲν ἔργα τῶν εὐτυχούντων οὐ πειρῶνται μιμεῖσθαι*, Multi opera florentissimorum hominum non student imitari, *τὰ δὲ πάρεργα ζηλοῦντες ἐκθεατρίζουσι τὴν ἑαυτῶν ἀκρισίαν*,[24]) Sed imitantes parerga producunt in theatrum suam summam inscitiam.

FURTUM est occupare vel auferre rem alienam invito domino.

PROPRIETAS est dominium rei iustis modis acquisitum, quo dominus et non alius, ius habet de ea re disponendi suo arbitrio, nisi quantum lege aut pacto prohibetur.

DOMINIUM est ius, id est, facultas ordinata lege divina vel humana, qua rem tenet dominus, et non alius, et de ea re [25]) disponit [26]) suo arbitrio, nisi quantum lege aut pacto prohibetur. Sanxit autem distinctionem dominiorum ipsa vox praecepti: Non furtum facies. Ac tenenda est explicatio:

> Naturalia sunt immutabilia,
> Communis usus rerum est naturalis iuris, sicut usitate dicitur,
> Ergo est immutabilis.

Respondeo ad maiorem. Naturalia sunt immutabilia, videlicet notitiae naturales artium et praeceptorum, Sed non utilitates, quae fuissent in natura integra, ut perpetua sanitas corporis et aliae commoditates. Talis potuit esse in natura integra communio, nec tamen fuisset praecepti.

CONTRACTUS est mutua et honesta consensio duorum vel plurium de re aliqua legitimo modo transferenda, vel quoad dominium vel quoad usum vel quoad obligationem divinitus ordinata, quia, cum singuli indigeant rebus, quas ipsi non habent, vult Deus servata aequalitate legitimis contractibus et communicatione legitima vitam hominum copulatam esse, ut intelligamus iustitiam esse aequalitatem et sciamus ipsum aequalem esse. Et sunt contractus confirmati Levitici 19. [vs. 35.] Non facite inaequalitatem in iudicio, in regula etc. [27])

EMTIO est contractus, quo res transfertur quoad dominium pro iusto pretio, nec retinet emtor ius retrahendi pretii. Et nominantur substantialia emtionis merx, pretium et consensus emtoris et venditoris.

MUTUATIO est contractus, quo transfertur pecunia seu frumentum seu alia res utilis, cuius usus est consumtio, cum hac obligatione, ut tantundem post certum tempus reddatur, et dans mutuo retinet ius tantundem petendi, quantum mutuo dedit.

USURA est lucrum, quod propter mutuationem petitur. Expresse autem prohibita est usurae petitio Levit. 35. [28]) et Deuteron. 23. Et in Evangelio dicitur [Luc. 6, 35.]: Mutuum date nihil inde sperantes. Et pugnant usurae cum aequalitate. Nemo debet lucrari ex alieno. Accipiens usuras lucratur de alieno, quia mutuatio transtulit dominium ét quidem rei non sua natura fructificantis.[29]) Non est igitur iustum lucrum, Ac res ostendit propter hanc inaequalitatem exhauriri magnam partem hominum, eamque ob caussam saepe seditiones in imperiis ortas esse. Ethnici tamen, ut modus aliquis esset, legem condiderunt de Centesima. Dicitur autem Centesima usura centesimo mense aequans sortem, ut si quis singulis mensibus de centum aureis solvat unum aureum. Fit mentio centesimae usurae in libro Esdrae [libro II. Esdrae i. e. libro Nehemiae] capit. 5. [vs. 11.] Cumque foeneratores duas aut tres centesimas postularint. Lex de centesima saepe renovata est, ut a Lucullo in Asia, a Cicerone in Cilicia, a Iulio et Augusto in toto imperio.

INTERESSE est accidens aliorum contractuum, et est honestae rei appellatio ex naturali aequalitate sumta, de qua dicitur: Nemo locupletetur [30])

---

21) tui labores] Corp. 2. 4. labores tui

22) *πολυπραγμοσύνη*] Editt. 16—19. 22. *latine habent* polypragmosyne (Ed. 16. polypragmosini)

23) Maccabaeus] Editt. 16. 21., Opp. 1. 2., Ex. 3., Def. 1. Macabaeus, Editt. 17—19. 23. 30. 34. Macchabaeus, Ed. 31. Maacabaeus

24) *τὴν ἑαυτῶν ἀκρισίαν*.] Editt. 16 — 19. 23. *τιμῇ* (Editt. 18. 19. 23. *τιμῇ*) *ἑαυτῶν ἀκρισίᾳ* (Ed. 16. *ἀκρισία*),

25) re *abest ab* Editt. 16—19. 23., Def. 1.

26) disponit] Ed. 16. disponat

27) etc. *abest ab* Editt. 16—19. 22—24. 26—34., Def. 1.

28) 35.] Editt. 17—19. 23.: 25.

29) fructificantis] Ed. 16. fructificandi

30) locupletetur] Ed. 16., Def. 1. locupletur

cum alterius iniuria. Est igitur Interesse debitum, quod debet iure [31]) naturae is, qui efficacem caussam damni alteri dedit aut qui vere impedivit [32]) alterius iusta lucra; ut si quis in locato corrumpit aliquid, debet id quanti interest, id est, debet sarcire damnum, etiamsi nulla pactio de hac re praecessit. Quod autem vocabulum honestae rei Interesse praetexitur crudelibus usuris, perniciosa sophistica est.

LOCATIO est contractus, in quo res transfertur ad certum tempus, quoad usum pro certo pretio, non quoad dominium, et res illatae sunt iure oppignoratae locanti.

MENDACIUM est petulanter aut cupiditate nocendi aliud loqui seu gestu significare et aliud sentire. Non enim nomino mendacia figuras, quibus ex probabili caussa aliquid tegitur, quod non necesse est dici, ut Raab negat speculatores domi suae esse. Tales figurae nominantur officiosa mendacia. Huc et Apologi ac [33]) poëmata pertinent, quae omnia possunt dici figurae seu similitudines.

MALEDICENTIA est seu falsa seu dubia scelera punienda legibus alicui obiicere seu vera commemorare vanitate aut cupiditate nocendi extra ordinem iudiciorum. Hoc vitium prohibetur Levit. 19. [vs. 16.] Non eris criminator nec susurro in populo. Pertinent autem ad hoc genus convicia seu falsa seu vera, quae tamen vanitate aut cupiditate nocendi dicuntur. Item Calumniae, quae sunt, aut benefacta aut recte dicta depravare, aut ambigua in deteriorem partem flectere, aut quoquo modo crimen fingere, ut Palamedes ficto crimine opprimitur, item Naboth. De his omnibus dicitur in Ecclesiaste cap. 7. [vs. 8.] Calumnia conturbat sapientem, et perdit [34]) robur cordis eius. Et cap. 10. [vs. 11.] Qualis est serpens, qui clam mordet, talis est calumniator. Vitia linguae multa sunt alia magis alia minus atrocia.

GARRULITAS, futilitas, vanitas, iactantia, maledicentia, subsannatio, mentiri, calumniari, insulsitas, scurrilitas, quae est obscoena dicere, aut in materia gravi intempestivis iocis, aut Mimica subsannatione ludere, aut contumeliosa dicere in superiores aut in calamitosos honestos, ut Semei scurratur maledicens Davidi.

LIBERTAS CIVILIS est [35]) facultas corporalis ordinata legibus, honeste transferendi corpus et eligendi honestas operas corporis pro arbitrio et habendi res proprias et disponendi de eis iure dominii pro arbitrio, habens et legitimam defensionem corporis et rerum, ut Ioseph emtus non potest transferre corpus ac discedere a Domino suo etc. Diserte autem dicitur facultas ordinata legibus, quia libertas non est infinita licentia, nec vagatur beluarum more, sed est facultas honeste utendi corpore et rebus, liberior, quam qualis est captivorum aut servorum, sed tamen Deo subiecta et certis inclusa metis divinitus, videlicet Legi Dei et aliis legibus, quae muniunt concessam facultatem, ut si cui liceat uti spatiosi horti fructibus, et sint circumdati muri, ne irrumpant apri aut aliae ferae. Sic dixit Lucius Crassus: Legum servi [35]) sumus, ut liberi esse possimus.

SERVITUS CIVILIS, quam Deus approbat, ut servus fuit Ioseph seu Onesimus, est privatio legitima facultatis possidendi res proprias et eligendi operas proprio arbitrio et transferendi corpus aut res proprio [36]) arbitrio. Habet autem et haec servitus ex Lege divina seu naturali suam mitigationem aut moderationem, ne [37]) domini cogant servos facere contra leges divinas, [38]) Ut cum Turci auferunt subditis filios et filias et abstrahunt eos ad suam Idolomaniam, quia Deus est superior Dominus et nulla creatura petere aut iubere aliquid debet contra mandata divina, iuxta dictum [Act. 5, 29.]: Oportet Deo magis obedire quam hominibus. Ac dictum Platonis observetur: Utraque optima, moderata libertas et moderata servitus, Utraque pessima, immoderata libertas et immoderata servitus.

BONUM INCREATUM est Deus ipse, qui est essentia sapiens, aeterna, omnipotens, volens talia, qualia in lege sua praecipit, creatrix et conservatrix mundi, et caussa boni, id est, sapientiae, iustitiae, laetitiae et ordinis in creaturis. De hoc perfecto bono dicitur: Nullus est bonus, nisi unicus, qui est Deus.

BONUM CREATUM est creata convenientia in creaturis cum mente divina omnia intelligente et ordinante. Est igitur sapientia, iustitia et laetitia in natura intelligente et ordo in universa natura insti-

31) iure] Editt. 17—19. 23. iuri

32) vere impedivit] Editt. 16—19. 23. iure impediunt

33) ac] Corp. 2. 4. et

34) perdit] Editt. 16—19. 23. perdet

35) *Pro seqq.* facultas — — — Legum servi *cet. (sub fin. huius def.) in* Editt. 16 — 19. 23., Def. 1. *leguntur haecce:* facultas ordinata legibus possidendi [Ed. 18. *typ. err.:* possidenti] res proprias, et eligendi [Ed. 18. elegendi] operas corporis ex arbitrio, et transferendi corpus et res proprias ex arbitrio. Non enim intelligatur libertas civilis esse vagari sine ullis legibus, sed circumscripta est [Ed. 18. in *pro* est] divinis et civilibus legibus, et laudatur dictum Crassi apud Ciceronem: Legum servi *cet.*

36) proprio] Editt. 16—19. 23., Def. 1. suo

37) ne] Editt. 20—22. 24—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2., Ex. 3., Def. 1. 2. nec

38) contra leges divinas] Editt. 16—19. 22. 23., Def. 1. iniusta

tutus a Deo. Haec definitio est boni in genere, quod nominatur bonum naturale, et de hoc bono dicitur [Genes. 1, 31.]: Vidit Deus omnia, quae fecerat, et erant valde bona, id est, convenientia cum mente divina sic ordinante, videlicet in natura intelligente erant sapientia, iustitia et laetitia et in natura universa ordo. Deinde species recitantur.

BONUM HONESTUM[39]) MORALE CREATUM est ipsae actiones voluntatis in Angelis et hominibus congruentes cum Lege Dei seu cum Deo. Idem enim significatur his loquendi formis, et quidem regi has actiones oportet cogitatione Legis Dei. Osiander nominat iustitiam ipsum Deum, sed tamen necesse est increatam iustitiam discerni a creata seu ab actionibus congruentibus, quae fiunt in voluntate Angeli aut hominis, ut crassissime loquar, quarum aliqua caussa est voluntas Angeli aut hominis, quae non habet se prorsus passive, id est, in qua non agit Deus, ut Sol spargit radios in dolium. Et Ioannes [1. ep. 3, 2.] inquit nos fore similes Filii Dei. Item Paulus [2. Cor. 3, 18.] ait nos transformari, ut simus imago Dei. Non est autem imago archetypus. Est igitur aliquod bonum honestum creatum, quod in hac vita in renatis inchoatur, postea erit integrum. Philosophia loquitur de actionibus honestis, quae etiamsi sunt imperfectae, tamen sciamus eas nominari bonum honestum seu morale creatum, ut actio voluntatis in Scipione, mandans omnibus membris, ut abstineant ab alterius sponsa. Haec actio perfectior esset, si mens et voluntas intuerentur Deum, ut actio Ioseph fugientis adulteram. Haec alibi copiosius enarrantur.[40]) Sed tamen recte dicitur, aliquod esse bonum honestum seu morale creatum, etsi discerni necesse est actiones in beatis, item renatis in hac vita, et honestis Ethnicis, actiones Angelorum, Ioseph et Scipionis.[39])

BONA UTILIA[41]) sunt omnes notitiae sensuum et mentis, et omnes res et effectiones ordinatae ad conservationem vitae, ut ordo in Elementis et rebus nascentibus, frumento, metallis et aliis. Nec mihi[42]) displicet, veras notitias in mente, cum voluntas congruit, dici bonum honestum. Sed cum non congruit voluntas, sunt bonum naturale et utile, sicut aurum, quo tamen homines abutuntur.[41])

BONUM SUAVE in sensu est convenientia obiecti cum nervis, ut cum aqua calida recreat nervos laesos frigore, seu cum potus conveniens recreat arefactam linguam et cetera membra. Aut est bonum suave[43]) in mente et voluntate laetitia,[44]) quae oritur ab intellectu pulchritudinis, id est, ordinis et convenientiae cum Deo vel natura.

MALUM NATURALE est privatio sapientiae, iustitiae et laetitiae in natura intelligente et in aliis rebus est destructio ordinis in qualibet natura, ut morbus, mors et quaecunque destructio rerum.

MALUM MORALE est privatio iustitiae seu virtutis in natura intelligente, seu est discrepantia a Lege Dei seu a Deo. Usitate vero nominatur malum culpae, et in Ecclesia nominatur peccatum. Tenenda est autem regula firmissime, quod Deus nequaquam sit caussa mali culpae, id est, Deus nec vult nec approbat nec efficit nec adiuvat peccatum.

Aliud est MALUM POENAE, quod est destructio sequens malum culpae, ut morbi, mors. Hoc malum est iusta executio poenae, ut oppressio Pharaonis. Nec est absurdum de tali iusta executione dicere, quod Deus velit et adiuvet eam, ut expresse de Sodomis dicitur [Genes. 19, 24.]: Dominus pluit super Sodomam ignem et sulphur etc. Item [Deuter. 4, 24.]: Deus ignis consumens est. De hoc malo poenae intelligantur dicta [Amos 3, 6.]: Non est malum in civitate, quod non fecit Dominus, id est, omnibus generibus poenarum afflixit nos, morbis, lue, fame, bellis etc.[45])

Diligenter autem consideranda est oppositio. Bonum enim morale et malum culpae inter se[46]) opponuntur, ut habitus et privatio seu ut contrarii motus, ut fortitudo et timiditas, dilectio fratris[47]) in Cain et odium. Differunt ab his naturale bonum et naturale malum. Ut notitiae, aurum, vinum sunt naturalia bona, non sunt bona moralia. Mors est naturale malum, non morale. Non igitur pugnat cum bono morali, ut dicitur [Psalm. 115, 6. al. 114, 15.]: Pretiosa mors sanctorum eius.

---

39) *Pro seqq.* MORALE . . . et Scipionis (*in fine huius def.) in* Editt. 16 — 19. 23., Def. 1. *haec pauca sunt:* seu morale est in natura intelligente iustitia seu virtus, id est, conformitas cum Lege Dei seu cum Deo. Et haec conformitas in aliis maior est, in aliis minor. Multo est illustrior in Ioseph, Elia, Daniele, quam in Scipione.

40) Vide supra p. 660., etiam p. 912.

41) *Pro seqq.* sunt . . . abutuntur *in* Editt. 16—19. 23., Def. 1. *haec habentur:* sunt notitiae et efficaciae [Def. 1. effectiones] in omnibus rebus ordinatae ad conservationem vitae, ut ordo frumenti, aëris, ad conservationem vitae.

42) mihi *abest ab* Ed. 22.

43) est bonum suave] Corp. 1—8., Opp. 1. 2. bonum suave est

44) ut cum aqua . . laetitia.] Editt. 16—19. 23., Def. 1. Sed in mente et voluntate est laetitia.

45) etc. *abest ab* Editt. 22. 24. 26—34.

46) se] Editt. 16. 17. 19. 20. 23. 25., Corp. 1 — 8., Opp. 1. 2., Ex. 3., Def. 1. 2. sese

47) fratris] Editt. 16—18., Def. 1. fratrum

[48]) ANGELUS BONUS est persona Spiritualis, creata non ex Elementis, sed ex nihilo, ut in ea divinitas se inter spirituales naturas patefaciat, et in creatione ornata notitiis Legis et aliis, libertate voluntatis et iustitia, deinde vero confirmata in bono, videlicet in dilectione Dei, Angelorum et piorum hominum, in veritate et castitate, ut nunquam a Deo deficiat, ordinata, ut, quanquam natura praestantior est, tamen Ecclesiae serviat, ut voluntas Dei conspiciatur, qui vult fortiores servire inferioribus, et studium humilitatis approbat. Psal. 90. [vs. 11.] Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.

[48]) ANGELUS MALUS est persona Spiritualis, creata non ex Elementis, sed ex nihilo, in creatione ornata notitiis Legis et aliis, libertate voluntatis et iustitia, deinde vero propria voluntate libere aversa a Deo, contempto Filio Dei, et abiecta in poenas sine fine,[49]) furens odio Dei, mendax, blasphema et odio Dei saevitiam exercens in genus humanum, impellens alios ad alia scelera, ad blasphemias, ad mendacia, ad caedes, ad libidinum confusiones, non ut ipsi melius sit, sed propter *ἐπιχαιρεκακίαν*, et ut Deum et Dominum nostrum Iesum Christum contumeliis afficiat. Quare hi duo tituli ei tribuuntur, quod sit mendax et homicida. Et nominatur *διάβολος*, quia verbum Dei calumniis in hominum mentibus corrumpit; Et Satan, quia[50]) adversatur Deo et Domino nostro Iesu Christo et Ecclesiae; BaalZebub, quia volitat in aëre, ut crabrones, turbans genus humanum et praecipue Ecclesiam. Sicut Paulus nominat Diabolum principem potestatis aëris, efficacem in his, qui contemnunt Deum. Ideo autem haec definitio diligentius consideranda est, ut ardentior sit precatio in petendo auxilio adversus Diabolos. Cum quidem ideo et libenter velit Filius Dei nobis opitulari, quia Diabolus nos propter ipsum praecipue odit. Invocamus igitur te, Fili Dei, Iesu Christe, crucifixe pro nobis et resuscitate, custos Ecclesiae tuae, ut nos gubernes et serves.[48])

PROPHETAE in veteri Testamento nominati sunt doctores immediate vocati a Deo ad repurgandam doctrinam et praecipue ad illustrandam promissionem de Messia et ad aliqua politica consilia, et sunt ornati testimonio miraculorum, ut certum esset doctrinam eorum divinam esse, et eos non errare in doctrina, quia Deus de ea testificabatur. Tales fuerunt Adam, Seth, Noë, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Moyses, David, Elias, Elisaeus, Iesaias, Ieremias, Daniel et alii. Ideo Ioannes inquit [Ioh. 1, 21.]: Non sum Propheta, Quia non erat ad Politica negotia missus, Sicut Iudaei expectabant Prophetam similem Samueli aut Eliae, tubam belli contra Romanos.

APOSTOLI sunt doctores in novo Testamento immediate vocati a Christo ad docendum Evangelium et ad publicam administrationem Sacramentorum, non ad Politica negotia, et sunt ornati testimonio Spiritus sancti, et[51]) miraculis, ut certum esset doctrinam eorum divinam esse et eos non errare in doctrina, quia Deus de ea testificabatur, et habent potestatem ubique docendi.[52])

EPISCOPUS seu PASTOR est doctor vocatus a Deo, sed mediate, scilicet per Ecclesiam, ad docendum Evangelium et ad publicam administrationem Sacramentorum in loco certo, et recitat doctrinam traditam ab Apostolis; ab hac cum discedit, errat, ut saepe accidit, nec habet potestatem ubique docendi. Consideranda sunt autem testimonia, quae confirmant vocationem, quae fit per homines, et ostendunt Deum velle suffragatione humana vocari Ministros Evangelii et per tales efficacem esse. Paulus [Tit. 1, 5.] praecipit Tito, ut constituat Presbyteros passim in oppidis. Et 2. Tim. 2. [vs. 2.] dicitur: Haec commenda hominibus fidelibus, qui idonei sint ad docendos alios.

DOCTOR est persona vocata ad docendum Evangelium, non ad summam gubernationem Ecclesiae. Tales olim erant Catechetae, et nunc tales debent esse Doctores in Scholis.

EVANGELISTAE olim dicebantur, qui subinde ad diversas Ecclesias mittebantur aut vocabantur, ut ibi Evangelium docerent. Tales scribit Eusebius nominatos esse Evangelistas, et celebrat Pantaenum[53]) lectorem scholae Alexandrinae, qui pervagatus fuit multas Ecclesias in Oriente et eas erudiit.[54])

---

48) *Utraque sequens definitio:* ANGELUS BONUS . . . gubernes et serves *abest ab* Editt. 16—20. 23. 25., Def. 1. 2.

49) fine] Editt. 22. 24. 26—34. fide.

50) quia] Corp. 2. 4. qui

51) et] Editt. 16—20. 23. 25., Def. 1. 2. ac

52) *Hic interserunt* Editt. 16—34., Opp. 1. 2., Ex. 3., Def. 1. 2. Barnabae dictum *illud, quod appendiculae instar in fine Definitionum ante istam* de habitibus *appendiculam posui, quem aptiorem locum tenet in* Corp. 1—8.

53) Pantaenum] Editt. 16—19. 23., Def. 1. Pantheum, Opp. 1. 2. Pantaenum

54) Editt. 16—19. 23., Def. 1. *h. l. subiiciunt:* *Τέλος.*

BARNABAE DICTUM [55]

citatum a Clemente secundo libro collectaneorum, pagina 161. [56]

Antequam crederemus Deo, domicilium corruptibile et fragile cordis nostri vere erat templum manu factum, quando erat plenum idololatria, et erat domus Daemonum; Sed attendite, ut templum Domini gloriose aedificetur. Quomodo? Accipiendo remissionem peccatorum et sperando in nomen Christi fiamus novi et denuo creati, eo quod in domicilio nostro vere Deus habitat in nobis. [57] Quomodo? Quando habitant [58] in nobis sermo fidei ipsius, vocatio promissionis ipsius, sapientia iustificationum et mandata doctrinae.

DE HABITIBUS. [59]

Supra dictum est de Notitiis et Virtutibus. Et quid sint notitiae actuales, utcunque dici potest. De habitibus magna caligo est.

Notitia actualis in parte cognoscente, quae cerebro utitur, est formatio imaginum, quae fit spiritibus velut σφραγῖδα imprimentibus cerebro, et cerebri motu ceu [60] lingua formante sermonem. Ut cum cogitas amicum, formas in cerebro eius imaginem.

Mirandum opus Dei est in hominum natura sic conditum singulari consilio. Et commonefactio est de Deo, quod Deus sit essentia intelligens. Deinde sunt aliae multae commonefactiones in toto ordine Notitiarum, Numerorum, Ratiocinationis, Legum, quae distinguunt honesta et turpia. [61] De his tantis beneficiis Dei saepe cogitandum est, et erigenda mens, ut aliquo modo Conditorem intueatur.

Sed quid sunt Notitiae Habituales?

Has credo esse memorias, id est, impressas imagines certae parti cerebri, retentas, ut in cera retinentur imagines factae sigillis. Et quo impressio est firmior et saepius facta, eo citius fit recordatio.

Esse autem habitum deinde in membris amplius quiddam, iudicari potest ex his [62] artibus, quae non tantum sunt notitiae, sed etiam regunt externa membra, ut ars pingendi regens digitos in ducendis lineis. Hic non desunt memoria et intentio novo discipulo, et tamen digiti tardiores sunt, quam excellentis magistri. Idem fit in Citharoedo et multis aliis artificibus. Etsi igitur memoria dominatur, tamen sit sane aliquid habitus, id est, agilitas crebra recordatione et usu parta. Et cogitemus talem esse hominum naturam, ut crebram recordationem et assuefactionem sequatur in mente et corde et Locomotiva agilitas seu celeritas, quae nominatur ἕξις, etsi, quae res sit, obscurum est.

Vitia conspectiora sunt. Ac primum de actionibus externis dicamus, quae plurimae a pravis affectibus oriuntur. Nec obscurum est, quid sint pravi affectus. Homines proni sunt ad incendia amorum, irae, odiorum, ad timores et ad alios affectus. Et vagantur hi motus varie. Paris et Helena quia familiariter saepe colloquuntur et simul convivantur, incalescunt mutuo, ut natura sexum movet erga sexum. Accenso corde postea voluntas Paridis hoc decretum addit: Abducam Helenam in Asiam. Hic et fons actionis externae, et quid sit haec actio, intelligi potest. Nec quaeruntur habitus.

Non obscure et de bonis actionibus externis dici potest, oriri eas a cogitatione Legis recta docente et voluntate imperante Locomotivae, ut reprimant aut cieant membra, ut externi motus congruant Legi; Ut cogitatio in Scipione: Non attingas alterius sponsam; et haec ipsa cogitatio seu voluntas praecipiens nervis sunt caussae reprimentes externa membra, ne indecoros motus cieant.

Hanc disciplinam regendi externa opera utcunque efficere humana ratio etiam in non renatis potest. Et Paulus sic nominat opera Legis, non nominat virtutes, Quia quid sit Virtus in non renatis et quid sint habitus illi, quos sic nominat Aristoteles, difficile est ostendere. Et si quid sunt illi habitus in hac languida natura, sunt infirmi et facile excutiuntur seu flaccescunt.

---

55) *Hoc dictum, quod,* Corpore doctrinae *excepto, in omnibus* Editt. *definitioni vocis* Apostoli *post verba* ubique docendi *adiunctum est* (conf. nota 52.), *in* Editt. 19. 23. *illis definitionis verbis sic est annexum:* ubique docendi, iuxta Barnabae dictum citatum *cet.*

56) Cuius Editionis haec pagina sit nescio. Invenitur hic locus in Clementis Alexandrini Stromatum lib. II. cap. XX. c. med. (Opp. ed. Potter. Vol. I. pag. 490.).

57) in nobis *exciderunt in* Ed. 21. *indeque absunt ab* Ed. 22., Corp. 1—8., Opp. 1. 2., Ex. 3.

58) habitant] Editt. 21. 22. 24. 26—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2., Ex. 3. habitat

59) *Haec* de habitibus *appendicula exstat in* Editt. 20 — 22. 24 — 34., Corp. 1 — 8., Opp. 1. 2., Ex. 3., Def. 2. (in Editt. 16—19. 23., Def. 1. non invenitur).

60) ceu] Editt. 20. 25. seu

61) honesta et turpia.] Editt. 22. 24. typ. err.: honeste turpia.

62) his] Editt. 20. 25., Corp. 1 — 8., Opp. 1. 2., Ex. 3., Def. 2. iis

In renatis vero, ut in Ioseph, Davide, facile potest monstrari, quid sit in ipsis virtus, videlicet ipse Spiritus sanctus accendens tales motus, qualis ipse est, et confirmans corda. Ibi virtus nominari potest vel ipse Spiritus sanctus vel motio ab ipso orta. Discernendus est enim Creator a creatura. Sicut et Paulus discernit inquiens [Philipp. 2, 13.]: Deus est, qui efficit, ut velitis et ut perficiatis, ut fiant ipsi grata. Sed cum caussa nominatur, fons ostenditur, ut in Psalmis [17, 2.] dicitur: Tu es, Deus, [63]) fortitudo mea.

In aliquibus autem actionibus honestis etiam non renatorum iuvatur cogitatio naturali στοργῇ, ut parentes tolerant ingentes labores in educatione sobolis, quia naturali στοργῇ moventur et confirmantur. Aliorum caussa ne possent quidem ferre. Ibi conspici potest caussa talium actionum, quae quidem est virtus, et sic recte nominari potest, quia est inclinatio in natura hominum a Deo condita, ut sit semen bonarum actionum, id est, congruentium cum lege Dei.

Adiuvatur etiam cogitatio in multis mediocribus hominibus bonitate temperamenti corporum et cordis, quia intentio mentis firmior est et cor minus cito incenditur errantibus affectibus. Ut Cyrus non peccat iracundia, sicut Alexander ebrius, qui tunc minus videt, quam deformis sit ira, et in corde spiritus magis fervidi sunt et magis tumultuantur. Ideo motus fiunt minus ordinati.

Non possunt autem assumi temperamenta assuefactione, sed externi motus regi possunt. Et ad hanc diligentiam conducit assuefactio, quae est crebra commonefactio, qua repetitur et confirmatur cogitatio Legum et poenarum, et fit intentio maior, quae magis considerat virtutis pulchritudinem et cor utcunque trahit, ut minus sit contumax. Ut cum saepe et attente cogitamus praecepta Temperantiae et poenas Intemperantiae, magis fugimus intemperantiam. Et cum experimur temperantiae commoda, magis eam amamus, et confirmamur, ut nocituras delicias fugiamus. Inde qualiscunque firmitas in cogitatione et corde nominatur habitus, quae sit sane novum quoddam robur, ut in cursore exercitia tollunt superfluos humores et faciunt carnem puriorem et spissiorem, τένοντας agiliores et articulos volubiliores. Etsi igitur obscurum est, quid sit in mente et corde habitus, tamen repetitio doctrinae, intentio cogitationis et repressio cupiditatum aliquam certe firmitatem, quantulacunque est, afferunt.

Haec omnia considerare [64]) utile est eo, [65]) ut agnoscamus imbecillitatem nostram, nec stulte somniemus, in non renatis intus esse magnum robur, quod nominatur virtus; sed sciamus utcunque cogitatione legis gubernari externas actiones; unde et forma loquendi est, Opera legis. Agnoscentes autem imbecillitatem nostram agnoscamus Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, qui missus est, ut nos sanet, et petamus, ut, cum sit λόγος aeterni Patris, sit efficax ipse in cordibus nostris voce Evangelii et sit in nobis sol iustitiae ac luce sua Patris voluntatem nobis ostendat et corda nostra ad Deum convertat et in mentibus nostris assensionem confirmet, ut constanter voci divinae credant, et dato Spiritu sancto accendat in nobis motus congruentes Legi Dei, salutares nobis et aliis, sicut rexit Ioseph, Samuelem, Danielem et alios pios, et sicut inquit [Luc. 11, 13.]: Quanto magis Pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Et quidem severissimis mandatis praecipit, ut ad se confugiamus et auxilium petamus. Sicut ait [Matth. 11, 28.]: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Item [Ioh. 16, 24.]: Petite et accipietis. His mandatis et promissionibus Filii Dei exuscitemur ad invocationem, quod cum faciemus, cernemus praesentiam Dei, et discemus, quid sit vera virtus, de qua dicit Paulus [2. Cor. 3, 18.]: Intuentes lucem Dei transformamur in eandem imaginem a Domini spiritu.

Hic etiam monendi sunt iuniores, ingens discrimen esse inter virtutes in renatis et heroica dona non renatorum. Est in Achille, Alexandro, Iulio fortitudo heroica, quae re ipsa est donum Dei, videlicet robur tale creatum in cordibus, ut minus metuant pericula, quam alii, et fortius ac felicius proeliari possint; Sicut est robur corporis creatum maius in Cyclope, quam in [66]) Ulysse. Sed illa Achillis fortitudo non regitur luce divina, vera agnitione et invocatione Dei, nec directa est ad hunc finem, ut ipsius victoria sit testimonium de Deo et prosit ad defensionem verae Ecclesiae, nec iudicat Achilles suam dextram regi a vero Deo, nec eum invocat. At in Davide lucet notitia vocis Divinae. Ita in eo adest Filius Dei ostendens aeternum Patrem, et adest Spiritus sanctus accendens in corde laetitiam in hac obedientia et veram Invocationem et addens robur. Et directus est labor ad hunc finem, ut sit de vero Deo testimonium et ut defendatur Ecclesia. Discrimen igitur est inter Davidem et Achillem. In Davide habitat Deus, et

63) Deus *excidit in* Ed. 22.

64) [illegible] 21. 25., Co[illegible] Opp. 1. 2., Ex. 3., Def. 2. considerari

65) eo *abest ab* Editt. 20. 25.

66) in *abest ab* Editt. 21. 22. 24. 26—34., Corp. 1—8., Opp. 1. 2., Ex. 3.

lux[67]) verbi Dei[68]) regit pugnantem et Spiritus sanctus flectens cor ad verum Deum addit robur et gubernat dextram proeliantis. At in Achille non habitat Deus, etsi fortitudo in eo est donum creatum a Deo, sicut robur corporis. Sed Spiritus sanctus in illis tantum esse dicitur, in quibus lucet notitia veri Dei accensa verbo divino et fit invocatio veri Dei. Nam Spiritus sanctus non dicitur in aliquo esse sine luce verbi divini; sicut dicitur [Ioh. 16, 15.]: Spiritus sanctus de meo accipiet. Et accendit invocationem veri Dei. Etsi magnum robur est corporum in Gigantibus et Cyclopibus, quod vere est creatum a Deo, tamen horum pugnae non sunt motus Spiritus sancti, quia in mentibus eorum non lucent notitia et invocatio veri Dei.

Hae antitheses ostendunt discrimina et hominum et actionum, quae considerari necesse est, ne fiat confusio Ecclesiae et Ethnicorum. Oro autem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, ut semper aeternam Ecclesiam inter nos colligat et eam luce suae doctrinae et Spiritu sancto gubernet; Amen.

FINIS.

67) lux] Editt. 24. 26—28. 30. 34. lex

68) Dei *abest ab* Editt. 20. 21. 25., Corp. 1—8., Opp. 1. 2., Ex. 3., Def. 2.

Nota. Ne lector in errorem inducatur, duas admonitiones h. l. addimus:

1. Omnes Bibliorum S. loci secundum Vulgatam sunt allati, quae in Psalmorum numeris a textu hebraico differt.
2. Editiones Locorum tertiae aetatis ex Editt. Viteberg. et Lips., quae vivo Melanthone prodierunt, recusae varii sunt generis. Aliae enim eas, ex quibus repetitae sunt, fere ad verbum sequuntur, cuius generis sunt e. c. Ed. 3. (= Ed. 1.), Editt. 6. 7. (= Ed. 2.); aliae vero ab Editt., ex quibus recusae sunt, quibusdam locis differunt e. c. Corporis Editt. ab Ed. 20., Opera Viteb. ab Ed. 24.; aliae denique ab Editt., ex quibus recusae sunt vel recusae esse videntur, tam multis locis discrepant, ut difficile sit certo definire, quasnam Editt. editores secuti sint, cuius generis sunt inprimis Editt. 26. et 27. inter se congruentes. Quam ob rem nonnulla, quae in tabula Editionum p. 591—594. de Editt. huius tertii generis proposuimus, non certa sunt, sed tantum in coniectura posita. Ex annotationibus criticis lector intelliget, cuiusnam generis sit quaeque Editio.

Brunsvigae,
Typis expressum M. Bruhnii.

DATE	N
Oct 14 /47	S. Ma
Nov 2/48	N. Harin